CODICIS IURIS CANONICI FONTES

CURA

Emi PETRI Card. GASPARRI

EDITI

VOLUMEN III

ROMANI PONTIFICES

A. 1867-1917

N. 545-713

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXXIII

Emus Petrus Card. Gasparri sibi reservat ius proprietatis in haec Collectanea sicut in Codicis Praefationem, Fontium Annotationes et Indices Analytico-Alphabeticos.

ELENCHUS OPERUM

AD QUAE PRO REPERIENDIS FONTIBUS IN HOC VOLUMINE RELATIS VIRI STUDIOSI REMITTUNTUR

Bullarum, Privilegiorum ac Diplomatum Romanorum Pontificum Amplissima Collectio, opera et studio CAROLI COCQUELINES, Romae (1739-1744). Sumptibus Hieronymi Mainardi.

BENEDICTI Papae XIV, *Bullarium*, Romae (1746-1757). Typis S. C. de Propaganda Fide.

Bullarii Romani Continuatio, Romae (1835-1858). Typographia Rev. Camerae Apostolicae.

Acta GREGORII Papae XVI, Romae (1901-1904). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

PII IX Pontificis Maximi *Acta*, Pars prima, Romae (1854, sq.). Typographia Bonarum Artium, Typographia Vaticana.

LEONIS XIII Pontificis Maximi *Acta*, Romae (1881-1905). Ex Typographia Vaticana.

PII X Pontificis Maximi *Acta*, Romae (1905-1914). Ex Typographia Vaticana. Ex Typographia Polyglotta Vaticana.

ACTA SANCTAE SEDIS, Romae (1865, sq.).

ACTA APOSTOLICAE SEDIS, Romae (1909, sq.). Typis Polyglottis Vaticanis.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI ab a. 1893 ad a. 1908, Sublaci (1912). Typis Protocoenobii.

CAESARIS S. R. E. CARD. BARONII, *Annales Ecclesiastici*, Friburgi Helv. (1887). Ex Typis Operis Sancti Pauli.

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, Romae (1907). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

IOANNES DOMINICUS MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio*, Florentiae (1759, sq.). Expensis Antonii Zatta Veneti.

Concilium Romanum in Sacrosancta Basilica Lateranensi celebratum a. 1725, Romae (1764). Barbiellini.

Decreta Authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, edita iussu et auctoritate SS. D. N. Leonis PP. XIII, Ratisbonae, etc. (1883). Pustet.

Decreta Authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata, Romae (1898-1912). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide. Typis Polyglottis Vaticanis.

Ius Pontificium de Propaganda Fide, Romae (1888-1897). Typographia Polyglotta.

MIGNE J. P., *Patrologiae Cursus completus*. Series prima Latina, Parisiis (1844, sq.).

Raccolta di Concordati su materie ecclesiastiche tra la Santa Sede e le Autorità civili, Roma (1919). Tipografia Poliglotta Vaticana.

Thesaurus Resolutionum Sacrae Congregationis Concilii, a. 1718, sq.

INDEX FONTIUM
QUI IN HOC VOLUMINE REFERUNTUR

I. – ROMANI PONTIFICES

III. - ROMANI PONTIFICES

545.

Pius IX, litt. ap. *Ecclesiarum*, 17 iun. 1867.

Ecclesiarum omnium curam et sollicitudinem ex Supremo Apostolatus officio divina Providentia Nobis commisso gerentes, maximo quidem solatio perfundimur, cum ad sacrum Episcopalem Ordinem oculos Nostros mentemque convertimus. Sacri enim per Orbem Antistites pastoralis muneris Nostri consortes in tanta temporum difficultate, atque in tot malorum procellis, quibus Ecclesia iactatur, omnem adhibent alacritatem, ac studium in custodiendo vigilias noctis super gregem suum, in Ecclesiae iuribus adserendis, atque in Christiana sibi concredita plebe divinae legis praeceptionibus erudienda, ut hoc scilicet instructa munimine facilius a malo declinet, atque ambulet in viis Domini. Ipsi propterea nullum discrimen detrectantes opponunt murum pro Domo Israel, interque ipsos non pauci persecutionem passi propter iustitiam, illustria suae fidei, et fortitudinis exempla ediderunt. Quo autem obsequio, quo devotionis studio iidem Venerabiles Fratres prosequantur Beatissimi Petri Cathedram, in qua integra est Christianae religionis, ac perfecta soliditas, et ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, innumerae amoris, ac pietatis significationes etiam typis consignatae, et numquam intermissae pro ipsius incolumitate, et exaltatione in suis dioecesibus preces, excitatique fideles ad rerum angustias quibus premimur, data stipe recreandas, denique singularis eorum in Urbe Nostra frequentia luculentissime testantur. Quare in communi omnium ordinum laetitia ob saecularem memoriam martyrii Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli solemniter celebrandam, et ob nonnullos Ecclesiae Heroes Sanctorum caelitum fastis adscribendos, gratum Nobis est eosdem Venerabiles Fratres in pastorali Nostro exercendo munere socios, atque adiutores debito exornare laudis praeconio, eisdemque per aliquam honoris adiectionem propensi animi Nostri, ac dilectionis exhibere testimonium. Itaque auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi omnibus, et singulis Catholicae Ecclesiae Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis tam praesentibus, quam futuris concedimus, atque indulgemus, ut ipsi in posterum a primis tamen vesperis proxime futuri festi Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli pileolo violacei coloris uti libere ac licite possint, et valeant. Non obstantibus Constitutionibus, et Sanctionibus Apostolicis, ceterisque quamvis speciali, et individua mentione, ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

[Acta Pii IX, vol. IV, p. 90-92].

546.

Pius IX, litt. ap. *Reversurus*, 12 iul. 1867.

1. Reversurus ex hoc mundo ad Patrem Unigenitus Dei Filius Ecclesiae Suae divinam ordinationem ita constituit, ut, quemadmodum B. Leo PP. I Decessor Noster monuit,[1] cum inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris quaedam fuerit discretio potestatis, omniumque par esset electio, uni tamen scilicet Beatissimo Petro datum fuerit, ut ceteris praemineret. Huic enim solo a Christo Domino suprema potestas fuit attributa pascendi nedum agnos verum et oves, hoc est regendi et gubernandi universam Ecclesiam, ut iam in grege Christi non sit, qui Petrum Pastorem non agnoscat. « De qua forma, ut ait idem B. Leo, Episcoporum quoque est orta distinctio et magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent; sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura conflueret, et nihil umquam a suo Capite dissideret ». Quibus sane verbis Metropolitarum ac Patriarcharum ecclesiastica institutio aperte designatur.

2. Hinc factum est, ut in iis tantum amplioribus urbibus patriarchalis dignitas antiquitus constiterit, quarum Ecclesias Beatus Petrus fundaverat. Hinc factum est, ut Patriarchis ipsis vix electis nil magis cordi fuerit, quam confirmationis litteras ab hac B. Petri Sede obtinere, per quam sciebant, largiente Domino, omnium solidari dignitatem sacerdotum et ab eadem ipsam patriarchalem auctoritatem promanare: hinc factum est, ut graviores ac difficiliores causae tam fidei quam disciplinae ad eamdem Sedem deferrentur, quae sola cunctas haereses etiam ante Conciliorum generalium definitiones auctoritate Sua interemit, et universalis Ecclesiae disciplinae, cum opus fuit, latis etiam legibus providissime consuluit. Atque hanc constitutionem semper in Ecclesia fuisse religiosissime custoditam, universalium Conciliorum acta, SS. Patrum institutiones, atque universae Ecclesiasticae historiae monumenta tam perspicue demonstrant, ut nemo ante funestissimum Orientis schisma praesumpserit hanc supremam Romanorum Pontificum auctoritatem in dubium revocare.

3. Etsi autem schisma illud omnes ferme Orientales Ecclesias ab unitatis centro divulserit, haud tamen potuit hanc veritatem Catholicam in Ecclesia obscurare, vel saltem ex Orientalium animis penitus eradicare. Etenim praeterquamquod innumerabiles gentes in agnitionem veritatis ex idololatriae vel haereseos tenebris vocatae ad hanc Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem undique convenerunt, aliaeque in dies conveniunt, ipsae etiam Orientalium Ecclesiae, quoties ad bonam frugem,

[1] Epist. ad Anastasium Tessalonicen. – Cf. Migne, *P. L.*, tom. LIV, col. 676.

divina aspirante gratia, reversae sunt, primatum nedum honoris verum et iurisdictionis B. Petro Eiusque in Romana Cathedra successoribus a Iesu Christo Domino Nostro attributum solemniter professae sunt. Quem primatum, licet a vetustioribus etiam Conciliis et ab universa Ecclesia semper agnitum et summo in honore habitum, oecumenica Synodus Florentina,[1] in qua Graeci sacrorum Antistites cum Latinis convenere, solemni dogmatico decreto asseruit, ut magis magisque inexcusabiles fierent qui tam perspicuam veritatem vellent inficiari.

4. Atque utinam hoc fidei Christianae dogma Orientales Antistites constanter tenuissent! Neque enim eorumdem Ecclesiae in miserrimam illam conditionem cecidissent, in qua post conflatum vel instauratum schisma versantur. Siquidem praeter asperrimas calamitates quae earumdem defectionem ab hac Apostolica Sede consequutae sunt, etiam vigor canonum, et ecclesiasticae disciplinae honestas, et sacrae hierarchiae ordo et maiestas apud eas miserrime defecerunt. Et inscrutabili Dei iudicio factum est, ut Antistites earumdem Ecclesiarum, qui Supremi Ecclesiae Pastoris divinitus institutam auctoritatem contempserunt, laicorum quin et infidelium iugo premantur, ut neque ordinaria atque immediata Episcoporum iurisdictio in suas dioeceses, neque Patriarcharum in suos Episcopos canonica auctoritas sarta tecta manserit: quos contra monitum Apostoli suis cleris praeter canonum statuta dominantes, clerus ipse ac populus contra eorumdem canonum statuta vel a sua dignitate deiiciunt vel eidem renunciare nunquam satis lugendo exemplo audacter compellunt.

5. Tantam infelicitatem Orientalium Ecclesiarum miserati Romani Pontifices Praedecessores Nostri nihil intentatum reliquerunt, ut aberrantes oves in unicum Christi ovile reducerent. Quod assequi conati sunt plurimis datis ad Orientales literis etiam encyclicis, conciliis etiam generalibus celebratis, ac potissimum missis ad Orientales plagas Apostolicis viris, quorum sudore, laboribus, atque aerumnis vineae illae olim florentissimae, tandem aliquando reflorescent. Quod si curis atque laboribus cumulate non respondit fructus, haud tamen res in irritum cessit: siquidem multi agnito errore, schismate eiurato ad Ecclesiae unitatem reverti festinaverunt, quos inter, ut ceteros hic praetereamus, Armenii recensendi sunt. Etsi autem propter humanam infirmitatem, hominum nequitiam ac temporum acerbitatem haud semel eorum Antistites in errorem reversi fuere, ex ipsis tamen Armeniis non defuerunt praeclarissimi viri, qui divina ope suffulti Catholicam veritatem et unitatem restituendam curarent. Talis fuit Abrahamus Petrus primus, quem multis aerumnis pro Catholica fide probatum Benedictus PP. XIV Decessor Noster Patriarcham Ciliciae renunciavit; quem deinde non interrupta Patriarcharum series huic Apostolicae Sedi firmiter adhaerentium subsequuta est. Praeclarum quoque fidei specimen exhibuerunt Armenii Constantinopolim finitimasque provincias incolentes, qui licet persequutionibus exagitati, adduci tamen nunquam potuere ut a Catholica fide recederent, pro qua asperrima quaeque perpeti non dubitaverunt.

[1] Cf. N. 51.

6. Placuit tandem Omnipotenti Deo hisce malis finem imponere: qui dans vocem virtutis inclytis Christianorum Principum Legatis, eam mentem Summo Turcarum Imperatori iniecit, ut Catholicos Armenios a schismaticis omnino separaret, eosque ab omni, qua antea tenebantur erga schismaticum Patriarcham subiectione, obedientia, parendique obligatione, vel sacris, vel civilibus in rebus perpetuo eximeret.

7. Tunc reddita Catholicis Armeniis ecclesiastica libertate, placuit sa. mem. Pio Papae Octavo Decessori Nostro Primatialem atque Archiepiscopalem Armeniorum Sedem Constantinopoli erigere Apostolicis litteris: *Quod iamdiu*, die sexta iulii anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo sub annulo Piscatoris expeditis,[1] eamque huic Beatissimi Petri Cathedrae arctius coniungere, ut quo magis illi adhaereret, eo firmius et fructuosius in catholicae veritatis professione permaneret atque proficeret. « In Petro enim, uti iam memoratus Sanctus Leo[2] docuit, omnium fortitudo solidatur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis ceteris conferatur ».

8. Re autem Catholica per memoratae Sedis Primatialis institutionem sic opportune constituta, potuimus Nos post aliquot annos episcopales quoque Sedes erigere[3] quarum Antistites Constantinopolitano Armenorum Archiepiscopo Primati suffragarentur. Quin etiam Hispahanensem Armenium Episcopatum, extra fines Constantinopolitanae ecclesiasticae provinciae in Perside a Nobis erectum, eiusdem Primatis suffraganeum provisoria ratione decrevimus,[4] donec, catholicorum numero, Deo iuvante adaucto, opportuniori ratione providere liceret.

9. Etsi vero tam feliciter Armeniis Constantinopolitanae provinciae consultum fuisset, iisdem tamen satius esse videbatur, Primatialem Constantinopoleos et Patriarchalem Ciliciae Sedes in unum coniungi, quam unionem a fel. rec. Gregorio Papa Sextodecimo etiam Praedecessore Nostro et a Nobis praefati Armenii non semel efflagitaverunt. Sed graves iustaeque causae obstiterunt, quominus haec eorum vota possent expleri. Novissime autem post obitum bo. me. Gregorii Petri Octavi postremi Ciliciae Patriarchae, Episcopi eiusdem Patriarchatus synodaliter convenientes ad Successoris electionem peragendam in eamdem sententiam devenerunt, atque huic fini assequendo Venerabilem Fratrem Nostrum Antonium Hassun hactenus Archiepiscopum Primatem Armeniorum Constantinopoleos in Patriarcham Ciliciae elegerunt seu postulaverunt, Nos humillime obsecrantes, ut nedum hanc electionem confirmare, verum et memoratam coniunctionem earumdem Armeniarum Sedium indulgere dignaremur, et hac ratione Catholicis Armeniis decus atque ordinem unitatis tam quoad iurisdictionem quam circa disciplinam tribueremus.

[1] Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 18, p. 113, 114.

[2] Sermo 3 in Annivers. Assumpt. Suae. – Cf. Migne, *P. L.*, tom. LIV, col. 151, 152.

[3] Litt. Apostol. *Universi*, 30 apr. 1850; *Assidua*, 9 maii 1865. – Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. 6, A, p. 93, 94; 430, 431.

[4] Litt. Apostol. *Ad Supremum*, 30 apr. 1850. – Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. 6, A, p. 95.

10. Re itaque per Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Congregationis christianae Fidei propagandae pro Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositae accurato examine perpensa, Nos Armeniorum votis annuendum esse censuimus.

11. Quapropter, exorato ad tanti momenti negotium definiendum divinae gratiae praesidio, ad laudem et honorem Omnipotentis Dei et Sanctissimae Genitricis Dei Mariae sine labe conceptae ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non in Catholicae Fidei exaltationem, Apostolica qua pollemus in universam Ecclesiam auctoritate, tenore praesentium extinguimus et abolemus titulum Primatialem atque Archiepiscopalem, quo memoratus Pius Praedecessor Noster supradictis Apostolicis litteris Armeniam Constantinopolitanam Ecclesiam decoravit. Deinde pari auctoritate Constantinopolitanam Ecclesiasticam Armenorum Provinciam Patriarchatui Ciliciae perpetuo unimus; mandantes, ut novus Patriarcha, eiusque Successores titulo fruantur Patriarcharum Ciliciae Armenorum: ut iidem in Urbe Constantinopolitana resideant, eamdemque Constantinopolitanam Ecclesiam Ordinaria iurisdictione gubernent. Volumus autem ut praedictus Patriarchatus iisdem limitibus coerceatur, quibus Ciliciae Patriarchatus et Primatiatu Constantinopolitanus in praesentiarum continentur.

12. Quo vero haec ferme nova Patriarchatus Armenii constitutio in bonum cedat animarum, atque ut gravissima damna, quae ex incerta vel minus apte constituta ecclesiastica disciplina solent derivari, propulsentur atque arceantur. Motu proprio, certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine praecipua quaedam eiusdem disciplinae capita salvis tamen ritibus Orientalium a Sanctis Patribus institutis et ab hac Apostolica Sede probatis) in memorato Patriarchatu perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observanda tenore quoque praesentium constituimus atque sancimus.

13. Ac primo quidem praetensum quoddam Capitulum, quod ante triennium a nonnullis Armeniis presbyteris primo expetitum defunctus Patriarcha Gregorius Petrus Octavus anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, uti accepimus, illegitime erexerat, cui etiam quaedam praetensa iura seu privilegia attributa fuerant episcopali quin et patriarchali dignitati iniuriosa, itemque alia praetensa capitula, si quae fortasse intra fines eiusdem Patriarchatus uti supra instituta sint, praedicta Nostra Apostolica auctoritate abolemus; prohibentes, ne in posterum similia capitula in Armenio Patriarchatu umquam instituantur.

14. Vacante Sede Patriarchali, nemini umquam, qui episcopali charactere non fulgeat, fas sit suffragium ferre in electione Vicarii, qui vacantem Patriarchatum gubernet atque administret.

15. In electione autem Patriarchae solis Episcopis ius erit suffragii ferendi, exclusis omnino Clericis et Sacerdotibus, qui episcopali charactere non polleant. Nemo vero laicorum in eadem electione semet inserere, ullamque partem possit habere quovis quaesito colore vel praetextu.

16. Porro electum Patriarcham neque, uti aiunt, inthronizari, neque ullum ius aut iurisdictionem, ne procuratorio quidem aut vicario nomine vel titulo, in Patriarchatum habere volumus, nisi prius eiusdem electio

seu postulatio a Nobis vel a Romano Pontifice pro tempore existente fuerit admissa et de more confirmata, atque Apostolicae litterae confirmationis eiusdem fuerint expeditae, sublata qualibet contraria consuetudine.

17. Eidem Patriarchae, quamvis ab Apostolica Sede uti supra confirmato, non licebit Episcopos consecrare nec convocare concilium, nec chrisma conficere, neque ecclesias dedicare, nec clericos ordinare antequam ab Apostolica Sede sacrum Pallium obtinuerit.

18. Praedicto autem Pallio Patriarcha uti tantum poterit in Missarum solemniis intra fines et in ecclesiis sui Patriarchatus sequentibus dumtaxat diebus: videlicet in Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, in festis Sancti Stephani Protomartyris, Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae, Circumcisionis Domini, Epiphaniae eiusdem, Dominicae in palmis, Feriae quintae in Coena Domini, Sabbathi Sancti, Dominicae Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus, Dominicae in Albis, Ascensionis Domini, Dominicae Pentecostes, Sacratissimi Corporis Christi, nec non in quatuor festivitatibus Beatae Mariae semper Virginis, videlicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis eiusdem: quibus id humillime postulante praefato Venerabili Fratre Nostro Antonio Hassun electo seu postulato Patriarcha Armeniorum Ciliciae, addimus festum Immaculatae Conceptionis eiusdem Dei Genitricis Mariae: item in festis Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae et Omnium Sanctorum, nec non in festivitatibus omnium Apostolorum, in dedicatione Ecclesiarum, in praecipuis Ecclesiae suae festivitatibus, in Ordinationibus clericorum, in consecrationibus Episcoporum et Virginum, atque in diebus anniversariis tam consecrationis suae quam dedicationis ecclesiae.

19. Sacra limina Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli singulis quinquenniis Patriarcha personaliter et per se ipsum visitabit, Romanoque Pontifici pro tempore existenti rationem reddet de toto suo pastorali officio, ac de rebus omnibus ad patriarchatus sui statum pertinentibus; eiusdemque monita et mandata humiliter excipiet ac diligentissime exequetur. Possessiones vero pertinentes ad Ecclesiam vel mensam suam, sive ad alias quascumque Ecclesias, vel loca pia sui Patriarchatus non poterit idem Patrarcha vendere, aut donare, vel oppignorare, aut de novo infeudare, vel alio quocumque modo alienare, neque assentiri, ut a quovis alienentur, inconsulto Romano Pontifice, secundum formam iuramenti, quod electi Patriarchae Orientalis ritus in sua promotione emittere tenentur.

20. Verum nihil magis animum Nostrum sollicitat atque angit, quam provida Episcoporum electio, a qua praecipue pendent felicitas populorum, ordo ecclesiasticae disciplinae, atque aeterna animarum salus. Animo igitur assidue recolentes, quod sanguinem ovium Christi, quae peribunt ex malo regimine pastorum negligentium, et sui officii immemorum, de manibus Nostris sit requisiturus Dominus Noster Iesus Christus, qui humilitati Nostrae universae Ecclesiae, quanta illa est, regimen et sollicitudinem demandavit, ea quae sequuntur, circa electionem Episcoporum Armenii Patriarchatus, pro Apostolici Nostri ministerii officio ac de Nostrae potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus atque decernimus.

21. Quoties aliquam dioecesim memorati Patriarchatus vacare continget, Patriarcha quamprimum synodum indicat universorum Episcoporum eiusdem Patriarchatus; quo facto, ab eodem Patriarcha et Episcopis synodaliter congregatis tres idonei Ecclesiastici viri, collatis consiliis, Romano Pontifici pro tempore existenti proponantur, ut ex illis digniorem et magis idoneum eligere, et vacanti Episcopali Sedi providere possit. Non dubitamus autem, quin iidem Episcopi dignos ac vere idoneos viros proponere studeant, ne umquam cogamur Nos vel Successores Nostri pro eiusdem Apostolici ministerii officio alium, licet ab eis non propositum, episcopali dignitate augere, et vacanti Ecclesiae praeficere. Quod si propter instantem necessitatem, aut itineris longitudinem universi Episcopi ad synodum uti supra a Patriarcha indictam accedere non poterunt, tres saltem Episcopi propriam dioecesim cum iurisdictione habentes una cum memorato Patriarcha in eamdem synodum omnino conveniant, absentibus ternariam suam propositionem scripto significantibus. Volumus autem ut universa acta eiusdem Synodi ad praefatam Congregationem de Propaganda Fide Orientalium Ecclesiarum Negotiis praepositam, per Nostrum et huius Sanctae Sedis Apostolicum Delegatum transmittantur, ut diligenti primum trutina ab eadem Congregatione expensa, demum Nostro et Successorum Nostrorum iudicio subiiciantur.

22. Dum autem haec pro Armeniorum Antistitum electione decernimus, haud obliviscimur reliquorum Patriarchatuum ritus Orientalis, pro quibus etiam hoc gravissimum de Episcoporum electione negotium quamprimum moderandum curabimus, uti iam venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis Maronitarum et Melchitarum, aliisque Orientalibus Praesulibus Romae in praesentia commorantibus palam ediximus.

23. Haec volumus, praecipimus atque mandamus, decernentes irritum atque inane, si quid contra praemissa a quolibet quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; ac reservantes Nobis et Successoribus Nostris ea in posterum sancire, quae in memorato Ciliciae Patriarchatu pro temporum, locorum ac personarum rationibus magis in Domino expedire dignoscentur.

24. Decernimus quoque praesentes Nostras litteras semper et quandocumque validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere; quin ullo umquam tempore ex quocumque capite vel causa de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel de Nostrae intentionis defectu notari aut impugnari possint; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere.

25. Non obstantibus, etc.

[Acta Pii IX, vol. IV, p. 304-317].

547.

Pius IX, allocut. *Universus*, 20 sept. 1867.

Universus catholicus orbis noscit, Venerabiles Fratres, maxima damna, gravissimasque iniurias catholicae Ecclesiae, Nobis, et huic Apostolicae Sedi, Episcopis, Sacrisque Administris, Religiosis utriusque sexus Familiis, aliisque piis Institutis a Subalpino Gubernio pluribus abhinc annis illatas, omnibus divinis humanisque iuribus conculcatis, et ecclesiasticis poenis, ac censuris plane despectis, quemadmodum saepe lamentari, et reprobare coacti fuimus. Idem vero Gubernium quotidie magis vexans Ecclesiam, eamque opprimere contendens post alias editas leges ipsi, eiusque auctoritati adversas, et iccirco a Nobis damnatas eo iniustitiae devenit, ut minime exhorruerit legem proponere, approbare, sancire, et promulgare, quae in suis, et usurpatis regionibus temerario, ac sacrilego prorsus ausu Ecclesiam propriis omnibus bonis cum ingenti ipsius quoque civilis societatis damno spoliavit, sibique vindicavit, et eadem bona vendenda constituit. Omnes profecto vident quam iniusta, et quam immanis sit haec lex, qua et inviolabile possidendi ius, quo Ecclesia ex divina sua institutione pollet, oppugnatur, et omnia naturalia, divina et humana iura proculcantur, omnes utriusque Cleri viri de re catholica, et humana societate optime meriti et Virgines Deo sacrae ad tristissimam egestatem, ac mendicitatem rediguntur.

In tanta igitur Ecclesiae ruina omniumque iurium eversione Nos, qui ipsius Ecclesiae, et iustitiae causam pro supremi Apostolici Nostri ministerii officio studiosissime tueri, defendere et vindicare debemus, nullo certe modo silere possumus. Itaque in hoc amplissimo vestro conventu Nostram extollimus vocem, et commemoratam legem auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, damnamus, eamque omnino irritam, et nullam declaramus. Ipsius autem legis auctores, et fautores sciant se misere incidisse in ecclesiastica poenas, et censuras, quas Sacri Canones, Apostolicae Constitutiones, et Generalium Conciliorum Decreta ipso facto incurrendas infligunt contra Ecclesiae, eiusque iurium, ac bonorum usurpatores, et invasores. Paveant insuper et contremiscant hi acerrimi Ecclesiae hostes, ac pro certo habeant, gravissimas, severissimasque eis a Deo Ecclesiae sanctae auctore et vindice poenas parari, nisi vere poenitentes redierint ad cor, et illata eidem Ecclesiae damna resarcire, ac reparare studuerint, quemadmodum Nos vel maxime optamus, et a miserationum Domino humiliter enixeque exposcimus.

Hac autem occasione sciatis velimus, Venerabiles Fratres, mendacem quemdam libellum gallice scriptum et Parisiis recens editum fuisse, quo cum summa perfidia, et impudentia in lectoris animum dubia insinuantur, ut luctuosissimae rerum in Mexico vicissitudines huic Apostolicae Sedi aliquo modo attribuendae sint. Quod quidem quam falsum, quam absurdum sit, omnes certe noscunt, atque id luce clarius apparet, inter alia documenta

ex epistola Nobis die 18 superioris mensis iunii ab infelicissimo Maximiliano in carcere scripta, antequam indignam et crudelem mortem obiret.

Hanc ipsam vero nacti opportunitatem continere non possumus, quin meritas, amplissimasque laudes tribuamus clarissimae memoriae Ludovico Altieri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, et Albani Episcopo. Ipse enim, ut optime nostis, summo loco natus, claris virtutibus ornatus, gravissimisque muneribus perfunctus, Nobisque carus, ubi primum accepit, horrificum cholerae morbum Albanum grassari, sui omnino immemor, et caritatis aestu in commissum sibi gregem flagrans, illuc statim advolavit. Ac nullis laboribus, nullis consiliis, nullisque incommodis, et periculis parcens dies noctesque sine mora et requie miseros infirmos, et moribundos spiritualibus quibusque praesidiis, et omni alia ope suis propriis manibus iuvare, reficere ac solari nunquam cessavit, donec horribili morbo correptus, veluti bonus pastor dedit animam suam pro ovibus suis. Equidem illius memoria in Ecclesiae fastis semper in benedictione erit, quandoquidem christianae caritatis victima fortunatam obiit mortem, et maximam ac nunquam interituram gloriam sibi, Ecclesiae, ac nobilissimo vestro, omniumque catholicorum Antistitum Ordini comparavit. Nos quidem etiamsi gravi moerore affecti fuerimus, vix dum eiusdem Cardinalis obitum audivimus, tamen magna consolatione sustentamur, quod certam spem habemus, illius animam ad caelestem patriam pervenisse, ibique in Domino exultare, ac fervidas Deo pro Nobis, Vobisque, et universa Ecclesia preces offerre. Debitam quoque laudem tribuimus utrique Albani Clero, qui illustria sui Antistitis vestigia sequens cum ipsius vitae discrimine omnem, religiosam praesertim, operam aegrotantibus, morientibusque sedulo navare non destitit. Omnibus etiam praeconiis digni sunt Nostri milites ibi morantes tum a publica securitate servanda vulgo *Gendarmi*, tum qui *Zuavi* appellantur; nam vitae periculo plane spreto, in defunctorum potissimum humandis corporibus praeclarum christianae caritatis praebuerunt exemplum.

Denique, Venerabiles Fratres, ne desistamus levare animas nostras ad Dominum Deum Nostrum, qui est multae misericordiae omnibus invocantibus eum, et Ipsum iugiter oremus, et obsecremus, ut strenue Vobiscum stantes in praelio, atque opponentes murum pro domo Israel, et Ecclesiae suae sanctae causam viriliter propugnare, et omnes Ecclesiae inimicos ad iustitiae, salutisque semitas reducere possimus.

[Acta Pii IX, vol. IV, p. 323-326].

548.

Pius IX, litt. ap. *Quamquam Illius*, 29 sept. 1867. [1]

Quamquam Illius Nos gerentes in terris, vices, qui patiens et misericors est benignitatem clementiamque libenter sequamur, tamen quia iudicium et iustitiam facere Apostolici etiam muneris esse intelligimus, ad evel-

[1] Quibus Hieronymus D'Andrea Cardinalis suspensus declaratur ab insignibus et privilegiis Cardinalitiae dignitatis, aliaque in eum decernuntur.

lenda, quae in perniciem fidelium suboriantur scandala, eorumque aucto-
res compescendos supremae Nostrae auctoritatis vim et robur exerimus.
Id Nos spectantes iam inde ab anno proxime superiori 1866, per similes in
forma Brevis Litteras die 12 mensis iunii datas auditis antea Venerabilibus
Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, de eorumdem consilio omne iuris-
dictionis exercitium in spiritualibus ac temporalibus tam in Ecclesiam Sabi-
nensem, quam in Abbatiam Sublaquensem ad Nostrum et S. Sedis bene-
placitum Hieronymo D'Andrea Cardinali suspendimus atque interdiximus,
quippe qui mense iunio anno 1864, Nobis iustissimas ob causas abnuen-
tibus aliasque ut oras ad confirmandam valetudinem peteret suadentibus,
Urbem repente deserens Neapolim profugisset, ibique adhuc immorari
pergeret contra Sacrorum Conciliorum de Episcoporum residentia sanctio-
nes, contraque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum de-
creta, de eadem re edita, et potissimum Benedicti XIV Constitutionem,
quae incipit *Ad universae christianae reipublicae*, [1] ubi scilicet decernitur non
licere Episcopis a Dioecesi sua recedere legitima qualibet ex causa etiam
tuendae recreandaeque valetudinis, nisi prius a Romano Pontifice pro tem-
pore existente veniam fuerint expresse consecuti. Neque minus severe de
Cardinalium residentia statuerunt Praedecessores item Nostri Romani
Pontifices, atque in primis Innocentius X in sua Constitutione *Cum iuxta*,
die 19 februarii anno 1646 edita. [2] Is enimvero, quum S. Ecclesiae Roma-
nae Cardinales in partem Apostolicae sollicitudinis vocati adstare continen-
ter Romano Pontifici, eique in regimine universae Ecclesiae studium suum
operamque praestare debeant, graves eisdem, multiplicesque indixit poenas
ipso facto, et absque iudicis declaratione incurrendas, si extra civilem
Ecclesiae statum demigrare ausi fuerint quacumque ex causa etiam publica
et favorabili, et in corpore iuris clausa, nisi eadem causa a Romano Ponti-
fice pro tempore existente expresse antea fuerit et probata et admissa.

Iam vero huiusmodi inobedientiae, atque irreverentiae exemplo ad-
versus Nos et Apostolicam Sedem per memoratum Cardinalem edito, pro-
culcatisque tam audacter ab eo sacrorum Canonum sanctionibus, et Ponti-
ficiis Constitutionibus, diu multumque, sed tamen frustra expectavimus
dum ille resipiscens errati veniam postularet; frustra illum per Cardinalem
publicis negotiis praepositum, ac deinde per Cardinalem Sacri Collegii De-
canum admonendum curavimus de gravissimis poenis, quibus iuxta sacros
Canones, et Pontificias Constitutiones obnoxius evasisset. Ipse etenim adhi-
bitas admonitiones nihili faciens actionem illam suam tamquam culpa
vacuam tueri pertinaciter instituit, evulgatisque in eam rem Litteris, amplis-
simorum nonnullorum Cardinalium, et spectatissimorum Antistitum nomen
famamque proscindere non dubitavit iniquissimis conviciis et contumeliis
omni posthabito et humanitatis, et christianae etiam caritatis officio. Tanta
haec agendi scribendique licentia viro potissimum indigna, qui et Cardina-
litia et Episcopali dignitate honestaretur, maximum Nobis dolorem inussit;

[1] Cf. N. 371.
[2] Cf. N. 231.

sed tamen nequid intentatum relinqueremus ad eius animum permovendum,
ac ne ullae Nostrae benignitatis et clementiae partes in huiusmodi re deside-
rarentur, litteras ei mittendas duximus manu Nostra conscriptas, quibus
hortati eumdem sumus, ut consideraret etiam atque etiam, quam grave
fidelibus scandalum intulisset, et quantam iccirco culpam sustineret, aeter-
naeque suae saluti consulens in rectam viam redire ne moraretur, ac po-
stremo denunciavimus, nisi paterna Nostra monita libens volensque audi-
ret, et sequeretur, ipso Apostolici muneris officio Nos fore cogendos, ut
iudicis tandem partes susciperemus. At enim nihil de animi sui pertinacia
atque elatione remittens tam procaciter Nobis atque iniuriose respondit,
ut id expectare vix potuissemus ab homine, cui nulla sit erga Apostolicam
Sedem fides et observantia.

Tam gravibus, tamque reprobandis admissis aequa lance perpensis,
et spectata praedicti Decessoris Nostri Innocentii X Constitutione, nemo
non videt, quanto gravior per Nos fuisset animadversionis adhibenda seve-
ritas. Siquidem in eadem Constitutione memoratus Praedecessor Noster
statuit decernitque ut omnes et singuli S. R. E. Cardinales, qui non obtenta
a Romano Pontifice pro tempore existente licentia extra temporalem Ec-
clesiae ditionem se transferant, statim eo ipso absque aliqua iudicis vel alte-
rius praecedente declaratione omnibus et quibuscumque privilegiis immu-
nitatibus exemptionibus et indultis a Sede Apostolica concessis privati
sint et existant; atque insuper poenam interdicti ingressus Ecclesiae eo
ipso pariter incurrant; nec non et aliis per Romanos Pontifices quovis modo
arbitrandis poenis subiaceant, et etiam ad sequestrum omnium et singulorum
fructuum, redituum, proventuum tam quorumcumque officiorum et mune-
rum etiam maiorum et consistorialiter concessorum, specialique expres-
sione dignorum, quam Monasteriorum et aliorum quorumlibet Beneficio-
rum saecularium et cuiuscumque Ordinis regularium etiam iurisdictionem
sive spiritualem sive temporalem habentium, nec non pensionum super
quibusvis fructibus ecclesiasticis contra eosdem Cardinales etiam sine aliqua
citatione vel declaratione deveniri possit ac debeat. Et si Cardinales prae-
dicti per sex menses, qui pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque
dilationibus et terminis assignantur a die eorum recessus computandi ad
Romanam Curiam personaliter, et cum effectu non redierint, ultra poenas
praedictas et cumulative cum illis, atque eo ipso poenam incurrant priva-
tionis omnium et singulorum fructuum redituum proventuum tam quorum-
cumque officiorum munerum etiam maiorum et consistorialiter concessorum
specialique nota dignorum, quam Monasteriorum et aliorum quorumlibet
Beneficiorum saecularium et cuiuscumque Ordinis regularium, quae in titu-
lum, commendam, administrationem, et alio quocumque modo obtineant,
nec non pensionum super quibusque fructibus ecclesiasticis eisdem Cardi-
nalibus assignatarum. Quod si lapsis praedictis sex mensibus, per alios
sex menses immediate sequentes, qui pariter pro tribus canonicis monitio-
nibus et peremptoriis terminis assignantur, ad Romanam Curiam persona-
liter, et cum effectu minime redierint, cumulative cum singulis praedictis
poenis, etiam poenam privationis omnium praedictorum officiorum, mu-

nerum etiam maiorum et consistorialiter concessorum, et Beneficiorum quorumlibet tam saecularium, quam regularium eo ipso itidem et absque alia declaratione incurrant. Si autem Cardinales praedicti per alios tres menses immediate sequentes, qui pariter pro tribus canonicis admonitionibus, peremptoriisque dilationibus assignantur, et sic in totum infra quindecim menses ad Romanam Curiam personaliter, et cum effectu non redierint, decernitur deveniri posse ad alias poenas etiam quantumlibet maiores, et graviores, atque individua mentione dignas per Romanos Pontifices declarandas, atque etiam usque ad poenam privationis Cardinalatus inclusive. Iam vero, quum exeunte mense septembri anni MDCCCLXV quindecim mensium spatium effluxisset, postquam memoratus Cardinalis a civili Ecclesiae Statu illicite recesserat, nullisque monitis atque hortationibus permotus in eadem contumacia perstaret, dignus profecto censendus erat qui iuxta Canonicas sanctiones, et praedictam Innocentii X Constitutionem Cardinalatus honore, et Episcopatu Sabinensi, aliisque, quibus gauderet, Beneficiis privaretur. Verum ut ante grave illud animadversionis genus adhuc ei spatium relinqueremus colligendi se, et saniora consilia suscipiendi, utque securitati consuleremus fidelium Sabinorum et Sublaquensium, quibus datus ad salutem pastor ob prava illa exempla lapis offensionis evaserat, et petra scandali, per memoratas superius Nostras Litteras, nulla ex parte derogando Innocentii X Constitutioni, praedictum Cardinalem suspensioni dumtaxat subiecimus omnis iurisdictionis in Ecclesiam Sabinensem, et Abbatiam Sublaquensem, eisque Antistites praefecimus, qui ad Nostrum et S. Sedis nutum commissas sibi Dioeceses administrarent. Hac porro irrogata suspensionis poena, quae levior multo esset, quam culpae gravitas postularet sperabamus quidem futurum, ut is ad bonam mentem, voluntatemque converteretur. Sed tamen concepta spes in irritum cessit; quippe eo temeritatis devenit, ut ab Apostolicis Nostris Litteris ad melius informatum Pontificem provocationem palam interiecerit, atque ad eludendam si fieri posset Apostolicae Sedis auctoritatem illud adhibuerit effugii genus, quod ii plerumque adhibuerunt, qui S. Sedis sententiam declinare niterentur; quam quidem appellationem Praedecessores Nostri Romani Pontifices merito reiecerunt ac reprobarunt. Atque in huiusmodi causa absurda prorsus erat ea provocatio, quippe quod memorati Cardinalis admissa sic erant extra dubitationem posita, ita certa atque explorata omnibus, ut nulla possent tergiversatione celari.

Neque vero hic se continuit, sed Litteris ad utrumque Clerum, et Populum Sabinensem et Sublaquensem missis, et vero etiam quaquaversus diffusis asseruit, ac propugnavit irritas prorsus esse, et nullius vis ac roboris ad quoslibet canonicos effectus Apostolicas Nostras Litteras, quibus interdictum illi est iurisdictionis exercitium; nulla legitima potestate pollere praepositos a Nobis administratores, eosque tamquam furtive, ac per vim suum in ovile immissos existimandos; se unum legitimum pastorem habendum, sibi proinde obedientiam praestandam. Atque eo progressus est, ut per epistolam typis editam audacter a Nobis petierit, ut memoratas Nostras Apostolicas Litteras revocaremus, utpote iniustas ac nullius vis, atque

efficaciae, absisteremus aliquando ab ipso iniuste insectando; sibique integrum esse affirmaverit interdictam per Nos iurisdictionem in utraque dioecesi exercere tam in foro interno, quam externo.

Quid quod suis in scriptis in lucem editis plura congessit ad minuendam deprimendamque Apostolicae Sedis auctoritatem pertinentia, et Nos partim privatis litteris, partim etiam in vulgus emissis omni incessere contumelia minime veritus in persona Humilitatis Nostrae Apostolicae Sedis sanctitatem dignitatemque violaverit? Quid quod publicas commendaverit ephemerides, quae pravis infectae doctrinis, et Sanctae Sedi maximopere adversae civilem illius principatum oppugnarent, atque adeo non obscure significaverit assentiri se nonnullis per suos fautores evulgatis libellis, qui propositiones falsas et omnino damnandas complecterentur?

Gravia haec quidem sunt, et reprobanda, in eo tamen reprobanda maxime planeque non ferenda, qui Episcopali et Cardinalitia dignitate insignitus, Catholicam tueri ac propagare doctrinam, peculiarem erga Beatissimi Petri Sedem exhibere reverentiam, eiusdemque honorem iura privilegia servare ac promovere omni ope debeat, quemadmodum sese interposita iuramenti fide in accipiendis Cardinalitiis insignibus obstrinxerat. Itaque quum tre et eo amplius anni elapsi fuerint, ex quo memoratus Cardinalis pertinaciae culpa, aliisque excessibus insordescat, nullamque faciat spem ad bonam se frugem recipiendi, quumque scriptis in vulgus editis, perversis, ac turbulentis fidelium animos perturbet, ac transversos agat; quaque ornatus est dignitate in religionis detrimentum, et Romanae Ecclesiae dedecus abutatur; ne hoc tantum malum serpat latius, ac roboretur, Nobis qui dati sumus speculatores domui Israel providendum omnino est, aliaque praecavenda pericula, quae Ecclesiae Dei exinde impendere noscamus. Proinde ipso vigilantiae pastoralis officio quantumvis inviti uti in illum cogimur severitate poenarum, quas adversus huiusmodi contumaces Sacri Canones, et Pontificiae Constitutiones decernunt; quippe animo etiam reputamus verissima illa S. Siricii Praedecessoris Nostri ad Himerium Episcopum Tarraconensem verba:[1] « Necesse est ut ferro abscindantur vulnera, quae fomentorum non senserint medicinam ». Attamen cum praedicto Cardinali mitius agere adhuc volentes, auditis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, supersedendum a dictarum gravitate poenarum, et suspensionem ab insignibus, et privilegiis Cardinalitiis adversus ipsum decernendam in praesens existimavimus. Quapropter certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque eorumdem Cardinalium consilio auctoritate Nostra Apostolica memoratum Hieronymum D'Andrea Cardinalem suspendimus, ac suspensum declaramus ab honoribus, insignibus et iuribus dignitatis Cardinalitiae, et signanter a voce activa et passiva in electione Summi Pontificis, sic ut eiusmodi poenae subiectus evocari non debeat, nec possit ad Conclave, neque admitti, quam evocationem et admissionem Cardinalibus eorumque Collegio prorsus prohibemus, sublata penitus quacumque ad suffragandum, et votum pro dicta electione dandum

[1] Mansi, tom. 3, col 659.

habilitatione, eumque ad Conclave evocandum facultate, quam quovis titulo, et ratione in corpore iuris clausa, aut vigore quarumcumque Constitutionum Pii PP. IV,[1] Gregorii XV,[2] aliorumque Praedecessorum Nostrorum allegari contigerit, quibus omnibus et singulis, quorum tenores hic pro expressis et contentis habemus, et plenaria Nostra auctoritate derogamus, et pro derogato haberi volumus et mandamus. Praeterea memorato Cardinali D'Andrea trium mensium peremptorium terminum adsignamus a datis hisce Nostris Litteris computandum, infra quem non per procuratorem, sed personaliter et cum effectu coram Nobis et hac Apostolica Sede sistere se debeat ad recipienda humiliter mandata Nostra. Quo termino inutiliter elapso, ad declarationem privationis Cardinalatus, Episcopatus sui Cardinalatus nempe Sabinensis, nec non Abbatiae Sublaquensis, aliorumque Beneficiorum, quibus ipse fruitur, deveniemus.

Haec volumus ac mandamus, decernentes has Litteras, etiam ex eo quod illi quorum interest, minime consenserint, et ex alia quacumque causa nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae defectu impugnari posse, sed ipsas praesentes Litteras firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos spectat seu spectabit inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes, sublata eis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, atque irritum futurum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non quibusvis etiam in Universalibus Conciliis editis, Constitutionibusque aliisque Ordinationibus etiam favore Cardinalium evulgatis, privilegiis quoque et indultis, quibuscumque personis quavis dignitate etiam Cardinalitia fulgentibus concessis, et pluries etiam confirmatis et innovatis, ceterisque in contrarium facientibus, quamvis specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus illorum tenores pro plene ac sufficienter expressis, atque verbo ad verbum insertis habentes, illis tamen alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum plene et expresse derogamus.

[Acta Pii IX, vol. IV, p. 327-337].

549.

Pius IX, ep. encycl. *Levate*, 27 oct. 1867.[3]

1. Levate, Venerabiles Fratres, in circuitu oculos vestros, et videbitis, ac una Nobiscum vehementer dolebitis abominationes pessimas, quibus nunc misera Italia praesertim funestatur. Nos quidem inscrutabilia humil-

[1] Const. *In eligendis*, 9 oct. 1562. – Cf. Bull. Rom., tom. 4, II, p. 145-148.
[2] Const. *Aeterni Patris*, 15 nov. 1621. – Cf. Bull. Rom., tom. 5, IV, p. 400-404.
[3] Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis universis catholici Orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

lime adoramus iudicia Dei, cui placuit, Nos vitam agere hisce luctuosissimis temporibus, quibus nonnullorum hominum opera, et eorum potissimum, qui in infelicissima Italia rem publicam regunt ac moderantur, veneranda Dei mandata, sanctaeque Ecclesiae leges plane despiciuntur, et impietas impune caput altius extollit, ac triumphat. Ex quo omnes iniquitates, mala, et damna, quae cum summo animi Nostri moerore conspicimus. Hinc multiplices illae hominum phalanges, qui ambulantes in impietatibus, militant sub satanae vexillo, in cuius fronte est scriptum *Mendacium*, quique rebellionis nomine appellati, ac ponentes os suum in caelum. Deum blasphemant, sacra omnia polluunt, contemnunt, et quibusque iuribus divinis humanisque proculcatis, veluti rapaces lupi praedam anhelant, sanguinem effundunt, et animas perdunt suis gravissimis scandalis, et propriae malitiae lucrum iniustissime quaerunt, et aliena violenter rapiunt, ac pusillum et pauperem contristant, miserarum viduarum et pupillorum numerum augent, ac donis acceptis, veniam impiis tribuunt, dum iusto iustitiam denegant, eumque spoliant, et corrupti corde pravas quasque cupiditates turpiter explere contendunt cum maximo ipsius civilis societatis damno.

1. Hoc perditorum hominum genere in praesentia circumdati sumus, Venerabiles Fratres. Qui quidem homines diabolico prorsus spiritu animati mendacii vexillum collocare volunt in hac ipsa alma urbe Nostra, ad Petri Cathedram, catholicae veritatis et unitatis centrum. Ac Subalpini Gubernii Moderatores, qui huiusmodi homines coërcere deberent, illos omni studio fovere, eisque arma, resque omnes suppeditare, et ad hanc urbem aditum munire non erubescunt. Sed omnes hi homines, licet in supremo civilis potestatis gradu et loco collocati, paveant; quandoquidem hac improba sane agendi ratione se novis obstringunt laqueis ecclesiasticarum poenarum et censurarum. Etsi vero in humilitate cordis Nostri divitem in misericordia Deum enixe orare et obsecrare non desistimus, ut hos omnes miserrimos homines ad salutarem poenitentiam, atque ad rectum iustitiae, religionis, pietatis tramitem reducere dignetur; tamen tacere non possumus gravissima pericula, quibus in hac hora tenebrarum expositi sumus. Animo plane tranquillo quoscumque rerum eventus, licet nefariis fraudibus, calumniis, insidiis, mendaciis excitatos, expectamus, cum omnem Nostram spem et fiduciam collocemus in Deo salutari nostro, qui adiutor est Noster, et fortitudo in omnibus tribulationibus Nostris, quique in se sperantes confundi non patitur, et impiorum insidias subvertit, et peccatorum cervices confringit. Interim haud possumus, quin Vobis in primis, Venerabiles Fratres, et omnibus fidelibus curae vestrae commissis denuntiemus tristissimam conditionem et maxima, in quibus per Subalpini potissimum Gubernii operam nunc versamur, pericula. Quamvis enim fidissimi Nostri exercitus strenuitate ac devotione defensi simus, qui, rebus praeclare gestis, prope heroicam prae se tulit virtutem; patet nihilominus ipsum diu resistere nequire numero longe maiori iniustissimorum aggressorum. Et licet non mediocri utamur consolatione ob filialem pietatem, qua Nos reliqui subditi Nostri a scelestis usurpatoribus ad paucos redacti, prosequuntur, vehe-

menter tamen dolere cogimur, ipsos non posse non sentire gravissima pericula sibi ingruentia ab efferatis nefariorum hominum turmis, qui eos iugiter minis omnibus terrent, spoliant, et quoquo modo divexant.

3. At vero alia nunquam satis lugenda mala deplorare cogimur, Venerabiles Fratres. Ex Nostra praesertim Consistoriali Allocutione die 29 mensis octobris superiori anno habita,[1] ac deinde ex narratione documentis munita, et in lucem typis edita, optime cognovistis quantis calamitatibus catholica Ecclesia, eiusque filii in Russico Imperio ac Poloniae Regno miserandum in modum vexentur ac lacerentur. Namque catholici Sacrorum Antistites et ecclesiastici viri laicique fideles in exilium eiecti, in carcerem detrusi, ac modis omnibus divexati, propriisque bonis spoliati, ac severissimis poenis afflicti et oppressi, et Ecclesiae canones ac leges omnino proculcatae. Atque his minime contentum Russicum Gubernium pergit ex avito proposito Ecclesiae disciplinam violare, et unionis et communicationis illorum fidelium cum Nobis, et has Sancta Sede vincula frangere, ac omnia moliri et conari, ut in illis dominiis catholicam religionem funditus evertere, et illos fideles a catholicae Ecclesiae sinu avellere, et ad funestissimum schisma pertrahere possit. Cum incredibili animi Nostri moerore Vobis significamus, duo nuper decreta ab illo Gubernio post ultimam commemoratam Nostram Allocutionem edita fuisse. Ac decreto die 22 proximi mensis maii vulgato, per horrendum ausum Podlachiensis Dioecesis in Poloniae Regno una cum illo Canonicorum Collegio, Consistorio Generali, ac Dioecesano Seminario penitus fuit extincta, et eiusdem dioecesis Episcopus a suo grege divulsus, coactus a dioecesis finibus continuo discedere. Quod decretum simile est illi die 3 iunii superiore item anno in lucem edito, de quo mentionem facere haud potuimus, cum illud ignoraremus. Hoc igitur Decreto idem Gubernium non dubitavit proprio arbitrio et auctoritate Cameneciensem dioecesim de medio tollere, et illud Canonicorum Collegium, Consistorium, ac Seminarium disperdere, et proprium Antistitem ab illa dioecesi violenter abripere.

4. Cum autem omnis via, atque ratio Nobis intercludatur, qua cum illis fidelibus communicare possimus, tum ne quisquam carceri, exilio, aliisque poenis exponeretur, coacti fuimus, in Nostras Ephemerides inserere Actum quo legitimae illarum amplarum dioecesium iurisdictionis exercitio, ac spiritualibus fidelium necessitatibus consulendum censuimus, ut illuc per artis typographicae opem notitia perveniret suscepti a Nobis consilii. Quisque vel facile intelligit qua mente, et quo fine eiusmodi decreta a Russico Gubernio edantur, cum multorum Episcoporum absentiae dioecesium quoque accedat suppressio.

5. Quod autem Nostram cumulat amaritudinem, Venerabiles Fratres, est aliud decretum ab eodem Gubernio die 22 superioris mensis maii promulgatum, quo Petropoli fuit constitutum Collegium, vocatum ecclesiasticum catholicum romanum, cui praesidet Mohiloviensis Archiepiscopus. Scilicet omnes petitiones, ad fidei etiam et ad conscientiae negotia

[1] Cf. Acta S. Sedis, vol. II, p. 268-272.

pertinentes, quae a Russici Imperii et Poloniae Regni Episcopis, Clero, populoque fideli ad Nos, et ad hanc Apostolicam Sedem mittuntur ad hoc Collegium, primum transmittendae sunt, easque Collegium idem examinare debet, ac decernere, utrum petitiones Episcoporum potestatem praetergrediantur, et hoc in casu illas ad Nos perferendas curare. Postquam autem illuc Nostra pervenerit decisio, praedicti Collegii Praeses ad internarum relationum Ministrum decisionem ipsam mittere tenetur, qui expendat, num aliquid in illa reperiatur legibus Status et supremi Principis iuribus contrarium; et quoties hoc non existat, illam pro suo arbitrio et voluntate exsequatur.

6. Videtis profecto, Venerabiles Fratres, quam vehementer reprobandum ac damnandum sit huiusmodi Decretum a laica et schismatica potestate latum, quo et divina catholicae Ecclesiae constitutio destruitur, et ecclesiastica disciplina subvertitur, et maxima supremae Nostrae Pontificiae, atque huius Sanctae Sedis et Episcoporum potestati auctoritatique iniuria infertur, et summi omnium fidelium Pastoris libertas impeditur, et fideles ad funestissimum impelluntur schisma; ac vel ipsum naturale ius violatur et conculcatur quoad negotia, quae fidem et conscientiam respiciunt.

7. Ad haec, catholica Varsaviensis Academia deleta est; ac tristis Chelmensi, et Beltiensi dioecesi Ruthenorum impendet ruina. Atque illud maxime dolendum, quod repertus sit quidam Presbyter Woicicki, qui suspectae fidei, omnibus ecclesiasticis poenis censurisque despectis, terribilique Dei iudicio posthabito, minime exhorruit, eiusdem dioecesis regimen et procurationem a civili illa potestate accipere, et varias iam edere ordinationes, quae dum ecclesiasticae disciplinae adversantur, funestissimo schismati favent.

8. In tantis igitur Nostris et Ecclesiae calamitatibus et angustiis, cum non sit alius, qui pugnet pro Nobis, nisi Dominus Deus noster, Vos etiam atque etiam vehementer obtestamur, Venerabiles Fratres, ut pro singulari vestro rei catholicae amore et studio, et egregia in Nos pietate velitis ferventissimas vestras cum Nostris coniungere preces, et una cum universo vestro Clero, populoque fideli Deum sine intermissione orare, et obsecrare, ut reminiscens miserationum suarum, quae a saeculo sunt, indignationem suam a Nobis avertat, et Ecclesiam suam sanctam, ac Nos a tantis malis eripiat, eiusdemque Ecclesiae filios, Nobis carissimos, in omnibus fere regionibus ac in Italia praesertim, et in Russico Imperio, ac Poloniae Regno tot insidiis obnoxios, tot aerumnis afflictos omnipotenti sua virtute adiuvet, defendat, eosque in catholicae fidei eiusque salutaris doctrinae professione magis in dies stabiles servet, confirmet, roboret, et omnia impia inimicorum hominum consilia disperdat, illosque de iniquitatis barathro ad salutis viam revocet, et in semitam mandatorum suorum deducat.

9. Itaque volumus, ut in vestris Dioecesibus publicae pro vestro arbitrio preces per triduum intra sex menses, pro ultramarinis vero intra annum indicantur. Ut autem fideles ardentiore studio hisce publicis precibus adsint ac Deum exorent, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus,

qui praedictis tribus diebus devote eisdem precibus adstiterint, ac pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus ex Nostra mente Deum oraverint, et Sacramentali Confessione expiati ac sacra Communione refecti fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis autem fidelibus, qui corde saltem contriti in quolibet ex commemoratis diebus reliqua praemissa opera peregerint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

10. Denique nihil certe Nobis gratius, quam ut hac etiam occasione libentissime utamur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua Vos in Domino complectimur, benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam effuso cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, laicisque fidelibus cuiusque Vestrum vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. IV, p. 371-378].

550.

Pius IX, allocut. *Numquam certe*, 22 iun. 1868.

Nunquam certe fore putavissemus, Venerabiles Fratres, ut post Conventionem a Nobis cum Austriae Imperatore et Rege Apostolico, bonis omnibus exsultantibus, tredecim fere ab hinc annis initam [1] cogeremur hodierno die gravissimas deplorare aerumnas, et calamitates, quibus inimicorum hominum opera nunc in Austriaco Imperio catholica Ecclesia miserandum in modum affligitur ac divexatur. Siquidem divinae nostrae religionis hostes non destiterunt omnia conari, ut eamdem Conventionem destruerent, et maximas Ecclesiae, Nobis, et Apostolicae huic Sedi inferrent iniurias. Etenim die vigesima prima mensis Decembris superiori anno infanda sane ab Austriaco Gubernio veluti Status fundamentum lata lex est, quae in omnibus Imperii regionibus etiam catholicae religioni unice addictis valere et vigere omnino debet. Hac lege omnis tum fidei, tum conscientiae, ac doctrinae libertas statuitur, et civibus cuiusque cultus facultas tribuitur excitandi educationis, doctrinaeque instituta, et omnes cuiusque generis religiosae Societates aequiparantur, et a Statu recognoscuntur. Equidem ubi primum id dolenter agnovimus, Nostram vocem statim attollere optavissemus, sed longanimitate utentes tunc silendum censuimus, ea praesertim spe sustentati fore, ut Austriacum Gubernium iustissimis Venerabilium Fratrum Sacrorum in Austria Antistitum expostulationibus dociles praebens aures vellet saniorem induere mentem, et meliora suscipere consilia. Sed inanes Nostrae fuere spes. Namque idem Gubernium die vicesima quinta Maii hoc anno aliam edidit legem, quae omnes illius Imperii populos etiam catholicos obligat, et iubet, filios ex mixtis coniugiis natos sequi debere patris religionem, si masculi sint, si vero feminae religionem matris, et septennio minores debere parentum a recta fide defectionem sectari. Insuper eadem lege plane omnis deletur vis promissionum, quas merito, atque optimo iure catholica Ecclesia omnino exigit, ac praescribit antequam mixta contrahantur matrimonia, et ipsa apostasia tum a catholica, tum a christiana religione ad civile ius elevatur, et omnis Ecclesiae auctoritas in sacra coemeteria de medio tollitur, et catholici coguntur humare in suis coemeteriis haereticorum cadavera, quando iidem haeretici propria non habeant. Ipsum praeterea Gubernium eadem die vicesima quinta maii huius anni non dubitavit de Matrimonio quoque legem promulgare, qua leges ad commemoratae Nostrae Conventionis normam editas plane abolevit, et in pristinum vigorem restituit veteres Austriacas leges Ecclesiae legibus vehementer adversas, et matrimonium etiam, uti dicunt, civile omnino improbandum asseruit, confirmavit, quando cuiusque cultus auctoritas deneget matrimonii celebrationem ob causam, quae nec valida, nec legalis a civili auctoritate recognoscatur. Atque hac lege Gubernium idem omnem Ecclesiae auctoritatem, et iurisdictionem circa matrimoniales causas, omniaque tribunalia de medio sustulit. Legem quoque de scholis promulgavit, qua omnis Ecclesiae vis destruitur, ac decernitur supremam omnem litterarum disciplinarumque institutionem, et in scholis inspectionem, ac vigilantiam ad Statum pertinere, ac statuitur, ut religiosa dumtaxat institutio in popularibus scholis a cuiusque cultus auctoritate dirigatur, utque variae cuiusque religionis Societates aperire possint peculiares, et proprias scholas pro iuventute, quae illam credendi normam profitetur, utque eiusmodi quoque scholae supremae Status inspectioni subiiciantur, ac doctrinae libri ab auctoritate civili approbentur, iis tantum libris exceptis, qui religiosae institutioni inservire debent, quique ab auctoritate cuiusque cultus approbandi sunt.

[1] Cf. Raccolta di Concordati, p. 821-829.

Videtis profecto, Venerabiles Fratres, quam vehementer reprobandae, et damnandae sint eiusmodi abominabiles leges ab Austriaco Gubernio latae, quae catholicae Ecclesiae doctrinae, eiusque venerandis iuribus, auctoritati, divinaeque constitutioni, ac Nostrae et Apostolicae huius Sedis potestati, et memoratae Nostrae Conventioni, ac vel ipsi naturali iuri vel maxime adversantur. Nos igitur pro omnium Ecclesiarum sollicitudine Nobis ab ipso Christo Domino commissa Apostolicam vocem in amplissimo hoc vestro consessu attollimus, et commemoratas leges, ac omnia, et singula, quae sive in his, sive aliis in rebus ad Ecclesiae ius pertinentibus ab Austriaco Gubernio seu ab inferioribus quibusque Magistratibus decreta, gesta, et quomodolibet attentata sunt, auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, damnamus, et decreta ipsa cum omnibus inde consecutis eadem auctoritate Nostra irrita prorsus, nulliusque roboris fuisse, ac fore declaramus. Ipsos autem illorum auctores, qui se catholicos esse praesertim gloriantur, quique memoratas leges, acta vel proponere, vel condere, vel approbare, et exsequi non dubi-

tarunt, obtestamur, et obsecramus, ut meminerint Censurarum, poenarumque spiritualium, quas Apostolicae Constitutiones, et Oecumenicorum Conciliorum decreta contra invasores iurium Ecclesiae ipso facto incurrendas infligunt.

Interim vero summopere in Domino gratulamur, meritasque tribuimus laudes Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Austriaci Imperii, qui episcopali robore tum voce, tum scriptis Ecclesiae causam, et praedictam Nostram Conventionem impavide tueri, ac defendere, et gregem officii sui admonere non destiterunt. Atque vel maxime optamus, ut Venerabiles Fratres Hungariae Archiepiscopi, et Episcopi egregia eorum Collegarum exempla imitantes, velint pari studio et alacritate omnem in Ecclesiae iuribus tuendis, et in eadem Conventione propugnanda impendere operam.

In tantis autem, quibus Ecclesia luctuosissimis hisce temporibus ubique affligitur, calamitatibus, non desinamus, Venerabiles Fratres, ardentiori usque studio in humilitate cordis nostri Deum exorare, ut omnipotenti sua virtute velit nefaria omnia suorum, et Ecclesiae suae sanctae inimicorum consilia disperdere, impiosque eorum conatus reprimere, impetus frangere, et illos ad iustitiae, salutisque semitas sua miseratione reducere.

[Acta Pii IX, vol. IV, p. 407-411].

551.

Pius IX, litt. ap. *Aeterni Patris*, 29 iun. 1868.

1. Aeterni Patris Unigenitus Filius propter nimiam, qua nos dilexit, caritatem, ut universum humanum genus a peccati iugo, ac daemonis captivitate, et errorum tenebris, quibus primi parentis culpa iamdiu misere premebatur, in plenitudine temporum vindicaret, de caelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, mortalibus ex Immaculata Sanctissimaque Virgine Maria indutus exuviis doctrinam, ac vivendi disciplinam a caelo delatam manifestavit, eamdemque tot admirandis operibus testatam fecit; ac semetipsum tradidit pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Antequam vero, devicta morte, triumphans in caelum consessurus ad dexteram Patris conscenderet, misit Apostolos in mundum universum, ut praedicarent evangelium omni creaturae, eisque potestatem dedit regendi Ecclesiam suo sanguine acquisitam, et constitutam, quae est *columna et firmamentum veritatis*, ac caelestibus ditata thesauris tutum salutis iter, ac verae doctrinae lucem omnibus populis ostendit, et instar *navis in altum saeculi huius ita natat, ut, pereunte mundo, omnes quos suscipit, servet illaesos.*[1] Ut autem eiusdem Ecclesiae regimen recte semper atque ex ordine procederet, et omnis christianus populus in una semper fide, doctrina, caritate, et communione persisteret, tum semetipsum perpetuo affuturum usque ad consummationem saeculi promisit, tum etiam ex omnibus unum selegit

[1] S. Max., Serm. 89.

Petrum, quem Apostolorum Principem, suumque hic in terris Vicarium, Ecclesiaeque caput, fundamentum ac centrum constituit, ut cum ordinis et honoris gradu, tum praecipuae plenissimaeque auctoritatis, potestatis, ac iurisdictionis amplitudine pasceret agnos et oves, confirmaret fratres, universamque regeret Ecclesia, et esset *caeli ianitor ac ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in caelis iudiciorum suorum definitione.*[1] Et quoniam Ecclesiae unitas et integritas, eiusque regimen ab eodem Christo institutum perpetuo stabile permanere debet, iccirco in Romanis Pontificibus Petri successoribus, qui in hac eadem Romana Petri Cathedra sunt collocati, ipsissima suprema Petri in omnem Ecclesiam potestas, iurisdictio, primatus plenissime perseverat ac viget.

2. Itaque Romani Pontifices, omnem Dominicum gregem pascendi potestate et cura ab ipso Christo Domino in persona Beati Petri divinitus sibi commissa utentes, nunquam intermiserunt omnes perferre labores, omnia suscipere consilia, ut a solis ortu usque ad occasum omnes populi, gentes, nationes evangelicam doctrinam agnoscerent, et in veritatis ac iustitiae viis ambulantes vitam assequerentur aeternam. Omnes autem norunt, quibus indefessis curis iidem Romani Pontificis Fidei depositum, Cleri disciplinam, eiusque sanctam doctamque institutionem, ac matrimonii sanctitatem dignitatemque tutari; et christianam utriusque sexus iuventutis educationem quotidie magis promovere, et populorum religionem, pietatem, morumque honestatem fovere, ac iustitiam defendere, et ipsius civilis societatis tranquillitati, ordini, prosperitati, rationibus consulere studuerint.

3. Neque omiserunt ipsi Pontifices, ubi opportunum existimarunt, in gravissimis praesertim temporum perturbationibus, ac sanctissimae nostrae religionis civilisque societatis calamitatibus, generalia convocare Concilia, ut cum totius catholici orbis Episcopis, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, collatis consiliis, coniunctisque viribus ea omnia provide sapienterque constituerent, quae ad fidei potissimum dogmata definienda, ad grassantes errores profligandos, ad catholicam propugnandam, illustrandam et evolvendam doctrinam, ad ecclesiasticam tuendam ac reparandam disciplinam, ad corruptos populorum mores corrigendos possent conducere.

4. Iam vero omnibus compertum exploratumque est qua horribili tempestate nunc iactetur Ecclesia, et quibus quantisque malis civilis ipsa affligatur societas. Etenim ab acerrimis Dei hominumque hostibus catholica Ecclesia, eiusque salutaris doctrina, et veneranda potestas, ac suprema huius Apostolicae Sedis auctoritas oppugnata, proculcata, et sacra omnia despecta, et ecclesiastica bona direpta, ac Sacrorum Antistites, et spectatissimi viri divino ministerio addicti, hominesque catholicis sensibus praestantes modis omnibus divexati, et Religiosae Familiae extinctae, et impii omnis generis libri, ac pestiferae ephemerides, et multiformes perniciosissimae sectae undique diffusae, et miserae iuventutis institutio ubique fere a Clero amota, et quod peius est, non paucis in locis iniquitatis et erroris magistris commissa. Hinc cum summo Nostro et bonorum omnium moerore, et nunquam

[1] S. Leo, Serm. II

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

satis deplorando animarum damno, ubique adeo propagata est impietas, morumque corruptio, et effrenata licentia, ac pravarum cuiusque generis opinionum, omniumque vitiorum et scelerum contagio, divinarum humanarumque legum violatio, ut non solum sanctissima nostra religio, verum etiam humana societas miserandum in modum perturbetur ac divexetur.

5. In tanta igitur calamitatum, quibus cor Nostrum obruitur, mole supremum Pastorale ministerium Nobis divinitus commissum exigit, ut omnes Nostras magis magisque exeramus vires ad Ecclesiae reparandas ruinas, ad universi Dominici gregis salutem curandam, ad exitiales eorum impetus conatusque reprimendos, qui ipsam Ecclesiam, si fieri unquam posset, et civilem societatem funditus evertere connituntur. Nos quidem, Deo auxiliante, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio nunquam pro gravissimi Nostri officii debito destitimus pluribus Nostris Consistorialibus Allocutionibus et Apostolicis Litteris Nostram attollere vocem, ac Dei eiusque sanctae Ecclesiae causam Nobis a Christo Domino concreditam omni studio constanter defendere, atque huius Apostolicae Sedis, et iustitiae veritatisque iura propugnare, et inimicorum hominum insidias detegere, errores falsasque doctrinas damnare, et impietatis sectas proscribere, ac universi Dominici gregis saluti advigilare et consulere.

6. Verum illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes opportunum propterea esse existimavimus, in generale Concilium, quod iamdiu Nostris erat in votis, cogere omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis Sacrorum Antistites, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati sunt. Qui quidem Venerabiles Fratres singulari in Catholicam Ecclesiam amore incensi, eximiaque erga Nos et Apostolicam hanc Sedem pietate et observantia spectati, ac de animarum salute anxii, et sapientia, doctrina, eruditione praestantes, et una Nobiscum tristissimam rei cum sacrae tum publicae conditionem maxime dolentes nihil antiquius habent, quam sua Nobiscum communicare et conferre consilia, ac salutaria tot calamitatibus adhibere remedia. In Oecumenico enim hoc Concilio ea omnia accuratissimo examine sunt perpendenda ac statuenda, quae hisce praesertim asperrimis temporibus maiorem Dei gloriam, et fidei integritatem, divinique cultus decorem, sempiternamque hominum salutem, et utriusque Cleri disciplinam eiusque salutarem solidamque culturam, atque ecclesiasticarum legum observantiam, morumque emendationem, et christianam iuventutis institutionem, et communem omnium pacem et concordiam in primis respiciunt. Atque etiam intentissimo studio curandum est, ut, Deo bene iuvante, omnia ab Ecclesia et civili societate amoveantur mala, ut miseri errantes ad rectum veritatis, iustitiae, salutisque tramitem reducantur, ut vitiis erroribusque eliminatis, augusta nostra Religio eiusque salutifera doctrina ubique terrarum reviviscat, et quotidie magis propagetur et dominetur; atque ita pietas, honestas, probitas, iustitia, caritas omnesque christianae virtutes cum maxima humanae societatis utilitate vigeant et efflorescant. Nemo enim inficiari unquam poterit, Catholicae Ecclesiae eiusque doctrinae vim non solum aeternam hominum salutem spectare, verum etiam prodesse temporali populorum bono, eorumque verae prosperitati, ordini,

ac tranquillitati, et humanarum quoque scientiarum progressui ac soliditati, veluti sacrae ac profanae historiae annales splendissimis factis clare aperteque ostendunt, et constanter evidenterque demonstrant. Et quoniam Christus Dominus illis verbis Nos mirifice recreat, reficit et consolatur: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum*,[1] iccirco dubitare non possumus, quin Ipse in hoc Concilio Nobis in abundantia divinae suae gratiae praesto esse velit, quo ea omnia statuere possimus, quae ad maiorem Ecclesiae suae sanctae utilitatem quovis modo pertinent. Ferventissimis igitur ad Deum luminum Patrem in humilitate cordis Nostri dies noctesque fusis precibus hoc Concilium omnino cogendum esse censuimus.

7. Quamobrem Dei ipsius omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, ac beatorum eius Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua Nos quoque in terris fungimur, freti et innixi, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et assensu sacrum oecumenicum et generale Concilium in hac alma urbe Nostra Roma futuro anno millesimo octingentesimo sexagesimo nono in Basilica Vaticana habendum, ac die octava mensis Decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacra incipiendum, prosequendum, ac, Domino adiuvante, ad ipsius gloriam, ad universi Christiani populi salutem absolvendum et perficiendum hisce Litteris indicimus, annuntiamus, convocamus et statuimus. Ac proinde volumus, iubemus, omnes ex omnibus locis tam Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, quam Dilectos Filios Abbates, omnesque alios, quibus iure aut privilegio in Conciliis generalibus residendi, et sententias in eis dicendi facta est potestas, ad hoc oecumenicum Concilium a Nobis indictum venire debere; requirentes, hortantes, admonentes ac nihilominus eis vi iurisiurandi, quod Nobis et huic Sanctae Sedi praestiterunt, ac sanctae obedientiae virtute, et sub poenis iure aut consuetudine in celebrationibus Conciliorum adversus non accedentes ferri et proponi solitis, mandantes arcteque praecipientes, ut ipsimet, nisi forte iusto detineantur impedimento, quod tamen per legitimos procuratores Synodo probare debebunt, sacro huic Concilio omnino adesse et interesse teneantur.

8. In eam autem spem erigimur fore, ut Deus, in cuius manu sunt hominum corda, Nostris votis propitius annuens ineffabili sua misericordia et gratia efficiat, ut omnes supremi omnium populorum Principes et Moderatores, praesertim catholici, quotidie magis noscentes maxima bona in humanam societatem ex Catholica Ecclesia redundare, ipsamque firmissimum esse Imperiorum Regnorumque fundamentum, non solum minime impediant, quominus Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites, aliique omnes supra commemorati ad hoc Concilium veniant, verum etiam ipsis libenter faveant opemque ferant, et studiosissime, uti decet Catholicos Principes, iis cooperentur, quae in maiorem Dei gloriam, eiusdemque Concilii bonum cedere queant.

9. Ut vero Nostrae hae Litterae et quae in eis continentur ad notitiam omnium, quorum oportet, perveniant, neve quis illorum ignorantiae excu-

[1] Matth., XVIII, 20.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

sationem praetendat, cum praesertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illae essent intimandae, tutus forsitan pateat accessus, volumus et mandamus, ut in Patriarchalibus Basilicis Lateranensi, Vaticana, et Liberiana, cum ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari solita est, palam clara voce per Curiae Nostrae cursores, aut aliquos publicos notarios legantur, lectaeque in valvis dictarum Ecclesiarum, itemque Cancellariae Apostolicae portis, et Campi Florae solito loco, et in aliis consuetis locis affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquandiu expositae pendeant, cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per huiusmodi lectionem, publicationem affixionemque, omnes et quoscumque, quos praedictae Nostrae Litterae comprehendunt, post spatium duorum mensium a die Litterarum publicationis et affixionis ita volumus obligatos esse et adstrictos, ac si ipsismet illae coram lectae et intimatae essent, transumptis quidem earum, quae manu publici notarii scripta, aut subscripta, et sigillo personae alicuius Ecclesiasticae in dignitate constitutae munita fuerint, ut fides certa et indubitata habeatur, mandamus ac decernimus.

10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, annuntiationis, convocationis, statuti, decreti, mandati, praecepti, et obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

[Acta Pii IX, vol. IV, p. 412-423].

552.

Pius IX, const. *Apostolicae Sedis*, 12 oct. 1869.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effraenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E.

Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

§ I. – *Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.*

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

1. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

3. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existenti obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

7. Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

9. Omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes litteras apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

10. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11. Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

§ II. – *Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.*

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

1. Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedictio XIV, in Const. *Suprema*, 7 iulii 1745,[1] *Ubi primum*, 2 iunii 1746,[2] *Ad eradicandum*, 28 septembris 1746.[3]

[1] Cf. N. 360.
[2] Cf. N. 370.
[3] Cf. N. 373.

2. Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monacos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4. Nomen dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

5. Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes, aut ausu temerario violantes.

6. Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra causas ac formam a S. Pio V in Constit. *Decori* praescriptam.[1]

7. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

8. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

10. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

11. Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V, *Quam plenum*, 2 ianuarii 1570.[2]

12. Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos*, quarto kalendas aprilis 1567,[3] Innocentii IX, *Quae ab hac Sede*, pridie nonas novembris 1591,[4] Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 iunii 1592,[5] et Alexandri VII, *Inter ceteras*, nono kalendas novembris 1660,[6] alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

14. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

[1] Cf. N. 133.
[2] Cf. N. 132.
[3] Cf. N. 120.
[4] Cf. N. 174.
[5] Cf. N. 175.
[6] Cf. Bull. Rom., tom. 6, V, p. 127-131.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium, vel favorem praebentes.

16. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, et scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

§ III. – *Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.*

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus:

1. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2. Procurantes abortum, effectu sequuto.

3. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

§ IV. – *Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.*

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

1. Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae Sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae*, De Reb. Ecc. non alienandis.

4. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV, Constit. *Universi*, 30 augusti 1622,[1] et Benedicto XIV, Constit. *Sacramentum poenitentiae*, 1 iunii 1741.[2]

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV, *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

[1] Cf. N. 201.
[2] Cf. N. 309. – Cf. etiam Codicis Iuris Canonici, Docum. V.

§ V. – *Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.*

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt Ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

4. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

6. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario postquam in praedicto examine reiecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

§ VI. – *Interdicta latae sententiae reservata.*

1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PII X

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive nterdicti Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis, aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Caeterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus. et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Institutio, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc husque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus comprehensis, vel non in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam Sess. 24, cap. 6, *de ref.*, in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas Eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes, suppressiones, atque abrogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque

plenarios et integros effectus obtinere debere, ac reapse obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

[Acta Pii IX, vol. V, p. 55-72].

553.

Pius IX, litt. ap. *Multiplices*, 27 nov. 1869.

Multiplices inter, quibus divexamur, angustias, ad Divinae Clementiae, Quae *consolatur Nos in omni tribulatione nostra* [1] gratias persolvendas maxime excitamur, qua propitiante, illud celeriter Nobis continget, ut sacrosanctum generale et oecumenicum Concilium Vaticanum iam a Nobis, Ea adspirante indictum, feliciter auspicemur. Gaudium autem in Domino iure percipimus, quod salutares Concilii eiusdem conventus solemni die Immaculatae Dei Matris Mariae semper Virginis Conceptioni sacro, atque adeo sub potentibus maternisque auspiciis Eius aggressuri sumus, eosque in Vaticana Nostra Basilica inituri ante Beatissimi Petri cineres, qui *in accepta fortitudine Petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit, et in quo omnium Pastorum sollicitudo, cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat.* [2] Iamvero memores hoc oecumenicum Concilium a Nobis convocatum fuisse, ut extirpandis erroribus, quos praesertim huius saeculi conflavit impietas, removendis malis, quibus Ecclesia affligitur, emendandis moribus et utriusque Cleri disciplinae instaurandae, coniuncta Nobiscum sacrorum Ecclesiae Antistitum adhibeatur opera, ac probe noscentes, quo studio intentaque sollicitudine curare debeamus, ut ea omnia

[1] II Corinth., I, 4.
[2] S. Leo P., Serm. II in Anniver. Assumptionis suae. – Cf. Migne, *P. L.*, tom. LIV, col. 146, 147.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

quae ad rectam rationem tam salutaris negotii gerendi tractandi ac perficiendi pertinent, ex sancta maiorum disciplina institutisque statuantur, idcirco Apostolica Nostra auctoritate ea quae sequuntur decernimus, atque ab omnibus in hoc Vaticano Concilio servanda esse praecipimus.

I. – *De modo vivendi in Concilio.*

Reputantes animo quod *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum,*[1] quodque nihil Caelestis Patris benignitati pronius est, quam ut det *spiritum bonum petentibus se,*[2] iam Nos, dum Apostolicis Nostris Litteris[3] die undecimo aprilis hoc anno datis Ecclesiae thesauros Sacrosancti huius Concilii occasione, Christifidelibus reseravimus, non solum eosdem Christifideles vehementer hortati sumus, ut emundantes *conscientiam ob operibus mortuis ad serviendum Deo viventi,*[4] orationibus, obsecrationibus, ieiuniis, aliisque pietatis actibus insistere velint: sed etiam Divini Spiritus lumen et opem in Sacrosancto Missae sacrificio celebrando, quotidie in universo orbe catholico implorari mandavimus, ad prosperum a Domino huic Concilio exitum, et salutares ex eo Ecclesiae Sanctae fructus impetrandos.

Quas quidem adhortationes et praescriptiones modo renovantes et confirmantes, id praeterea iubemus, ut in huius Almae Urbis Nostrae Ecclesiis, Sacrosancta Synodo perdurante, singulis diebus Dominicis hora, quae pro fideli populo magis congrua videatur, Litaniae aliaeque orationes ad hunc finem constitutae recitentur.

At longe his maius aliquid et excellentius ab Episcopis, aliisque qui in
Sacerdotali Ordine censentur hoc Concilium concelebrantibus, praestan-
dum est, quos, uti ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei
oportet in omnibus seipsos praebere *exemplum bonorum operum in doctrina,*
in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso
est vereatur nihil habens malum dicere de nobis.[5] Quare veterum Concilio-
rum ac Tridentini nominatim vestigiis inhaerentes hortamur illos omnes in
Domino, ut orationi, sacrae lectioni, caelestium rerum meditationibus pro
sua cuiusque pietate studiose intendant; ut pure casteque sancto Missae
sacrificio, quam fieri possit, frequenter operentur; animum mentemque ab
humanarum rerum curis immunem servent; modestiam in moribus, in
victu temperantiam, et in omni actione religionem retineant. Absint ani-
morum dissidia, absit prava aemulatio et contentio, sed omnibus imperet,
quae inter ceteras virtutes eminet, charitas, ut illa dominante et incolumi,
de hoc sacro Episcoporum Ecclesiae conventu dici possit: *ecce quam bonum*
et quam iucundum habitare fratres in unum.[6] Evigilent demum Patres in

[1] Iacob., I, 17.
[2] Luc., XI, 13.
[3] Litt. Apost. 11 aprilis 1869. – Cf. Acta Pii IX, vol. V, p. 16-23.
[4] Ep. ad Hebr., IX, 14.
[5] Ep. ad Tit., II, 7.
[6] Ps. CXXXII, 1.

domesticorum suorum cura, et christianae ab eis sanctaeque vitae disciplina exigenda, memores quam gravibus verbis Paulus Apostolus praecipiat Episcopis, ut sint suae domui bene praepositi.[1]

II. – *De iure et modo proponendi.*

Licet ius et munus proponendi negotia, quae in Sancta Oecumenica Synodo tractari debebunt, de iisque Patrum sententias rogandi nonnisi ad Nos, et ad hanc Apostolicam Sedem pertineat, nihilominus non modo optamus, sed etiam hortamur, ut si qui inter Concilii Patres aliquid proponendum habuerint, quod ad publicam utilitatem conferre posse existiment, id libere exequi velint. Cum vero probe perspiciamus hanc ipsam rem, nisi congruo tempore et modo perficiatur, non parum necessario Conciliarium actionum ordini officere posse, idcirco statuimus eiusmodi propositiones ita fieri debere, ut earum quaelibet 1. scripto mandetur, ac peculiari Congregationi nonnullorum, tum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium, tum Synodi Patrum a Nobis deputandae privatim exhibeatur; 2. publicum rei christianae bonum vere respiciat, non singularem dumtaxat unius vel alterius Dioecesis utilitatem; 3. rationes contineat, ob quas utilis et opportuna censetur; 4. nihil praeseferat, quod a constanti Ecclesiae sensu, eiusque inviolabilibus traditionibus alienum sit.

Peculiaris praedicta Congregatio propositiones sibi exhibitas diligenter expendet, suumque circa earum admissionem vel exclusionem consilium Nostro iudicio submittet, ut Nos deinde matura consideratione de iis statuamus, utrum ad Synodalem deliberationem deferri debeant.

III. – *De secreto servando in Concilio.*

Prudentiae hic ratio Nos admonet, ut secreti fidem, quae in superioribus Conciliis non semel, adiunctorum gravitate exigente, indicenda fuit, in universa huius Concilii actione servandam iubeamus. Si enim unquam alias, hoc maxime tempore haec cautio necessaria visa est, quo in omnem occasionem excubat invidiae conflandae contra Catholicam Ecclesiam eiusque doctrinam, pluribus nocendi opibus pollens impietas. Quapropter praecipimus omnibus et singulis Patribus, Officialibus Concilii, Theologis, Sacrorum Canonum Peritis, caeterisque, qui operam suam Patribus vel officialibus praedictis quovis modo in rebus huius Concilii praebent, ut decreta et alia quaecumque, quae iis examinanda proponentur, nec non discussiones et singulorum sententias non evulgent, nec alicui extra gremium Concilii pandant. Praecipimus pariter ut Officiales Concilii, qui episcopali dignitate praediti non sunt, aliique omnes, qui ratione cuiusvis demandati a Nobis ministerii Conciliaribus disceptationibus inservire debent, iuramentum emittere teneantur de munere fideliter obeundo, et de secreti fide servanda circa ea omnia quae supra praescripta sunt, nec non super iis rebus, quae specialiter ipsis committentur.

[1] I Timoth., III, 4.

IV. – *De ordine sedendi, et de non inferendo alicui praeiudicio.*

Cum ad tranquillitatem concordiamque animorum tuendam non parum momenti habeat, si in quibuslibet Conciliaribus actibus, unusquisque suae dignitatis ordinem fideliter ac modeste custodiat: hinc ad offensionum occasiones, quoad eius fieri possit, praecidendas, infrascriptum ordinem inter diversas dignitates servari praescribimus.

Primum locum obtinebunt VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Episcopi, Presbyteri, Diaconi. Secundum Patriarchae. Tertium, ex speciali Nostra indulgentia, Primates, iuxta ordinem suae promotionis ad Primatialem gradum. Id autem pro hac vice tantum indulgemus, atque ita, ut ex hac Nostra concessione nullum ius vel ipsis Primatibus datum, vel aliis imminutum censeri debeat. Quartum locum tenebunt Archiepiscopi, iuxta suae ad Archiepiscopatum promotionis ordinem. Quintum Episcopi, pariter iuxta ordinem promotionis suae. Sextum Abbates Nullius Dioecesis. Septimum Abbates Generales, aliique Generales Moderatores Ordinum Religiosorum, in quibus solemnia vota nuncupantur, etiamsi Vicarii Generalis titulo appellentur, dum tamen re ipsa cum omnibus supremi moderatoris iuribus et privilegiis, universo suo Ordini legitime praesint.

Ceterum ex superiorum Conciliorum disciplina institutoque decernimus, quod, si forte contigerit, aliquos debito in loco non sedere, et sententias etiam sub verbo *placet* proferre, congregationibus interesse, et alios quoscumque actus facere, Concilio durante, nulli propterea praeiudicium generetur, nullique novum ius acquiratur.[1]

V. – *De Iudicibus excusationum et querelarum.*

Quo graviorum rerum pertractatio, quae in hac Sacrosancta Synodo agi gerive debent, minus quam fieri possit, impediatur, aut retardetur ob cognitionem causarum, quae singulos respiciunt, statuimus ut ipsa Synodus per schedulas secretas quinque ex Concilii Patribus eligat in *Iudices excusationum*, quorum erit procurationes et excusationes Praelatorum absentium, necnon eorum postulata, qui, Concilio nondum dimisso, iustam discedendi causam se habere putaverint, excipere, atque ad normam conciliaris disciplinae et SS. Canonum expendere: quod cum fecerint, non quidquam de hisce rebus decernent, sed de omnibus ad Congregationem generalem ordine referent. Praeterea statuimus, ut eadem Synodus pariter per schedulas secretas, alios quinque ex Patribus eligat *in Iudices querelarum et controversiarum*.

Hi porro controversias omnes circa ordinem sedendi, vel ius praecedendi, aliasque, si quae forte inter congregatos oriantur, iudicio summario atque *oeconomice*, ut aiunt, ita componere studebunt, ut nulli praeiudicium inferatur: et quatenus componere nequeant, eas Congregationis generalis auctoritati subiicient.

[1] Conc. Trid., Sess. II, Decret. de mod. viv., § *Insuper*.

VI. – *De Officialibus Concilii.*

Quod vero et illud magni refert, ut necessarii ac idonei ministri et officiales, iuxta conciliarem consuetudinem et disciplinam omnibus in hac Synodo actibus rite et legitime perficiendis designentur, Nos huiusmodi ministeriorum rationem habentes, infrascriptos viros ad ea deligimus et nominamus, scilicet:

1. Generales Concilii Custodes, Dilectos Filios Ioannem Columna et Dominicum Orsini Romanos Principes Pontificio Nostro solio adsistentes.

2. Concilii Secretarium Venerabilem Fratrem Iosephum Episcopum S. Hippolyti, eique adiicimus, cum officio et titulo Subsecretarii, dilectum filium Ludovicum Iacobini e Nostris et huius Apostolicae Sedis Protonotariis, nec non adiutores, dilectos filios Canonicos Camillum Santori et Angelum Iacobini.

3. Concilii Notarios, dilectos filios Lucam Pacifici, Aloisium Colombo, Ioannem Simeoni, Aloisium Pericoli, et Dominicum Bartolini Nostros et huius Apostolicae Sedis Protonotarius, eisque adiungimus dilectos filios Salvatorem Pallottini et Franciscum Santi Advocatos; qui Notariis eisdem adiutricem operam navent.

4. Scrutatores Suffragiorum, dilectos filios Aloisium Serafini et Franciscum Nardi causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores; Aloisium Pellegrini et Leonardum Dialti Nostrae Camerae Apostolicae Clericos; Carolum Cristofori et Alexandrum Montani Signaturae Iustitiae Votantes; Fridericum de Falloux du Coudray Nostrae Cancellariae Apostolicae Regentem, et Laurentium Nina Abbreviatorem ex maiori Parco. Hi autem octo scrutatores in quatuor distincta paria distributi, ita ad excipienda suffragia procedent, ut bina paria unum Conciliaris Aulae latus, totidemque alterum obeant, ac praeterea singula paria singulos ex Notariis secum habere debebunt, dum in munere fungendo versantur.

5. Promotores Concilii, dilectos filios Ioannem Baptistam de Dominicis Tosti, et Philippum Ralli S. Consistorii Advocatos.

6. Magistros Caeremoniarum Concilii, dilectos filios Aloisium Ferrari Antistitem Nostrum domesticum Praefectum, et Pium Martinucci, Camillum Balestra, Remigium Ricci, Iosephum Romagnoli, Petrum Iosephum Rinaldi-Bucci, Antonium Cataldi, Alexandrum Tortoli, Augustinum Accoramboni, Aloisium Sinistri, Franciscum Riggi, Antonium Gattoni, Balthasarem Baccinetti, Caesarem Togni, Rochum Massi, Nostros et huius Apostolicae Sedis Caeremoniarios.

7. Assignatores Locorum, dilectos filios Henricum Folchi Praefectum, ac Aloisium Naselli, Edmundum Stonor, Paulum Bastide, Aloisium Pallotti intimos Nostros Cubicularios, et dilectos filios Scipionem Perilli, Gustavum Gallot, Franciscum Regnani, Nicolaum Vorsak, et Philippum Silvestri Cubicularios Nostros honorarios.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

VII. – *De Congregationibus Generalibus Patrum.*

Ad ea modo curam convertentes, quae Congregationum Generalium ordinem respiciunt, statuimus ac decernimus, ut iisdem Patrum Congregationibus, quae publicis sessionibus praemittuntur, quinque ex VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Nostro nomine et auctoritate praesint, et ad hoc munus eligimus et nominamus, Venerabilem Fratrem Nostrum Carolum S. R. E. Cardinalem Episcopum Sabinorum De Reisach nuncupatum, dilectos filios Nostros S. R. E. Presbyteros Cardinales, Antonium titulo SS. Quatuor Coronatorum De Luca nuncupatum, Iosephum Andream titulo S. Hieronymi Illyricorum Bizzarri nuncupatum, Aloisium titulo S. Laurentii in Panisperna Bilio nuncupatum, et dilectum filium Nostrum Hannibalem S. R. E. Cardinalem Diaconum S. Mariae in Aquiro Capalti nuncupatum.

Hi autem Praesides, praeter alia, quae ad aptam horum Conventuum moderationem spectant, curabunt ut in rebus pertractandis initium fiat a disceptatione eorum, quae ad fidem pertinent; deinde integrum ipsis erit consultationes in fidei vel disciplinae capita conferre, prout opportunum iudicaverint.

Cum vero Nos, iam inde a tempore, quo Apostolicas Litteras ad hoc Concilium indicendum dedimus, Viros Theologos et ecclesiastici iuris consultos, ex variis catholici orbis regionibus in hanc almam Urbem Nostram evocandos curaverimus, ut una cum aliis huius Urbis, et earumdem disciplinarum peritis viris, rebus apparandis darent operam, quae ad huius Generalis Synodi scopum pertinent, atque ita expeditior via in rerum tractatione Patribus patere posset; hinc volumus et mandamus, ut *schemata* decretorum et canonum ab iisdem viris expressa et redacta, quae Nos nulla Nostra approbatione munita, integra integre Patrum cognitioni reservavimus, iisdem Patribus in Congregationem Generalem collectis ad examen et iudicium subiiciantur. Itaque, curantibus memoratis Praesidibus, aliquot ante dies quam Congregatio Generalis habeatur, decretorum et canonum schemata, de quibus in Congregatione indicta agendum erit, typis impressa singulis Patribus distribuentur, quo interim illa diligenti consideratione in omnem partem expendant, et quid sibi sententiae esse debeat, accurate provideant. Si quis Patrum de schemate proposito sermonem in Congregatione ipsa habere voluerit, ad debitum inter oratores ordinem pro cuiusque dignitatis gradu servandum, opus erit, ut saltem pridie diei Congregationis ipsius, Praesidibus suum disserendi propositum significandum curet. Auditis autem istorum Patrum sermonibus, si alii etiam post eos in conventu ipso disserere voluerint, hoc iisdem fas erit, obtenta prius a Praesidibus dicendi venia, et eo ordine, quem dicentium dignitas postulaverit.

Iamvero, si in ea quae habetur Congregatione, exhibitum schema vel nullas, vel nonnisi leves difficultates in ipso congressu facile expediendas obtulerit, tunc nihil morae erit, quominus disceptationibus compositis, decreti vel canonis Conciliaris, de quo agitur, formula, rogatis Patrum suffragiis statuatur. Sin autem circa schema praedictum huiusmodi oriantur difficultates, ut, sententiis in contraria conversis, via non suppetat, qua in ipso conventu componi possint, tum ea ratio ineunda erit, quam heic infra statuimus, ut stabili et opportuno modo huic rei provideatur. Volumus itaque, ut ab ipso Concilii exordio quatuor speciales ac distinctae Patrum Congregationes seu *Deputationes* instituantur, quarum prima de rebus ad fidem pertinentibus, altera de rebus disciplinae ecclesiasticae, tertia de rebus Ordinum Regularium, quarta demum de rebus ritus Orientalis, Concilio perdurante, cognoscere et tractare debebit. Quaevis ex praedictis Congregationibus seu Deputationibus numero Patrum quatuor et viginti constabit, qui a Concilii Patribus per schedulas secretas eligentur. Unicuique ex iisdem Congregationibus seu Deputationibus, praeerit unus ex VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus a Nobis designandus, qui ex Conciliaribus Theologis vel Iuris Canonici peritis, unum aut plures in commodum suae Congregationis seu Deputationis adsciscet, atque ex iis unum constituet, qui Secretarii munere eidem Congregationi seu Deputationi operam navet. Igitur si illud contigerit, quod supra innuimus, ut nimirum in Generali Congregatione quaestio de proposito schemate exorta dirimi non potuerit, tum Cardinales eiusdem Generalis Congregationis Praesides, curabunt ut schema, de quo agitur, una cum obiectis difficultatibus examini subiiciatur illius ex specialibus Deputationibus, ad quam iuxta assignata cuique rerum tractandarum genera pertinere intelligitur. Quae in hac peculiari Deputatione deliberata fuerint, eorum relatio typis edita Patribus diribenda erit iuxta methodum a Nobis superius praescriptam, ut deinde in proxima Congregatione Generali, si nihil amplius obstiterit, rogatis Patrum suffragiis, decreti vel canonis Conciliaris formula condatur. Suffragia autem a Patribus oretenus edentur, ita tamen, ut ipsis integrum sit etiam de scripto illa pronuntiare.

VIII. – *De Sessionibus Publicis.*

Publicarum nunc Sessionum celebratio exigit, ut rebus et actionibus in ea rite dirigendis, congrua ratione consulamus. Itaque, in unaquaque publica Sessione, considentibus suo loco et ordine Patribus, servatisque adamussim caeremoniis, quae in rituali instructione iisdem Patribus de mandato Nostro tradenda, continentur, de suggestu Decretorum et Canonum formulae in superioribus Congregationibus generalibus conditae, voce sublata et clara iussu Nostro recitabuntur, eo ordine ut primum canones de dogmatibus Fidei, deinde decreta de disciplina pronuncientur, et ea adhibita solemni tituli praefatione, qua Praedecessores Nostri in eiusmodi Conciliari actione uti consueverunt, nempe: *Pius Episcopus Servus Servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam.* Tunc vero rogabuntur Patres, an placeant canones et decreta perlecta; ac statim procedent scrutatores suffragiorum, iuxta methodum superius constitutam, ad suffragia singillatim et ordine excipienda, eaque accurate describent.

Hac autem in re declaramus suffragia pronunciari debere in haec verb *placet* aut *non placet:* ac simul edicimus, minime fas esse a Sessione absen tibus quavis de causa, suffragium suum scripto consignatum ad Conciliu mittere. Iamvero suffragiis collectis, Concilii Secretarius una cum supra dictis Scrutatoribus penes Pontificalem Nostram Cathedram, iis accura dirimendis ac numerandis operam dabunt, ac de ipsis ad Nos referent Nos deinde supremam Nostram sententiam edicemus, eamque enuncia et promulgari mandabimus, hac adhibita solemni formula *decreta mod lecta placuerunt omnibus Patribus nemine dissentiente* (vel si qui forte dissen serint), *tot numero exceptis; Nosque, sacro approbante Concilio, illa ita decer nimus statuimus atque sancimus, ut lecta sunt*. Hisce autem omnibus expletis erit Promotorum Concilii rogare Protonotarios praesentes, ut de omnibu et singulis in Sessione peractis, unum vel plura, instrumentum vel instru menta conficiantur. Denique die proximae Sessionis de mandato Nostro indicta, Sessionis conventus dimittetur.

IX. – *De non discedendo a Concilio.*

Universis porro Concilii Patribus, aliisque qui eidem interesse debent praecipimus sub poenis per SS. Canones indictis, ut ne quis eorum, ante quam Sacrosanctum hoc Generale et Oecumenicum Concilium Vaticanum rite absolutum et a Nobis dimissum sit, discedat, nisi discessionis causa iuxta normam superius definitam cognita et probata fuerit, ac impetrata a Nobis abeundi facultas.

X. – *Indultum Apostolicum de non residentia pro iis qui Concilio intersunt.*

Cum ii omnes qui Conciliaribus actionibus interesse tenentur, ea in re universali Ecclesiae deserviant, Praedecessorum Nostrorum etiam exem plum sequuti [1] Apostolica benignitate indulgemus, ut tum Praesules aliique suffragii ius in hoc Concilio habentes, tum caeteri omnes eidem Con cilio operam quovis titulo impendentes, suorum beneficiorum fructus, re ditus, proventus ac distributiones quotidianas percipere possint, iis tantum distributionibus exceptis, quae *inter praesentes* fieri dicuntur; idque conce dimus Synodo perdurante, et donec quisque eidem adsit aut inserviat.

Haec volumus atque mandamus, decernentes has Nostras Litteras et in eis contenta quaecumque, in proximo sacrosancto generali et Oecume nico Concilio Vaticano, ab omnibus et singulis ad quos spectat, respective et inviolabiliter observari debere. Non obstantibus, quamvis speciali, atque individua mentione, ac derogatione dignis, in contrarium facientibus qui buscumque.

[Acta Pii IX, vol. V, p. 81-96].

[1] Paulus III, Brev. 1 ian. 1546. Pius IV, Brev. 25 nov. 1561.

554.

Pius IX, const. *Cum Romanis Pontificibus*, 4 dec. 1869.

Cum Romanis Pontificibus in B. Petro Apostolorum Principe pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plena potestas tradita fuerit; pax et unitas ipsius Ecclesiae in grave discrimen facile adducerentur, si, Apostolica Sede vacante, in electione novi Pontificis quidquam fieri contingeret, quod eam incertam ac dubiam reddere posset.

Ad tam funestum periculum avertendum plures a Romanis Pontificibus Decessoribus nostris, ac praesertim a fel. record. Alexandro III in Generali Concilio Lateranensi III, [1] a B. Gregorio X in Generali Concilio Lugdunensi II, [2] a Clemente V, [3] a Gregorio XV, [4] ab Urbano VIII [5] et a Clemente XII [6] editae sunt Constitutiones, quibus dum multa alia praescribuntur, ut negotium tanti momenti rite recteque expediatur, generatim et absque ulla exceptione declaratur ac decernitur electionem Summi Pontificis ad S. R. E. Cardinalium Collegium unice et exclusive spectare.

Haec Nos animo recolentes, cum Oecumenicum et Generale Concilium Vaticanum per Apostolicas Litteras, quae incipiunt *Aeterni Patris*, III kal. iulias anno 1868 a Nobis indictum, [7] in eo iam sit ut solemniter initietur, Apostolici Nostri muneris esse ducimus, quamcumque occasionem discordiarum et dissensionum circa electionem Summi Pontificis praevenire ac praecidere, si divinae voluntati placuerit Nos, eodem Concilio perdurante, ex hac mortali vita migrare.

Quapropter exemplo permoti fel. record. Iulii II Decessoris Nostri, de quo, compertum ex historia est [8] tempore Generalis Concilii Lateranensis V lethali morbo correptum Cardinales coram se convocasse, ac de legitima Successoris sui electione sollicitum, illis adstantibus, edixisse hanc non a praedicto Concilio, sed ab eorum tantum Collegio esse perficiendam, prout reapse, memorati iulii sequuta morte, factum fuisse constat, atque exemplo insuper excitati aliorum Decessorum Nostrorum, item fel. rec. Pauli III et Pii IV, quorum primus Apostolicis Litteris datis XIII kal. decembris 1544, alter vero similibus Litteris datis x kal. octobris 1561, [9] casum mortis suae praevidentes cum Tridentina Synodus celebraretur,

[1] Cap. « Licet », *de Electione*.
[2] Cap. « Ubi », *de Electione*, in 6.
[3] Clement., c. 2, *de Electione*.
[4] Constit. *Decet Romanum Pontificem*, 12 mart. 1621. – Cf. Bull. Rom., tom. 5, V, p. 5-17.
[5] Constit. *Ad Romani Pontificis*, v kal. febr. 1625. – Cf. Bull. Rom., tom. 5, V, p. 397-399.
[6] Constit. *Apostolatus*, IV nonas octobris 1732. – Cf. Bull. Rom., tom. 13, p. 302-314.
[7] Cf. N. 551.
[8] Raynald., Annal. Eccles. ad annum 1513, n. VII.
[9] Cf. Bull. Rom., tom. 4, II, p. 90.

decreverunt, eiusmodi casu occurrente, electionem novi Pontificis nonnisi a S. R. E. Cardinalibus esse faciendam, exclusa prorsus quacumque memoratae Synodi participatione: atque insuper de his habita cum nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris eiusdem S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione et diligenti examine, ex certa scientia Nostra, motu proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine declaramus, decernimus atque statuimus quod, si placuerit Deo mortali nostrae peregrinationi, praedicto Generali Concilio Vaticano perdurante finem imponere, electio novi Summi Pontificis, in quibuscumque statu et terminis Concilium ipsum subsistat, nonnisi per S. R. E. Cardinales fieri debeat, minime vero per ipsum Concilium, atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuscumque aliis personis cuiusvis, licet ipsius Concilii auctoritate forte deputandis, praeter Cardinales praedictos.

Quin immo, ut in eiusmodi electione memorati Cardinales, omni prorsus impedimento submoto, et quavis perturbationum et dissidiorum occasione sublata, liberius et expeditius procedere queant, de eadem scientia et Apostolicae potestatis plenitudine, illud praeterea decernimus atque statuimus, ut si, praedicto Vaticano Concilio perdurante, Nos decedere contigerit, idem Concilium in quibuscumque statu et terminis existat, illico et immediate suspensum ac dilatum intelligatur, quemadmodum per Nostras has Litteras illud nunc pro tunc suspendere atque in tempus infra notandum differre intendimus, adeo ut, nulla prorsus interiecta mora, cessare statim debeat a quibuscumque conventibus, congregationibus et sessionibus, et a quibusvis decretis seu canonibus conficiendis, nec ob qualemcumque causam, etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex a Sacro Cardinalium Collegio canonice electus suprema sua auctoritate Concilii ipsius reassumptionem et prosequutionem duxerit intimandam.

Opportunum autem censentes, ut quae occasione praedicti Concilii Vaticani hactenus ordinavimus tum quoad Summi Pontificis electionem, tum quoad eiusdem Concilii suspensionem, certam stabilemque normam in simili rerum eventu perpetuo servandam suppeditent, pari scientia et potestate decernimus atque statuimus, ut futuris quibuscumque temporibus quandocumque contigerit Romanum Pontificem decedere, perdurante celebratione alicuius Concilii Oecumenici, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive, iuxta modum superius definitum fieri debeat, atque ipsum Concilium, pariter iuxta regulam superius sancitam, statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis suspensum ipso iure intelligatur, et tamdiu dilatum, donec Novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari iusserit.

Praesentes autem Litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, aut qualibet causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, vel alio quopiam, quamtumvis substantiali inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem aut expressionem requirente, defectu, aut ex quo-

cumque alio capite a iure statuto, vel quocumque praetextu, ratione, aut causa quamtumvis tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, redargui, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari posse; neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium dispositionum revocationibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de hisce praesentibus, earumque toto tenore ac data specialis mentio fieret, pro tempore factis et concessis ac faciendis et concedendis comprehendi, sed semper et omnino ab illis excipi debere atque ex nunc quidquid contra praemissa, Apostolica Sede vacante, quavis auctoritate etiam memorati Concilii Vaticani, vel alterius cuiuscumque futuris temporibus Concilii Oecumenici, licet de unanimi consensu hodiernorum, seu pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium scienter vel ignoranter fuerit attentatum, irritum et inane ac nullius roboris decernimus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Alexandri Papae III Decessoris Nostri in Concilio Lateranensi edita, quae incipit *Licet de vitanda* [1] et quibuscumque aliis etiam in universalibus Conciliis latis, specialibus vel generalibus Constitutionibus Apostolicis, quamvis in corpore iuris clausis, et sub quibuscumque tenoribus et formis ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, etiam Motu pari ac consistorialiter statutis, quibus omnibus et singulis quatenus pariter opus sit eorumque omnium tenoribus, perinde ac si praesentibus de verbo ad verbum exprimantur, pro insertis et expressis habentes, in ea tantum parte, quae praesentibus adversatur, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac sufficienter, nec non specialiter et expresse harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, ordinationis, statuti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel illis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

[Acta Pii IX, vol. V, p. 102-108].

555.

Pius IX, ep. *Non sine gravissimo*, 24 febr. 1870. [2]

1. Non sine gravissimo animi Nostri dolore, vel moerore potius novimus, Armeniam Constantinopolitanam Ecclesiam non levibus dissidiis ac perturbationibus miserandum in modum divexari, et pacem, cuius tuendae

[1] C. 6, X, *de Electione et electi potestate*, I, 6.
[2] Ven. Fr. Antonio Iosepho Archiepiscopo Thyanaeo Nostro atque huius Apostolicae Sedis in Urbe Constantinopolitana Delegato Apostolico. – Romam.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

studium Nos cum Nostris Praedecessoribus semper Fidelibus illis maxime commendavimus, ab illa Ecclesia ferme exulare. Siquidem nonnulli ex Laicorum ordine in unum convenientes cum aliquibus ex Clero saeculari, atque et Monachis Armenii ritus Ven. Fr. Antonii Petri IX Ciliciae Patriarchae auctoritatem palam spreverunt, abnegarunt; et Ven. Fr. Iosephi Arackial Episcopi Ancyrani, qui, annuentibus Nobis, vicaria eiusdem Patriarchae potestate in praedicta civitate fungitur, canonicam iurisdictionem ita detrectarunt, ut eiusdem sententias ac mandata vel non recipere, vel non servare ausi fuerint. Atque eo devenerunt, ut etiam legitimam memorati Patriarchae electionem, licet unanimi Episcoporum suffragio peractam, Nostroque iudicio et auctoritate confirmatam, in dubium revocare non dubitaverint, et solemnem eiusdem commemorationem in sacrosancto Missae sacrificio, atque in divinis officiis palam intermittere; demum in privata domo altare contra legitimum altare Christi erigere minime reformidaverint, et Ecclesiam ibidem constituere, quam singulari verborum contradictione, Armeniam catholicam independentem appellarunt; perinde ac si in Ecclesia catholica liceret Fidelibus arbitratu suo vivere, et non potius ipsi deberent iuxta Apostoli praeceptum obedire praepositis suis et subiacere eis.

2. Gravissima profecto sunt, Ven. Frater, huiusmodi improbanda sane facta, eoque Nobis acerbiora, propterea quod ea ab Armeniis praesertim Constantinopoli degentibus minime expectabamus, quos Apostolica Sedes singulari cura ac sollicitudine fuit semper prosequuta. Neque doloris Nostri acerbitatem satis lenire potuerunt protestationes reverentiae atque obedientiae erga hanc B̄mi Petri Cathedram, quas deprehendimus in expostulationibus Nobis exhibitis a memoratis Laicis, Clericis, ac Monachis; quae protestationes futili illa appellationis voce confirmari posse videbantur, in quam nonnulli erumpebant ad effugiendam memorati Ven. Fr. Iosephi correctionem. Etenim, contra auctoritatem huius Apostolicae Sedis divinitus constitutam, erroneae falsaeque doctrinae atque calumniae in vulgus fuerunt disseminatae, et Nostrarum etiam constitutionum vis et auctoritas despecta ac detrectata.

3. Etsi vero haec facta ex animo vehementer dolemus, non possumus tamen longe maiorem Armeniorum eiusdem Urbis partem satis commendare, quae constanter in officio ac fide permansit; quaeque legitimo suo Patriarchae, Nostraeque huic Sedi arctissime atque ex animo obstricta efflagitavit, ut a tantis malis liberaretur.

4. Quibus pro Nostri ministerii debito occurrere volentes, Tibi Ven. Frater, qui Apostolica Nostra Delegatione in urbe Constantinopolitana perfungeris mandamus, ut quamprimum in eamdem civitatem redeas, ibique pro commissi Tibi muneris ratione Catholicos Orientales in sua fide confirmare, atque eos, qui a proprio officio declinarunt, ad salutis tramitem totis viribus reducere contendas. Ut autem haec rite perficiantur, necessarium est, Ven. Frater, Fidelibus tuae curae commissis in mentem revoces atque inculces, ad catholicam fidem pertinere, Romano Pontifici in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino

Nostro Iesu Christo plenam potestatem auctoritatemque esse traditam; cuius plenum ac liberum exercitium nullis territorialibus aut nationalibus limitibus potest circumscribi et coerceri; et omnes qui catholico nomine gloriantur, non solum debere cum illo communicare quoad fidem et dogmata, verum etiam subesse quoad ritus et disciplinam.

5. Qua in re ne praetermittas Armenios omnesque Orientales edocere, quantum discriminis disciplinam inter et ritum intercedat, cuius utriusque rei confusio illorum fidelium mentem perturbat, pluribus iniustisque querimoniis occasionem praebere non cessat, eaque maxime abutuntur ad conflandam contra Apostolicam Sedem invidiam ii omnes, qui salutarem eiusdem Sedis actionem et vim in Orientales Ecclesias impedire aut imminuere minime verentur. Equidem Nos una cum Praedecessoribus Nostris Orientales ritus servandos esse declaravimus, quoties neque Fidei et unitati catholicae repugnarent, neque ecclesiasticae derogarent honestati. Quod quidem minime impedit, quominus, in his praesertim quae Ecclesiasticum regimen respiciunt, canonica disciplina quoad praecipua saltem capita ubique cohaereat, et ubi incerta vel collapsa fuerit restituatur. Neque ab hoc umquam deflectemus, prout Apostolici Nostri ministerii munus omnino postulat. Atque idcirco eo consilio Nostram Constitutionem edidimus IV idus iulias an. MDCCCLXVII, cuius initium est *Reversurus;*[1] quam in suo robore manere volumus, et ab omnibus ad quos pertinet diligenter observari: nihil enim ea opportunius est ad ecclesiasticam libertatem tuendam, ad sacrorum Antistitum iura auctoritatemque vindicandam, et ad catholicam religionem atque unitatem magis magisque conservandam.

6. Qui autem haec Apostolicae Sedis iura et officia vel abnegant vel parvipendunt, qua demum ratione, quo animo suam erga illam reverentiam et obedientiam profiteri possunt? Hanc siquidem praeseferre videbantur commemoratae nonnullorum Armeniorum expostulationes, quibus illud etiam petebatur, ut salvis eorum ritibus, Delegati Apostolici iurisdictioni plane subiicerentur Armenii, donec Ven. Frater Antonius Petrus IX in officio Patriarchae maneret. Quod quidem nullo prorsus modo indulgendum censuimus, etiam ex eo quod excogitatum manifeste fuerit ad declinandam legitimam eiusdem auctoritatem.

7. Gravius autem est, Apostolicae Sedis auctoritate abuti ad effugiendam Praelatorum correctionem. Namque sacrum est et omni aetate servatum, atque in honore habitum ius appellationis ad Romanum Pontificem, cui divinitus concessa potestas inest quorumlibet Iudicum ligata sententiis dissolvendi. Virum minime ferendum est, quemquam ius illud praetexere, et eo abuti ad inobedientiae patrocinium; cum scilicet subditi, eo consilio in vocem appellationis contra ecclesiasticam disciplinam perperam erumpunt. Remedium enim appellationis, uti monuit Alexander III Praedecessor Noster,[2] non ideo inventum est ut alicui a religionis et ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere: ac notum

[1] Cf. N. 546.
[2] Cap. « Ad Nostram », *de Appellat.*

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

est universis, appellationes in materia correctionis et morum in devolutivo tantum, uti aiunt, servandas esse. Qui secus agere praesumpserint, non tam obsequentes Apostolicae Sedis filii, quam ecclesiastici ordinis perturbatores esse convincuntur.

8. Ut ordo iste servetur, ex cuius tranquillitate pax exurgit, necesse est ut unusquisque memor conditionis suae diligentissime caveat, ne fines ecclesiasticis legibus sibi praestitutos transgrediatur. Quare Sacerdotes oportet a mundanis curis plane alienos, divinis ministeriis atque animarum saluti semper esse addictos, suisque Episcopis ea, qua par est, reverentia obedire. Monachi etiam, qui in professione sua omnes saeculi curas abdicarunt, debent omnino in sancta conversatione et in habitu Ordinis sui vivere, et in monasteriis vel hospitiis tranquillam intaminatamque vitam agere, suaeque et proximorum aeternae saluti semper adlaborare, servata quam debent Episcopis reverentia atque obedientia. Ea de causa salutares leges atque Instructiones iamdiu editae fuerunt ab hac S. Sede pro Monachis Constantinopoli degentibus, quarum initium *Complures*,[1] *et Comper-tum est:*[2] quae si servatae fuissent minime dolere cogeremur, quosdam ex Monachis ipsis a recto tramite discessisse. Hasce itaque instructiones servari ab omnibus ad quos pertinet districte praecipimus, Tibique onus iniungimus, ut pro Tui muneris officio ac potestate earumdem observantiam omnino cures.

9. Denique Laicorum coetus in officio suo maneat, neque in ecclesiasticas res se ullo modo immisceat. Eorum in Ecclesia est doceri non docere, regi non regere; et Ecclesiae Dei nihil umquam tam noxium fuit, ac propterea a Sanctis Patribus et a Conciliis etiam Oecumenicis nil magis improbatum, quam ut Laici in ecclesiastica negotia sese insererent, et in ecclesiasticum ordinem insilirent.

10. Haec sunt, Ven. Frater, quae Tibi significanda atque mandanda duximus; quae ut possis utilius exequi necessarias omnes atque opportunas facultates Tibi hisce Litteris tribuimus.

11. Age itaque, ac divino auxilio fretus operi manum alacriter admove; et ad eos, quos Ipsi per Nos invisere non possumus, perge velociter. Confidimus enim Beatissimam Dei Genitricem sine labe conceptam, et S. Gregorium, qui Armeniae gentis vere Illuminator extitit et Apostolus, omnem gratiam a Iesu Christo Domino Nostro esse impetraturos, ut qui in Eum speramus non confundamur, et qui de tantis malis doluimus, laeta in filiis Nostris consolatione fruamur. Et huiusce boni, quod fusis ad Deum precibus assidue adprecamur, omniumque caelestium munerum auspicem, et praecipuae Nostrae in Te benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem toto cordis affectu Tibi, Ven. Frater, cunctisque Clericis, Laicisque Fidelibus tuae curae commendatis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. V, p. 129-135].

[1] Instruct. S. C. de Prop. Fide, 20 augusti 1842; Decret. eiusdem 25 aprilis 1850. – Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars II, p. 542.

[2] Decret. S. C. de Prop. Fide, 20 augusti 1853. – Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars II, p. 571.

556.

Pius IX, litt. *Quo impensiore*, 20 maii 1870.[1]

Quo impensiore studio Armeniorum Ecclesiae res erigere nisi sumus, et ad eum adducere ordinem eamque concordiam et firmitatem, quae antiquum ipsi decus referre possent, eo acerbius afficimur a nonnullorum malitia, qui curas Nostras omnes non modo frustrantur, sed per machinationes suas convertunt in animorum dissidium, in pusillorum scandalum, in propriae gentis perniciem. Mala sane eorum artibus excitata et iugiter invalescentia enumeravimus Litteris Nostris Apostolicis *Non sine gravissimo*, quas dedimus die vigesima quarta Februarii huius anni,[2] dum ad ea compescenda et dirimenda remittebamus ad vos Venerabilem Fratrem Antonium Iosephum Archiepiscopum Thyanaeum, Delegatum Nostrum Apostolicum.

Verum hodie gravius quoque dolere cogimur, quod nec suavitate eius, nec prudentia, nec auctoritate, perversorum audacia frangi, aut molliri ulla ratione potuerit. Ipse quidem vix Constantinopolim appulsus, memor ecclesiasticae lenitatis, accivit ad se praecipuos perturbationum auctores, eosque paternis monitis ad debita obsequia reducere conatus est. Frustra hanc industriam expertus, publice proposuit Litteras Nostras, quibus peculiaria novorum eventuum adiuncta commendantes eius zelo, confirmabamus Constitutionem Nostram *Reversurus*, editam die duodecima iulii 1867[3] pro recta Episcoporum electione, revocare nitebamur ad officia proprii instituti Clerum saecularem et Monachos, Laicos monebamus, ne limites ipsis ab Ecclesia constitutos excederent, et perspicue demonstrabamus inanitatem prolatarum a refractariis expostulationum. Ea vero occasione idem Ven. Frater Antonius Iosephus comminatus fuit ecclesiasticas censuras iis e clero, qui legitimae auctoritati intra statos dies se subiicere renuerent. At cum eos dies incassum dilabi vidisset prorogandum adhuc censuit praestitutum terminum, nec antea reluctantes suspensione innodavit, quam cognovisset, inutilem iam omnem esse patientiam, et praevertendum esse per hanc severitatem periculum ulterioris deceptionis simplicium.

Qui tamen ita mulctati fuerant non modo nihil de contumacia sua remiserunt, sed poenam ipsam convertentes in atrocius facinus, et gravius aliorum scandalum, impudenterque contemnentes Ecclesiae auctoritatem et leges, palam et etiam solemniore ritu omnia sacri ministerii munia sibi vetita obire perrexerunt. Quo in crimine summopere dolemus, saecularibus aliquot sacerdotibus accessisse, ex Monachis Constantinopoli degentibus, fere omnes Mechitaristas Venetae Congregationis, universosque Monachos Antonianos; nec ab istorum ingenio admodum discrepasse qui hanc No-

[1] Ad Armenos catholicos Patriarchatus Ciliciae.

[2] Cf. N. 555.

[3] Cf. N. 546.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

stram incolunt urbem. Hi enim non modo restiterunt visitationi Apostolicae eorum domus a Nobis demandatae, sicuti fratres eorum in Oriente, pluriesque priorem et alterum electum Visitatorem reiecerunt; sed omnes, nulla petita venia, se subduxerunt Nobis. Quos inter etiam Venerabilis Frater Placidus Kasangian, qui Antiochenae Ecclesiae titulo consecratus Congregationi toti iam praefuerat, immemor profecto muneris sui et censurarum Episcopos urgentium, qui non impetrata Pontificia venia Concilium deserant, discessit.

Verum ipsa rebellium pervicacia, artesque ad concitandos animos adhibitae pretiosiorem Nobis faciunt et iucundiorem plurimorum firmitatem, qui nec insidiis, nec blanditiis, nec minis ab obsequio Nostrae, legitimaeque auctoritati debito se abduci siverunt. Quos inter commendandos nominatim censemus Mechitaristas Vindobonensis Congregationis, qui deploranda aliorum defectione minime labefactati, immoti perstiterunt in officio. Haec vero tot piorum constantia in tanto discrimine merito Nobis spem facit vos, Dilectos Filios, humano quovis respectu posthabito, strenue sectaturos esse nobilia patrum vestrorum vestigia, qui fidem suam fluxis hisce praeferentes, exilium potius et aspera quaeque pertulerunt alacriter, quam infirmari paterentur coniunctionis suae vincula cum hoc unitatis catholicae centro, aut quidquam detrahi de veneratione, qua documenta, regulasque prosequebantur ab ista veritatis magistra propositas. Id autem securius etiam expectamus a fide vestra, quod experti noveritis, quanta sollicitudine, quantoque studio Sancta ista Sedes gentis vestrae commodis, incremento et honori prospicere curaverit, sive a vobis avertendo schismaticorum insectationes, sive comparando vobis libertatem cultus, sive subducendo vos a iugo schismaticorum Patriarcharum, sive Primatialem sedem Constantinopoli constituendo; quae, addictis ei primum suffraganeis Ecclesiis, demum per coniunctionem eius cum Patriarchatu Ciliciae decorata fuit Patriarchae commoratione. Ita ut quocumque intendatis oculos conspicere debeatis, vigorem, libertatem, decus, quibus fruimini, accepta potissimum esse referenda studio in vos et affectui huius S. Sedis; vestrumque propterea interesse, ne ab illa ullo modo desciscatis.

Nec decipi patiamini a rebellium artibus, qui, ut vos ad se facilius pertrahant, passim asseverant, se sua agendi ratione, nec a fide et observantia Nobis debita, nec a catholicorum officio deficere; isti enim factis negant quod verbis confitentur. Et sane qui praefracte detrectant et contemnunt auctoritatem Successorum Petri, in quibus Petrus perpetuo vivit, et eorum qui sibi ab illis praepositi fuerunt; facto suo primatum illum inficiantur honoris simul et iurisdictionis in universam Ecclesiam, quem Christus Petro contulit, dum pascendi non minus agnos quam oves totius gregis sui, seu regendi Ecclesiam, qua late patet in orbe toto, munus ei commisit. Iam vero in hoc plane censu apud vos habendi sunt illi, qui et legitimi Patriarchae vestri, et eius, qui pro ipso Vicaria potestate fungitur, auctoritatem despexerunt; qui neglexerunt, aut recipere recusarunt istius sententias; qui eo pervenerunt, ut legitimam illius electionem, ut ut rite peractam et confirmatam a Nobis revocarent in dubium; qui restiterunt Delegato Nostro; qui eum muneris sui exercitio, quoad indictam a Nobis monasteriorum visitationem prohibuerunt; qui diserte se professi sunt *independentes;* qui id facto confirmarunt, dum non modo, exacto iam tempore demandatae sibi iurisdictionis, excipere perrexerunt fidelium confessiones, sed id facere praeterea ausi sunt postquam per editam suspensionis sententiam ipsis omnino fuerat eo munere interdictum; qui sacerdotalia omnia ministeria publice, et solemniori etiam ritu obire non destiterunt, in ecclesiasticarum censurarum contemptum; qui demum nihil sibi reliquum fecerunt, quo apertissime significarent, flocci se facere canonicas leges, legitimaeque potestatis, et istius S. Sedis auctoritatem. An istis qui tanta insurgunt audacia in auctoritatem Nostram, tantaque pervicacia perstant in proprio crimine, fides adhibenda sit dum profitentur, sentire se de primatu huius S. Sedis, uti catholicos decet, seque manere coniunctos Nobis et obsequentes, facile vos ipsi perspicietis. Quamobrem si discedere veremini ab ea catholica unitate, extra quam non est salus, si verae utilitati gentis vestrae prospicere cupitis, cavete ab artibus et insidiis istorum. Advertite vero potissimum ne vobis ingeratur confusio rituum et disciplinae, quam isti callide nituntur inducere in simplicium animos, ut eos concitent in hanc S. Sedem, quam eo demum spectare iactant, ut paulatim, veteribus Orientalibus Ecclesiae ritibus obliteratis, iis latinum ritum sufficiat. Nam si Romani Pontifices studuere semper, ut unitati Ecclesiae responderet uniformitas disciplinae, quoad praecipua saltem capita; ritus tamen omnes, qui nec a recta fide, nec ab honestate deflecterent, servandos censuerunt. Defectio vero mox a Nobis reprobata ritus certe non spectat, sed disciplinam, quam nisi Christi Vicarius moderari possit ubique, frustra totius Ecclesiae regimen ei erit commissum; adeoque eam etiam praefert indolem quae ab illa recta fide desciscat, quam de divino Summi Pontificis primatu catholicos tenere oportet.

Futurum quidem confidimus, ut qui pertinaciter hactenus in sua defectione persistiterunt, Dei opitulante gratia, tandem resipiscant, et ad debitum revertantur obsequium. Verum si in sua contumacia permanserint, Nos memores, demandatam esse Nobis totius Dominici gregis curam, et Apostolum Paulum Satanae tradidisse Corinthium, ut fidelium scandalum submoveret, et ipsius quoque sontis spiritum salvum faceret; putrida haec membra, quae iam ultro secesserunt a capite, seiungere cogemur a ceteris, ne reliquum corpus contagione sua inficiant, reosque omnes schismaticos declarabimus, et ab Ecclesiae sinu divulsos. Utinam ipsi tantae poenae horrore perterriti redeant ad cor, conversique ad meliorem frugem molestissimam a Nobis avertant necessitatem tristissimi huius exercitii muneris Nostri. Et quo magis aberraverunt a via veritatis ac iustitiae, eo demissiore obsequio se subiiciant Nostrae, legitimaeque ecclesiasticae auctoritati; et lapidem offensionis, quem sua agendi ratione pusillis obiecerunt, obedientiae suae et humilitatis exemplo tollere nitantur e medio, Nobisque sic optatissimam faciant potestatem paterno rursus eos excipiendi complexu.

Vos autem, qui licet difficultatibus et periculis circumsepti, perstitistis immoti, ab istorum discrimine moniti videte quomodo caute ambuletis, confirmamini in fide vestra, obsequentius semper obedite praepositis ve-

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

stris, memores, omnem potestatem, maxime vero sacram, esse a Deo: et a sollicitudine Nostra studioque vestrae salutis et utilitatis excitati, sedulo fovete in vobis religiosam illam observantiam, qua sanctam Sedem prosequimini, et filialem illam caritatem, qua iungimini Nobis, ut unum semper Nobiscum esse possitis in Christo Iesu, Eiusque promereri benedictiones. Haec enixe poscimus a Patre misericordiarum, cuius gratiam in vos omnes affatim effundi desideramus. Superni vero favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem vobis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. V, p. 195-201].

557.

Pius IX, litt. ap. *Postquam Dei munere*, 20 oct. 1870.

Postquam Dei munere Oecumenici Vaticani Concilii celebrationem inire anno proxime superiori Nobis datum est, vidimus sapientia virtute ac sollicitudine Patrum, qui ex omnibus orbis terrarum partibus frequentissimi convenerant, maxime adnitente, ita res gravissimi huius et sanctissimi operis procedere, ut spes certa Nobis affulgeret, eos fructus quos vehementer optabamus, in Religionis bonum et Ecclesiae Dei humanaeque societatis utilitatem ex illo fore feliciter profecturos. Et sane iam quatuor publicis ac solemnibus Sessionibus habitis salutares atque opportunae in causa fidei Constitutiones a Nobis, eodem sacro approbante Concilio, editae ac promulgatae fuerunt, aliaque tum causam fidei tum ecclesiasticae disciplinae spectantia ad examen a Patribus revocata, quae suprema docentis Ecclesiae auctoritate brevi sanciri ac promulgari possent. Confidebamus iustiusmodi labores communi Fraternitatis studio ac zelo suos progressus habere, et ad optatum exitum facili prosperoque cursu perduci posse. Sed sacrilega repente invasio huius Almae Urbis, Sedis Nostrae, et reliquarum temporalis Nostrae ditionis regionum, qua contra omne fas civilis Nostri et Apostolicae Sedis Principatus inconcussa iura incredibili perfidia et audacia violata sunt, in eam Nos rerum conditionem coniecit, ut sub hostili dominatione et potestate, Deo sic permittente ob imperscrutabilia iudicia sua, penitus constituti simus. In hac luctuosa rerum conditione, cum Nos a libero expeditoque usu supremae auctoritatis Nobis divinitus collatae multis modis impediamur, cumque probe intelligamus minime ipsis Vaticani Concilii Patribus in hac alma Urbe praedicto rerum statu manente, necessariam libertatem, securitatem, tranquillitatem suppetere et constare posse ad res Ecclesiae Nobiscum rite pertractandas, cumque praeterea necessitates fidelium, in tantis iisque notissimis Europae calamitatibus et motibus, tot Pastores a suis Ecclesiis abesse haud patiantur; idcirco Nos, eo res adductas magno cum animi Nostri moerore perspicientes, ut Vaticanum Concilium tali in tempore cursum suum omnino tenere non possit, praevia matura deliberatione, motu proprio, eiusdem Vaticani Oecumenici Concilii

celebrationem usque ad aliud opportunius et commodius tempus per hanc Sanctam Sedem declarandum, Apostolica auctoritate tenore praesentium suspendimus, et suspensam esse nunciamus, Deum adprecantes auctorem et vindicem Ecclesiae Suae, ut submotis tandem impedimentis omnibus Sponsae Suae fidelissimae ocius restituat libertatem ac pacem. Quoniam vero quo pluribus et gravioribus periculis malisque vexatur Ecclesia, eo magis instandum est obsecrationibus et orationibus nocte ac die apud Deum et Patrem Domini Nostri Iesu Christi, Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, volumus ac mandamus, ut ea quae in Apostolicis Litteris die 11 aprilis anno proxime superiori datis,[1] quibus indulgentiam plenariam in forma Iubilaei occasione Oecumenici Concilii omnibus Christifidelibus concessimus, a Nobis disposita ac statuta sunt, iuxta modum et rationem iisdem Litteris praescriptam in sua firmitate et vigore permaneant, perinde ac si ipsius Concilii celebratio procederet. Haec statuimus, nunciamus, volumus, mandamus, contrariis non obstantibus quibuscumque; irritum et inane decernentes si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum suspensionis nunciationis voluntatis mandati ac decreti infringere vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum. Ut autem eaedem praesentes Litterae omnibus quorum interest innotescant, volumus illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum, nec non S. Mariae Maioris de Urbe affigi et publicari, sicque publicatas et affixas omnes et singulos quos illae concernunt perinde arctare, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent.

[Acta Pii IX, vol. V, p. 253-256].

558.

Pius IX, ep. *Inter gravissimas*, 28 oct. 1870.[2]

1. Inter gravissimas afflictiones, quibus improbi homines post multa detestanda facinora, conculcatis non solum religionis sed etiam naturalis iustitiae et honestatis iuribus, tandem calicem amaritudinis Nostrae usque ad summum compleverunt, magnum Nobis et desideratissimum solatium attulit zelus pro domo Dei ac sollicitudo pro integritate fidei catholicae, quam Tu, Venerabilis Frater, cum plerisque in Germania Episcopis calamitoso hoc tempore demonstrasti, ut luculenter perspeximus ex litteris pastoralibus ad greges vestros directis, quas a Venerabili Fratre Petro Francisco Archiepiscopo Damasceno Nostro apud Bavariae Regem Nuntio ad Nos transmissas accepimus. Communi consilio in civitate Fuldensi congregati pro

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. V, p. 16-23.
[2] Ad aliquot Germaniae Episcopos in civitate Fuldensi congregatos.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

pastoralis muneris debito docuistis fideles vestrae curae commissos, quanta sit omnibus qui unius, sanctae, catholicae et Apostolicae Ecclesiae membra esse ac manere velint, obligatio et necessitas veritates a Nobis, approbante sacro et oecumenico Vaticano Concilio, in utraque Sessione die 24 aprilis et 18 iulii definitas, firma fide ut a Deo revelatas credendi ac profitendi, et quantopere ipsis principiis catholicae religionis repugnet eorum hominum assertio, qui dicere non verentur, doctrinam in hoc sacro Vaticano Concilio definitam non contineri in divina Scriptura et Traditione, immo eidem esse contrariam.

2. Quanto autem acerbiorem schismaticae istae et haereticae sententiae animo Nostro tot iam angustiis oppresso addiderunt dolorem, tanto magis laudamus et commendamus tuam, Venerabilis Frater, et aliorum Episcoporum Germaniae vigilantiam pastoralem ad occurrendum ingruentibus his periculis adeo necessariam. Plenior tamen futura fuisset consolatio Nostra, si, quo instructio vestra pastoralis esset efficacior, omnium Venerabilium Fratrum Episcoporum Germaniae nomina iisdem vestris litteris subscripta vidissemus. Nec vero vel minimum dubitamus, quin Antistites illi, quorum nomina desiderantur, omnes aeque intelligant, quam manifestum sacris Pastoribus incumbat officium, greges suos docendi de veritatibus fidei in sacro oecumenico Concilio definitis, quo oves sibi creditas arceant a venenatis, et nutriant salutaribus pascuis catholicae doctrinae; quando in istis praesertim regionibus filii quidam superbiae qui se Catholicos nominant, non solum occultis fraudibus sed aperta fronte ipsum fidei catholicae dogma oppugnant. Eo enim devenerunt, ut per libellos in vulgus editos et per publicas ephemerides contra auctoritatem et decreta ipsius oecumenici Concilii atque in primis contra doctrinam fidei in eodem Concilio irreformabili sanctione definitam de Romani Pontificis ex cathedra loquentis infallibilitate rebelles audeant insurgere, et alios in eamdem rebellionem ac perditionem trahere conentur.

3. Mendaciter iactant pro more omnium, qui schismata et haereses umquam disseminarunt, se antiquam fidem catholicam retinere, dum ipsum fundamentale principium catholicae fidei ac doctrinae subvertunt. Licet namque profiteantur Scripturam et Traditionem fontes esse divinae revelationis, magisterium tamen semper vivens Ecclesiae ex Scriptura et Traditione manifestum atque divinitus institutum sicut ad perpetuum custodiam ita ad infallibilem explicationem et declarationem dogmatum, quae in Scriptura vel Traditione nobis transmissa sunt, iidem audire detrectant; atque ita se ipsos singuli per suam fallibilem et fallacem scientiam independenter ab auctoritate, immo etiam contra auctoritatem huius divinitus ordinati magisterii constituunt iudices dogmatum, quae in fontibus revelationis contineantur. Quid enim aliud agunt, dum dogma fidei a Nobis, approbante sacro Concilio, definitum audent dicere, non esse veritatem a Deo revelatam et catholica fide credendam, quia ipsi secundum suam intelligentiam illud in Scriptura et Traditione se non reperire affirmant? Quasi vero non is sit ordo fidei a Redemptore nostro in sua Ecclesia institutus semperque retentus, ut ipsa dogmatis definitio haberi debeat per se sola sufficiens, certissima,

et omnibus fidelibus accommodata demonstratio, doctrinam definitam contineri in deposito revelationis scriptae vel traditae. Unde tales dogmatum definitiones necessario sunt et quovis tempore fuerunt incommutabilis norma sicut pro fide ita etiam pro scientia catholica, ad cuius munus nobilissimum pertinet ostendere, quomodo doctrina eo ipso sensu, quo definita est, in fontibus revelationis contineatur.

4. Neque minus iidem homines, quantum in ipsis est, ad Ecclesiae et fidei catholicae subversionem tendunt, dum per calumnias ac praetextus prorsus inanes, quemadmodum in litteris pastoralibus a Te et ab aliis Venerabilibus Fratribus Episcopis Germaniae ad greges vestros directis significare non omisistis, illis suis perniciosissimis scriptis affirmare praesumunt sive in ipsa definitione, sive in promulgatione decretorum Conciliarium, ac speciatim dogmatis de Romani Pontificis infallibilitate aliquid defuisse ad plenum valorem et ad plenam auctoritatem Concilii oecumenici constituendam. Sane in hoc sacrosancto oecumenico Concilio assistentiam Spiritus Sancti ad infallibilitatem definitionum negare non possunt nisi ex principiis, quibus universim supernaturali infallibilitati atque adeo proprietati essentiali Ecclesiae catholicae bellum indicitur. Nemo certe ignorat, similibus praetextibus aliorum etiam Conciliorum definitiones ab iis, quorum errores condemnati erant, impugnari consuevisse, quemadmodum notissimae calumniae demonstrant, quibus tum alia oecumenica Concilia ab aliis, tum speciatim Florentinum ac Tridentinum a schismaticis et haereticis recentioribus ad suam perniciem et ad spiritualem ruinam plurimorum impugnata sunt.

5. Tantam degenerum filiorum perversionem ac tanta pericula, in quae improvidos et imperitos, maxime vero incautam iuventutem coniiciunt, quomodo possemus sine intimo cordis Nostri dolore et sine amaris lacrymis intueri? Sinum Matris Ecclesiae a qua foeti et nutriti sunt, impie lacerant, cibum salutiferum ab ea paratum venenis commutant, atque in superbiam elati scientiam, qua alios erudire deberent ad salutem, in suam et aliorum perditionem convertunt. In hoc igitur fidei et salutis animarum sanguine Christi redemptarum discrimine, pro sollicitudine omnium Ecclesiarum quae Nobis incumbit, hortamur et obsecramus, Venerabilis Frater, tuum zelum tuumque amorem erga sponsam Iesu Christi catholicam Ecclesiam, ut Tu cum reliquis Episcopis in Germania, unitis animis ac consiliis et omni opera tum per vestram pastoralem auctoritatem, providentiam, doctrinam, tum per alios adiutores vestros, quorum fidei integritas ac doctrina vobis perspecta est, a mentibus cunctorum fidelium vestrae curae commissorum atque in primis catholicorum iuvenum qui in scholis erudiuntur, arceatis pericula labefactandae fidei catholicae; ac quantum per divinam gratiam valetis, omnes imbuere ac confirmare studeatis in obedientia et amore erga sanctam Matrem Ecclesiam et erga beatissimum Petrum, super quem Christus Redemptor ipsam suam aedificavit Ecclesiam.

6. Quoniam vero neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus, die ac nocte extollamus manus nostras ad Deum, unde veniet auxilium nobis; imploremus intercessionem immaculatae Virgi-

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

nis Matris Dei, Principis Apostolorum Petri et Coapostoli eius Pauli, aliorumque Sanctorum Ecclesiae triumphantis, ut Dominus respiciat Ecclesiam suam in terris inter tantos labores et tanta pericula militantem, eam tueatur, donis suis caelestibus amplificet et exaltet; ut qui fide stant, confirmentur et augmentum faciant in charitate, qui autem fracti sunt rami, iterum inserantur, sicque omnes in Una, Sancta, Catholica, Apostolica Romana Ecclesia ad Deum perveniant, et in Deo pacem habeant et salutem aeternam. Ut hunc laborum ac vigilantiae pastoralis fructum Deus pro grege Tibi commisso concedat uberrimum divinae gratiae auspicem et praecipuae Nostrae erga Te benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem Tibi ipsi, Venerabilis Frater, omnibusque fidelibus tuae curae concreditis toto cordis affectu impertimur. [1]

[Acta Pii IX, vol. V, p. 257-262].

559.

Pius IX, ep. encycl. *Respicientes*, 1 nov. 1870. [2]

Respicientes ea omnia, quae Subalpinum Gubernium pluribus ab annis non intermissis molitionibus gerit ad evertendum civilem Principatum singulari Dei providentia huic Apostolicae Sedi concessum, ut beati Petri successores in exercitio spiritualis suae iurisdictionis necessaria ac plena libertate et securitate uterentur, fieri non potest, VV. FF., ut in tanta contra Ecclesiam Dei et Sanctam hanc Sedem conspiratione intimo cordis Nostri dolore non moveamur; atque hoc tam luctuoso tempore, quo idem Gubernium sectarum perditionis consilia sequens, sacrilegam almae Urbis Nostrae et reliquarum civitatum, quarum Nobis imperium ex superiori usurpatione supererat, invasionem quam iamdiu meditabatur, contra omne fas vi armisque complevit, dum Nos arcana Dei consilia coram Ipso prostrati humiliter veneramur, illam prophetae vocem usurpare cogimur « ego plorans et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi quoniam invaluit inimicus ». [3]

Satis quidem, VV. FF., a Nobis exposita et catholico orbi iamdiu patefacta est nefarii huius belli historia, idque fecimus pluribus Allocutionibus Nostris, Encyclicis, Brevibusque litteris diverso tempore habitis aut datis, nempe diebus 1 nov. an. 1850, [4] 22 ian. et 26 iulii 1855, [5] 18 et 20 iunii

[1] Non abs re erit hic adnotare, reliquos Germaniae Episcopos qui a commemorato conventu Fuldensi abfuerant processu temporis suorum Collegarum sententiae omnino adhaesisse.

[2] Ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes.

[3] Ierem., thr. I, 16.

[4] Cf. N. 509.

[5] Cf. N. 519, 520.

et 26 sept. 1859, [1] 19 ian. 1860, [2] ac Apostolicis Litteris 26 martii 1860, [3] Allocutionibus deinde 28 sept. 1860, [4] 18 martii et 30 sept. 1861 [5] et 20 sept., 27 oct. et 14 nov. 1867. [6] Horum documentorum serie perspectae atque exploratae fiunt gravissimae iniuriae a Subalpino Gubernio iam ante ipsam ecclesiasticae ditionis superioribus annis inceptam occupationem Supremae Nostrae et huius Sanctae Sedis auctoritati illatae, tum legibus contra naturale, divinum et ecclesiasticum ius rogatis, tum sacris ministris, religiosis familiis et Episcopis ipsis indignae vexationi subiectis, tum obligatam solemnibus conventionibus cum eadem Apostolica Sede initis fidem infringendo, atque earum inviolabile ius praefracte denegando vel eo ipso tempore, quo novas Nobiscum tractationes inire velle significabat. Ex iisdem documentis plane liquet, VV. FF., totaque videbit posteritas, quibus artibus et quam callidis ac indignis molitionibus idem Gubernium ad iustitiam et sanctitatem iurium huius Apostolicae Sedis opprimendam pervenerit; ac simul cognoscet quae curae Nostrae fuerint in illius audacia, quae augebatur in dies, quantum in Nobis erat compescenda atque in Ecclesiae causa vindicanda. Probe nostis anno 1859 ab ipsa Subalpina potestate praecipuas Aemiliae civitates submissis scriptis, conspiratoribus, armis, pecunia ad perduellionem fuisse excitatas; nec multo post, comitiis populi indictis, captatisque suffragiis plebiscitum confictum esse, eoque fuco et nomine provincias Nostras in ea regione positas a paterno Nostro imperio, bonis frustra refragantibus, avulsas. Perspectum quoque est, anno deinde consequuto idem Gubernium ut alias huius S. Sedis provincias in Piceno, Umbria et Patrimonio sitas in praedam suam converteret, dolosis praetextibus adductis improviso impetu milites Nostros et voluntariam catholicae iuventutis manum, quae religionis spiritu et pietate erga communem Parentem adducta ex omni orbe ad defensionem Nostram convolaverat, magno circumvenisse exercitu, eosque tam subitam irruptionem minime suspicantes, impavide tamen pro religione certantes cruento praelio oppressisse. Neminem latet insignis eiusdem Gubernii impudentia et hypocrisis, qua ad minuendam sacrilegae huius usurpationis invidiam iactare non dubitavit se illas invasisse provincias ut principia moralis ordinis ibi restitueret, dum tamen reipsa ubique falsae cuiusque doctrinae diffusionem cultumque promovit, ubique cupiditatibus et impietati habenas laxavit, immeritas etiam poenas sumens de Sacris Antistitibus, de Ecclesiasticis cuiusque gradus viris, quos in custodiam abripuit et publicis contumeliis vexari permisit, cum interea insectatoribus et iis qui ne Supremi quidem Pontificatus dignitati in persona humilitatis Nostrae parcebant, impune esse pateretur. Constat praeterea, Nos debito officii Nostri munere non solum iteratis semper

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 82, 83; N. 525, 527.

[2] Cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 129-136.

[3] Cf. N. 528.

[4] Cf. Acta Pii IX, vol. III, p. 180-189.

[5] Cf. N. 530; Acta Pii IX, vol. III, p. 281-287.

[6] Cf. N. 547, 549; Acta Pii IX, vol. IV, p. 379-382.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

obstitisse consiliis et postulationibus Nobis oblatis, quibus agebatur, ut officium Nostrum turpiter proderemus, vel scilicet iuribus et possessionibus Ecclesiae dimissis ac traditis, vel nefaria cum usurpatoribus conciliatione inita; verum etiam Nos iniquis hisce ausibus et facinoribus contra omne humanum et divinum ius perpetratis solemnes protestationes coram Deo et hominibus opposuisse, illorumque auctores et fautores Ecclesiasticis censuris obstrictos declarasse et quatenus opus esset iisdem censuris in illos denuo animadvertisse. Denique exploratum est praedictum Gubernium in sua contumacia suisque machinationibus nihilominus perstitisse, rebellionemque in reliquis Nostris provinciis et in Urbe praesertim promovere immissis perturbatoribus ac omnis generis artibus sine intermissione curavisse. Hisce autem conatibus minime ex sententia procedentibus propter inconcussam Nostrorum militum fidem, Nostrorumque populorum amorem ac studium insigniter et constanter Nobis declaratum, turbulentam demum illam tempestatem in Nos erupisse anno 1867, quum autumni tempore conversae in Nostros fines et hanc Urbem fuerunt perditissimorum hominum cohortes scelere et furore inflammatae et subsidiis Gubernii eiusdem adiutae, quorum ex numero occulti plures in ipsa hac Urbe pridem consederant; atque ab earum vi crudelitate et armis omnia Nobis Nostrisque dilectissimis subditis acerba et cruenta timenda erant, uti liquido apparuit, nisi Deus misericors earumdem impetus et strenuitate Nostrarum copiarum et valido legionum auxilio ab inclyta natione Gallica Nobis submisso irritos reddidisset.

In tot vero dimicationibus, in tanta periculorum, sollicitudinum, acerbitatum serie maximum Nobis interim divina Providentia solatium conferebat ex praeclara vestra, VV. FF., vestrorumque Fidelium erga Nos et hanc Apostolicam Sedem pietate ac studio, quod et insignibus significationibus editis et catholicae charitatis operibus iugiter demonstrastis. Et quamquam gravissima in quibus versabamur discrimina vix aliquas Nobis inducias relinquerent, nihil tamen unquam, Deo Nos confortante, curarum remisimus, quae ad temporalem subditorum Nostrorum prosperitatem tuendam pertinebant; ac quae esset apud Nos tranquillitatis et securitatis publicae ratio, quae optimarum quarumcumque disciplinarum et artium conditio, quae populorum Nostrorum erga Nos fides et voluntas omnibus nationibus facile innotuit, ex quibus advenae frequentissimi in hanc Urbem occasione praesertim plurium celebritatum, quas peregimus, sacrorumque solemnium certatim omni tempore confluxerunt.

Iamvero cum res ita se haberent Nostrique populi tranquilla pace fruerentur, Rex Subalpinus eiusque Gubernium capta occasione ingentis inter duas potentissimas Europae nationes flagrantis belli, quarum cum altera pepigerant se inviolatum servaturos praesentem ecclesiasticae ditionis statum, nec a factiosis violari passuros, protinus reliquas dominationis Nostrae terras Sedemque ipsam Nostram invadere et in suam potestatem redigere decreverunt. At quorsum haec hostilis invasio, quaenam causae praeferebantur? Notissima profecto cuique sunt ea quae in Epistola Regis die 8 proxime elapsi septembris ad Nos data et per ipsius Oratorem ad Nos destinatum

Nobis tradita disseruntur, in qua longo fallacique verborum et sententiarum ambitu, ostentatis amantis filii et catholici hominis nominibus causaque ostenta publici ordinis, Pontificatus ipsius et personae Nostrae servandae illud poscebatur, ne temporalis nostrae potestatis eversionem velut hostile facinus vellemus accipere, atque ultro eadem potestate cederemus, futilibus confisi sponsionibus ab ipso oblatis, quibus vota, ut aiebat, populorum Italiae cum supremo spiritualis Romani Pontificis auctoritatis iure et libertate conciliarentur. Nos quidem non potuimus non vehementer mirari, videntes qua ratione vis quae Nobis brevi inferenda erat obtegi et dissimulari vellet, nec potuimus non dolere intimo animo vicem Regis eiusdem qui iniquis consiliis adactus nova in dies Ecclesiae vulnera infligit et hominum magis quam Dei respectu habito non cogitat esse in caelis Regem regum et Dominum dominantium, qui « non subtrahet personam cuiusquam, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, fortioribus autem fortior instat cruciatio ».[1] Quod autem attinet ad propositas Nobis postulationes cunctandum Nobis non esse censuimus, qui officii et conscientiae legibus parentes, Praedecessorum Nostrorum exempla sequeremur, ac praesertim fel. rec. Pii VII, cuius invicti animi sensa ab eo prolata in simili prorsus causa, ac Nostra est, hic uti Nobis communia exprimere ac usurpare iuvat. « Memineramus cum S. Ambrosio[2] *Nabuth Sanctum virum possessorem vineae suae interpellatum petitione regia ut vineam suam daret, ubi rex succisis vitibus olus vile sereret, eumdem respondisse: absit ut ego patrum meorum tradam haereditatem*. Multo hinc minus fas esse Nobis iudicavimus tam antiquam ac sacram haereditatem (temporale scilicet Sanctae huius Sedis Dominium non sine evidenti Providentiae divinae consilio a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris tam longa saeculorum serie possessum) tradere, aut vel tacite assentiri ut quis Urbe principe Orbis Catholici potiretur, ubi perturbata destructaque sanctissima regiminis forma, quae a Iesu Christo Ecclesiae Sanctae Suae relicta fuit, atque a Sacris canonibus Spiritu Dei conditis ordinata, in eius locum sufficeret Codicem non modo sacris Canonibus, sed Evangelicis etiam praeceptis contrarium atque repugnantem, inveheretque, ut assolet, novum huiusmodi rerum ordinem qui ad consociandas confundendasque sectas superstitionesque omnes cum Ecclesia Catholica manifestissime tendit.

« *Nabuth vites suas vel proprio cruore defendit*.[3] Num poteramus Nos, quidquid tandem eventurum esset Nobis, non iura possessionesque Sanctae Romanae Ecclesiae defendere, quibus servandis, quantum in Nobis est, solemnis iurisiurandi Nos obstrinximus religione? vel non libertatem Apostolicae Sedis cum libertate atque utilitate Ecclesiae universae adeo coniunctam vindicare?

« Ac quam magna revera sit temporalis huius Principatus congruentia atque necessitas ad asserendum Supremo Ecclesiae Capiti tutum ac libe-

[1] Sap., VI, 8 et 9.
[2] De Basil. trad., n. 17.
[3] S. Ambr., ibid.

rum exercitium spiritualis illius, quae divinitus Illi toto orbe tradita est, potestatis, ea ipsa, quae nunc eveniunt (etiamsi alia deessent argumenta) nimis iam multa demonstrant ». [1]

His igitur inhaerentes sensibus quos in pluribus Allocutionibus Nostris constanter professi sumus, responsione Nostra ad Regem data, iniustas eius postulationes reprobavimus, ita tamen ut acerbum dolorem Nostrum paternae charitati coniunctum ostenderemus, quae vel ipsos filios rebellem Absalon imitantes nescit a sua sollicitudine removere. Hisce autem litteris nondum ad Regem perlatis, ab eius interea exercitu pontificiae Nostrae ditionis intactae hactenus et pacificae urbes occupatae fuerunt, praesidiariis militibus, ubi resistere conati fuerant, facile disiectis; ac brevi deinde infaustus ille dies proxime elapsi septembris vicesimus illuxit, quo hanc Urbem Apostolorum Principis Sedem, catholicae religionis centrum omniumque gentium perfugium multis armatorum millibus obsessam vidimus, factaque murorum labe et excussorum missilium terrore intra ipsam illato, vi et armis expugnatam deplorare debuimus eius iussu, qui paulo ante filiali in Nos affectu et fideli in religionem animo esse tam insigniter professus fuerat. Quidnam Nobis ac bonis omnibus illo die luctuosius esse potuit? in quo copiis Urbem ingressis, magna factiosorum adventitia multitudine repleta Urbe, vidimus statim publici ordinis rationem perturbatam et eversam, vidimus in Nostrae humilitatis persona Supremi ipsius Pontificatus dignitatem et sanctitatem impiis vocibus impetitam, vidimus fidelissimas Nostrorum militum cohortes omni contumeliarum genere affectas, atque effraenem late licentiam ac petulantiam dominari, ubi paulo ante filiorum affectus communis Parentis moerorem relevare cupientium eminebat. Ab eo deinde die ea sub oculis nostris consequuta sunt, quae non sine iusta bonorum omnium indignatione commemorari possunt: nefarii libri mendaciis, turpitudine, impietate referti ad facilem emptionem proponi coepti et passim disseminari; multiplices ephemerides in dies vulgari ad corruptelam mentium et honesti moris, ad contemptum et calumniam religionis, ad inflammandum contra Nos et hanc Apostolicam Sedem publicam opinionem spectantes; foedae indignaeque imagines publicari, aliaque huius generis opera, quibus res personaeque sacrae ludibrio habentur et irrisioni publicae exponuntur; decreti honores et monumenta iis qui iudicio et legibus poenas gravissimorum criminum dederunt; Ecclesiae ministri, in quos omnis conflatur invidia, plures iniuriis lacessiti, ac aliqui etiam proditoriis percussionibus sauciati; nonnullae religiosae domus iniustis conquisitionibus subiectae; violatae Nostrae Quirinales domus, atque ex iis ubi Sedem habebat unus ex S. R. E. Cardinalibus violento iussu raptim abire coactus, aliique Ecclesiastici viri e familiarium Nostrorum numero ab illarum usu exclusi et molestiis affecti; leges et decreta edita quae libertatem, immunitatem, proprietates et iura Ecclesiae Dei manifeste laedunt ac pessundant; quae mala gravissima latius etiam, nisi Deus propitius avertat, progressura esse dolemus, dum Nos interim ab ullo aliquo remedio affe-

[1] Litt. Apost. 10 iun. 1809.

rendo conditionis Nostrae ratione praepediti vehementius in dies admonemur de ea captivitate, in qua sumus ac de defectu plenae illius libertatis, quam Nobis relictam esse in Apostolici Nostri ministerii exercitio Orbi mendacibus verbis ostenditur, et necessariis, qua appellant, cautionibus firmari velle ab intruso Gubernio iactatur.

Neque hic praeterire possumus immane facinus quod vobis profecto innotuit, VV. FF. Perinde enim ac Sedis Apostolicae possessiones et iura tot titulis sacra atque inviolabilia, ac per tot saecula semper explorata et inconcussa habita in controversiam ac disceptationem revocari possent, et quasi censurae gravissimae quibus ipso facto et absque ulla nova declaratione violatores praedictorum iurium et possessionum innodantur, populari rebellione atque audacia vim suam amittere possent, ad sacrilegam quam passi sumus expoliationem honestandam, communi naturae ac gentium iure despecto, quaesitus est ille apparatus ac ludicra plebisciti species alias in provinciis Nobis ademptis usurpata; et qui exultare solent in rebus pessimis hac occasione rebellionem et ecclesiasticarum censurarum contemptum, veluti triumphali pompa, per Italicas urbes praeferre non erubuerunt, contra germana sensa longe maxime Italorum partis, quorum religio devotio ac fides erga Nos et Ecclesiam Sanctam multis modis compressa, quominus libere manare possit, impeditur.

Nos interim qui a Deo universae domui Israel regendae et gubernandae praepositi et supremi religionis ac iustitiae vindices et Ecclesiae iurium defensores constituti sumus, ne coram Deo et Ecclesia tacuisse, ac silentio Nostro tam iniquae rerum perturbationi assensum praestitisse redarguamur, renovantes et confirmantes quae in superius citatis Allocutionibus, Encyclicis ac Brevibus litteris alias solemniter declaravimus, ac novissime in protestatione, quam iussu ac nomine Nostro Cardinalis publicis negotiis praepositus ipso vicesimo septembris die ad Oratores, Ministros et Negotiorum gestores exterarum nationum apud Nos et hanc S. Sedem commorantes dedit, solemniori quo possumus modo iterum coram Vobis, VV. FF., declaramus, Nostram mentem, propositum et voluntatem esse omnia huius S. Sedis dominia eiusdemque iura integra intacta inviolata retinere, atque ad Successores Nostros transmittere; quamcumque eorum usurpationem, tam modo quam antea factam, iniustam violentam nullam irritamque esse, omniaque perduellium et invasorum acta, sive quae hactenus gesta sunt, sive quae forsitan in posterum gerentur ad praedictam usurpationem quoque modo confirmandam, a Nobis etiam nunc pro tunc damnari, rescindi, cassari et abrogari. Declaramus praeterea et protestamur coram Deo et universo orbe catholico, Nos in eiusmodi captivitate versari, ut supremam Nostram pastoralem auctoritatem tuto expedite ac libere minime exercere possimus. Tandem monito illi S. Pauli obtemperantes « Quae participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial », [1] palam aperteque edicimus ac declaramus Nos memores officii Nostri et solemnis iurisiurandi quo tenemur, nulli

[1] II Cor., VI, 14 et 15.

umquam conciliationi assentiri vel assensum praestituros, quae ullo modo iura Nostra atque adeo Dei et Sanctae Sedis destruat vel imminuat; itidemque profitemur Nos paratos quidem divinae gratiae auxilio, gravi Nostra aetate, usque ad fecem pro Christi Ecclesia calicem bibere, quem Ipse prior bibere pro eadem dignatus est, numquam commissuros ut iniquis postulationibus quae Nobis offeruntur adhaereamus atque obsecundemus. Uti enim praedecessor Noster Pius VII aiebat: « Vim huic summo Sedis Apostolicae imperio afferre, temporalem ipsius potestatem a spirituali discerpere, Pastoris et Principis munia dissociare, divellere, excindere, nihil aliud est nisi opus Dei pessumdare ac perdere velle, nihil nisi dare operam ut religio maximum detrimentum capiat, nihil nisi eam efficacissimo spoliare praesidio, ne summus ipsius Rector, Pastor Deique vicarius in Catholicos quoquo terrarum sparsos atque inde auxilium et opem flagitantes, conferre subsidia possit, quae a spirituali Ipsius, per neminem impedienda, petuntur potestate ». [1]

Quoniam vero Nostra monita, expostulationes et protestationes in irritum cesserunt, idcirco auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra Vobis, VV. FF., ac per Vos universae Ecclesiae declaramus, eos omnes qualibet dignitate, etiam specialissima mentione digna, fulgentes, qui quarumcumque provinciarum Nostrae ditionis atque almae huius Urbis invasionem, usurpationem vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictarum rerum exequutionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes, vel per seipsos exequentes, maiorem excommunicationem aliasque censuras et poenas ecclesiasticas a sacris Canonibus, Apostolicis constitutionibus et generalium Conciliorum, Tridentini (Sess. 22, c. 11, *de ref.*) decretis inflictas incurrisse iuxta formam et tenorem expressum in superius commemoratis Apostolicis litteris Nostris die 26 martii a. 1860 datis. [2]

Memores vero Nos eius locum tenere in terris qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, nihil magis optamus quam devios filios ad Nos revertentes paterna charitate complecti. Quare levantes manus Nostras in caelum in humilitate cordis Nostri dum Deo, cuius est potius quam Nostra, iustissimam causam remittimus et commendamus, Eum per viscera misericordiae suae obsecramus obtestamurque, ut adsit praesenti auxilio Nobis, adsit Ecclesiae suae, ac misericors et propitius efficiat ut hostes Ecclesiae aeternam perniciem quam sibi moliuntur cogitantes, formidandam eius iustitiam ante diem vindictae placare contendant, et mutatis consiliis sanctae Matris Ecclesiae gemitus Nostrumque moerorem consolentur.

Quo vero huiusmodi tam insignia beneficia a divina clementia assequamur, Vos enixe ac summopere hortamur, VV. FF., ut una cum fidelibus cuiusque Vestrum curae concreditis, vestras fervidas preces Nostris votis coniungatis, atque omnes simul ad thronum gratiae et misericordiae adeuntes Immaculatam Deiparam Virginem Mariam et Beatos Apostolos Petrum et Paulum deprecatores adhibeamus. « Ecclesia Dei ab exortu sui usque ad haec tempora pluries tribulata est et pluries liberata est. Ipsius vox est: *saepe expugnaverunt me a iuventute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Nec nunc quoque relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Non est abbreviata manus Domini, nec facta impotens ad salvandum. Liberabit et hoc tempore absque dubio sponsam suam qui suo sanguine redemit eam, suo spiritu dotavit, donis caelestibus exornavit, ditavit nihilominus et terrenis ». [1]

[1] Alloc. 16 martii 1808. – Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 13, p. 259-272.
[2] Cf. N. 528.

Interim uberrima caelestium gratiarum munera Vobis, VV. FF., cunctisque Clericis Laicisque Fidelibus cuiusque Vestrum vigilantiae commissis a Deo ex animo adprecantes, praecipuae Nostrae erga Vos charitatis pignus Apostolicam Benedictionem Vobis Ipsis eisdemque Dilectis Filiis ex intimo corde depromptam peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. V, p. 263-277].

560.

Pius IX, ep. encycl. *Ubi Nos*, 15 maii. 1871. [2]

1. Ubi Nos arcano Dei consilio sub hostilem potestatem redacti tristem atque acerbam vicem huius Urbis Nostrae et oppressum armorum invasione civilem Apostolicae Sedis Principatum vidimus, iam tum datis ad Vos Litteris die prima novembris anno proxime superiori, [3] Vobis ac per Vos toti orbi catholico declaravimus qui esset rerum Nostrarum et Urbis huius status, quibus obnoxii essemus impiae et effraenis licentiae excessibus; et ex supremi officii Nostri ratione coram Deo et hominibus salva ac integra esse velle iura Apostolicae Sedis testati sumus, Vosque et omnes dilectos Filios curis vestris creditos fideles ad divinam Maiestatem fervidis precibus placandam excitavimus. Ex eo tempore mala et calamitates, quas prima illa luctuosa experimenta Nobis et huic Urbi praenunciabant, nimium vere in apostolicam dignitatem et auctoritatem, in Religionis morumque sanctitatem, in dilectissimos subditos Nostros reipsa redundarunt. Quin etiam, Venerabiles Fratres, conditionibus rerum quotidie ingravescentibus, dicere cogimur Sancti Bernardi verbis: « initia malorum sunt haec; graviora timemus ». [4] Iniquitas enim viam suam tenere pergit et consilia promovet, neque iam valde laborat, ut velum obducat operibus suis pessimis quae latere non possunt, atque ultimas ex conculcata iustitia, honestate, religione exuvias referre studet. Has inter angustias, quae dies Nostros amaritudine complent,

[1] S. Bern., Ep. 244, ad Conradum Reg.
[2] Ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes.
[3] Cf. N. 559.
[4] Epist. 243.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

praesertim dum cogitamus quibus in dies periculis et insidiis fideles et virtus populi Nostri subiicitur, eximia merita vestra, Venerabiles Fratres, et dilectorum Nobis fidelium, quos cura vestra complectitur, sine gratissimo animi sensu recolere aut commemorare non possumus. In omni enim terrarum plaga exhortationibus Nostris admirabili studio respondentes Christifideles, Vosque duces et exempla sequuti, ex infausto illo die expugnatae huius Urbis assiduis ac ferventibus precibus instituerunt, et seu publicis atque iteratis supplicationibus, seu sacris peregrinationibus susceptis, seu non intermisso ad Ecclesias concursu, et ad sacramentorum participationem accessu, sive praecipuis aliis christianae virtutis operibus, ad thronum divinae clementiae perseveranter adire, sui muneris esse putarunt. Neque vero haec flagrantia deprecationum studia amplissimo apud Deum fructu carere possunt. Multa immo ex iis iam profecta bona etiam alia, quae in spe et fiducia expectamus, pollicentur. Videmus enim firmitatem fidei, ardorem caritatis sese in dies latius explicantem, cernimus eam sollicitudinem in Christifidelium animis pro huius Sedis et supremi Pastoris laboribus et oppugnationibus excitatam quam Deus solus ingerere potuit, ac tantam perspicimus unitatem mentium et voluntatum, ut a primis Ecclesiae temporibus usque ad hanc aetatem nunquam splendidius ac verius dici potuerit quam his diebus nostris, multitudinis credentium esse cor unum et animam unam.[1] Quo in spectaculo virtutis silere non possumus de amantissimis filiis Nostris huius almae Urbis civibus, quorum ex omni fastigio atque ordine amor erga Nos et pietas, itemque par certamini firmitas luculenter eminuit atque eminet, neque solum maioribus suis digna sed aemula animi magnitudo. Deo igitur misericordi immortalem gloriam et gratiam habemus pro vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et pro dilectis filiis Nostris Christifidelibus, qui tanta in vobis, tanta in Ecclesia sua operatus est et operatur, effecitque ut, superabundante malitia, superabundaret gratia fidei, caritatis et confessionis. « Quae est ergo spes Nostra et gaudium Nostrum et corona gloriae? Nonne vos ante Deum? Filius sapiens gloria est Patris. Benefaciat itaque vobis Deus et meminerit fidelis servitii et piae compassionis et consolationis et honoris, quae sponsae Filii eius in tempore malo et in diebus afflictionis suae exhibuistis et exhibetis ».[2]

2. Interea vero subalpinum Gubernium dum ex una parte Urbem properat Orbi facere fabulam,[3] ex altera ad fucum catholicis faciendum et ad eorum anxietates sedandas, in conflandis ac studendis futilibus quibusdam immunitatibus et privilegiis quae vulgo *guarentigie* dicuntur, elaboravit eo consilio ut haec Nobis sint in locum civilis principatus, quo Nos longa machinationum serie et armis parricidialibus exuit. De hisce immunitatibus, et cautionibus, Venerabiles Fratres, iam Nos iudicium Nostrum protulimus, earum absurditatem, versutiam ac ludibrium notantes in Litteris die 2 martii pr. pr. datis ad Venerabilem Fratrem Nostrum Constanti-

[1] Act., IV, 32.
[2] S. Bern., Ep. 238 et 130.
[3] S. Bern., Ep. 243.

num Patrizi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, sacri Collegii decanum ac Vicaria Nostra potestate in Urbe fungentem, quae typis impressae protinus in lucem prodierunt.[1]

3. Sed quoniam subalpini Gubernii est perpetuam turpemque simulationem cum impudenti contemptu adversus Pontificiam Nostram dignitatem et auctoritatem coniungere, factisque ostendit Nostras protestationes, expostulationes, censuras pro nihilo habere; hinc minime obstante iudicio de praedictis cautionibus a Nobis expresso, illarum discussionem et examen apud supremos Regni Ordines urgere et promovere non destitit, veluti de re seria ageretur. Qua in discussione cum veritas iudicii Nostri super illarum cautionum natura et indole, tum irritus hostium in velanda earumdem malitia et fraude conatus luculenter apparuit. Certe, Venerabiles Fratres, incredibile est, tot errores catholicae fidei ipsisque adeo iuris naturalis fundamentis palam repugnantes, et tot blasphemias, quot ea occasione prolatae sunt, proferri potuisse in media hac Italia, quae semper catholicae religionis cultu et Apostolica Romani Pontificis Sede potissimum gloriata est et gloriatur. Et revera, Deo Ecclesiam suam protegente, omnino alii sunt sensus, quos reipsa fovet longe maxima Italorum pars, quae novam hanc et inauditam sacrilegii formam Nobiscum ingemit ac deplorat, et insignibus ac in dies maioribus suae pietatis argumentis officiisque Nos docuit uno se esse spiritu et sensu cum ceteris orbis Fidelibus consociatam.

4. Quapropter Nos iterum hodie ad Vos voces Nostras convertimus, Venerabiles Fratres, et quamquam Fideles vobis commissi sive litteris suis, sive gravissimis protestationum documentis aperte significaverint quam acerbe ferant eam qua premimur conditionem, et quam longe absint ut iis eludantur fallaciis quae cautionum nomine teguntur; tamen Apostolici Nostri officii munus esse ducimus ut per Vos toti Orbi solemniter declaremus, non modo eas quae cautiones appellantur, quaeque Gubernii Subalpini curis perperam cusae sunt, sed, quicumque tandem sint, titulos, honores, immunitates et privilegia et quidquid cautionum seu *guarentigie* nomine veniat, nullo modo valere posse ad adserendum expeditum liberumque usum divinitus Nobis traditae potestatis et ad tuendam necessariam Ecclesiae libertatem.

5. His ita se habentibus, quemadmodum pluries declaravimus et professi sumus, Nos absque culpa violatae fidei iuramento obstrictae nulli adhaerere conciliationi posse quae quolibet modo iura Nostra destruat aut imminuat, quae sunt Dei et Apostolicae Sedis iura; sic nunc ex debito officii Nostri declaramus, nunquam Nos admissuros aut accepturos esse nec nullo modo posse, excogitatas illas a Gubernio Subalpino cautiones seu *guarentigie* quaecumque sit earum ratio, neque alia quaecumque sint eius generis et quocumque modo sancita, quae specie muniendae Nostrae sacrae potestatis et libertatis Nobis oblata fuerint in locum et subrogationem civilis eius Principatus, quo divina Providentia Sanctam Sedem Apostolicam munitam et auctam voluit, quemque Nobis confirmant tum legi-

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. V, p. 286-289.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PII X

timi inconcussique tituli, tum undecim et amplius saeculorum possessio. Plane enim cuique manifesto pateat necesse est quod, ubi Romanus Pontifex alterius Principis ditioni subiectus foret, neque ipse revera amplius in politico ordine suprema potestate praeditus esset, neque posset, sive persona eius sive actus Apostolici ministerii spectentur, sese eximere ab arbitrio illius, cui subesset, imperantis, qui etiam vel haereticus vel Ecclesiae persecutor evadere posset, aut in bello adversus alios Principes vel in belli statu versari. Et sane, ipsa haec concessio cautionum, de quibus loquimur, nonne per se ipsa luculentissimo documento est, Nobis quibus data divinitus auctoritas est leges ferendi ordinem moralem et religiosum spectantes, Nobis, qui naturalis ac divini iuris interpretes in toto orbe constituti sumus, leges imponi, easque leges, quae ad regimen universae Ecclesiae referuntur, et quarum conservationis ac exequutionis non aliud est ius quam quod voluntas laicarum potestatum praescribat ac statuat? Quod autem ad habitudinem pertinet inter Ecclesiam et Societatem civilem, optime nostis, Venerabiles Fratres, praerogativas omnes et omnia auctoritatis iura ad regendam universam Ecclesiam necessaria Nos in persona Beatissimi Petri ab ipso Deo directe accepisse, immo praerogativas illas ac iura, aeque ac ipsam Ecclesiae libertatem, sanguine Iesu Christi parta fuisse et quaesita, atque ex hoc infinito divini sanguinis eius pretio esse aestimanda. Nos itaque male admodum, quod absit, de divino Redemptoris Nostri sanguine mereremur, si haec iura Nostra, qualia praesertim nunc tradi vellent adeo deminuta ac turpata, mutuaremur a Principibus terrae. Filii enim, non domini Ecclesiae sunt Christiani Principes; quibus apposite inquiebat ingens illud sanctitatis et doctrinae lumen Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus: « ne putetis vobis Ecclesiam Dei quasi domino ad serviendum esse datam, sed sicut advocato et defensori esse commendatam; nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae suae ».[1] Atque incitamenta eis addens alio loco scribebat: « numquam aestimetis vestrae celsitudinis minui dignitatem, si Sponsae Dei et Matris vestrae Ecclesiae amatis et defenditis libertatem, ne putetis vos humiliari si eam exaltatis, ne credatis vos debilitari si eam roboratis. Videte, circumspicite; exempla sunt in promptu, considerate Principes qui illam impugnant et conculcant, ad quid proficiunt, ad quid deveniunt? Satis patet, non eget dictu. Certe qui illam glorificant, cum illa et in illa glorificabuntur ».[2]

6. Iamvero ex iis quae alias ad vos, Venerabiles Fratres, et modo a Nobis exposita sunt, nemini profecto obscurum esse potest, iniuriam huic S. Sedi redundare. Ad omnem enim, uti aiebat S. Bernardus, spectat Christianum iniuria Apostolorum, gloriosorum scilicet Principum terrae; et cum pro Ecclesiis omnibus, uti inquiebat praedictus S. Anselmus, Romana laboret Ecclesia, quisquis ei sua aufert, non ipsi soli sed Ecclesiis omnibus sacri-

[1] Ep. 8, I. 4.
[2] Ep. 12, I. 4.

legii reus esse dignoscitur.[1] Nec profecto ulli dubium esse potest quin conservatio iurium huius Apostolicae Sedis cum supremis rationibus et utilitatibus Ecclesiae universae et cum libertate Episcopali ministerii vestri arctissime coniuncta sit et illigata.

7. Haec omnia Nos, ut debemus, reputantes et cogitantes, iterum confirmare constanterque profiteri cogimur, quod pluries Vobis Nobiscum unanimiter consentientibus declaravimus, scilicet civilem S. Sedis Principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinae Providentiae consilio datum, illumque necessarium esse, ut idem Romanus Pontifex nulli unquam Principi aut civili Potestati subiectus supremam universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino divinitus acceptam per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere ac maiori eiusdem Ecclesiae bono, utilitati et indigentiis consulere possit. Id vos, Venerabiles Fratres, ac vobiscum Fideles vobis crediti probe intelligentes, merito omnes ob causam religionis, iustitiae et tranquillitatis, quae fundamenta sunt bonorum omnium, commoti estis, et digno spectaculo fidei, caritatis, constantiae, virtutis illustrantes Ecclesiam Dei ac in eius defensionem fideliter intenti, novum et admirandum in annalibus eius exemplum in futurarum generationum memoriam propagatis. Quoniam vero misericordiarum Deus istorum bonorum est auctor, ad Ipsum elevantes oculos, corda et spem Nostram Eum sine intermissione obsecramur, ut praeclaros vestros et fidelium sensus, et communem pietatem, dilectionem, zelum confirmet, roboret, augeat; Vosque item et commissos vigilantiae vestrae populos enixe hortamur ut in dies firmius et uberius quo gravius dimicatio fervet, Nobiscum clametis ad Dominum, quo ipse propitiationis suae dies maturare dignetur. Efficiat Deus ut Principes terrae quorum maxime interest, ne tale usurpationis quam Nos patimur exemplum in perniciem omnis potestatis et ordinis statuatur et vigeat, una omnes animorum et voluntatum consensione iungantur, ac sublatis discordiis, sedatis rebellionum perturbationibus, disiectis exitialibus sectarum consiliis, coniunctam operam navent ut restituantur huic S. Sedi sua iura et cum iis visibili Ecclesiae Capiti sua plena libertas, et civili societati optata tranquillitas. Nec minus, Venerabiles Fratres, deprecatione vestra et Fidelium apud divinam clementiam exposcite, ut corda impiorum, coecitate mentium depulsa, ad poenitentiam convertat, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, aut reprimendo eorum nefanda consilia ostendat quam insipientes et stulti sunt qui petram a Christo fundatam evertere et divina privilegia violare conantur.[2] In his precibus spes Nostrae firmius in Deo consistant. « Putatisne avertere poterit Deus aurem a carissima Sponsa sua, cum clamaverit stans adversus eos qui se angustiaverunt? Quomodo non recognoscet os de ossibus suis et carnem de carne sua, imo vero iam quodammodo spiritum de spiritu suo? Est quidem nunc hora malitiae et potestas tenebrarum. Ceterum hora novissima est et potestas cito transit. Dei virtus et Dei sapientia Chri-

[1] Ep. 42, I. 3.
[2] S. Greg. VII, Ep. 6, I. 3.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

stus Nobiscum est qui et in causa est. Confidite, ipse vicit mundum ».[1] Interim vocem aeternae veritatis magno animo et certa fide sequamur quae dicit: pro iustitia agonizare pro anima tua, tu usque ad mortem certa pro iustitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos ».[2]

8. Uberrima demum caelestium gratiarum munera Vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus cuiusque Vestrum curae concreditis a Deo ex animo adprecantes, praecipuae Nostrae erga Vos atque Ipsos intimaeque caritatis pignus Apostolicam Benedictionem Vobis iisdemque dilectis Filiis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. V, p. 306-316].

561.

Pius IX, allocut. *Ordinem Vestrum*, 27 oct. 1871.

Ordinem Vestrum amplissimum, usitati ritus solemnitate intermissa, huc convocavimus, ut illud Vobiscum pro rei gravitate communicemus, quod ad consulendum spiritualibus christiani populi in Italia necessitatibus perficere decrevimus. Non opus est, Venerabiles Fratres, ut hic Vobis ea recenseamus quae pluries in Nostris Allocutionibus aut in Nostris ad universos Episcopos datis encyclicis litteris deploravimus. Compertae enim sunt omnibus atque adeo exploratae, ut summa sine impudentia denegari, aut ad invidiam levandam excusatione tegi non valeant, hostiles et ingentes iniuriae, quae iam pridem et continenter in hac afflicta Italia catholicae Ecclesiae et Apostolicae Sedi inferuntur, quasque occupata per vim hac Urbe Nos ipsi Vobiscum pati et videre cogimur, ita ut Regii Prophetae verbis dicere iure possimus: *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate, die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, et labor in medio eius et iniustitia.*[3] Equidem, Venerabiles Fratres, his tantis exundantium malorum fluctibus iam fere obruimur: at duriora etiam perpeti pro iustitia, Deo infirmitatem Nostram confortante, haudquaquam refugimus: immo mortem ipsam libentissime oppetere parati sumus, si Deo misericordi placuerit pro Ecclesiae pace et libertate huius hostiae humilitatem excipere.

Iamvero acerbissima semper, inter tam multas alias, doloris causa Nobis extitit viduitas longe plurimarum sedium, quae in misera Italia iamdiu suorum Episcoporum praesidio carent; ac illa porro exinde profecta spiritualis auxilii necessitas, qua fideles populi in tam calamitosa rerum ac temporum conditione quotidie magis premuntur. Cum autem ea necessitas talis evaserit, ut ei iam non possimus caritate Christi Nos urgente non occurrere, inspecto nempe ingenti numero viduarum Sedium et amplis frequentissimisque Italiae provinciis, quae vix duos aut tres Sacrorum Antistites

[1] S. Bern., Ep. 126, n. 6 et 14.
[2] Eccl., IV, 33.
[3] Psalm. 54.

numerant, inspecto diuturnae persecutionis in Ecclesiam impetu et conatibus impiorum ad fidem catholicam ex animis Italorum evellendam, inspectis maximarum perturbationum periculis, quae civili ipsi societati impendent, cunctandum amplius non esse iudicavimus, quin opem dilectis filiis Italiae fidelibus, quorum etiam clamores de sua orbitate querentium ad Nos saepe pervenerunt, quantum in Nobis est, afferremus, iisque virtute spectatos praeficeremus Antistites, qui Dei gloria et negotio animarum salutis sibi unice proposito, in haec omnes suas curas et zelum adiiciant.

Suos itaque Episcopos viduatis Italiae Ecclesiis in nomine Iesu Christi Filii Dei partim hodierna die adsignamus, partim quamprimum in posterum constituemus, confisi fore, ut Ipse, qui Nobis auctoritatem contulit et officium demandavit, propter infinitam misericordiam suam, omnibus difficultatibus, si quae huic Nostri ministerii operi opponi vellent, remotis, curis hisce Nostris pro spirituali animarum salute unice susceptis, benedicat atque obsecundet. Simul autem coram universa Ecclesia protestamur, Nos cautiones eas, quae *guarentigie* appellantur, quemadmodum in litteris Nostris encyclicis die xv maii hoc anno datis[1] luculenter ediximus, omnino respuere, et aperte declaramus, Nos, in hac gravissima parte Apostolatus nostri exercenda, potestate uti ab Ipso collata, qui est pastorum Princeps et Episcopus animarum nostrarum, scilicet potestate a Iesu Christo Domino Nostro Nobis tradita in persona Beatissimi Petri, *a quo*, ut ait S. Innocentius Praedecessor Noster, *ipse Episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit.*[2]

Hac vero occasione silentio praeterire non possumus impiam quorumdam hominum in alia Europae regione temeritatem et perversitatem, qui a regula et communione Catholicae Ecclesiae misere deviantes, tum libellis omni errorum et mendaciorum genere refertis, tum sacrilegis inter se conventibus celebratis, palam impugnant auctoritatem sacrosancti oecumenici Vaticani Concilii, veritatesque fidei ab eodem solemniter declaratas et definitas; ac praesertim supremam ac plenam iurisdictionis potestatem, quam Romanus Pontifex Beatissimi Petri successor in universam Ecclesiam divina ordinatione obtinet, nec non infallibilis magisterii praerogativam qua idem pollet, cum supremi Fidelium Pastoris et Doctoris munere fungitur in fidei morumque doctrinis definiendis.

Quo autem hi perditionis filii contra catholicam Ecclesiam persecutionem saecularium potestatum excitent, persuadere istis fraudulenter conantur, Concilii Vaticani decretis veterem Ecclesiae doctrinam esse immutatam, ac ipsi reipublicae et societati civili grave inde periculum esse conflatum. Quibus calumniis, Venerabiles Fratres, quidnam iniquius, aut eodem tempore absurdius fingi vel excogitari potest? Nihilominus dolendum est alicubi accidisse, ut ipsi reipublicae administri huiusmodi improbis insinuationibus capti, et nullam rationem habentes offensionis populi fidelis, palam suo patrocinio tegere et favore confirmare in eorum rebellione

[1] Cf. N. 560.
[2] Epist. ad Conc. Carthagin. – Cf. N. 20.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

novos sectarios non dubitarint. Haec dum presse ac breviter hodie cum moerore Nostro apud vos conquerimur, meritam omnino laudem Nos tribuere debere intelligimus, spectatis regionis eius Episcopis, quos inter Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Monacensem honoris causa ultro nominamus, qui singulari animorum coniunctione, pastorali zelo, admirabili fortitudine et eximiis scriptis, veritatis causam contra huiusmodi conatus praeclarissime defendunt; huiusque commendationis partem universi etiam Cleri Populique fidelis egregiae pietati et religioni tribuimus, qui, Deo protegente, Pastorum suorum sollicitudini cumulate respondent.

At Nobis interea, Venerabiles Fratres, illuc convertendi sunt oculi et cordis vota, unde potest necessarium ac praesens auxilium adesse. Ne cessemus igitur noctes ac dies clamare ad Deum clementissimum, ut per merita Iesu Christi Filii sui lucem immittat errantium mentibus, qua viae suae abyssum respicientes sempiternae saluti consulere non morentur, Ecclesiae autem suae in tanto certamine spiritum fortitudinis et zeli uberrime praestare pergat; eique maturare dignetur per oblationem sanctorum operum, per dignos fidei fructus, et sacrificia iustitiae optatos propitiationis dies, quibus erroribus et adversitatibus destructis, ac regno iustitiae et pacis restituto, laudis et gratiarum maiestati Eius debita sacrificia persolvat.

[Acta Pii IX, vol. V, p. 352-356].

562.

Pius IX, allocut. *Iustus et misericors*, 23 dec. 1872.

Iustus et misericors Deus, cuius inscrutabilia iudicia et investigabiles viae sunt, sinit adhuc, Apostolicam hanc Sedem, totamque cum ipsa Ecclesiam ingemiscere, divexatam diuturna saevaque insectatione. Non immutata sane est, sed praegravata quotidie magis conditio Nobis Vobisque facta, Venerabiles Fratres, ab occupatione Nostrarum provinciarum, et potissimum postquam ab annis iam plus duobus haec alma urbs Nostra subtracta fuit paterno regimini Nostro. Iugis autem experientia docuit, quam merito ab ipsis huius insectationis exordiis impiarum sectarum machinatione promotae, et ab earumdem alumnis rerum summa potitis patratae ac provectae, saepe in Allocutionibus Litterisque Nostris Apostolicis asseruimus aperte, non alia de causa suprema civilis Nostri principatus iura tanto nisu fuisse impetita, nisi ut ita via sterneretur ad abolendum, si fieri posset, spiritualem principatum, quo fulgent Petri Successores, delendamque catholicam Ecclesiam, ipsumque Christi nomen in illa viventis et regnantis. Clarissime quidem id passim ostensum est ab infensis Subalpini Gubernii gestis; sed in primis ab iniquis illis legibus, quibus vel Clerici ab altaribus divulsi suaque privati immunitate ad militiam vocati sunt, vel Episcopi proprio destituti fuerunt iuventutis instituendae munere, suisque alicubi seminariis orbati: tamen lucidior adhuc eiusdem consilii demonstratio nunc Nobis exhibetur. Et sane: in hac ipsa urbe exturbatis

ob oculos Nostros, aut etiam violenter depulsis e propria sede compluribus Religiosis Familiis, bonisque Ecclesiae gravissimo subiectis tributo, nutuique mancipatis civilis potestatis; iam nunc Coetui, ut aiunt, Legislativo proposita fuit lex illi non absimilis, quae, non obstantibus Nostris denunciationibus et gravissimis condemnationibus, exequutioni in reliquis Italiae partibus gradatim demandata, in hoc etiam Catholicae fidei centro Religiosas Familias extinguere debeat, bonaque Ecclesiae addicere fisco, et publicae obiicere licitationi. Porro lex istaec, si tamen legis nomine scitum honestare licet, ipsi naturali, divino et sociali iuri repugnans, multo iniquior et funestior Romae et circumpositis obtingit provinciis. Profundius enim et acrius iura vulnerat et possessiones universalis Ecclesiae, fonti ipsi insidiatur veri cultus socialis, quem Religiosae Familiae immani labore parique constantia et magnanimitate non in regionibus tantum nostris promoverunt et perfecerunt, sed ad exteras quoque gentes et efferatas, posthabitis difficultatibus, molestiis, aerumnis ipsaque vita, attulerunt et porro afferunt; ac demum propius refragatur Apostolatus Nostri debito et iuri. Siquidem, deletis Religiosis Familiis aut exinanitis, cleroque saeculari ad inopiam redacto et militaris conscriptionis causa rarescente, non solum hic, ut alibi, desiderabuntur qui panem verbi populo frangant, qui fidelibus sacramenta ministrent, qui adolescentiam instituant et muniant adversus innumeras insidias ei quotidie structas; sed Romano quoque Pontifici subducentur auxilia, quibus, uti universalis magister et pastor, ad totius Ecclesiae regimen tantopere indiget; spoliatio vero Romanae Ecclesiae ea occupabit bona, quae plusquam a nostratum donationibus, ab omnium catholicorum largitate congesta fuerunt, et in hoc unitatis centro constituta; atque ita quae Ecclesiae universalis usui et incrementis fuerant addicta, in extraneorum lucrum impie convertentur. Vix itaque didicimus, alterum e Subalpini Gubernii ministris significasse Legislativo Coetui propositum ei subiiciendi legem huiusmodi, monstrosam eius indolem illico prodidimus per epistolam die 16 Iunii huius anni datam ad Cardinalem Nostrum a Publicis Negociis,[1] ipsique mandavimus, ut novum hoc periculum Nobis impendens, sicuti cetera quae patimur, nuntiaret Legatis apud Sanctam Sedem exterorum Principum. Verum cum proposita iam fuerit comminata lex, exigit omnino munus Apostolatus Nostri, ut editas antea expostulationes coram Vobis, Venerabiles Fratres, et Ecclesia universa elata voce iteremus, uti reapse facimus. Nefarium proinde hoc facinus in Iesu Christi nomine, cuius vice fungimur in terris, execrantes, auctoritate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra illud damnamus una cum quolibet schemate legis, quae sibi potestatem arroget angendi, vexandi, minuendi, supprimendi Religiosas Familias Romae et in circumpositis provinciis, ibique Ecclesiam privandi suis bonis, eaque addicendi fisco aut aliter erogandi. Irritum propterea pronunciamus iam nunc quidquid fieri velit contra iura et patrimonium Ecclesiae; cassamque prorsus et nullam declaramus quamlibet praedatorum bonorum acquisitionem

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. VI, p. 38-50.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PII

quocumque titulo factam, quorum alienationi Apostolica haec Sedes numquam reclamare cessabit. Auctores autem et fautores huius legis meminerint censurarum poenarumque spiritualium, quas ipso facto incurrendas Apostolicae Constitutiones iurium Ecclesiae invasoribus infligunt; et animae suae, vinculis hisce spiritualibus obligatae, miserti desinant thesaurizare sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.

Verum acerrimus, quo perstringimur, dolor ob istas aliasque passim illatas Ecclesiae iniurias in Italia, non leviter exacerbatur praeterea a saevis, quibus eadem obnoxia est alibi, persequutionibus; maxime vero in novo Germanico Imperio, ubi non occultis tantum machinationibus, sed aperta quoque vi illi funditus subvertendae adlaboratur. Siquidem viri, qui non modo non profitentur sanctissimam religionem nostram, sed nec ipsam norunt, potestatem sibi vindicant praefiniendi dogmata et iura catholicae Ecclesiae. Et dum eam praefracte divexant, impudenter asserere non dubitant, nullum illi a se inferri detrimentum: imo calumniam ac irrisionem addentes iniuriae, saevientem persequutionem vitio vertere non verentur catholicorum; scilicet, quod eorum Praesules et Clerus una cum fideli populo praeferre renuant civilis Imperii leges et placita sanctissimis Dei et Ecclesiae legibus, et a religioso officio suo desciscere idcirco recusent. Utinam publicarum rerum moderatores diuturna docti experientia sibi tandem suadeant, ex eorum subditis neminem accuratius catholicis reddere Caesari quae sunt Caesaris ideo praesertim, quod religiose reddere studeant quae sunt Dei Deo.

Eamdem, quam Germanicum Imperium, viam iniisse videtur civilis auctoritas nonnullorum e pagis Helveticae Foederationis, sive decernendo de dogmatibus catholicae fidei sive favendo apostatis, sive exercitium intercipiendo Episcopalis auctoritatis. Genevensis vero tractus Gubernium, licet solemni pacto adstrictum ad custodiendam tuendamque in suo territorio religionem catholicam, postquam per praeteritos annos aliquot edidit leges infensas auctoritati libertatique Ecclesiae, recentius catholicas scholas suppressit, alias e religiosis familiis eiecit, alias docendi munere Instituti proprio privavit; nuperrime vero abolere contendit auctoritatem, quam pluribus iam ab hinc annis ibi legitime exercet Venerabilis Frater Gaspar Episcopus Hebronensis, eumque spoliare parochiali suo beneficio; imo eo etiam progressum est, ut, publica excitatione proposita, cives illos invitaret et alliceret ad ecclesiasticum regimen schismatice subvertendum.

Non levia etiam Ecclesia patitur in catholica Hispania a Civili potestate. Siquidem didicimus, propositam nuper fuisse, et iam a Legislativo Coetu ratam habitam legem de Cleri dote, qua non modo solemnia franguntur pacta conventa, sed omnis prorsus recti iustique norma proculcatur. Quae lex, cum spectet ad exasperandam inopiam servitutemque Cleri, et ad irritanda augendaque mala illustri illi nationi illata per postremos hosce annos in perniciem fidei et ecclesiasticae disciplinae a deploranda actorum Gubernii serie; sicuti Venerabilium Fratrum in Hispaniis Episcoporum iustissimas, eorumque firmitate plane dignas, querelas iam excitavit, sic nostras nunc poscit solemnes expostulationes.

Tristiora quoque commemoranda forent de exigua illa sed impudentissima schismaticorum Armeniorum manu, quae, Constantinopoli praesertim, per audaciam fraudis et violentiae suae opprimere nititur multo copiosiorem eorum numerum, qui constantes in officio et fide permanserunt. Ementito namque catholico nomine, perstant ipsi in perduellione sua adversus supremam Nostram auctoritatem ac legitimum suum Patriarcham, qui eorum artibus eiectus exul ad Nos confugere debuit. Versutia vero sua eam apud civilem potestatem inierunt gratiam, ut non obstantibus Legati Nostri extraordinarii illuc ad res componendas missi studio et officiis, ac etiam Litteris Nostris ad serenissimum Turcarum Imperatorem datis, armorum adhibita vi, converterint in proprium usum aliquas e catholicorum Ecclesiis, coiverint in conciliabulum, sibique statuerint schismaticum Patriarcham; atque effecerint, ut catholici sua iam priventur immunitate, qua hactenus per publica pacta gavisi fuerunt.

De perstrictis tamen hactenus Ecclesiae vexationibus alias Nobis explicatius agendum erit fortasse, si aequissimae Nostrae denunciationes contemni pergant.

Sed tot inter moeroris causas gaudemus, Venerabiles Fratres, recreari vos posse, sicuti et Nos erigimur, ab admirabili constantia et operositate catholici Episcopatus commemoratarum regionum non minus quam ceterarum; quarum Antistites succincti lumbos in veritate et induti loricam iustitiae, et huic Petri cathedrae devinctissimi nullis territi periculis, nullis aerumnis deiecti, sive singillatim, sive coniunctim, voce, scripto, expostulationibus, pastoralibus litteris, Ecclesiae, Sanctae huius Sedis, suaque sacra iura fortiter alacriterque propugnant una cum Clero et populo suo fideli; ac iniustam vim cohibent, calumnias refellunt, insidias detegunt, frangunt impiorum audaciam, veritatis lucem omnibus ostendunt, confirmant honestos, compactaeque unitatis robur opponunt hostium undique irrumpentium incursui, Nobisque tot Ecclesiae malis afflictis iucundissimum solatium exhibent et potens auxilium. Quod certe validius etiam evadet, si vincula fidei et caritatis, quibus mentes iunguntur et affectus, arctiora quotidie et contentiora fieri curentur. Ei porro rei assequendae nemo peropportunum non censeat, ut qui Metropolitica auctoritate ecclesiasticis praesunt provinciis, cum Suffraganeis suis, meliori, qua per adiuncta temporum fieri possit, ratione consilia conferant, per quae se invicem omnes in eadem mente eademque sententia obstringant et confirment, et ad difficile certamen contra impietatis ausus efficacius obeundum unanimi nisu se comparent.

Visitavit profecto Nos Dominus, Venerabiles Fratres, in gladio suo duro et grandi et forti; ascenditque fumus in ira eius et ignis a facie eius exarsit. Sed numquid in aeternum proiiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Absit: Non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in ira misericordias suas; sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum in veritate, effundet in nos divitias misericordiae suae. Divinam iram acceptabili hoc Dominici adventus tempore placare studeamus; Regique pacifico, qui proxime venturus est ut pacem

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

annuntiet hominibus bonae voluntatis, in novitate vitae ambulantes humiliter occurramus. Iustus et misericors Deus, cuius arcana dispositione nati sumus videre contritionem populi nostri et contritionem civitatis sanctae, et sedere illic cum datur in manibus inimicorum, Ipse inclinet aurem suam et audiat, aperiat oculos suos et videat desolationem nostram et civitatem, super quam invocatum est nomen Eius.

[Acta Pii IX, vol. VI, p. 89-96].

563.

Pius IX, ep. *Quamquam*, 29 maii 1873.[1]

Quamquam dolores nostros exacerbavit quae tu, Venerabilis Frater, Nobis exposuisti de *Massonismi* viru istic adeo late diffuso, ut pias ipsas sodalitates invaserit et nonnullas ex iis plane corruperit; nequimus tamen non commendare fiduciam, qua gravem a te conceptum hac de causa moerorem in cor nostrum effudisti, et zelum quo tanto malo studuisti et studes occurrere. Vetus est haec pestis ac cito confixa ab Ecclesia designataque, licet incassum, populis et eorum moderatoribus, qui in discrimen vocabantur. Iam ab anno 1738 Clemens XII recolendae memoriae encyclicis litteris *In eminenti* datis die 28 aprilis[2] querebatur « longe lateque progredi nonnullas societates, vulgo *des Francs Maçons* nuncupatas, in quibus cuiuscumque religionis et sectae homines, affectata quadam contenti honestatis specie, arcto ac impervio foedere invicem consociantur » et sedulo vigilandum esse ducens « ne huiusmodi hominum genus veluti fures domum perfodiant, atque instar vulpium vineam demoliri nitantur » conventicula haec, quocumque nomine appellata proscribebat, unicuique e fidelibus mandans, ut ab iis « prorsus abstinere se debeat sub poena excommunicationis ipso facto, absque ulla declaratione incurrenda » a qua nonnisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi possit. Eam constitutionem deinde Benedictus XIV, eius successor inseruit fusiusque explicavit suis encyclicis litteris *Providas*,[3] diei 18 maii 1751, quibus decreta et poenas a suo Decessore statutas confirmavit. Nefaria tamen societas occulta semper increbuit in varias divisa sectas variis distinctas nominibus, sed sententiarum facinorumque communione et foedere coniunctas, donec latissime propagata magnisque aucta viribus erumpens ex antris suis se prodere potuit, ac prudentibus omnibus demonstrare, quam merito a speculatoribus Israel damnata fuisset. Patuit enim e catechismis eius, e constitutionibus, e conventuum actis typorum ope vulgatis, et clarius etiam e publicis machinationibus et gestis, propositum ei esse catholicam delere religionem, Romanamque idcirco Cathedram, unitatis centrum in-

[1] Venerabili Fratri Vitali Mariae Episcopo Olindensi (Recife in Brasilia).
[2] Cf. N. 299.
[3] Cf. N. 412.

sectari, legitimam quamlibet humanam auctoritatem avertere, hominem autonomum constituere, prorsus exlegem, ab ipsis sanguinis vinculis solutum, solisque suis mancipatum cupiditatibus. Satanicum hunc societatis spiritum in primis ostenderant, exeunte praeterito saeculo, truculentae Galliarum vicissitudines, quae totum commoverunt orbem; ac docuerunt plenam humanae dissolutionem esse expectandam, nisi scelestissimae sectae vires frangerentur. Quocirca Pius VII sa. me. encyclicis litteris *Ecclesiam*, datis die 13 septembris anni 1821,[1] non solum obvertit iterum omnium oculis indolem, malitiam, periculum istarum societatum, sed gravius etiam iteravit damnationem et poenas spirituales earum sodalibus inflictas a decessoribus suis; eaque omnia postea confirmata fuerunt tum a Leone XII recolendae memoriae per Litteras Apostolicas *Quo graviora*, diei 13 martii anni 1825,[2] tum a Nobis ipsis per encyclicas litteras *Qui pluribus*, diei 9 novembris 1846.[3] Itaque post repetita toties Ecclesiae mandata gravissimis munita sanctionibus, post vulgata impiarum societatum acta, quae vera earum consilia patefecerunt, post perturbationes, calamitates, caedes innumeras ab illis ubique invectas, quibus ipsae publicis scriptis insolenter gloriari non erubescunt; nulla sane excusatio suppetere videretur illis, qui nomina sua eisdem dederunt. Nos tamen considerantes, nefarias hasce sectas non aliis sua prodere mysteria quam illis, qui per impietatem se iisdem excipiendis paratos exhibent; ab adeptis suis propterea severissimum postulare iuramentum quo spondeant, se nullo unquam tempore nullove casu patefacturos hominibus in societatem non adscriptis quidquam quod eam societatem respiciat, vel communicaturos cum iis, qui in gradibus inferioribus versantur, aliquid quod ad gradus pertineat superiores; obducere se passim beneficentiae et mutui auxilii velo, et incautos atque imperitos facile decipi specie fictae honestatis: misericordiae rationem cum prodigis istis filiis, quorum perniciem deploras, Venerabilis Frater, ineundam esse censemus, ut eius suavitate illecti a pessimis viis suis pedem referant, et ad matrem suam Ecclesiam, a qua seiuncti vivunt, revertantur. Itaque memores, Nos Eius vice fungi qui non venit vocare iustos sed peccatores, sequenda censemus vestigia laudati decessoris nostri Leonis XII, et suspendimus idcirco ad integrum anni spatium, postquam hae Nostrae litterae innotuerint, reservationem censurarum, in quas sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque absolvi ab iis censuris posse concedimus a quocumque confessario, modo sit ex eorum numero, qui a locorum, in quibus degunt, Ordinariis approbati sunt. Quod si neque hoc clementiae remedium sontes a nefario coepto deterreat et a gravissimo suo crimine retrahat; volumus ut, dicto unius anni spatio elapso, illico reviviscat reservatio censurarum, quas Apostolica Nostra auctoritate denuo confirmamus, disserte declarantes neminem prorsus ex harumce societatum adeptis immunem esse ab istis poenis spiritualibus quocumque obtentu, sive assertae suae bonae

[1] Cf. N. 479.
[2] Cf. N. 481.
[3] Cf. N. 504.

BIBLIOTHECA FRATERNITATIS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

fidei, sive extrinsecae speciei probitatis, quam eaedem sectae proferre videantur, ac propterea omnes omnino in eodem versari aeternae damnationis periculo, donec huiusmodi societatibus adhaereant. Praeterea vero plenam tibi potestatem facimus procedendi iuxta canonicarum legum severitatem in ea spiritualia sodalitia, quae per hanc impietatem indolem suam tam foede vitiarunt, illaque prorsus dissolvendi, aliaque consociandi, quae nativae suae institutioni respondeant. Utinam consideratio perversitatis societatum quibus se adscribere non sunt veriti tot homines, qui christiano nomine decorantur, memoria anathematum, quibus iterum iterumque ipsae confixae fuerunt ab Ecclesia, notitiaque clementiae huius Sanctae Sedis erga deceptos ab hisce litteris ad errantes perlata, eos in viam salutis reducat, praevertat plurimarum animarum exitium, omnemque a te amoliatur severitatis adhibendae necessitatem. Id Nos incensa a Deo prece poscimus, id ominamur pastorali zelo tuo, id deprecamur deceptis hisce omnibus filiis nostris. Et quoniam eadem vota ad alias quoque istius Imperii dioeceses extendimus in quibus eadem mala grassantur; cupimus, hasce litteras a te communicari cum Venerabilibus Fratribus tuis, ut unusquisque eorum sibi populoque suo dicta arbitretur quae tibi scribimus. Dum vero divinam obsecramus clementiam, ut desiderio Nostro curisque obsecundet, caelestis auxilii supernorumque omnium munerum auspicem, ac simul praecipue Nostrae benevolentiae pignus tibi, Venerabilis Frater, universaeque Dioecesi tuae Benedictionem Apostolicam, peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. VI, p. 182-186].

564.

Pius IX, allocut. *Quod praenunciavimus*, 25 iul. 1873.

Quod praenunciavimus, Venerabiles Fratres, dum Vos alloquebamur, exeunte praeterito anno,[1] scilicet Nobis iterum fortasse dicendum esse de vexationibus Ecclesiae quotidie invalescentibus; id, consummato in praesentiarum iniquitatis opere tunc designato, munus Nostrum postulat a Nobis, quorum auribus insonare videtur *vox* illa *dicentis: Clama.*

Vix ac didicimus proponendam esse Legislativo Coetui legem, quae in hac etiam alma Urbe, sicuti in reliqua Italia, suppressura foret Religiosas Familias et obiectura publicae licitationi ecclesiastica bona, Nos, impium execrantes facinus, quodcumque nefariae huiusce legis schema proscripsimus, cassam declaravimus quamlibet direptorum bonorum acquisitionem, censurasque commemoravimus ipso facto incurrendas ab auctoribus et fautoribus huiusmodi legum. Verum hodie lex ista, licet non ab Ecclesia tantum confixa, veluti divino suoque iuri repugnans, sed ab ipsa legali scientia publice reprobata, utpote adversa naturali et humano cuivis iuri, adeoque irrita suapte natura et nulla; recepta tamen fuit communi suffragio cum Legislativi Coetus, tum Senatus, ac demum Regia auctoritate sancita.

[1] Cf. N. 562.

Abstinendum censemus, Venerabiles Fratres, ab iis iterandis, quae toties ad deterrendos ab ausu scelesto publicarum rerum moderatores fuse iam exposuimus de legis impietate, malitia, fine, gravissimis detrimentis; sed omnino compellimur ab officio vindicandi Ecclesiae iura, a studio praemonendi incautos, ab ipsa caritate erga sontes, elata voce nunciare iis omnibus, qui praedictam iniquissimam legem proponere, probare, sancire non extimuerunt, nec non mandantibus, fautoribus, consultoribus, adhaerentibus, executoribus, bonorumque ecclesiasticorum emptoribus, non solum irritum esse, cassum et nullum quidquid hac in re egerint aut sint facturi, sed universos maiori excommunicatione aliisque censuris et poenis ecclesiasticis iuxta sacros Canones, Apostolicas Constitutiones et Generalium Conciliorum, Tridentini praesertim, decreta inflictis obstringi, severissimam incurrere divinam ultionem et in aperto versari damnationis aeternae periculo.

Interea, Venerabiles Fratres, dum necessaria supremo ministerio Nostro auxilia magis in dies subducuntur, dum iniuriae iniuriis quotidie cumulantur in res et personas sacras, dum nostrates et exteri insectatores Ecclesiae studia conferre et vires coniungere videntur ad comprimendum quodlibet omnino ecclesiasticae iurisdictionis exercitium et nominatim, fortasse ad praevertendam liberam illius electionem, qui in hac Petri cathedra Christi Vicarius sedere debeat; quid Nobis reliquum est, nisi ut impensius confugiamus ad Eum, qui dives est in misericordia ac servos suos non deserit in tempore tribulationis?

Et sane iam haud obscure virtus ostenditur Providentiae divinae in perfecta cum hac Sancta Sede coniunctione Episcoporum omnium, in nobilissima eorum firmitate adversus iniquas leges et usurpationem sacrorum iurium, in impensissimo studio totius catholicae familiae erga hoc unitatis centrum, in vivificante illo spiritu, quo fides et caritas in christiano populo roboratae et auctae passim erumpunt in opera laetissimis digna temporibus Ecclesiae.

Nitamur igitur optata maturare clementiae tempora: omnes simul, qua late patet orbis, piam vim Deo nostro inferre conemur. Universi sacrorum Antistites ad id excitent parochos, universi parochi propriam plebem; omnesque ad aras provoluti ac cernui clamemus: *Veni Domine, veni, noli tardare, parce populo tuo, relaxa facinora plebi tuae, vide desolationem nostram; non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis; excita potentiam tuam et veni, ostende faciem tuam et salvi erimus.*

Licet autem indignitatis nostrae conscii simus, non vereamur accedere fidenter ad thronum gratiae: hanc quaeramus per caelestes omnes, hanc nominatim per sanctos Apostolos, hanc per purissimum Deiparae Sponsum, hanc per Immaculatam praesertim Virginem quaeramus, cuius preces apud Filium imperii cuiusdam rationem habent. Sed antea mundare studiose conemur conscientiam nostram ab operibus mortuis; quia *oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum.* Quod ut accuratius etiam et plenius perficiatur, fidelibus omnibus, qui rite confessi et sacra communione refecti piam precibus huiusmodi pro Ecclesiae necessitatibus operam dede-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

rint, Indulgentiam plenariam semel lucrandam, et in fidelium quoque defunctorum suffragium convertendam pro eo die, quam in singulis dioecesibus Ordinarius designaverit, Apostolica auctoritate Nostra concedimus.

Itaque, Venerabiles Fratres, quamquam innumerae et sane gravissimae ingruant persecutionum et tribulationum tempestates, non propterea concidamus animo, in eo confisi, qui sperantes in se confundi non patitur; Dei enim promissio est, quae praeterire non potest: *Quoniam in me speravit, liberabo eum.*

[Acta Pii IX, vol. VI, p. 230-233].

565.

Pius IX, const. *Romanus Pontifex*, 28 aug. 1873.

§ 1. Romanus Pontifex, pro munere sibi divinitus collato regendi ac gubernandi universam Christi Ecclesiam, non solum SS. Canonum observantiam urgere, sed etiam illorum certum et authenticum sensum declarare satagit, si quando quidpiam dubitationis in aliquo occurrat, ne diversis interpretationibus materia praebeatur, atque inde Ecclesiasticae disciplinae unitas rumpatur, cum magno Ecclesiastici regiminis detrimento.

§ 2. Sane iuxta antiquam Ecclesiae disciplinam, Sede Episcopali vacante, Dioecesis administratio ad Capitulum Cathedralis Ecclesiae devolvitur; quod olim per se ipsum Dioecesim toto tempore, quo Sedes vacabat, administrare poterat, vel uni, aut pluribus Dioecesim administrandam committere, libera eidem relicta potestate deputatos eligendi, eisque delegatam iurisdictionem, sive quoad usum, sive quoad tempus arctandi, et constringendi.

§ 3. At vero Concilii Tridentini Patres animadvertentes gravissima, quae passim oriebantur, incommoda ex administratione viduatae Ecclesiae coetui personarum diversi fere ingenii concredita, ad ea vitanda sapienter decreverunt: ut *Capitulum, sede vacante, Officialem seu Vicarium, infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in iure canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus. Si secus factum fuerit ad Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur, et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta, Vicarium possit constituere.* [1]

§ 4. Huiusmodi vero decretum varie interpretati sunt privati canonicarum rerum scriptores. Quidam enim censuerunt posse Capitulum in constituendo Vicario aliquam iurisdictionis partem sibi reservare; alii putaverunt fas esse Capitulo ad certum tempus Vicarium deputare; nec defuerunt qui arbitrati sunt, licere Capitulo Vicarium pro arbitrio removere, et alium substituere.

[1] Sess. 24, cap. 16, *de ref.*

§ 5. Recensitae scriptorum sententiae a nonnullis Capitulis libenter exceptae sunt: quo factum est, ut in hac re tam magni momenti disciplinae uniformitas deficeret, et Tridentinum decretum optatum finem plene non attingeret. Quamvis autem, Sacrae Urbis Congregationes has sententias, suis responsis in casibus occurrentibus, pluries reprobaverint, ita ut ex earum responsis manifeste appareat, quae fuerit mens Patrum Tridentinorum in edendo decreto superius relato; attamen cum nondum omnia ubique ad eam mentem exigi videamus, ad submovendam prorsus quamlibet dubitationis causam vel obtentum, iisdem responsis et declarationibus Apostolicae auctoritatis robur adiiciendum censemus. Quocirca Motu proprio, ac certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine declaramus et decernimus: totam ordinariam Episcopi iurisdictionem, quae vacua Sede Episcopali ad Capitulum venerat, ad Vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire; nec ullam huius iurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium constituere multoque minus removere, sed eum in officio permanere quousque novus Episcopus Litteras Apostolicas de collato sibi Episcopatu Capitulo, iuxta Bonifacii VIII Praedecessoris Nostri Constitutionem, [1] vel Capitulo deficiente, ei exhibuerit, qui, ad normam SS. Canonum, vel ex speciali S. Sedis dispositione, vacantem Dioecesim administrat, vel eiusdem Administratorem, seu Vicarium deputat.

§ 6. Quamobrem pro nullis habendae sunt limitationes, seu quoad iurisdictionem, seu quoad tempus adiectae a Capitulo electioni Vicarii Capitularis, qui idcirco, iis non obstantibus, officium semel sibi rite collatum toto tempore, quo Sedes Episcopalis vacua fuerit, totamque ordinariam iurisdictionem Episcopalem libere et valide exercere perget, donec novus Episcopus Apostolicas canonicae suae institutionis Litteras, ut diximus, exhibeat.

§ 7. Hac autem occasione declaramus etiam, et decernimus ea, quae a Gregorio X Decessore Nostro in Concilio Lugdunensi 2º de electis a Capitulis constituta sunt [2] comprehendere etiam nominatos, et praesentatos a Supremis publicarum rerum Moderatoribus, sive Imperatores sint, sive Reges, sive Duces, vel Praesides, et quomodocumque nuncupentur, qui ex S. Sedis concessione, seu privilegio iure gaudent nominandi, et praesentandi ad Sedes Episcopales in suis respectivis ditionibus vacantes; abolentes idcirco, cassantes, et penitus annullantes usum, seu potius abusum sub quovis titulo, vel praetenso et asserto privilegio, quaesito colore, et quacumque causa, licet speciali et expressa mentione digna, in quibusdam Regnis seu regionibus praesertim longinquis invectum, quo Capitulum Ecclesiae Cathedralis vacantis obsequens invitationi seu mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremae civilis potestatis concedere, et transferre praesumit, ac de facto concedit et transfert in nominatum et praesentatum ad eamdem Ecclesiam illius curam regimen et administrationem, eamque nominatus et praesentatus sub nomine Provisoris, Vicarii

[1] Extravag. *Iniunctae*, de Electione, inter comm.
[2] Cap. *Avaritiae*, de Electione, in 6.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Generalis, aliove nomine gerendam suscipit ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum, uti superius dictum est, de more faciendam, remoto proinde Vicario Capitulari, qui ex iuris dispositione toto tempore vacationis Ecclesiae eam administrare, ac regere debet. Confirmantes autem alia etiam Decessorum Nostrorum, et praesertim sa. mem. Pii VII Decreta et dispositiones, declaramus et decernimus, ut si interea Vicarius Capitularis decesserit, aut sponte sua muneri renuntiaverit, aut ex alia causa officium ipsum legitime vacaverit, tunc Capitulum, vel Capitulo deficiente, qui potestatem habet deputandi vacantis Ecclesiae Administratorem, seu Vicarium, novum quidem Vicarium, vel Administratorem eligat, nunquam vero electum in Episcopum a Capitulis, aut a laica potestate nominatum seu praesentatum ad dictam Ecclesiam vacantem, cuius electionem ac deputationem, si eam Capitulum, vel alius, uti supra, peragere praesumpserit cassamus, annullamus, et omnino irritam declaramus.

§ 8. Confidimus autem, Dignitates, et Canonicos Cathedralium Ecclesiarum vacantium, ac illos qui, deficientibus Capitulis, Vicarios deputant, aut vacantes Ecclesias legitime administrant, plene exequuturos quae hisce Nostris Litteris declarata et decreta sunt; ubi vero, quod Deus avertat, ea exequi detrectaverint, ac concedere et transferre in nominatum ad eamdem Ecclesiam eius curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore ausi fuerint, praeter nullitatem iam decretam praedictae concessionis et translationis, praefatos Canonicos ac Dignitates excommunicationis maioris, nec non privationis fructuum Ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque, aliorumque reddituum Ecclesiasticorum per eos respective obtentorum similiter eo ipso incurrendis poenis innodamus, et innodatos fore decernimus, et declaramus; ipsarumque poenarum absolutionem seu relaxationem Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.

§ 9. In easdem poenas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati, et praesentati ad vacantes Ecclesias, qui earum curam, regimen, et administrationem, suscipere audent ex concessione a Dignitatibus et Canonicis aliisque, de quibus supra, in eos peractam, nec non ii, qui in praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem praestiterint, cuiusque status, conditionis, praeeminentiae, et dignitatis fuerint.

§ 10. Praeterea nominatos, et praesentatos iure, quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.

§ 11. Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatam.

§ 12. Insuper quaecumque a sic nominatis et praesentatis in administrationem vacantium Ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur et ordinentur cum omnibus et singulis inde quovis modo sequutis, et quomodocumque sequuturis omnino nulla, invalida, inania, irrita, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto praesumpta, nul-

liusque valoris, momenti, et efficaciae esse, et perpetuo fore tenore praesentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus.

§ 13. Haec volumus, statuimus, ac mandamus, decernentes has Nostras Litteras, et omnia in eis contenta nullo unquam tempore a nemine cuiusque conditionis, et dignitatis etiam Imperialis, et Regiae, sub quovis titulo, quaesito colore, ac praetenso et asserto privilegio, quod si forte sit, cassamus, et annullamus, infringi, impugnari, vel in controversiam revocari posse, sed semper firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus semper sortiri et obtinere debere. Non obstantibus Apostolicis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim *de iure quaesito non tollendo*, caeterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque.

§ 14. Volumus autem, ut facta harum Litterarum publicatione et affixione transumptorum ad valvas Basilicarum Urbis, omnes ubique Fideles, ad quos spectat, qui quomodocumque noverint eas, prout dictum est, Romae fuisse promulgatas, ad earum exequutionem perinde obstringantur, ac si personaliter singulis notificatae fuissent.

§ 15. Volumus pariter, ut earumdem praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

§ 16. Nulli ergo omnino hominum, etc.

[Acta Pii IX, vol. VI, p. 239-246].

566.

Pius IX, ep. encycl. *Etsi multa*, 21 nov. 1873. [1]

1. Etsi multa luctuosa et acerba pati ex ipsis diuturni Nostri Pontificatus exordiis Nobis contigerit variis de causis, quas in litteris encyclicis crebro ad Vos datis explicavimus; adeo tamen postremis hisce annis crevit aerumnarum moles, ut ea paene obrueremur, nisi Nos divina benignitas sustentaret. Imo vero modo res eo devenit, ut mors ipsa vitae tot fluctibus exagitatae praestare videatur, et elatis in caelum oculis exclamare cogamur interdum: *melius est nos mori, quam videre mala sanctorum.* [2] Scilicet ex quo alma haec Urbs Nostra, permittente Deo, armorum vi capta, hominumque regimini subacta fuit contemptorum iuris, religionis hostium, quibus humana omnia et divina promiscua sunt, nulla ferme dies transiit, quin aliis atque aliis iniuriis atque vexationibus cordi Nostro iam saucio novum aliquod vulnus infligeretur. Personant adhuc ad aures Nostras questus et gemitus virorum et virginum e religiosis familiis, quae a suis sedibus

[1] Ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes.

[2] Machab., III, 59.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

exturbatae et egentes, hostili more profligantur ac disiiciuntur, quemadmodum in iis locis fieri solet ubicumque ea factio dominatur, quae ad socialem ordinem pervertendum intendit; quippe velut, Athanasio teste, magnus inquiebat Antonius, omnes quidem christianos diabolus odit, sed probos monachos, Christique virgines tolerare nullo modo potest. Illud etiam nuper vidimus, quod nunquam futurum suspicabamur, sublatam et abolitam Universitatem Nostram Gregorianam ideo institutam, ut ad eam (iuxta veteris auctoris effatum de Romana Anglo-saxonum schola scribentis) iuniores clerici e longinquis etiam regionibus in doctrina et fide catholica erudiendi venirent, ne quid in suis ecclesiis sinistrum, aut catholicae unitati contrarium doceretur, et sic in fide stabili roborati ad propria remearent. Ita dum per nefarias artes paulatim omnia Nobis subducuntur praesidia et instrumenta, quibus Ecclesiam universam regere ac moderari valeamus, luculenter patet, quantopere a veritate abhorreat quod affirmatum fuit, nihil esse imminutum, urbe Nobis adempta, de libertate Romani Pontificis in exercitio spiritualis ministerii et in iis agendis quae ad catholicum pertinent orbem; simulque manifestius quotidie evincitur, quam vere ac merito declaratum toties a Nobis et inculcatum fuerit, sacrilegam ditionis Nostrae usurpationem eo praesertim spectasse, ut Pontificii Primatus vis et efficacia frangeretur, ipsaque tandem catholica religio, si fieri posset, plane deleretur.

2. Verum non hoc Nobis potissime constitutum est ut de iis malis ad Vos scriberemus, quibus Urbs haec Nostra et universa simul divexatur Italia: imo angores hosce Nostros moesto fortasse premeremus silentio, si divina daretur clementia, lenire Nos posse dolores acerrimos, quibus tot Venerabiles Fratres sacrorum Antistites eorumque Clerus et populus in aliis regionibus cruciantur.

3. Vos enimvero non latet, Venerabiles Fratres, quosdam ex Helveticae Foederationis Pagis, non tam ab heterodoxis compulsos, quorum imo nonnulli facinus reprobarunt, quam ab actuosis sectarum asseclis hodie passim rerum potitis, omnem pervertisse ordinem, ipsaque suffodisse constitutionis Ecclesiae Christi fundamenta non modo contra quamlibet iustitiae rationisque normam, sed obstante etiam data publice fide; quum ex solemnibus pactis, suffragio et auctoritate quoque legum Foederationis munitis, sartam tectam catholicis manere oporteret religiosam libertatem. Deploravimus equidem in Allocutione Nostra habita die 23 decembris anni praeteriti [1] illatam religiosae rei vim ab illorum Pagorum Guberniis « sive decernendo de dogmatibus catholicae fidei, sive favendo apostatis, sive exercitium intercipiendo episcopalis potestatis ». At vero iustissimae querelae Nostrae, exhibitae etiam, mandantibus Nobis, foederali Consilio a Nostro Negotiorum Gestore, neglectae plane fuerunt, nec aequior ratio habita fuit expostulationum a catholicis cuiusvis ordinis, et ab Helvetico Episcopatu iterum atque iterum editarum; quin imo irrogatae primae iniuriae novis et gravioribus cumulatae sunt.

[1] Cf. N. 562.

4. Nam post violentam eiectionem Venerabilis Fratris Gasparis Episcopi Hebronensis et Vicarii Apostolici Gebennensis, quae tam decora et gloriosa patienti, quam foeda et indecora mandantibus atque exequentibus extitit, Gebennense Gubernium diebus 12 martii et 27 augusti huius anni duas promulgavit leges plane consentaneas edicto proposito mense octobri superioris anni, quod in memorata Allocutione fuerat a Nobis improbatum. Nimirum idem Gubernium sibi ius arrogavit refingendi in eo Pago constitutionem Ecclesiae catholicae, eamque exigendi ad democraticam formam, subiiciens Episcopum cum quoad exercitium propriae iurisdictionis et administrationis, tum quoad potestatis suae delegationem auctoritati civili; vetans ne in Pago illo domicilium haberet; definiens paroeciarum numerum et limites; proponens formam et conditiones electionis parochorum et vicariorum, casusque et modum revocationis eorum aut suspensionis ab officio; tribuens laicis hominibus ius illos nominandi, laicis item credens temporalem cultus administrationem, eosque, inspectorum instar, rei ecclesiasticae generatim praeficiens. Cautum praeterea his legibus, ut sine Gubernii venia, et hac quidem revocabili, parochi et vicarii functiones nullas exercerent, nullas dignitates acciperent illis ampliores quam per populi electionem essent adepti, iidemque a potestate civili ad iusiurandum adigerentur in ea verba quibus veri nominis apostasia continetur. Nemo non videt huiusmodi leges non solum irritas et nullius roboris esse ex omnimodo potestatis defectu in legislatoribus laicis et ut plurimum heterodoxis; sed etiam in iis quae praecipiunt sic adversari catholicae fidei dogmatibus, et ecclesiasticae disciplinae per oecumenicam Synodum Tridentinam et Pontificias constitutiones sancitae, ut eas omnino a Nobis improbari damnarique oporteat.

5. Nos itaque ex officii Nostri debito, auctoritate Nostra Apostolica eas solemniter reprobamus et condemnamus; declarantes simul, illicitum esse ac plane sacrilegum iuramentum ab ipsis indictum; eosque propterea omnes, qui in Gebennensi tractu aut alibi iuxta earumdem legum decreta aut non absimili modo, suffragante populo et confirmante civili potestate electi, audeant obire munia ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrere in excommunicationem maiorem peculiariter reservatam huic Sanctae Sedi, aliasque poenas canonicas; adeoque eos omnes fugiendos esse a fidelibus, iuxta divinum monitum, tamquam alienos et fures qui non veniunt nisi ut furentur, mactent et perdant. [1]

6. Tristia quidem et funesta haec sunt, quae hactenus commemoravimus, sed funestiora etiam contigerunt in quinque ex septem Pagis, quibus constat Basileensis Dioecesis, nempe Soloduri, Bernae, Basileae-campestris, Argoviae, Turegi. Ibi quoque de paroeciis, deque parochorum atque vicariorum electione et revocatione leges latae sunt Ecclesiae regimen, divinamque constitutionem evertentes, ecclesiasticum ministerium saeculari dominationi subiicientes et omnino schismaticae; quas proinde, eamque nominatim, quae lata est a Gubernio Solodurensi die 23 decembris

[1] Ioann., X, 5, 10.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

anno 1872, reprobamus et damnamus, et tamquam reprobatas et damnatas perpetuo habendas decernimus. Quum porro Ven. Frater Eugenius Episcopus Basileensis iusta indignatione et Apostolica constantia reiecisset articulos quosdam in conciliabulo seu *conferentia*, ut aiunt, *dioecesana*, ad quam convenerant Delegati quinque Pagorum supra dictorum, constitutos, sibique propositos, et omnino necessariam haberet reiiciendi causam, quod episcopalem auctoritatem laederent, regimen hierarchicum subverterent, et haeresi faverent aperte; ob eam rem ab Episcopatu deiectus, a suis aedibus abstractus, et in exilium violenter actus fuit. Tum nullum fraudis aut vexationis genus omissum, ut in quinque Pagis praedictis clerus et populus in schisma induceretur; interdictum clero a quolibet commercio cum Pastore exulante, iussumque datum cathedrali Capitulo Basileensi, ut ad electionem Vicarii Capitularis vel Administratoris conveniret, perinde ac si Sedes episcopalis reapse vacaret; quod facinus indignum strenue Capitulum edita protestatione ab se reiecit. Interim decreto et sententia Magistratuum civilium Bernensium novem et sexaginta parochis territorii Iurensis primo indictum est ne ministerii sui functiones obirent, dein vero abdicatum officium, hac una de causa quod palam testati essent, sese legitimum Episcopum et Pastorem Ven. Fratrem Eugenium unice agnoscere, seu nolle se turpiter ab unitate catholica desciscere. Quo factum est, ut totum illud territorium quod catholicam fidem constanter retinuerat, et Bernensi Pago iampridem iunctum fuerat ea lege pactoque ut religionis suae liberum atque inviolatum exercitium haberet, paroecialibus concionibus, solemnibus baptismatis, nuptiarum et funerum privaretur, conquerente frustra et reclamante fidelium multitudine iam per summam iniuriam in hoc discrimen adducta, ut vel schismaticos haereticosque pastores politica auctoritate intrusos recipere, vel quocumque sacerdotum auxilio et ministerio destitui cogatur.

7. Nos utique Deo benedicimus qui eadem gratia, qua martyres olim erigebat et confirmabat, sustentat modo ac roborat eam partem electam catholici gregis, quae viriliter sequitur Episcopum suum opponentem murum pro domo Israel ut stet in praelio in die Domini [1] et nescia formidinis vestigiis ingreditur ipsius Capitis martyrum Iesu Christi, dum agni mansuetudinem ferociae luporum obiiciens fidem suam alacriter constanterque propugnat.

8. Nobilem hanc Helvetiorum fidelium constantiam aemulatur haud minori commendatione clerus populusque fidelis in Germania, qui et ipse sequitur exempla illustria Praesulum suorum. Hi enimvero spectaculum facti sunt mundo et angelis et hominibus, qui eosdem indutos catholicae lorica veritatis et galea salutis praelia Domini strenue praeliari undique circumspiciunt, eorumque animi fortitudinem invictamque constantiam eo magis admirantur et eximiis laudibus extollunt, quo magis in dies invalescit acerrima persecutio adversus eos commota in Germanico Imperio ac potissimum in Borussia.

[1] Ezech., XIII, 5.

9. Praeter multas et graves iniurias catholicae Ecclesiae superiori anno irrogatas, Gubernium Borussicum durissimis et iniquissimis perlatis legibus a pristino more prorsus alienis universam Clericorum institutionem et educationem laicae potestati ita subiecit, ut ad hanc pertineat inquirere ac decernere, quomodo clerici erudiendi ac fingendi sint ad sacerdotalem vitam et pastoralem; atque ulterius progrediens eidem potestati ius tribuit cognoscendi et iudicandi de collatione cuiusvis officii et beneficii ecclesiastici, atque etiam sacros Pastores officio et beneficio privandi. Praeterea quo celerius et plenius ecclesiasticum regimen et hierarchicae subiectionis ordo ab ipso Christo Domino constitutus subverteretur, plura ab iisdem legibus iniecta sunt impedimenta Episcopis quominus per censuras poenasque canonicas sive animarum saluti, sive sanitati doctrinae in scholis catholicis, sive obsequio sibi a clericis debito opportune prospiciant: non aliter enim per eas leges fas est Episcopis haec agere, quam iuxta placitum civilis auctoritatis et ad normam ab ipsa propositam. Demum nequid deesset quo catholica Ecclesia penitus opprimeretur, regium tribunal pro ecclesiasticis negotiis institutum fuit, quo vocari possint Episcopi sacrique Pastores cum a privatis hominibus qui iis subsunt, tum a publicis magistratibus, ut reorum instar iudicium sustineant, et in exercitio spiritualis muneris coerceantur.

10. Sic Ecclesia Christi sanctissima, cui solemnibus etiam iteratisque supremorum Principum sponsionibus, publicisque pactis conventis asserta fuerat necessaria et plena religionis libertas, nunc luget in iis locis omni suo spoliata iure, et infestis obnoxia viribus quae extremum illi minantur excidium; novae enim leges eo pertinent, ne amplius possit existere. Nil mirum igitur quod religiosa tranquillitas pristina graviter eo in Imperio perturbata fuerit ab huiusmodi legibus aliisque Borussici Gubernii consiliis et actibus Ecclesiae infensissimis. At perturbationis huius culpam perperam omnino coniicere quis vellet in Germanici Imperii catholicos. Nam si istis vitio vertendum est, quod legibus illis non acquiescant, quibus salva conscientia acquiescere nequeunt, pari de causa parique modo taxandi essent Iesu Christi Apostoli et Martyres qui atrocissima quaeque supplicia et mortem ipsam subire maluerunt, quam proprium prodere officium sanctissimaeque suae religionis iura violare, impiis obsequendo persequutorum Principum mandatis. Sane, Venerabiles Fratres, si praeter leges civilis imperii aliae nullae extarent, et hae quidem sublimioris ordinis, quas agnoscere oportet, violare nefas; si propterea civiles eaedem leges supremam constituerent conscientiae normam, sicut impie iuxta et absurde quidam contendunt, reprehensione potius quam honore et laude digni forent primaevi martyres et qui deinceps eos sequuti sunt dum pro Christi fide et Ecclesiae libertate sanguinem fuderunt; imo vero ne licuisset quidem obstantibus legibus invitisque principibus christianam tradere et propagare religionem, Ecclesiamque fundare. Fides tamen docet, et humana ratio demonstrat, duplicem existere rerum ordinem, simulque binas distinguendas esse potestates in terris, alteram naturalem quae humanae societatis tranquillitati et saecularibus negotiis prospiciat, alteram vero, cuius origo supra naturam est, quae praeest civitati Dei, nimirum Ecclesiae Christi ad pacem anima-

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

rum et salutem aeternam divinitus instituta. Haec autem duplicis potestatis officia sapientissime ordinata sunt, ut reddantur quae sunt Dei Deo, et propter Deum quae sunt Caesaris Caesari; qui *ideo magnus est, quia caelo minor est; illius enim est ipse, cuius caelum est et omnis creatura.*[1] A quo certe divino mandato nunquam deflexit Ecclesia, quae semper et ubique fidelium suorum animis ingerere contendit obsequium, quod inviolabiliter servare debent erga supremos Principes, eorumque iura quoad saecularia; docuitque cum Apostolo, esse Principes non timori boni operis sed mali, iubens fideles subditos esse non solum propter iram, quia Princeps gladium portat vindex in iram ei qui malum agit, sed etiam propter conscientiam, quia in officio suo Dei minister est.[2] Hunc autem Principum metum ipsa cohibuit ad opera mala, eumdem plane excludens a divinae legis observantia, memor eius quod fideles docuit beatus Petrus: *nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.*[3]

11. Quae cum ita sint, facile intelligetis, Venerabiles Fratres, quanto animi dolore Nos affici oportuerit legentes in epistola nuper ad Nos data ab ipso Germanico Imperatore criminationem non minus atrocem quam insperatam adversus partem, ut ipse ait, catholicorum sibi subditorum, praesertim vero adversus catholicum Germaniae Clerum et Episcopos. Cuius criminationis ea causa est quod hi nec vincula et tribulationes verentes nec facientes animam suam pretiosiorem quam se,[4] parere recusent commemoratis legibus, eadem constantia, qua priusquam illae iuberentur, protestati fuerant denunciantes earum vitia, expostulationibus explicata gravibus, luculentis, solidissimis, quas toto plaudente orbe catholico et non paucis etiam ex heterodoxis, Principi, Administris eius, atque ipsis supremis Regni Comitiis exhibuerant. Ob eam rem nunc ipsi perduellionis crimine insimulantur, quasi in unum consentiant et conspirent cum iis qui omnes humanae societatis ordines perturbare nituntur, posthabitis innumeris, praeclarisque argumentis, quae inconcussam eorum fidem et observantiam in Principem, studiumque incensum erga patriam evidenter testantur. Imo Nos ipsi rogamur, ut catholicos illos et sacros Pastores adhortemur ad earum legum observantiam, quod eo valet ut Nostram Ipsi operam gregi Christi opprimendo et dispergendo conferamus. Verum Deo freti confidimus, serenissimum Imperatorem, rebus melius compertis ac perpensis, reiecturum suspicionem tam inanem atque incredibilem erga subditos fidelissimos conceptam, neque passurum diutius, ut eorum honor tam foeda discerpatur obtrectatione, et immerita adversus illos perduret insectatio. Ceterum Imperialem hanc epistolam ultro praeteriissemus hoc loco, nisi, Nobis plane insciis et more certe insueto, vulgata fuisset ab officiali Berolini ephemeride una cum alia manu Nostra exarata, qua sere-

[1] Tertull., *Apolog.*, cap. 30.
[2] Rom., XIII, 3 seqq.
[3] I Petr., IV, 14, 15.
[4] Act., XX, 24.

nissimi Imperatoris iustitiam pro Ecclesia catholica in Borussia appellavimus.

12. Haec quae hucusque recensuimus, ante omnium oculos posita sunt: quare dum coenobitae et Deo devotae virgines communi omnium civium libertate privantur et immani asperitate eiiciuntur, dum publicae scholae, in quibus catholica iuventus instituitur, a salutari Ecclesiae magisterio ac vigilantia quotidie magis eximuntur, dum sodalitia ad pietatem fovendam instituta ipsaque Clericorum Seminaria dissolvuntur, dum libertas intercipitur evangelicae praedicationis, dum elementa religiosae institutionis in nonnullis regni partibus materna lingua tradi prohibentur, dum a suis abstrahuntur paroeciis Curiones quos iisdem Episcopi praefecerunt, dum Praesules ipsi redditibus privantur, coercentur multis, carceris comminatione terrentur, dum catholici omnigenis vexationibus exagitantur; fierine potest, ut in animum inducamus quod Nobis subiicitur, neque religionem Iesu Christi neque veritatem in causam vocari?

13. Neque hic finis iniuriarum quae catholicae Ecclesiae inferuntur. Nam accedit etiam patrocinium a Borussico, aliisque Guberniis Germanici Imperii aperte susceptum pro novis illis haereticis, qui se *Veteres catholicos* dicunt per eiusmodi nominis abusionem, quae ridicula plane foret, nisi tot errores monstrosi istius sectae adversus praecipua catholicae fidei principia, tot sacrilegia in re divina conficienda et in sacramentorum administratione, tot gravissima scandala, tanta demum animarum Christi sanguine redemptarum pernicies vim lacrimarum potius ab oculis exprimerent.

14. Et sane quid moliantur ac spectent miserrimi isti perditionis filii luculenter patet tum ex aliis eorum scriptis tum maxime ex impio illo et impudentissimo quod nuper ab eo vulgatum fuit, quem ipsi modo pseudo-episcopum sibi constituerunt. Quandoquidem insidiantur ac pervertunt veram iurisdictionis potestatem in Romano Pontifice et Episcopis beati Petri et Apostolorum successoribus, eamque ad plebem seu, ut aiunt, ad communitatem transferunt; reiiciunt praefracte et oppugnant magisterium infallibile cum Romani Pontificis, tum totius Ecclesiae docentis; et adversus Spiritum Sanctum a Christo promissum Ecclesiae ut in ea maneret in aeternum, ausu incredibili affirmant, Romanum Pontificem, nec non universos Episcopos, sacerdotes et populos unitate fidei et communionis cum eo coniunctos in haeresim incidisse, quum definitiones oecumenici Concilii Vaticani sanxerunt et professi sunt. Eapropter denegant etiam indefectibilitatem Ecclesiae, blasphemantes ipsam in toto periisse mundo, proindeque visibile eius Caput et Episcopos defecisse: ex quo sibi ferunt necessitatem impositam legitimi episcopatus instaurandi in suo pseudo-episcopo, qui non per ostium sed aliunde ascendens, uti fur et latro, in suum ipse caput Christi damnationem convertit.

15. Nihilosecius infelices isti, qui catholicae religionis fundamenta suffodiunt, qui notas eius omnes et proprietates evertunt, qui tam foedos et multiplices commenti sunt errores, seu potius depromptos e veteri haereticorum penu et simul collectos in medium protulerunt, minime erubescunt se catholicos dicere, et *veteres catholicos*, dum doctrina, novitate et numero

suo utramque a vetustatis et catholicitatis notam quam maxime abiudicant. Potiori certe iure adversus istos, quam olim per Augustinum contra Donatianos, exurgit Ecclesia in omnes diffusa gentes, quam Christus Filius Dei vivi aedificavit super petram; adversus quam portae inferi non praevalebunt; et quacum Ipse, cui data est omnis potestas in caelo et in terra, se esse dixit omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. « Clamat Ecclesia ad sponsum suum aeternum: quod nescio qui recedentes a me murmurant contra me? Quid est quod perditi me periisse contendunt? Annuntia mihi exiguitatem dierum meorum: quamdiu ero in hoc saeculo? Annuntia mihi propter illos, qui dicunt: fuit et iam non est: propter illos, qui dicunt: impletae sunt scripturae, crediderunt omnes gentes, sed apostatavit et periit Ecclesia de omnibus gentibus. Et annuntiavit, nec vacua fuit vox ista. Quod annuntiavit? *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem saeculi.* Mota vocibus vestris et falsis opinionibus vestris quaerit a Deo, ut exiguitatem dierum suorum annuntiet sibi; et invenit Dominum dixisse: *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem saeculi.* Hic vos dicitis: De nobis dixit; nos sumus ut erimus usque in consummationem saeculi. Interrogetur ipse Christus: *Et praedicabitur*, inquit, *hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis.* Ergo usque in finem saeculi Ecclesia in omnibus gentibus. Pereant haeretici, pereant quod sunt, et inveniantur ut sint quod non sunt ». [1]

16. Sed homines isti per iniquitatis et perditionis viam audacius progressi, ut iusto Dei iudicio haereticorum sectis usuvenit, hierarchiam quoque sibi fingere voluerunt, sicuti innuimus, ac notorium quemdam a catholica fide apostatam. Iosephum Hubertum Reinkens pseudo-episcopum sibi elegerunt et constituerunt; atque ut nihil impudentiae deesset, pro consecratione eius ad illos confugerunt Ultraiectenses Iansenianos, quos ipsi, antequam ab Ecclesia desciscerent, haereticos et schismaticos ducebant una cum ceteris catholicis. Iosephus tamen ille Hubertus audet se dicere episcopum, et, quod fidem excedit, tanquam episcopus catholicus, edito decreto, agnoscitur et nominatur a serenissimo Germaniae Imperatore, ac iusti episcopi loco habendus et observandus subditis universis proponitur. Atqui vel ipsa catholicae doctrinae rudimenta declarant, nullum posse legitimum Episcopum haberi, qui fidei et caritatis communione non iungatur Petrae, super quam una aedificata est Ecclesia Christi; qui supremo non adhaereat Pastori, cui omnes Christi oves pascendae commissae sunt; qui non devinciatur confirmatori fraternitatis, quae in mundo est. Et sane « ad Petrum locutus est Dominus; ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno »; [2] Petro « magnum et mirabile consortium potentiae suae tribuit divina dignatio, et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus,

[1] August., in Psalm. 101, enarrat. 2, num. 8, 9.
[2] Pacianus ad Sympron., Ep. 3, n. 11. Cyprian., *De unit. Eccl.* Optat. contra Parmen., lib. 7, n. 3. – Siricius, Ep. 5, ad Episcopos afr. – Cf. Mansi, tom. 3, col. 669-671. Innoc. I, Ep. ad Victric., ad conc. Carthag. et Milev. – Cf. Mansi, tom. 3, col. 1032-1036; 1071-1077.

nunquam, nisi per ipsum, dedit quod aliis non negavit ». [1] Hinc est, quod ab hac Apostolica Sede, ubi beatus Petrus « vivit et praesidet et praestat quaerentibus fidei veritatem, [2] in omnes venerandae communionis iura dimanant »; [3] et hanc eamdem sedem « ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum, a qua se quisquis abscidit, fit christianae religionis extorris, cum in eadem non coeperit esse compage ». [4]

17. Hinc sanctus martyr Cyprianus de schismatico disserens pseudo-episcopo Novatiano ipsam ei negavit *christiani* appellationem, utpote seiuncto et abscisso ab Ecclesia Christi. « Quisquis ille est, inquit, et qualiscumque est, christianus non est qui in Christi Ecclesia non est. Iactet se licet, et philosophiam vel eloquentiam suam superbis vocibus praedicet; qui nec fraternam caritatem, nec ecclesiasticam unitatem retinuit, etiam quod prius fuit amisit. Cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam et ubique coniunctam catholicae Ecclesiae unitatem, humanam conatur ecclesiam facere. Qui ergo nec unitatem spiritus, nec coniunctionem pacis observat, et se ab Ecclesiae vinculo et a sacerdotum collegio separat, episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui episcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem ». [5]

18. Nos igitur qui in suprema hac Petri cathedra ad custodiam fidei catholicae et ad servandam ac tuendam universalis Ecclesiae unitatem, licet immerentes, constituti sumus, Decessorum Nostrorum sacrarumque legum morem atque exemplum sequuti, tradita Nobis a caelo potestate, non solum electionem memorati Iosephi Huberti Reinkens, contra sacrorum canonum sanctionem factam, illicitam, inanem et omnino nullam, eiusque consecrationem sacrilegam declaramus, reiicimus ac detestamur; sed et ipsum Iosephum Hubertum, et qui eum eligere attentarunt, et qui sacrilegae consecrationi operam commodarunt, et quicumque iisdem adhaeserint, eorumque partes sequuti opem, favorem, auxilium, aut consensum praebuerint, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicamus et anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos et in eorum numero habendos esse, a quorum consuetudine congressuque sic omnibus Christifidelibus interdixit Apostolus, ut nec ave illis dicere diserte praeceperit, [6] declaramus, edicimus et mandamus.

19. Ex his quae deplorando magis quam enarrando attigimus, Venerabiles Fratres, satis vobis perspectum est, quam tristis et periculo plena sit

[1] Leo M., Serm. 3, in sua assumpt. – Cf. Migne, *P. L.*, tom. LIV, col. 148-152. Optat, lib. 2, n. 2.
[2] Petr. Crys., Ep. ad Eutych.
[3] Conc. Aquil. inter. epp. Ambros., Ep. 11, num. 4. Hieron., Ep. 14 et 16 ad Damas.
[4] Bonif. I, Ep. 14, ad Episcopos Thessal. – Cf. Mansi, tom. 8, col 755-759.
[5] Cyprian., Contra Novatian., Ep. 52, ad Antonian.
[6] II Ioann., V, 10.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

in iis quas significavimus Europae regionibus Catholicorum conditio. Neque vero commodius res agitur, aut pacatiora sunt tempora in America, cuius regiones nonnullae ita Catholicis infestae sunt, ut earum Gubernia factis negare videantur catholicam quam profitentur fidem. Ibi enim aliquot abhinc annis bellum asperrimum contra Ecclesiam, eiusque institutiones et iura huius Apostolicae Sedis coepit commoveri. Haec si prosequeremur, Nobis non deesset oratio; cum autem propter rerum gravitatem obiter perstringi non possint, de illis alias fusius agemus.

20. Mirabitur fortasse quispiam ex Vobis, Venerabiles Fratres, tam late patere bellum quod aetate nostra Ecclesiae catholicae infertur. Verum quisquis probe noverit indolem, studia, propositum sectarum, sive masonicae dicantur, sive alio quovis nomine veniant, eaque conferat cum indole, ratione, amplitudine huius concertationis, qua ferme ubique terrarum Ecclesia impetitur, ambigere non poterit, quin praesens calamitas fraudibus et machinationibus earumdem sectarum potissimum accepta referenda sit. Ex his namque coalescit synagoga Satanae quae contra Ecclesiam Christi suas instruit copias, infert signa, et manum conserit. Hasce iampridem ab ipsis exordiis Praedecessores Nostri, vigiles in Israel, regibus et gentibus denunciarunt, has deinde iterum iterumque damnationibus suis perculerunt; neque Nos ipsi huic officio defuimus. Utinam supremis Ecclesiae Pastoribus maior habita fuisset fides ab iis, qui pestem tam exitiosam potuissent avertere! At illa per sinuosos anfractus irrepens, opere nunquam intermisso, versutis fraudibus multos decipiens, eo tandem devenit ut e latebris erumperet, seque iam potentem dominamque iactaret. Aucta in immensum adlectorum turba, putant nefarii illi coetus se voti iam compotes factos ac metam praestitutam tantum non attigisse. Id assequuti aliquando, quod tamdiu inhiaverant, ut pluribus in locis rerum summae praeessent, comparata sibi virium et auctoritatis praesidia eo convertunt audacter, ut Ecclesiam Dei durissimo mancipent servitio, fundamenta convellant quibus innititur, divinas conentur depravare notas queis praefulget insignis: quid multa? ipsam crebris concussam ictibus, collapsam, eversam, si fieri possit, ex orbe penitus deleant. Quae cum ita sint, Venerabiles Fratres, omnem adhibete operam muniendis adversus harum sectarum insidias et contagio- item fidelibus curae vestrae commissis, illisque qui nomen infauste dederint iisdem sectis, a perditione retrahendis. Eorum vero praesertim ostendite et oppugnate errorem, qui dolum sive passi sive molientes non verentur adhuc asserere socialem tantum utilitatem ac progressum mutuaeque beneficientiae exercitium spectari a tenebricosis hisce conventiculis. Exponite iis saepe, et altius animis defigite Pontificias hac de re constitutiones et edocete, non unos ab illis percelli masonicos coetus in Europa institutos, sed omnes quotquot in America, aliisque totius orbis plagis habentur.

21. Ceterum, Venerabiles Fratres, quoniam in haec tempora incidimus, quibus multa quidem patiendi sed et merendi instat occasio curemus praeprimis tamquam Christi milites boni, ne animum despondeamus, imo in ipsa qua iactamur procella certam spem nacti tranquillitatis futurae, et clarioris in Ecclesia serenitatis, nos ipsos et laborantem clerum et populum erigamus divino auxilio confisi et nobilissima illa excitati Chrysostomi commentatione: « Multi fluctus instant, gravesque procellae; sed non timemus ne submergamur; nam in petra consistimus. Saeviat mare, petram dissolvere nequit; insurgant fluctus, Iesu navigium demergere non possunt. Nihil Ecclesia potentius. Ecclesia est ipso caelo fortior. *Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Quae verba? *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Si non credis verbo, rebus crede. Quot tyranni Ecclesiam opprimere tentaverunt! Quot sartagines, quot fornaces, ferarum dentes, gladii acuti! nihil perfecerunt. Ubinam sunt hostes illi? Silentio et oblivioni traditi sunt. Ubinam Ecclesia? Plusquam sol splendescit. Quae illorum erant, extincta sunt; quae ad illam spectant, sunt immortalia. Si cum pauci erant Christiani, non victi sunt; quando orbis totus pia religione plenus est, quomodo illos vincere possis? *Caelum et terra transibunt, verba autem non transibunt* ».[1] Nullo itaque commoti periculo et nihil haesitantes perseveremus in oratione, idque assequi contendamus, ut universi caelestem iram flagitiis hominum provocatam placare nitamur; quo tandem in sua misericordia exurgat Omnipotens, imperet ventis et faciat tranquillitatem.

22. Interim benedictionem Apostolicam praecipuae Nostrae benevolentiae testem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, Cleroque et populo universo singulorum curae commisso peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. VI, p. 253-273.]

567.

Pius IX, ep. encycl. *Vix dum a Nobis*, 7 mart. 1874.[2]

1. Vix dum a Nobis catholico orbi denunciata fuerat per litteras datas die 21 novembris, anno superiori,[3] persecutio immanis contra Ecclesiam Dei, in Borussia et Helvetia praesertim, excitata; quum nova moerori Nostro accessit sollicitudo ex allatis nunciis de aliis iniuriis impendentibus eidem Ecclesiae, quae Sponso Divino similis effecta, iam et ipsa conqueri merito potest ea prophetica voce: *super dolorem vulnerum meorum addiderunt*.[4] Quibus iniuriis eo gravius angimur quod a Gubernio irrogentur Austriacae Nationis, quae iampridem maximis Christianae reipublicae temporibus huic Sedi Apostolicae coniunctissima pro catholica fide strenue decertavit.

2. Equidem iam aliquot ab hinc annis quaedam in isto Imperio latae sunt leges et ordinationes sanctissimis Ecclesiae iuribus et sollemnibus

[1] Hom. ante exil., n. 1 et 2.
[2] Dilectis Filiis S. R. E. Cardinalibus et Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Imperii Austriaci.
[3] Cf. N. 566.
[4] Psalm. 68, 27.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

pactis conventis plane adversae, quas in Nostra allocutione ad Venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales habita die 22 iunii anno 1868 condemnare et irritas declarare pro officii Nostri munere debuimus. [1] Nunc vero publicis Imperii Comitiis exponendae et approbandae proponuntur novae leges, quae eo manifeste spectant, ut catholica Ecclesia in perniciosissimam servitutem sub arbitrio civilis auctoritatis, contra divinam Iesu Christi Domini Nostri institutionem, omnino redigatur.

3. Humani enim generis Creator et Redemptor Ecclesiam fundavit tamquam visibile suum in terris regnum, non modo supernaturali charismate infallibilis magisterii ad sacram doctrinam tradendam, et sanctissimi sacerdotii ad divinum cultum animarumque sanctificationem sacrificio et sacramentis promovendam, verum etiam propria et plena regiminis potestate instructum ad ferendas leges, ad iudicia exercenda, ad salubrem coercitionem adhibendam in rebus omnibus quae ad proprium finem regni Dei in terris pertineant.

4. Quoniam vero supernaturalis haec regiminis ecclesiastici potestas, ex ipsa Iesu Christi institutione, diversa prorsus est atque independens ab imperio politico; idcirco ipsum regnum Dei in terris regnum est societatis perfectae, quod continetur et gubernatur suis legibus, suis iuribus, suis praepositis, qui pervigilant quasi rationem pro animabus redditun non civilis societatis rectoribus, sed principi pastorum Iesu Christo, a quo dati sunt pastores et doctores nulli terrenae potestati in obeundo ministerio salutis obnoxii. [2] Quare sicut ad sacros Antistites munus regendi, ita ad omnes fideles, monente Apostolo, officium pertinet eisdem obediendi et subiacendi; et proinde etiam populis catholicis sanctissimum ius est, ne in hoc officio divinitus iniuncto sequendi doctrinam, disciplinam ac leges Ecclesiae a civili gubernio impediantur.

5. Iamvero ipsi Nobiscum probe intelligitis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, quam gravis violatio huius divinae constitutionis Ecclesiae, quam intolerabilis subversio iurium Apostolicae Sedis, sacrorum Antistitum, populi catholici in earum legum rogatione, de quibus apud Austriaca Comitia nunc agitur, contineatur et palam promulgetur.

6. Nam secundum easdem leges Ecclesia Iesu Christi in omnibus fere rationibus et actionibus, quae ad regimen fidelium spectant, supremo civilis auctoritatis imperio prorsus obnoxia et subiecta existimatur atque habetur; idque in ea *Motivorum* expositione, quae vim et sensum propositarum legum explicat, aperte veluti principii loco statuitur. Hinc etiam declaratur diserte, Gubernii civilis esse ex suprema sua potestate leges ferre quemadmodum de civilibus, ita etiam de ecclesiasticis rebus, utpote quod Ecclesiae advigilare et dominari debeat non secus ac aliis quibuscumque civium societatibus privatis mereque humanis intra Imperii fines existentibus.

7. Itaque civile Gubernium sibi arrogat tum iudicium ac proinde magisterium de constitutione et iuribus Ecclesiae catholicae, tum supremum

[1] Cf. N. 550.
[2] Cf. Hebr., XIII, 17. – Eph., IV, 11. – I Petr., V, 2.

eiusdem regimen, quod partim per se ipsum suis legibus suaque actione partim per ecclesiasticos viros sibi mancipatos exerceat. Quo fit, ut potestati sacrae ad regendam Ecclesiam, ad opus ministerii atque ad aedificationem corporis Christi divinitus institutae arbitrium et vis subrogetur terreni imperii. Contra huiusmodi sacrorum usurpationes pro iure et veritate catholica respondet magnus Ambrosius: « Allegatur, imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: noli te gravare ut putes te in ea, quae divina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed esto Deo subditus. Scriptum est: quae Dei, Deo; quae Caesaris, Caesari: Ad te imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiae ». [1]

8. Quod vero ad ipsas leges attinet, quibus memorata *Motivorum* expositio praefigitur, licet eae speciem aliquam moderationis praeseferre fortasse videantur, si cum novissimis Borussicis legibus comparentur, re tamen vera eiusdem rationis et indolis sunt, eamdemque Catholicae Ecclesiae in Austriaca ditione parant perniciem.

9. Nolumus singula earumdem legum capita prosequi, verum silentio praeterire nullo modo possumus gravissimam iniuriam, quae ipsa harum legum propositione infertur Nobis ipsis et huic Apostolicae Sedi, nec minus vobis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, ac toti populo Catholico istius Imperii. Conventio nimirum inter Nos et serenissimum Imperatorem anno 1855 inita [2] ac ab eodem catholico principe solemni sponsione munita totique Imperio instar publicae legis promulgata, nunc Imperii Comitiis declaranda proponitur tanquam omni prorsus ex parte abrogata et irrita, idque nulla cum hac Apostolica Sede tractatione praegressa, imo et iustissimis Nostris expostulationibus plane contemptis. Haec profecto iis temporibus, quibus fides publica adhuc valuit, ne tentari quidem potuissent; nunc vero in hac tristissima rerum conditione et tentantur et perficiuntur. Contra hanc sollemnis pacti conventi violationem coram vobis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, iterum protestamur, multo vero magis intimo animi Nostri dolore denunciamus ac reprobamus iniuriam illam toti Ecclesiae illatam, dum et huius Concordati abrogationis et ceterarum connexarum legum causa et excusatio audacter refertur ad definitiones revelatae doctrinae ab Oecumenico Vaticano Concilio editas, atque haec ipsa catholica dogmata impie appellantur innovationes et commutationes doctrinae fidei et Constitutionis Ecclesiae catholicae. [3] Equidem si qui sunt in Austriaca ditione qui nefariis eiusmodi commentis catholicam fidem abiiciant, eam retinet ac profitetur cum gloriosis Avis suis totaque imperiali domo augustissimus Princeps, eam retinet ac profitetur longe maxima pars populi, cui leges feruntur talibus commentis innixae.

10. Ita Nobis insciis et invitis rescissa conventione solemni, quam cum serenissimo Imperatore celebravimus, ut animarum saluti simul et civilis reipublicae commodis prospiceretur, nova quaedam forma iuris obtenditur,

[1] S. Ambr., Ep. 20, n. 19.
[2] Cf. Raccolta di Concordati, p. 821-829.
[3] Motivorum Expos., p. 25.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

et nova facultas civili Gubernio vindicatur, ut marte proprio de spiritualibus et ecclesiasticis negotiis quidquid visum fuerit, constituat atque decernat.

11. Id eo valet, ut iis, quae modo rogantur legibus, inviolabilis ecclesiae libertas in animarum curatione, in regimine fidelium, in religiosa institutione populi et cleri ipsius, in vita ad evangelicam perfectionem exigenda, in administratione et proprietate in ipsa bonorum importunis nexibus implicetur atque praepediatur; perversio inducatur catholicae disciplinae, foveatur ab Ecclesia defectio, sectarumque coalitio et conspiratio contra veram Christi fidem legum praesidio communiatur.

12. Magna profecto Nobis copia memorandi foret, quid et quantum malorum, si leges huiusmodi perferantur, metuendum sit; at vero prudentiam vestram, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, id neque fallere, nec praeterire potest. Scilicet officia fere omnia et beneficia ecclesiastica, imo et exercitium pastoralium munerum ita civili potestati fient obnoxia, ut sacri Antistites, si novis iuribus (quod absit) acquiescerent, regimen dioecesium, pro quo districte rationem Deo sunt reddituri, non amplius iuxta saluberrima Ecclesiae praescripta retinere, sed ad nutum et arbitrium eorum qui reipublicae praefuerint, tractare et moderari cogerentur. Quid porro ex iis rogationibus expectandum erit, quae de agnitione religiosorum ordinum inscribuntur? Earum sane noxia vis et mens inimica tam aperta est, ut nemo non intelligat, eas ad corruptionem et perniciem religiosarum familiarum excogitatas esse et comparatas. Temporalium denique bonorum iactura, quae imminet, tanta est, ut a manifesta publicatione et direptione vix differat. Ea bona siquidem post infensas leges probatas, civile Gubernium in potestatem suam erit redacturum, sibique ius et fas esse ducet ea dividere, conferre et vectigalibus impositis sic extenuare, ut misera quae dabitur possessio et usus, non ad Ecclesiae decus, sed ad eius ludibrium et ad velamentum iniustitiae relicta haud immerito existimetur.

13. Quum hae sint leges, de quibus in publicis Austriaci imperii comitiis disceptatur, et iis, quae demonstravimus, principiis nitantur, perspecta vobis plane sunt, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, praesentia pericula, quae gregibus vigilantiae vestrae concreditis impendunt. Unitas namque et pax Ecclesiae in discrimen vocatur, illudque agitur ut ei libertas adimatur, quam S. Thomas Cantuariensis scienter dixit: « animam esse Ecclesiae, sine qua nec viget nec valet adversus eos qui quaerunt hereditate sanctuarium Dei possidere ».[1] Quam sententiam iam antea defensor alter eiusdem libertatis invictus, S. Anselmus verbis hisce explicaverat: « Nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae suae; qui ei volunt non tam prodesse quam dominari, procul dubio Deo probantur adversari: liberam vult esse Deus sponsam suam, non ancillam ».[2] Quapropter pastoralem sollicitudinem vestram, et zelum quo flagratis pro domo Dei, magis magisque excitamus et incendimus, ut periculum quod instat, contendatis amovere. Magnos sumite animos, quibus dignum virtute ve-

[1] S. Thom. Cantuar., Ep. 75 ad Episc. Angliae.
[2] S. Anselm., Ep. 9 ad Balduinum regem.

stra certamen obeatis. Certum namque Nobis, nihil vos fore animis neque virtute minores iis Venerabilibus Fratribus, qui alibi inter vexationes acerbissimas pro hac ipsa libertate Ecclesiae opprobriis et tribulationibus spectaculum facti non modo rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiunt, sed etiam in vinculis certamen sustinent passionum.[1]

14. Ceterum non in viribus nostris sed in virtute Dei spes omnis posita est, Dei namque causa agitur, qui oraculo numquam defecturo nos ita praemonuit et erexit: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.[2] Nos itaque, qui pro munere Nostro Apostolico in hoc bello tam vario et atroci contra Ecclesiam indicto, divina gratia infirmitatem Nostram roborante, duces constituti sumus, ea vobis renunciamus ac spondemus, quae S. Martyr Cantuariensis verbis olim expressit huic aetati et periculo apprime congruentibus: « Causa quam contra nos exercent inimici Ecclesiae, inter ipsos et Deum est, quia nos nihil aliud ab eis quaerimus, nisi quod Ecclesiae suae aeterno testamento pro ea in suscepta carne immortalis reliquit Deus. In fide ergo et charitate Christi exurgatis Nobiscum in auxilium Ecclesiae, et auctoritate et prudentia vobis collata occurrite hominibus, quibus nullorum successuum copia sufficit, si Ecclesia Dei gaudet libertate. Confidimus in vobis abundantius, praesertim in causa Dei. De nobis autem pro certo tenete, quia satius ducimus mortem incurrere temporalem, quam miserae servitutis angustias perpetuare. Nam huius controversiae exitus trahetur ad consequentiam temporum futurorum, ut Ecclesia aut perpetuis, quod absit, aerumnis lugeat, aut perenni gaudeat libertate ».[3]

15. Quum autem vobis interea adnitendum sit, ut quae instant pericula, auctoritate, prudentia et studiis vestris praecaveatis, nihil utilius atque opportunius fore intelligitis, quam ut collatis consiliis disquiratis ac deliberetis quaenam rationes viaeque aptiores suppetant, quo certius atque efficacius propositum finem assequamini. Dum Ecclesiae iura impetuntur, vestrum est ut adscendentes ex adverso murum opponatis pro domo Israel; solidius vero propugnaculum erit et defensio validior, quo magis concors et in unum conspirans singulorum opera et conatus erit; et quo diligentius praevisa et constituta fuerit agendi ratio pro varia necessitate rerum quae forte ceciderint, adhibenda. Quare vos etiam atque etiam hortamur, ut quamprimum conveniatis in unum, et communicatis consiliis normam constituatis certam omnibusque probatam, qua pro officii vestri ratione propulsetis unanimes mala ingruentia, et Ecclesiae libertatem fortiter tueamini. Haec ideo vos a Nobis moneri par erat, ne officio Nostro in tanta rei gravitate deesse videremur. Nam persuasum Nobis est, vos etiam citra hortationes Nostras haec ultro fuisse effecturos. Alioquin nondum spem omnem abiecimus fore ut eas, quae portenduntur, calamitates, alio tramite Deus avertat. Nos enim movet ad bene sperandum pietas et religio Carissimi

[1] Hebr., X, 32 seq.
[2] Ioann., XVI, 33.
[3] S. Thom. Cantuar., Ep. 33.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

in Christo Filii Nostri Francisci Iosephi Imperatoris et Regis, quem Nos novis litteris hodierna die ad ipsum datis enixe obsecravimus, ne unquam committere velit, ut in amplissima ditione sua inhonestae servituti tradatur Ecclesia, et catholici cives eius imperio subiecti in summas angustias adducantur.

16. Quoniam vero multi adversus Ecclesiam connituntur et mora quaevis plena semper periculo est, vos minime oportet desides conquiescere. Praesit Deus consiliis vestris, et potenti praesidio suo vos adiuvet, ut quae ad decus Nominis Eius in animarum salutem maxime pertinent constituere et perficere feliciter valeatis. In auspicium autem caelestis huius praesidii et praecipuae benevolentiae Nostrae testimonium Apostolicam Benedictionem vobis universis et singulis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, nec non Clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. VI, p. 297-306].

568.

Pius IX, *Quod nunquam*, 5 febr. 1875.[1]

1. Quod nunquam eventurum arbitrati sumus, animo reputantes ea, quae ab hac Apostolica Sede communi consilio cum suprema Borussiae Potestate anno huius saeculi vicesimo primo pro rei catholicae incolumitate et bono constituta fuerant,[2] id infeliciter his temporibus factum esse perspeximus, Venerabiles Fratres, in istis regionibus vestris, ubi tranquillitati, qua fruebatur Ecclesia Dei, saeva et inopinata successit tempestas. Legibus enim, quae non ita pridem adversus Ecclesiae iura latae fuerant, quaeque perculerunt complures e Clero et e fidelibus strenue officio perfunctos, aliae additae sunt, quae divinam Ecclesiae constitutionem penitus subvertunt, et omnino sacra Episcoporum iura pessumdant.

2. Ac sane his legibus facta potestas laicis iudicibus, ut Episcopos aliosque animarum curationi praepositos, e dignitate et muneris exercitio deiicerent; multa et gravia impedimenta iis obiecta, qui pro Pastoribus absentibus ad legitimam iurisdictionem exercendam essent constituti, indictum Capitulis Cathedralibus, ut Vicarios eligerent, nondum vacante, iuxta canones, Episcopali Sede; denique, ut alia omittamus, demandata facultas provinciarum Praefectis, ut viros etiam acatholicos deputarent, qui Episcopis suffecti eorum vice parique iure in Dioecesibus administrationi bonorum temporalium praeessent, sive sacris personis, sive usui ecclesiastico eadem sint destinata. Probe scitis, Venerabiles Fratres, quae damna et vexationes ex his omnibus legibus, et aspera earumdem exequutione fuerint insequuta. Consulto haec praeterimus, ne communem dolorem luctuosa recolendo au-

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Regni Borussici.
[2] Cf. Raccolta di Concordati, p. 648-665.

geamus; at reticere non possumus calamitatem Dioecesium Gnesnensis et Posnaniensis, ac Dioecesis Paderbonensis; traditis enim in custodiam Venerabilibus Fratribus Miecislao Gnesnensi et Posnaniensi Antistite, ac Conrado Episcopo Paderbonensi, ac in eos sententia lata, qua ab Episcopali sua Sede et auctoritate per summam iniuriam deiecti declarantur, memoratae Dioeceses subsidio egregiorum Pastorum suorum orbatae in gravium difficultatum et aerumnarum molem misere coniectae sunt. Atque ipsi quidem praedicti Venerabiles Fratres non deplorandi Nobis, sed suspiciendi et gratulatione prosequendi videntur, quippe qui divini memores effati: *Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis*,[1] non solum deterriti non sunt impendenti periculo et legum animadversione, quin pro ministerii sui gravitate Ecclesiae iura et mandata custodirent, verum etiam decori sibi duxerunt et gloriae, sicut et alii istius regionis spectatissimi Episcopi, quod damnationem immeritam et nocentium poenas propter iustitiam subirent, egregiam exhibentes virtutem in aedificationem totius Ecclesiae redundantem. At quamquam ipsis laudis ornamenta potius quam miserantis lacrymae debeantur; contemptus tamen Episcopalis dignitatis, violatio libertatis et iurium Ecclesiae, vexationes, quae non modo supramemoratas illas, sed et alias Borussici Regni Dioeceses premunt, a Nobis flagitant, ut pro Apostolico munere, quod Nobis, quamvis immerentibus, concredidit Deus, querelas Nostras contra leges illas, unde tot mala parta sunt et adhuc plura timenda efferamus, et libertatem Ecclesiae iniqua vi depressam, ea qua possumus ratione et sancta divini iuris auctoritate vindicemus. Ad has enimvero partes Nostri muneris implendas intendimus per hasce literas aperta testatione denunciantes omnibus, ad quos ea res pertinet, et universo Catholico Orbi leges illas irritas esse, utpote quae divinae Ecclesiae constitutioni prorsus adversantur. Non enim potentes huius saeculi praefecit Dominus sacrorum Antistitibus in iis, quae ad sanctum ministerium attinent; sed Beatum Petrum, cui non modo agnos, sed et oves suas pascendas commendavit,[2] proindeque a nulla quantumvis sublimi saeculi potestate episcopali officio privari possunt ii, *quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*[3]

3. Illud porro accedit indignum illustri gente, idque ab acatholicis ipsis, partium studio haud obnoxiis, perspectum iri arbitramur, quod eae leges, severis munitae sanctionibus, acres animadversiones non obtemperantibus comminantes, et militarem manum paratam habentes ad executionem, pacatos atque inermes cives, merito ab iis aversos propter conscientiae dictamen, quod neque ignorare, neque contemnere ipsarum legum latores poterant, in ea ferme conditione saepe constituant, in qua sunt miseri afflictique homines, quos premit atque urget vis maior, quam nequeant avertere. Quare eae leges non liberis civibus indicta videntur ad rationabile

[1] Luc., VI, 22.
[2] Ioann., XXI, 16-17. – S. August., *De fund.*, cap. 4.
[3] Act., XX, 29.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

obsequium exigendum; sed quasi servis impositae, ut coactam obedientiam vi terroris extorqueant.

4. Haec tamen non ita volumus accipi, quasi iusta excusatione purgatos eos censeamus, qui propter metum hominibus obedire maluerunt, quam Deo: multoque minus quasi impune abituri sint a Divino Iudice improbi homines, siqui sunt, qui unius civilis auctoritatis praesidio suffulti, paroeciales Ecclesias temere occuparunt, et sacrum ministerium in iis capessere ausi sunt. Imo perditos istos, et quotquot in posterum sese in Ecclesiarum regimen simili crimine intruserint, in maiorem excommunicationem iuxta sacros canones incidisse, et incidere ipso iure et facto declaramus; monentes pios fideles, ut ad eorum sacra haud accedant, neque ab iis sacramenta suscipiant, atque ita ab eorum commercio consortioque prudenter abstineant, ne malum fermentum massam intaminatam corrumpat.

5. Has inter calamitates valuit ad leniendum dolorem Nostrum fortitudo et constantia Vestra, quam profecto, Venerabiles Fratres, in aspera dimicatione obeunda certatim aemulati sunt reliquus Clerus et fideles, quorum tanta fuit animarum firmitas in catholicis servandis officiis, tanta cuiusque in suo genere laus, ut omnium, vel alienissimorum, oculos et admirationem in se converterint. Nec secus fieri poterat: nam « *quantum perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina praepositi, in tantum contra utile est et salutare cum se Episcopus per firmamentum fidei fratribus praebet imitandum* ». [1]

6. Utinam levamen aliquod in hisce rerum angustiis Vobis afferre valeremus! Firma interim hac Nostra protestatione quoad ea omnia, quae divinae Ecclesiae constitutioni, eiusque legibus opponuntur, nec non quoad vim, quae iniuste vobis infertur; consilio certe, opportunisque monitis pro rerum circumstantiis Vobis non deerimus.

7. Illud autem sciant qui Vobis infesti sunt, quod renuentes vos praestare Caesari, quae Dei sunt, nullam Regiae auctoritati iniuriam allaturi estis, et nihil ex ea detracturi; scriptum est enim *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* [2] ac simul noverint, unumquemque vestrum tributum et obsequium Caesari dare paratum esse, non propter iram, sed propter conscientiam in iis, quae civili subsunt imperio et potestati.

8. Sic utraque officia rite obeuntes, Deique ordinationi obsequentes, alacri estote animo, atque uti coepistis, sic pergite. Non enim modica lucrati estis, quod patientiam habetis et sustinuistis propter nomen Iesu et non defecistis. [3] Ipsum suscipite, qui vos graviora patiendo praecessit, et *plenam probrosae mortis oppetiit, ut membra Eius videlicet discerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare.* [4] Ipse, qui vos in hac acie constituit, pares certamini vires praebebit. *In illo spes est, ei nos subdamus et misericordiam prece-*

[1] S. Cypr., Ep. 4.
[2] Act., V, 29.
[3] Apoc., II, 3.
[4] S. Greg. M., *Reg. Past.*, p. 1, c.

mur. [1] Iam illud, quod Ipse praenunciavit evenisse, cernitis: quod igitur Ipse promisit, indubie ab Eo praestandum esse confidite. *In mundo*, ait, *pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* [2]

9. Huic itaque victoriae confisi pacem interea et gratiam a Spiritu Sancto suppliciter adprecamur, et praecipuae dilectionis Nostrae testem Apostolicam Benedictionem Vobis, universo Clero, et Fidelibus vigilantiae Vestrae commissis peramanter impertimus.

[Acta Pii IX, vol. VII, p. 6-12].

569.

Pius IX, allocut. *Curarum nostrarum*, 15 mart. 1875.

Curarum nostrarum partem esse agnoscentes his praesertim miserrimis temporibus Vestrum Ordinem amplissimum praestantibus augere viris, qui Nobis auxilio sint in universae Ecclesiae procuratione, ad hoc implendum munus animum nostrum convertendum existimavimus. Vellemus quidem hoc exequi veteri et solemni ritu, quem Ecclesiae dignitas postulat, sed id non patitur acerbitas temporum, quae tanta iam est, ut ne deplorandi quidem Ecclesiae mala facultatem liberam Nobis esse velle demonstret. Non miramur quod qui veteri errore et odio ab Ecclesia dissident, id assequi praesumant, sed quod in hac misera Italia, in qua suprema veritatis Cathedra divina dispensatione est constituta, ii qui filii erant in Ecclesiae hostes conversi perniciem Ecclesiae ipsius, quae a ruina humanae societatis seiungi non potest, tum voluntate sua, tum externo impulsu permoti moliantur ac struant, id quidem dolenter et imo ex corde ingemiscimus. Ex hac molitione profluxere tot illi deplorabiles ausus, qui iura, libertatem, res et ministros Ecclesiae inique laeserunt, et quorum diuturno iam ex tempore spectatores ad vim propulsandam impares esse cogimur; profluit etiam et promovetur in dies malum illud longe gravissimum, quo nihil tot animabus et humanae societati funestius, corruptio scilicet iuventutis, qua corruptione ad praesentia mala in futuras etiam generationes propaganda contenditur. Omnibus enim institutis, quae ad iuvenes erudiendos spectant, ab Ecclesiae vigilantia in hoc Catholici Orbis centro subductis, iuvenes a prima aetate qua virtutis aut vitii semina tenaciter haerent, scholas civili potestati subiectas celebrare expresse coguntur, ubi eorum mentes et corda nulla fidei et religionis ratione habita, iuxta huius saeculi placita et sapientiam informantur, cuius amarissimos fructus omnis nunc terra experitur.

Cum porro ipsa pariter institutio eorum, qui in sortem Domini vocati sunt, tot regulis de ratione studiorum ad arbitrium impositis implicetur, magis magisque in dies arduum illis efficitur hoc curriculum emetiri; ideo-

[1] S. Aug., Serm. 55.
[2] Ioann., XVI, 33.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

que perpauci iam existunt, maxime post infaustam de militari delectu legem, qui in clerum possint adscribi.

Quo autem luculentius pateant hostium nostrorum consilia, quaedam etiam nuper documenta prodiere, quibus animus additur presbyteris et inferioribus clericis, qui Episcopis aliisque Praesulibus contumaces obsistant; iisque praesidii spes et tutelae proponitur adversus sententias et decreta, quae in eos forte latura sit episcopalis auctoritas.

Quid plura? Ipsa divini verbi praedicatio et sermonum nostrorum evulgatio infestis actibus politicae potestatis percellitur: leges exhinc poenales denunciantur adversus eos, qui, sive typis, sive aliter verba a Nobis prolata; et acta huius Apostolicae Sedis in vulgus ediderint, quoties in hisce ex eorum sententia qui talia minitantur, aliquid inesse videatur adversum civilibus institutis ac legibus. Scilicet per eiusmodi minas in aperto ponitur quaenam mens et vis fuerit quibusdam legibus, quae simulata obsequii specie ad fucum faciendum fidelibus nostram libertatem et dignitatem tueri videbantur, et magis magisque ostenditur quam necessaria sit Nobis suprema ac plena potestas nullius ditioni aut arbitrio obnoxia, qualem divina Providentia Romanis Pontificibus contulit, ad spirituale ministerium in orbe expedite ac libere exercendum.

Interim comminatio illa eo intendit, ut supremi veritatis Magistri vox ipsa comprimatur ac late manare non possit, vox quae divino iure ad commune societatis bonum in universum orbem emittitur, quaeque circumscribi aut cohiberi non potest quin etiam omnium fidelium iura violentur. Cogitent qui Ecclesiam tantae huic servituti subiiciunt, sese divini iudicii severitatem in se ipsos provocare, eoque duriores vicissim experturos Dominos, et graviora tyrannidis iuga quo benignior erat Matris auctoritas quam iniectis vinculis reiecerunt.

Nec vero satis est Ecclesiae oppugnatoribus earum rerum acerbitas, quas memoravimus, sed ad novas etiam parandas causas dissidiorum, et perturbationum in ipsa Fidelium conscientia eorum conatus conversi fuere. Nuper enim in extera regione quibusdam scriptis in publicam lucem vulgatis quibus Vaticani Concilii decreta in laevam partem detorquebantur, id spectabatur, ut in successoribus Nostris eligendis Senatus vestri libertas violaretur, atque ut in ea re, quae tota ordinis ecclesiastici est, magna pars civili potestati tribueretur. At Deus misericors, qui praeest et consulit Ecclesiae suae, provide effecit ut fortissimi ac spectatissimi Germanici Imperii Episcopi illustri declaratione edita, quae in Ecclesiae fastis memorabilis erit, erroneas doctrinas et cavillationes hac occasione prolatas sapientissime refellerent, et nobilissimo tropheo veritati erecto Nos et universam Ecclesiam laetificarent. Dum autem amplissimas laudes coram vobis et Catholico orbe praedictis Episcopis universis ac singulis tribuimus, praeclaras eas declarationes et protestationes, ipsorum virtute gradu ac religione dignas, ratas habemus, easque Apostolicae auctoritatis plenitudine confirmamus. Dissipet Divina Clementia consilia inimicorum, et mitigans Nobis a diebus malis hereditatis suae recordetur, ostendatque, non esse prudentiam, non esse sapientiam, non consilium contra Dominum. Hoc ut ex votis feli-

citer contingat, sacrificemus in humilitate et fervida deprecatione sacrificia iustitiae. *Deus noster iustus et pius est et sicut perseverantibus in pravitate districtus est ita conversis misericors. Ad ipsum ergo tota mente contriti cordis eiulatione curramus, ab ipso ereptionis nostrae solatia postulemus, qui quoniam benignus et mitis est si nos a malis nostris emendatos sua viderit mandata diligere, et hic potens est nos ab hoste defendere, et in futuro aeterna nobis gaudia praeparare.*[1]

[Acta Pii IX, vol. VII, p. 37-43].

570.

Pius IX, ep. *Tuae litterae*, 1 dec. 1875.[2]

Tuae litterae ad Nos datae die 3 nuper elapsi mensis dum ex una parte Nobis consolationem attulerunt ob ea quae nunciabant de salutari et uberi fructu, quem ex Iubilaeo a Nobis indicto Fideles tui partim iam perceperunt, partim pie percipere student, ex altera, Ven. Frater, quo maior est existimatio et dilectio qua te prosequimur, eo maiorem Nobis admirationem iniecerunt ob ea quae disseruisti de infausta illa Civilis auctoritatis lege, qua Sacri Pastores sub poenali sanctione prohibentur, ne Fideles ad matrimonium coram Ecclesia contrahendum admittant, nisi isti prius coram publico Magistratu Matrimonium quod civile vocant iniverint. Ea enim quae de hac re scripsisti huiusmodi sunt, ut non praedictam legem aversari, sed eam potius probare ac tueri videaris. At, si Apostolicae huius Sedis iudicium quod de illa lege latum est respicias, Ven. Frater, longe aliter de illa tibi iudicandum esse cognosces. Cum enim ea sit natura ac indoles illius legis ut doctrinae Catholicae, rectae morum regulae ac libero pastoralis ministerii exercitio aperte adversetur, hinc eam Praedecessores Nostri ac Nos ipsi pluries pro nostro munere reprobavimus atque damnavimus. Quod enim Ecclesiae Catholicae doctrinae repugnet plane patet, si animadvertas fundamentum illius legis in ea erronea opinione esse positum, quae civilem contractum a Sacramento inter fideles separari posse putat, eamque legem non aliam matrimonii religiosi rationem habere, nisi ut poena plectatur, cum initum fuerit, non impletis ante civilibus praescriptionibus ex quibus unice iuxta eamdem legem tota vis contractus matrimonii pendet, dum contra in iis civilibus actibus seorsum a Sacramento spectatis non aliud agnoscit, neque agnoscere potest Ecclesia, quam legalem quamdam formam, qua turpis concubinatus involvitur. Hinc porro est quod praedicta lex sanae etiam morum rationi repugnat, ob ea pericula quae ex ipsa inducuntur. Contingere enim potest tum ut uterque vel alteruter ex sponsis peractis civilibus actibus religiosum matrimonii ritum obire negligant, atque ita vivant vel vivere in misero concubinatu cogantur; tum saltem ut

[1] S. Gregorius M.
[2] Venerabili Fratri Henrico Episcopo Gandavensi.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

sponsi antequam sacro Catholicae Ecclesiae ritu iungantur, interea nimium inter se familiariter agant, ac sub eodem tecto in communi habitent, sicuti in iis regionibus ubi praedicta lex viget, deploranda sane experientia demonstrat. Nec praeterea obscurum est, quod eadem lex necessariam ac salutarem ministerii pastoralis libertatem graviter laedat, cum in pluribus adiunctis in quibus propter circumstantias temporis vel personarum civilis legis praescripta impleri nequeunt, nullo tamen pacto differri possit Christiani Matrimonii celebratio sive ad restituendam animis stimulorum morsu vexatis, tranquillitatem, sive ad aliquod grave scandalum quod immineat removendum, sive ad familias diuturnis et acerbis dissidiis infensas inter se reconciliandas, sive demum ad consulendum animae Christianae, quae Dei iudicium brevi est subitura. His de causis non potuimus, Ven. Frater, non aegerrime ferre, quod in ista Belgica regione recenter accidisse cognovimus, Parochum nempe iudicio subiectum ac damnatum fuisse, quod cuiusdam morientis aeternae saluti per celebrationem Matrimonii Christiani prospexerat. Quid enim indignius quam a Magistratibus Catholicis in Catholica regione sacrum Pastorem poena affici eam unice ob causam quod officio satisfecerat, quod sacri ministerii actum, qui sacramenti sanctitatem spectabat, necessario peregerat, iis in adiunctis, in quibus si tantum distulisset, gravissimo ipse crimini fuisset obnoxius? Hinc est, Ven. Frater, quod die 3 elapsi Octobris coram nobili coetu Belgicorum Fidelium, qui in almam hanc Urbem venerant, ut obsequium filialis suae devotionis Nobis afferrent, et Sacri Iubilaei Indulgentias lucrarentur, ea verba habuimus de quibus mentionem facis in tuis litteris, illos hortantes ad agendum suis postulationibus apud Gubernia, ut contractui civili Sacramentum Matrimonii praecedat. Si huiusmodi res a Comite Iosepho de Hemptinne aliisque tuis Dioecesanis qui illi sese adiunxerunt, nunc omnino postulatur in supplicibus litteris, quas, ut refers, Serenissimo Regi obtulerunt, Nos certe non videmus quonam pacto eorum agendi ratio ob hanc causam possit iuste improbari, quasi ipsi ad immutandam Constitutionem Regni, imo ad eam evertendam animum adiiciant. Quae accusatio futilis ac ponderis expers eo magis videtur, quod ipsa regni lex seu constitutio ius tribuit civibus, ut huiusmodi postulata possint exhibere. Quod si toties isthic improbi hoc iure usi atque abusi sunt in detrimentum Ecclesiae, cur non liceat fidelibus in ipsius Ecclesiae utilitatem ac bonum ius illud experiri? Vides itaque, Ven. Frater, Nos nullo modo tibi assentiri posse in iis querelis, quae a te contra praeditos tuos dioecesanos ac potissimum adversus Comitem de Hemptinne proferuntur, cuius caeteroquin pietatem et caritatem in miseros apud Nos commendas; quamquam Nos illud optemus, ut Fideles in iis omnibus, quae in publicum rei Catholicae bonum facere intendunt suorum Episcoporum consilio et ductu regantur, nunquam plane dubitantes hos doctrinarum et salutarium praescriptionum, quae ab hac Apostolica Sede traduntur, fidelissimos semper interpretes et vindices fore. Haec sunt, Ven. Frater, quae tibi pro Nostro munere rescribenda censuimus, ac a Te postulamus, ut cures uti haec ipsa Dilecto Filio Nostro Archiepiscopo Mechliniensi innotescant. Quod superest sinceram Nostram

dilectionem tibi declarantes, in eius pignus et in auspicium caelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem tibi, cunctoque cui praesides gregi peramanter in Domino impertimus.

[Acta Pii IX, vol. VII, p. 144-148].

571.

Pius IX, ep. *Exortae*, 29 apr. 1876.[1]

Exortae in ista ditione superioribus annis perturbationes ex parte eorum, qui Massonicae Sectae addicti in piorum Christianorum Sodalitates irrepserunt, uti Vos, Ven. Fratres, in Dioecesibus praesertim Olindensi et Belemensi de Para in gravem adduxere conflictum; sic Nostro animo, ut scitis, molestae admodum et acerbae extiterunt. Non enim poteramus sine dolore respicere quod exitiosa illius sectae pestis ad corruptionem praedictarum Sodalitatum manasset, atque ita ea instituta, quae ad sincerum fidei et pietatis spiritum fovendum ordinata essent, superseminata funesta zizaniorum messe, in miseram conditionem essent prolapsa. Hinc Nos Apostolico Nostro munere admoniti, et paterna caritate impellente, qua istam Dominici gregis partem prosequimur, huic malo occurrendum esse incunctanter existimavimus, ac litteris datis die 29 maii anno 1873[2] ad Te, Ven. Frater Olindensis, nostras voces contra hanc deplorandam perversionem in Christianas Sodalitates invectam extulimus, ea tamen lenitatis et clementiae ratione erga deceptos et illusos Massonicae Sectae asseclas adhibita, ut ad congruum tempus reservationem censurarum in quas ipsi inciderant suspenderemus, in eum finem ut Nostra benignitate uterentur ad detestandos errores suos et ad damnatos quos iniverant coetus deserendos. Mandavimus insuper Tibi, Ven. Frater Olindensis, ut eo temporis spatio elapso nisi ipsi resipuissent, praedictas Sodalitates supprimeres ac suppressas declarares, easque novis sociis adscriptis ab omni Massonica labe immunibus, iuxta suae originis rationem de integro restitueres. Praeterea cum Nos in encyclica epistola ad Catholici Orbis Episcopos data die 21 novembris an. 1873.[3] Fideles omnes adversus sectariorum artes et insidias pro munere Nostro munire studeremus, palam ea occasione Pontificias Constitutiones contra pravas societates sectariorum editas in memoriam fidelium revocavimus, atque ediximus in Constitutionibus non unos percelli Massonicos coetus in Europa constitutos, sed omnes quotquot in America aliisque totius orbis plagis habentur. Hinc Nos non potuimus non vehementer mirari, Ven. Fratres, quod cum auctoritate Nostra et consiliis errantium salutem spectantibus interdicta sublata essent, quibus in ista regione nonnullae Ecclesiae et Sodalitia ex Massonicis asseclis late conflata subiecta

[1] Venerabilibus Fratribus Episcopis Brasilianae regionis.
[2] Cf. N. 563.
[3] Cf. N. 566.

fuerant, ex hoc occasio capta fuerit in vulgus disseminandi Massonicam societatem in istis plagis consistentem Apostolicarum damnationum exsortem esse, ac proinde eosdem sectarios tuto posse in piorum Christianorum Sodalitatibus partem habere. Sed quantum haec a veritate et a Nostri animi sententia aberrent, id aperte declarant tum ea acta quae superius memoravimus, tum epistola ipsa quam ad Serenissimum Imperatorem istius regionis scripsimus die 9 februarii an. 1875, in qua dum interdictum quod nonnullas Ecclesias istarum Dioecesium afficiebat revocatum iri spondebamus, ubi Vos, Ven. Fratres, Parensis et Olindensis iniusto carcere detenti in libertatem essetis restituti, eam tamen reservationem et conditionem adiecimus, ut scilicet Massonici asseclae ab officiis quae in Sodalitiis gererent, summoverentur. Quae ratio providentiae Nostrae non aliud habuit, neque habere potuit propositum, nisi ut Imperatoris votis hac ex parte expletis, ac tranquillitate animorum revocata, opportunitatem Imperiali Gubernio praeberemus, pias sodalitates massonica labe depulsa in pristinum statum restituendi, ac efficiendi, ut damnatae sectae homines Nostra erga ipsos clementia permoti, a perditionis via sese eripere curarent. Ne vero in re tam gravi ullum dubium superesse possit, vel ullus deceptioni locus, Nos non omittimus hac occasione iterum declarare et confirmare Massonicas societates sive quae in ista regione, sive quae alibi terrarum existunt, quaeque a multis vel deceptis vel decipientibus socialem tantum utilitatem et progressum, mutuaeque beneficientiae exercitium spectare dicuntur, apostolicis constitutionibus et damnationibus esse proscriptas atque perculsas, eosque omnes qui sectis iisdem nomen infauste dederint, ipso facto in maiorem excommunicationem Romano Pontifici reservatam incidere. Vehementer autem cupimus, Ven. Fratres, ut sive per Vos, sive per Cooperatores vestros de hac exitiosa peste Fideles admoneatis, eosque omni, qua potestis ratione ab ipsa incolumes praestare adnitamini. Nec minori cum sollicitudine vestro zelo commendamus, ut religiosa doctrina per praedicationem verbi Dei, per opportunas instructiones Christiano Populo isthic sedulo tradatur; scitis enim quae utilitas ex hac ministerii parte si rite impleatur, quae damna gravissima si negligatur in Christianum gregem dimanent.

At praeter ea de quibus hic egimus, deplorare etiam cogimur potestatis abusum ex parte eorum qui memoratis Sodalitatibus praesunt, qui nempe ut ad Nos perlatum est, omnia ad suum arbitrium revocantes indebitum ius in rebus et personis sacris, et in iis quae spiritualia sunt sibi vindicare praesumunt, ita ut Ecclesiastici viri et Parochi ipsi in sui officii muneribus obeundis, eorum potestati penitus obnoxii reddantur. Quae res non modo ecclesiasticis legibus, sed et ipsi Ordini a Christo Domino in Ecclesia sua constituto omnino adversatur; non enim laici homines a Christo positi sunt rerum ecclesiasticarum Rectores, sed ii pro sua utilitate et salute legitimis Pastoribus subesse debent, eorumque est pro singulorum statu sese Cleri adiutores praebere, non autem sese immiscere in iis rebus quae Sacris Pastoribus sunt a Christo concreditae. Quapropter nihil magis necessarium agnoscimus, quam ut praedictarum Sodalitatum statuta ad rectum ordinem exigantur, et quae in iis abnormia et incongrua hac ex parte sunt

cum Ecclesiae regulis et canonica disciplina rite componantur. Ad hunc finem assequendum Nos, Ven. Fratres, spectatis rationibus, quae inter ipsas Sodalitates et civilem potestatem intercedunt, in eo quod attinet ad earum in temporalibus constitutionem et ordinationem, iam Cardinali nostro a Secretis Status opportuna mandata dedimus, ut cum Imperiali Gubernio agat, et concordia cum ipso studia ad optatos effectus obtinendos convertat. Confidimus civilem auctoritatem in hanc rem suas curas Nobiscum studiose collaturam, ac Deum enixe precamur a quo bona cuncta procedunt, ut hoc opus quod ad Religionis et societatis civilis tranquillitatem pertinet, sua gratia prosequi et adiuvare dignetur. Horum votorum ut compotes simus Vos etiam, Ven. Fratres, vestras preces Nostris adiungite, ac in pignus sincerae dilectionis Nostrae accipite Apostolicam Benedictionem, quam Vobis et Clero ac Fidelibus cuiusque vestrum curae concreditis peramanter in Domino impertimus.

[Acta Pii IX, vol. VII, p. 210-214].

572.

Pius IX, allocut. *Luctuosis exagitati*, 12 mart. 1877.

1. Luctuosis exagitati Nostri Pontificatus temporibus pluries vestrum amplissimum ordinem in has aedes advocavimus, ea mente ut gravia mala apud Vos deploraremus quibus Ecclesia indigne affligitur, et contra ea quae sive in Italia sive in aliis regionibus in perniciem Ecclesiae ac Sedis Apostolicae patrata sunt, Nostras protestationes ederemus. Novissimis vero hisce annis novos et violentiores usque ad impetus atque iniurias spectare debuimus, quas Ecclesia Dei in variis Orbis catholici partibus pertulit ab infensis hostibus,qui opportunam satis occasionem Iesu Christi Sponsam oppugnandi reputaverunt calamitosam conditionem rerum nostrarum, et solitudinem eam, in qua Nos omni humana ope destituti versamur. Optassemus quidem hodierna die, Venerabiles Fratres, menti et cogitationi vestrae proponere immanem hanc lateque diffusam persecutionem, quae in pluribus Europae regionibus contra Ecclesiam saevit, sed habentes in animo acerbam hanc descriptionem alio Vobis tempore exhibere, interim facere non possumus, quin Ecclesiae in hac Italia labores et vexationes in dies asperiores Vobis commemoremus, ac pericula, quae quotidie maiora Nobis et huic Apostolicae Sedi impendere conspicimus, aperiamus.

2. Septimus iam procedit annus, ex quo invasores civilis Nostri Principatus, omnibus divinis ac humanis iuribus proculcatis, solemnium pactionum fide violata, et calamitates illustris Nationis catholicae opportunitatem suam reputantes, vi atque armis provincias, quae in nostra potestate adhuc erant, occuparunt, hanc sanctam civitatem expugnavere, ac tantae iniquitatis opere Ecclesiam universam luctu ac dolore compleverunt. Simulatae atque infidae promissiones, quas iis funestis diebus ipsi super rebus nostris Guberniis exteris obtulere, declarantes se velle obsequium et honorem

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

reddere libertati Ecclesiae, et liberam ac plenam esse velle Romani Pontificis potestatem, efficere non potuerunt ut Nos vana spe illecti non penitus praeciperemus animo, quae luctuosa ac misera Nos sub eorum dominatione manerent; quin probe conscii consiliorum impiorum, quae propria sunt hominum, quos novarum rerum studia et sceleratum foedus consociat, aperte praenunciavimus eam sacrilegam invasionem non tantum spectare ad civilem Nostrum Principatum opprimendum, quantum ad destruendas facilius, temporali nostra dominatione oppressa, institutiones omnes Ecclesiae, ad evertendam Sanctae Sedis auctoritatem, ad vicariam Christi potestatem, quam licet immerentes gerimus in terris, omnino labefactandam.

3. Iamvero hoc opus demolitionis et eversionis omnium rerum quae pertinent ad ecclesiasticum aedificium atque ordinem, si non quoad consilia ac odium persecutorum, quoad gravissimas tamen ruinas, quas usque ad hanc diem concesserunt, pene consummatum dici potest; ac satis est oculos convertere ad leges et decreta ab initio novae dominationis huc usque edita, ut luculenter perspiciatur Nobis singillatim ac sensim alia ex aliis in dies media et praesidia fuisse sublata, quibus ad catholicam Ecclesiam, ut par est, regendam et gubernandam omnino indigemus. Enimvero iniquitas quae completa est supprimendis ordinibus religiosis, Nos strenuis ac utilibus adiutoribus damnose spoliavit, quorum opera in expediendis ecclesiasticarum Congregationum negotiis, in tot partibus ministerii Nostri exercendis Nobis omnino necessaria est, ac eodem tempore hic in urbe nostra tot domicilia delevit, quae religiosos viros ex exteris nationibus excipiebant, qui statis temporibus in hanc metropolim convenire consueverunt ad roborandum spiritum, ad rationes de suo ministerio reddendas, atque ab ipsis radicibus crudeliter abscidit tot utiles et feraces plantas, quae fructus benedictionis et pacis in omnes terrae plagas efferebant. Eadem autem suppressionis iniuria, quae Collegia perculit pro sacris missionibus in urbe constituta ad dignos operarios efformandos, qui Evangelii lucem in dissitas etiam et inhospitas terras animose proferrent, ea misere subduxit tot populis tam salutare pietatis et caritatis auxilium magno cum detrimento ipsius civilis humanitatis et cultus, qui a Religionis nostrae sanctitate, doctrina, virtute dimanat. Huiusmodi vero leges per se acerbissimae et non solum Religionis, sed ipsius humanae societatis utilitati perquam adversae, maiorem etiam acerbitatem deinde accepere ex novis ordinationibus rei publicae ministrorum, quibus religiosarum familiarum communi in domo consociationes et novae admissiones pro regularibus utriusque sexus sub severis sanctionibus prohibentur. Disiectis Ordinibus religiosis, Clero saeculari destruendo consilia et opera conversa sunt, ac funesta ea lex lata fuit qua Nos et Pastores italici populi magno cum luctu videre debuimus iuvenes clericos, Ecclesiae spem, a sanctuario nequiter avulsos, et coactos aetate ipsa qua se Deo solemniter consecraturi sunt, saecularis militiae balteum accipere, ac vitae genus perferre, quod ab institutis et a spiritu vocationis eorum longissime abhorret. Quid plura? Subsecutae sunt aliae iniustae leges quibus universum patrimonium, quod Ecclesia sacris, diuturnis, inviolabilibus titulis possidebat magna ex parte fuit ereptum, sub-

stitutis eius loco ac ex parte tantum exiguis reditibus, qui ancipitibus temporum vicibus, et voluntati ac arbitrio publicae potestatis penitus subiiciuntur. Deplorare etiam coacti fuimus magno numero aedificia, quae pietas fidelium gravibus admodum sumptibus toleratis erexerat, quae christianis Romae temporibus digna erant, quaeque pacatum hospitium praebebant virginibus Deo devotis aut Regularium familiis, indiscriminatim legitimis possessoribus eiectis occupata fuisse, et in profanos usus destinata. Adempta insuper fuerunt potestati Nostrae, et sacrorum ministrorum curationi, tot pia opera et instituta caritati ac beneficientiae exercendae consecrata, quorum nonnulla egestati aliisque miseriis et necessitatibus sublevandis mira munificentia ipsi Romani Pontifices Praedecessores Nostri et exterarum gentium pia liberalitas condiderant; ac si qua ex iis publicae caritatis operibus adhuc sub Ecclesiae vigilantia manent, lex quaedam non serius roganda esse fertur, qua illa a Nobis subtrahantur aut funditus aboleantur, veluti publica documenta non dubie nec obscure praenunciant. Vidimus praeterea, idque anima Nostra supra omnem modum dolore perculsa commemoramus, Ecclesiae auctoritati et moderationi subductum publicum ac privatum doctrinarum et artium magisterium, et docendi munus concreditum hominibus suspectae fidei, aut apertis Ecclesiae inimicis et qui non dubitarunt atheismi impietatem publice profiteri.

4. Occupatis hac ratione et eversis tot religiosis magnique momenti institutionibus, id non satis visum est filiis Ecclesiae desertoribus nisi etiam impedimenta ponerent sanctuarii Ministris ne suum spirituale ministerium valeant libere exercere; atque huc etiam nefarie perventum est ea lege in aula oratorum legibus ferendis novissime approbata, quae de *Cleri abusibus* inscribitur, cuius vigore crimini et noxae vertuntur Episcopis itemque sacerdotibus, ac gravibus poenarum sanctionibus mulctantur ii actus, quos sub insidioso nomine perturbationis conscientiae quam dicunt publicae, aut pacis familiarum praedictae legis auctores complectuntur. Eius porro quam innuimus legis iussu, verba ac scripta omnis generis quibus Religionis administri decreta, leges aut alium quemque publicae auctoritatis actum vel rei sacrae iuribus, vel Dei aut Ecclesiae legibus adversantem, pro sui officii ratione notandum ac improbandum censeant, animadversioni et poenis perinde subiiciuntur, ac opera illorum qui praedicta scripta ediderint aut diffuderint, quocumque ex ordine ecclesiasticae auctoritatis, aut ex loco ipsa manaverint. Ubi haec lex perlata et promulgata fuerit integrum erit laico tribunali iudicium ferre, utrum ac quomodo sacerdos in sacramentis administrandis, in divini verbi praedicatione conscientiam publicam et domesticam tranquillitatem perturbaverit, ac episcopalis et sacerdotalis vocis ea erit conditio ut ea comprimatur aut obstruatur, non minus quam vox ipsa Iesu Christi Vicarii, qui quamvis in se ipso nulli animadversioni obnoxius dicatur ob rerum politicarum rationes, in persona tamen eorum qui eius noxae affines fuerint puniendus esse censetur, uti publicus regni administer in conventu legumlatorum palam significare non dubitavit, cum respectu ad Nos habito aperte profitetur nec novum aut insolitum esse in legibus, nec a iuris criminalis ratione scientia ac usu absonum, poenis

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

subiici participes criminis, ubi praecipuus auctor puniri non possit. Ex quo intelligitur ad Nos etiam ex dominantium sententia huius legis telum spectare, ita ut ubi nostra verba aut acta in offensionem eius legis incidant, Episcopi aut sacerdotes qui nostros sermones et monita aut evulgarint aut executi fuerint poenas laturi sint eius praetensi criminis, cuius reatum, et culpam Nos uti praecipuus auctor sustinere iudicabimur.

5. En Venerabiles Fratres quemadmodum non solum tot praesidia, tot instituta roborata saeculis, invicta tempestatibus, Ecclesiae administrationi necessaria, hostili violentia ac demolitione apud Nos eversa sunt, sed eo etiam progressum est, ut sublime illud munus docendi, vigilandi, animarum saluti prospiciendi quod Ecclesia a suo divino conditore accepit, nefario modo impediatur, severissimis poenis indictis ad obstruendum os ministrorum eius, qui dum docent populos servare omnia quae Christus mandavit, dum instant opportune importune, arguunt, obsecrant, increpant in omni patientia et doctrina, illud agunt quod divina eis et apostolica auctoritate praecipitur. Alias autem tenebrosas molitiones oppugnatorum Ecclesiae silentio praeterimus, a quibus nonnullorum etiam ex publicis administris consilia et incitamenta non abesse cognoscimus, quae eo spectant ut maiorum tribulationum dies Ecclesiae ipsi adducantur, vel promovendis schismatis occasionibus ubi futuri Pontificis electio inciderit, vel Episcoporum qui Ecclesiis Italiae praesunt spiritualis auctoritatis usu impediendo, cuius rei causa Nos novissime declarare coacti fuimus, tolerari posse ut acta canonicae institutionis eorumdem Episcoporum laicae potestati exhibeantur, ad occurrendum quantum in Nobis est, funestissimis rerum adiunctis, in quibus non amplius agebatur de temporalium bonorum possessione, sed ipsae fidelium conscientiae, earum pax, animarum procuratio et salus, quae suprema Nobis lex est, in apertum discrimen vocabantur. Verum in hoc quod egimus ad gravissima pericula removenda, palam ac iterum agnosci volumus, Nos iniustam eam legem quae *regium placitum* vocatur omnino improbare ac detestari, aperte declarantes per ipsam laedi divinam Ecclesiae auctoritatem, eiusque libertatem violari.

6. Post haec autem quae hactenus exposuimus, omittentes plura alia, ad quae deploranda sermonem nostrum producere possemus illud petimus, qua ratione fieri possit ut Ecclesiam gubernare valeamus sub dominatione eiusmodi potestatis, quae omnia Nobis media et praesidia ad Apostolatum nostrum exercendum continenter adimit, omnem viam obstruit, nova in dies impedimenta, novas difficultates interponit, novos usque laqueos insidiasque molitur? Profecto Nos satis mirari non possumus eos homines reperiri, quorum nescimus utrum levitas an malitia maior sit, qui sive per publicas ephemerides, sive peculiaribus scriptis sive impudentibus sermonibus plurium occasione conventuum habitis, obtrudere et persuadere populis conantur, praesentem Summi Pontificis in urbe conditionem talem esse, ut etiam sub alterius potestatis dominatione constitutus, plena libertate fruatur, ac tranquille et plene possit suo supremo spirituali primatu perfungi. Ad quam opinionem publice confirmandam nullam elabi occasionem sinunt sive cum Episcopi et fideles

ex exteris plagis ad Nos visendos accedunt, sive cum eorum pios coetus in conspectum nostrum admittimus, sive cum impios ausus contra Ecclesiam Nostris ad eos sermonibus deploramus, quin de industria et callide incautis insinuare studeant. Nos reipsa plena potestate et libertate frui tum loquendi tum excipiendi fideles tum Ecclesiam universam administrandi. Mirum Nobis est quod talia impudenter iactari possint, quasi exercitium illorum actuum qui recensentur plene et omnino esset in nostra potestate, et quasi in iis tota gubernationis Ecclesiae ratio quae ad munus Nostrum pertinet, contineretur. Quis enim nescit non sub Nostra sed sub dominantium potestate esse actus eius libertatis quam tantopere extollunt, ita ut eatenus et tamdiu eosdem actus exercere possimus, quatenus et quandiu hoc ab iis non impediatur? Quae tamen Nostrorum actuum libertas quantum sub eorum potestate sit, etsi alia argumenta deessent, satis innuit ac docet novissima ea lex quam nuper deploravimus, qua liberum exercitium spiritualis Nostrae potestatis, et ministerii ecclesiastici ordinis nova et intolerabili oppressione constringitur. Quod si nonnullos actus Nos posse exercere permiserint, ea de causa quod agnoscant quantopere eorum intersit Nos sub eorum dominatione liberos existimari, quam multa tamen gravissima pernecessaria summique momenti sunt quae ad formidanda onera ministerii Nostri pertinent, quibus reipsa ac rite perficiendis, Nos dominantium iugo subiecti omni necessaria facultate et libertate caremus? Vellemus quidem illos qui ea quae retulimus scribunt aut loquuntur, oculos suos ad ea quae circa Nos accidunt coniicerent, ac alieno paullisper a partibus animo diiudicarent, utrum vere dici possit Ecclesiae regendae potestatem Nobis divinitus commissam, cum eo statu ad quem Nos adegit invasorum dominatus posse componi. Vellemus eos agnoscere convicia, iniurias, contumelias, quae etiam in aula Oratorum Populi continenter contra humilitatem Nostram effunduntur, convicia in quibus Nos quidem ignoscimus miseris qui ea promunt, sed tamen in offensionem maximam fidelium cedunt quorum communis Pater violatur, et eo tendunt ut imminuatur apud eos existimatio, auctoritas, veneratio, quam Vicariatus Christi quem indigni sustinemus, suprema dignitas et sanctitas postulat. Vellemus eos testes esse probrorum et calumniarum quibus tum amplissimus ordo vester, tum sacri Ecclesiae Magistratus omnibus modis impetuntur, tanto cum administrationis eorum detrimento; testes esse irrisus ac ludibrii quo augusti ritus ac institutiones catholicae Ecclesiae dehonestantur, petulantiae qua sanctissima religionis mysteria profanantur, ac conspicere publicis honoris significationibus et pompis decoratam impietatem et atheos homines, dum contra religiosae supplicationes et pompae vetantur, quas avita italorum pietas libere semper celebrare solemnibus temporibus consuevit. Vellemus etiam ipsis notas esse blasphemias, quae impune, auctoritate publica dissimulante, contra Ecclesiam in legumlatorum conventu coniiciuntur, in quo Ecclesiae ipsi subvertendi et aggrediendi criminatio est illata, libertas eius nefarium ac fatale principium vocatum est, doctrinae eius perversae, ac societati et moribus adversantes appellatae sunt, vis et auctoritas eius tamquam civili consortio perniciosa incusata fuit. Neque possent iidem

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

confictae nostrae libertatis praecones inficiari tot multiplices graves continuas occasiones in id comparatas ut incauta iuventus inflammatis cupiditatibus corrumpatur, ac ex eius animo catholica fides radicitus extirpetur. Si ipsi demum vias huius urbis, quae per B. Petri cathedram religionis sedes et caput est obirent, iudicare percommode possent utrum templa acatholici cultus his temporibus excitata, scholae corruptionis quaquaversus diffusae, tot domus perditionis passim constitutae, obscena et foeda spectacula quae oculis populi offeruntur; talem rerum conditionem faciant, quae tolerabilis sit ei qui pro sui apostolatus officio debet quidem et vellet tot malis occurrere, at contra omnibus mediis et rationibus, omni potestatis exercitio privatur, quo possit vel uni tantum ex tot malis necessaria remedia adhibere, et animabus in exitium ruentibus opem ferre. Hic tandem est, Venerabiles Fratres, status cui subesse cogimur opera eius gubernii quod in hac urbe dominatur, haec est illa libertas et potestas exercendi ministerii nostri cuius nomine abutuntur et qua Nos potiri impudenter iactitant: libertas scilicet videndi demolitionem in dies deteriorem ordinis et constitutionis ecclesiasticarum rerum, videndi exitium animarum, quin operam nostram ad tot damna opportune reparanda impendere et navare possimus. His ita se habentibus nonne nova amarulenta irrisio et ludibrium existimandum est illud quod saepe dicitur, nempe debere Nos conciliationis et concordiae consilia cum novis dominatoribus inire, cum haec conciliationis ratio non aliud ex parte nostra esset, nisi omnino prodere non modo summa Sanctae huius Sedis iura, quae tamquam sacrum et inviolabile depositum ad hanc supremam cathedram evecti custodienda ac tuenda recepimus, sed etiam et praecipue prodere divinum ministerium Nobis pro salute animarum commissum, tradere hereditatem Christi in manus auctoritatis huiusmodi, cuius opera ad ipsum catholicae religionis nomen, si fieri posset, delendum, diriguntur? Nunc profecto terrarum orbi claro in lumine omnique ex parte conspicienda praebetur vis, vigor, fides earum concessionum, quibus ad fidelium illusionem hostes nostri libertatem et dignitatem Romani Pontificis tueri se velle ostentarunt, quae fundamentum suum positum habent in arbitrio ac hostili voluntate reipublicae moderatorum, quorum in potestate est iuxta sua consilia et rationes, ac pro lubitu eas aptare, servare, interpretari, atque executioni mandare. Haudquaquam certe, haudquaquam Romanus Pontifex est aut erit unquam plenae libertatis compos, ac suae plenae potestatis, donec aliis in urbe sua dominantibus subiiciatur. Alia eius sors Romae esse non potest nisi aut supremi Principis aut captivi: nec unquam catholicae Ecclesiae universae pax, securitas, tranquillitas constare poterit, donec exercitium supremi apostolici ministerii obnoxium fuerit studiis partium, arbitrio dominantium, vicibus politicarum electionum, consiliis et operibus hominum callidorum ac utilitatem iustitiae praeferentium.

7. At in tantis malis queis laboramus et premimur, ne putetis, Venerabiles Fratres, aut animum Nostrum fractum concidere, aut illam in Nobis fiduciam deficere, qua Omnipotentis et Aeterni decreta expectamus. Nos quidem consilium cum inissemus, post occupationem ditionis Nostrae, Romae potius manendi quam quaerendi alienis in terris tranquillum hospitium, idque ea mente ut penes Beati Petri sepulcrum pro re catholica vigiles excubias ageremus, numquam destitimus auxiliante Deo pro causa Eius tuenda certare, et quotidie certamus nullibi loco cedentes hosti nisi vi depulsi, ut perpauca illa quae adhuc reliqua sunt ab impetu diripientium et pervertere omnia conantium vindicemus. Ubi autem caetera Nos defecerunt praesidia quibus Ecclesiae et religionis rationes tueremur, Nos nostrae vocis et nostrarum expostulationum officio usi sumus; cuius rei testes estis ipsi quibus communia pericula, communis Nobiscum dolor fuit: saepe namque verbo excepistis publice a Nobis prolata sive ut nova facinora reprobaremus et contra invalescentem hostium violentiam protestaremur, sive ut aptis monitis fideles instrueremus ne insidiis improborum et simulatae religionis specie, neu noxiis falsorum fratrum doctrinis deciperentur. Utinam vocibus Nostris tandem admoveant aures animumque adiiciant illi, quorum ad officium pertinet et maxime interest, auctoritatem Nostram sustentare, et causam qua nulla iustior et sanctior, viriliter tueri! Nam qui fieri potest ut illorum prudentiam fugiat, frustra solidam ac veram prosperitatem in nationibus, tranquillitatem ac ordinem in populis, stabilitatem potestatis in iis qui sceptra tenent expectari, si Ecclesiae auctoritas quae societates omnes recte constitutas vinculo religionis continet, impune contemnatur et violetur, eiusque Caput supremum in suo ministerio obeundo plena libertate uti nequeat, et potestatis alterius sit obnoxius arbitrio?

8. Illud sane feliciter accidisse laetamur, ut voces Nostrae ab universo catholico Populo filiali pietate Nobis obstricto, libentissime magnoque cum fructu exceptae fuerint; talia enim sunt quae ab ipsis accepimus dilectionis assidua et iterata testimonia, ut et ipsis et Ecclesiae summam gloriam conferant et bene sperare Nos iubeant laetiores dies eidem Ecclesiae et huic Apostolicae Sedi orituros. Ac profecto vix verbis aequare possumus iucunditatem solatii quod percepimus validis licet auxiliis undique destituti, intuentes egregios animorum motus et generosa studia quae sponte excitata latius in dies propagantur inter gentes etiam remotissimas, ut Romani Pontificatus et humilitatis Nostrae causam suscipiant, dignitatem tueantur. Liberalia subsidia quae ex omni terrarum parte ad Nos perveniunt ut urgentibus necessitatibus Sanctae huius Sedis prospiciamus, et frequentia tot filiorum nostrorum qui ad has Vaticanas aedes ex omni gente confluunt ut visibili Ecclesiae capiti devotam voluntatem suam testentur, eiusmodi pignora animorum fidelium sunt, pro quibus pares agere gratias divinae bonitati omnino nequeamus. Vellemus tamen ab omnibus intelligi, quod salutaris documenti loco esset, intimam vim et significationem peregrinationum istarum quas hoc tempore crebro iterari videmus, quo Romanus Pontificatus teterrimum bellum experitur. Scilicet illae non eo valent tantum ut amorem et observantiam fidelium prodant erga humilitatem Nostram, sed manifestum praebent indicium sollicitudinis et anxietatum quae eorum corda perturbant, quod communis Parens in abnormi prorsus ac incongrua conditione versatur. Neque haec anxietas et sollicitudo conquiescet, imo augeatur oportet, donec in possessionem plenae et verae libertatis Pastor universae Ecclesiae restituatur.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

9. Interea nihil magis optamus, Venerabiles Fratres, quam ut voces Nostrae ex hoc parietum septo ad ultimos terrarum fines manent, ut totius orbis fidelibus pro illustribus quae continenter ipsi exhibent filialis dilectionis et obsequii argumentis, sensus gratissimi animi nostri testentur. Optamus enim iis gratias agere pro pia liberalitate, qua etiam interdum difficultatis rerum suarum obliti Nobis opitulantur, agnoscentes Deo offerri quidquid Ecclesiae tribuitur, gratulari pro magnanimitate et virtute, qua impiorum iras et irrisiones despiciunt, Nosque iis devinctos profiteri pro alacritate qua significationes sui amoris Nobis offerre student ad celebrandam anniversariam diei illius memoriam, quo ante quinquaginta annos Episcopalis consecrationis munus, licet indigni, suscepimus. Nec minus Nobis in votis est ut omnes etiam Ecclesiarum quae late per orbem diffusae sunt Pastores voces has Nostras excipientes ex iis incitamentum sumant, ut significent fidelibus suis pericula, oppugnationes et incommoda quotidie graviora, quibus premimur, eosque simul certiores faciant, Nos quidem nunquam destituros, quicumque rerum exitus futurus sit, ab improbandis iniquitatibus quae coram Nobis patrantur; verum fieri posse aliquando cum propter leges nuper rogatas, tum propter alias quae praenunciantur etiam saeviores, ut vox Nostra usque ad eos nonnisi rarius, et aegre admodum per interpositas difficultates possit afferri. In his tamen rerum adiunctis Pastores ipsos excitamus, ut greges suos praemoneant, ne fallacibus capiantur artibus queis homines fraudolenti veram rerum conditionem in qua positi sumus verbis invertere et deformare nituntur, sive celantes acerbitatem eius, sive libertatem Nostram extollentes, et potestatem nostram nemini obnoxiam esse affirmantes, dum vere rem totam sic paucis complecti possumus: scilicet Ecclesiam Dei in Italia vim et persecutionem pati; Christi Vicarium neque libertate, neque expedito plenoque usu suae potestatis frui.

10. Cum res hoc loco sint, nihil opportunius ducimus, nihil cupimus impensius, quam ut iidem omnes Sacrorum Antistites qui miram concordiam in tuendis Ecclesiae iuribus et egregiam in Apostolicam Sedem voluntatem suam multiplici indicio Nobis constanter probarunt, fideles quibus praesunt excitent, ut ea ratione ac ope quam iura sinunt cuiusque regionis, sedulo agant apud eos qui summam rei publicae tenent, quo accuratius gravis conditio perpendatur in qua Caput catholicae Ecclesiae degit, atque efficacia adhibeantur consilia obstaculis amoliendis, quae veram ac plenam *independentiam* eius impediunt. Quoniam autem Dei omnipotentis est mentibus lumen immittere et flectere hominum corda, non solum Vos rogamus Venerabiles Fratres ut fervidis apud Eum precibus hoc maxime tempore utamini, sed et ipsos catholicorum omnium populorum Pastores vehementer hortamur, ut fideles sibi concreditos in sacra templa convenire curent, ubi pro Ecclesiae matris salute, pro inimicorum nostrorum conversione, et fine malorum tam gravium lateque patentium humiles preces ex intimo animo effundant. Excipiet, ut firmiter confidimus, orationem populi ad se clamantis Deus, cui beneplacitum est super timentes Eum, et in eis qui sperant super misericordia Eius.

11. Caeterum, Venerabiles Fratres, confortemur in Domino et in potentia virtutis Eius, atque induti armaturam Dei, loricam iustitiae et scutum fidei, praeliemur strenue ac fortiter adversus potestatem tenebrarum, et nequitiam huius saeculi. Iam certe studium omnia miscendi perturbandique eo devenit, ut torrentis instar omnia se in praeceps tracturum minitetur, nec pauci ex iis qui novarum rerum auctores aut fautores extiterunt respectant conterriti, operis ipsi sui formidantes effectus. At Deus Nobiscum est, eritque usque ad consummationem saeculi. Timendum est iis de quibus scriptum est « Vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos flante Deo periisse, et spiritu irae Eius esse consumptos ». At Deum timentibus et certantibus in nomine Ipsius ac in Eius potentia sperantibus misericordia et praesidium reservatum est, neque dubitandum quin cum Eius sit causa, Eius sit pugna, Ipse certantes adiuvet ad victoriam.

[Acta Pii IX, vol. VII, p. 289-309].

573.

Leo XIII, ep. encycl. *Inscrutabili*, 21 apr. 1878.

1. Inscrutabili Dei consilio ad Apostolicae dignitatis fastigium licet immerentes evecti, vehementi statim desiderio ac veluti necessitate urgeri Nos sensimus, Vos litteris alloquendi, non modo ut sensus intimae dilectionis Nostrae Vobis expromeremus, sed etiam ut Vos in partem sollicitudinis Nostrae vocatos, ad sustinendam Nobiscum horum temporum dimicationem pro Ecclesia Dei et pro salute animarum, ex munere Nobis divinitus credito confirmaremus.

2. Ab ipsis enim Nostri Pontificatus exordiis tristis Nobis sese offert conspectus malorum quibus hominum genus undique premitur: haec tam late patens subversio supremarum veritatum quibus, tamquam fundamentis, humanae societatis status continetur: haec ingeniorum protervia legitimae cuiusque potestatis impatiens: haec perpetua dissidiorum causa, unde intestinae concertationes, saeva et cruenta bella existunt; contemptus legum quae mores regunt iustitiamque tuentur; fluxarum rerum inexplebilis cupiditas et aeternarum oblivio usque ad vesanum illum furorem, quo tot miseri passim violentas sibi manus inferre non timent; inconsulta bonorum publicorum administratio effusio interversio; nec non eorum impudentia qui, cum maxime fallunt, id agunt, ut patriae ut libertatis et cuiuslibet iuris propugnatores esse videantur: ea denique quae serpit per artus intimos humanae societatis lethifera quaedam pestis, quae eam quiescere non sinit, ipsique novas rerum conversiones et calamitosos exitus portendit.

3. Horum autem malorum causam in eo praecipue sitam esse Nobis persuasum est, quod despecta ac reiecta sit sancta illa et augustissima Ecclesiae auctoritas, quae Dei nomine humano generi praeest et legitimae cuiusque auctoritatis vindex est et praesidium. Quod cum hostes publici

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

ordinis probe noverint, nihil aptius ad societatis fundamenta convellenda putaverunt, quam si Ecclesiam Dei pertinaci aggressione peterent, et probrosis calumniis in invidiam odiumque vocantes quasi ipsa civili veri nominis humanitati adversaretur, eius auctoritatem et vim novis in dies vulneribus labefactarent, supremamque potestatem Romani Pontificis everterent, in quo aeternae ac immutabiles boni rectique rationes custodem in terris habent et adsertorem. Hinc porro profectae sunt leges divinam catholicae Ecclesiae constitutionem convellentes, quas in plerisque regionibus latas esse deploramus; hinc dimanarunt episcopalis potestatis contemptus, obiecta ecclesiastici ministerii exercitio impedimenta, religiosorum coetuum disiectio, ac publicatio bonorum, quibus Ecclesiae administri et pauperes alebantur; hinc effectum ut a salutari Ecclesiae moderamine publica instituta, caritati et beneficentiae consecrata, subducerentur; hinc orta effrenis illa libertas prava quaeque docendi et in vulgus edendi, dum ex adverso modis omnibus Ecclesiae ius ad iuventutis institutionem et educationem, violatur et opprimitur. Neque alio spectat civilis Principatus occupatio, quem divina Providentia multis abhinc saeculis Romano Antistiti concessit, ut libere ac expedite potestate a Christo collata, ad aeternam populorum salutem uteretur.

4. Funestam hanc aerumnarum molem Vobis, Venerabiles Fratres, commemoravimus, non ad augendam tristitiam Vestram, quam miserrima haec rerum conditio per se Vobis ingerit; sed quia intelligimus ex ea Vobis apprime perspectum fore, quanta sit gravitas rerum quae ministerium et zelum nostrum exposcunt, et quam magno studio Nobis adlaborandum sit, ut Ecclesiam Christi et huius Apostolicae Sedis dignitatem, tot calumniis lacessitam, in hac praesertim iniquitate temporum pro viribus defendamus ac vindicemus.

5. Clare innotescit ac liquet, Venerabiles Fratres, civilis humanitatis rationem solidis fundamentis destitui, nisi aeternis principiis veritatis et immutabilibus recti iustique legibus innitatur, ac nisi hominum voluntates inter se sincera dilectio devinciat, officiorumque inter eos vices ac rationes suaviter moderetur. Iamvero ecquis negare audeat Ecclesiam esse, quae diffuso per gentes Evangelii praeconio, lucem veritatis inter efferatos populos et foedis superstitionibus imbutos adduxit, eosque ad divinum rerum auctorem agnoscendum et sese respiciendos excitavit; quae servitutis calamitate sublata, ad pristinam naturae nobilissimae dignitatem homines revocavit; quae in omnibus terrae plagis redemptionis signo explicato, scientiis et artibus adductis aut suo tectis praesidio, optimis caritatis institutis, queis omnis generis aerumnis consultum est, fundatis et in tutelam receptis, ubique hominum genus privatim et publice excoluit, a squalore vindicavit et ad vitae formam humanae dignitati ac spei consentaneam, omni studio composuit? Quod si quis sanae mentis hanc ipsam qua vivimus aetatem, Religioni et Ecclesiae Christi infensissimam, cum iis temporibus auspicatissimis conferat, quibus Ecclesia uti mater a gentibus colebatur, omnino comperiet aetatem hanc nostram perturbationibus et demolitionibus plenam, recta ac rapide in suam perniciem ruere; ea vero

tempora optimis institutis, vitae tranquillitate, opibus et prosperitate eo magis floruisse, quo Ecclesiae regiminis ac legum sese observantiores populi exhibuerunt. Quod si plurima ea quae memoravimus bona, ab Ecclesiae ministerio et salutari ope profecta, vera sunt humanitatis civilis opera ac decora, tantum abest ut Ecclesia Christi ab ea abhorreat eamve respuat, ut ad sese potius altricis magistrae et matris eius laudem omnino censeat pertinere.

6. Quin immo illud civilis humanitatis genus, quod sanctis Ecclesiae doctrinis et legibus ex adverso repugnet, non aliud nisi civilis cultus figmentum et abs re nomen inane putandum est. Cuius rei manifesto sunt argumento populi illi, queis evangelica lux non affulsit, quorum in vita fucus quidam humanioris cultus conspici potuit, at solida et vera eius bona non viguerunt. Haudquaquam sane civilis vitae perfectio ea ducenda est, qua legitima quaeque potestas audacter contemnitur; neque ea libertas reputanda, quae effreni errorum propagatione, pravis cupiditatibus libere explendis, impunitate flagitiorum et scelerum, oppressione optimorum civium cuiusque ordinis, turpiter et misere grassatur. Cum enim erronea prava et absona haec sint, non eam vim profecto habent, ut humanam familiam perficiant et prosperitate fortunent, *miseros* enim *facit populos peccatum;* [1] sed omnino necesse est, ut mentibus et cordibus corruptis, ipsa in omnem labem pondere suo populos detrudant, rectum quemque ordinem labefactent, atque ita reipublicae conditionem et tranquillitatem serius ocius ad ultimum exitium adducant.

7. Quid autem, si Romani Pontificatus opera spectentur, iniquius esse potest, quam inficiari quantopere Romani Antistites de universa civili societate et quam egregie sint meriti? Profecto Decessores Nostri, ut populorum bono prospicerent, omnis generis certamina suscipere, graves exantlare labores, seque asperis difficultatibus obiicere nunquam dubitarunt; et defixis in caelo oculis neque improborum minis submisere frontem, neque blanditiis aut pollicitationibus se ab officio abduci degeneri assensu passi sunt. Fuit haec Apostolica Sedes, quae dilapsae societatis veteris reliquias collegit et coagmentavit; haec eadem fax amica fuit, qua humanitas christianorum temporum effulsit; fuit haec salutis anchora inter saevissimas tempestates, queis humana progenies iactata est; sacrum fuit concordiae vinculum quod nationes dissitas moribusque diversas inter se consociavit: centrum denique commune fuit, unde cum fidei et religionis doctrina, tum pacis et rerum gerendarum auspicia ac consilia petebantur. Quid multa? Pontificum Maximorum laus est, quod constantissime se pro muro et propugnaculo obiecerint, ne humana societas in superstitionem et barbariem antiquam relaberetur.

8. Utinam autem salutaris haec auctoritas neglecta nunquam esset vel repudiata! Profecto neque civilis Principatus augustum et sacrum illud amisisset decus, quod a religione inditum praeferebat, quodque unum parendi conditionem homine dignam nobilemque efficit; neque exarsissent

[1] Prov., XVI, 34.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tot seditiones et bella, quae calamitatibus et caedibus terras funestarunt; neque regna olim florentissima, e prosperitatis culmine deiecta, omnium aerumnarum pondere premerentur. Cuius rei exemplo etiam sunt Orientales populi, qui abruptis suavissimis vinculis, quibus cum Apostolica hac Sede iungebantur, primaevae nobilitatis splendorem, scientiarum et artium laudem, atque imperii sui dignitatem amiserunt.

9. Praeclara autem beneficia, quae in quamlibet terrae plagam ab Apostolica Sede profecta esse illustria omnium temporum monumenta declarant, potissimum persensit Itala haec regio, quae quanto eidem propinquior loci natura extitit, tanto uberiores fructus ab ea percepit. Romanis certe Pontificibus Italia acceptam referre debet solidam gloriam et amplitudinem, qua reliquas inter gentes eminuit. Ipsorum auctoritas paternumque studium non semel eam ab hostium impetu texit, eidemque levamen et opem attulit, ut catholica fides nullo non tempore in Italorum cordibus integra custodiretur.

10. Huiusmodi Praedecessorum Nostrorum merita, ut caetera praeteremus, maxime testatur memoria temporum S. Leonis Magni, Alexandri III, Innocentii III, S. Pii V, Leonis X aliorumque Pontificum, quorum opera vel auspiciis ab extremo excidio, quod a barbaris impendebat, Italia sospes evasit, incorruptam retinuit antiquam fidem, atque inter tenebras squaloremque rudioris aevi scientiarum lumen et splendorem artium aluit, vigentemque servavit. Testatur Nostra haec alma Urbs Pontificum Sedes, quae hunc ex iis fructum maximum cepit, ut non solum arx fidei munitissima esset, sed etiam bonarum artium asylum et domicilium sapientiae effecta, totius orbis erga se admirationem et observantiam conciliaret. Cum harum rerum amplitudo ad aeternam memoriam monumentis historiae sit tradita, facili negotio intelligitur, non potuisse nisi per hostilem voluntatem indignamque calumniam, ad hominum deceptionem, voce ac litteris obtrudi, hanc Apostolicam Sedem civili populorum cultui et Italiae felicitati impedimento esse.

11. Si igitur spes omnes Italiae Orbisque universi in ea vi communi utilitati et bono saluberrima, qua Sedis Apostolicae pollet auctoritas, et in arctissimo nexu sunt positae, qui omnes Christifideles cum Romano Pontifice devinciat, nihil Nobis potius esse debere cognoscimus, quam ut Romanae Cathedrae suam dignitatem sartam tectamque servemus, et membrorum cum Capite, filiorum cum Patre coniunctionem magis magisque firmemus.

12. Quapropter ut in primis, eo quo possumus modo, iura, libertatemque huius Sanctae Sedis adseramus, contendere nunquam desinemus, ut auctoritati Nostrae suum constet obsequium, ut obstacula amoveantur, quae plenam ministerii Nostri potestatisque libertatem impediunt, atque in eam rerum conditionem restituamur, in qua divinae Sapientiae consilium Romanos Antistites iampridem collocaverat. Ad hanc vero restitutionem postulandam movemur, Venerabiles Fratres, non ambitionis studio aut dominationis cupiditate; sed officii nostri ratione et religiosis iurisiurandi vinculis quibus obstringimur; ac praeterea non solum ex eo quod principatus hic

ad plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque est necessarius; sed etiam quod exploratissimum est, cum de temporali Principatu Sedis Apostolicae agitur, publici etiam boni et salutis totius humanae societatis causam agitari. Hinc praetermittere non possumus, quin pro officii Nostri munere, quo Sanctae Ecclesiae iura tueri tenemur, declarationes et protestationes omnes, quas sa. me. Pius IX Decessor Noster tum adversus occupationem civilis Principatus, tum adversus violationem iurium ad Romanam Ecclesiam pertinentium pluries edidit ac iteravit, easdem et Nos hisce Nostris litteris omnino renovemus et confirmemus. Simul autem ad Principes et supremos populorum Moderatores voces Nostras convertimus, eosque per nomen augustum Summi Dei etiam atque etiam obtestamur, ne oblatam sibi tam necessario tempore opem Ecclesiae repudient, atque uti consentientibus studiis circa hunc fontem auctoritatis et salutis amice coeant, Eique intimi amoris et observantiae vinculis magis magisque iungantur. Faxit Deus, ut illi, comperta eorum quae diximus veritate, ac secum reputantes doctrinam Christi, ut Augustinus aiebat, *magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae* [1] et in Ecclesiae incolumitate et obsequio suam etiam ac publicam incolumitatem et tranquillitatem contineri, cogitationes suas et curas conferant ad levanda mala, quibus Ecclesia eiusque visibile Caput affligitur, atque ita tandem contingat, ut populi quibus praesunt, iustitiae et pacis ingressi viam, felici aevo prosperitatis et gloriae fruantur.

8. Salutarem porro Ecclesiae virtutem, quae in civilis societatis ordinatissimum regimen et conservationem redundat, ipsa etiam domestica societas, quae omnis civitatis et regni principium est, necessario sentit et experitur. Nostis enim, Venerabiles Fratres, rectam huius societatis rationem, secundum naturalis iuris necessitatem, in indissolubili viri ac mulieris unione primo inniti, et mutuis parentes inter et filios, dominos ac servos officiis iuribusque compleri. Nostis etiam per Socialismi placita eam pene dissolvi; siquidem firmitate amissa, quae ex religioso coniugio in ipsam refunditur, necesse est ipsam patris in prolem potestatem, et prolis erga genitores officia maxime relaxari. Contra vero *honorabile in omnibus connubium,* [2] quod in ipso mundi exordio ad humanam speciem propagandam et conservandam Deus ipse instituit et inseparabile decrevit, firmius etiam et sanctius Ecclesia docet evasisse per Christum, qui Sacramenti ei contulit dignitatem, et suae cum Ecclesia unionis formam voluit referre. Quapropter, Apostolo monente, [3] sicut Christus caput est Ecclesiae, ita vir caput est mulieris; et quemadmodum Ecclesia subiecta est Christo, qui eam castissimo perpetuoque amore complectitur, ita et mulieres viris suis docet esse subiectas, ab ipsis vicissim fideli constantique affectu diligendas. — Similiter patriae atque herilis potestatis ita Ecclesia rationem moderatur, ut ad filios ac famulos in officio continendos valeat, nec tamen praeter modum excrescat. Secundum namque catholica documenta, in parentes et dominos coelestis Patris ac Domini dimanat auctoritas; quae idcirco ab ipso non solum originem ac vim sumit, sed etiam naturam et indolem necesse est mutuetur. Hinc liberos Apostolus hortatur *obedire parentibus suis in Domino et honorare patrem suum et matrem suam, quod est mandatum primum in promissione.* [4] Parentibus autem mandat: *Et vos, patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini.* [5] Rursus autem servis ac dominis per eumdem Apostolum divinum praeceptum proponitur, ut illi quidem obediant *dominis carnalibus sicut Christo... cum bona voluntate servientes sicut Domino:* isti autem *remittant minas, scientes quia omnium Dominus est in coelis et personarum acceptio non est apud Deum.* [6] — Quae quidem omnia si secundum divinae voluntatis placitum diligenter a singulis, ad quos pertinet, servarentur, quaelibet profecto

[1] Act., V, 29.
[2] Hebr., XIII.
[3] Ad Eph., V.
[4] Ad Eph., VI, 1, 2.
[5] Ibid., v. 4.
[6] Ibid., vv. 5, 6, 7.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

familia coelestis domus imaginem quamdam praeseferret, et praeclara exinde beneficia parta, non intra domesticos tantum parietes sese continerent, sed in ipsas respublicas uberrime dimanarent.

9. Publicae autem ac domesticae tranquillitati catholica sapientia, naturalis divinaeque legis praeceptis suffulta, consultissime providit etiam per ea, quae sentit ac docet de iure dominii et partitione bonorum quae ad vitae necessitatem et utilitatem sunt comparata. Cum enim Socialistae ius proprietatis tamquam humanum inventum, naturali hominum aequalitati repugnans traducant, et communionem bonorum affectantes, pauperiem haud aequo animo esse perferendam, et ditiorum possessiones ac iura impune violari posse arbitrentur; Ecclesia multo satius et utilius inaequalitatem inter homines, corporis ingeniique viribus naturaliter diversos, etiam in bonis possidendis agnoscit, et ius proprietatis ac dominii, ab ipsa natura profectum, intactum cuilibet et inviolatum esse iubet: novit enim furtum ac rapinam a Deo, omnis iuris auctore ac vindice, ita fuisse prohibita, ut aliena vel concupiscere non liceat, furesque et raptores, non secus ac adulteri et idololatrae, a coelesti regno excludantur. — Nec tamen idcirco pauperum curam negligit, aut ipsorum necessitatibus consulere pia mater praetermittit: quin imo materno illos complectens affectu, et probe noscens eos gerere ipsius Christi personam, qui sibi praestitum beneficium putat, quod vel in minimum pauperem a quopiam fuerit collatum, magno illos habet in honore: omni qua potest ope sublevat; domos atque hospitia iis excipiendis, alendis et curandis ubique terrarum curat erigenda, eaque in suam recipit tutelam. Gravissimo divites urget praecepto, ut quod superest pauperibus tribuant; eosque divino terret iudicio, quo, nisi egenorum inopiae succurrant, aeternis sint suppliciis mulctandi. Tandem pauperum animos maxime recreat ac solatur, sive exemplum Christi obiiciens, qui *cum esset dives propter nos egenus factus est;* [1] sive eiusdem verba recolens, quibus pauperes beatos edixit et aeternae beatitudinis praemia sperare iussit. — Quis autem non videat optimam hanc esse vetustissimi inter pauperes et divites dissidii componendi rationem? Sicut enim ipsa rerum factorumque evidentia demonstrat, ea ratione reiecta aut posthabita, alterutrum contingat necesse est, ut vel maxima humani generis pars in turpissimam mancipiorum conditionem relabatur, quae diu penes ethnicos obtinuit; aut humana societas continuis sit agitanda motibus, rapinis ac latrociniis funestanda, prout recentibus etiam temporibus contigisse dolemus.

10. Quae cum ita sint, Venerabiles Fratre, Nos, quibus modo totius Ecclesiae regimen incumbit, sicut a Pontificatus exordiis populis ac Principibus dira tempestate iactis portum commonstravimus, [2] quo se tutissime reciperent; ita nunc extremo, quod instat, periculo commoti Apostolicam vocem ad eos rursus attollimus; eosque per propriam ipsorum ac reipublicae salutem iterum iterumque precamur, obtestantes, ut Ecclesiam, de

[1] II Cor., VIII, 9.
[2] Cf. N. 573.

publica regnorum prosperitate tam egregie meritam, magistram recipiant et audiant; planeque sentiant, rationes regni et religionis ita esse coniunctas, ut quantum de hac detrahitur, tantum de subditorum officio et de imperii maiestate decedat. Et cum ad Socialismi pestem avertendam tantam Ecclesiae Christi virtutem noverint inesse, quanta nec humanis legibus inest, nec magistratuum cohibitionibus, nec militum armis, ipsam Ecclesiam in eam tandem conditionem libertatemque restituant, qua saluberrimam vim suam in totius humanae societatis commodum possit exerere.

11. Vos autem, Venerabiles Fratres, qui ingruentium malorum originem et indolem perspectam habetis, in id toto animi nisu ac contentione incumbite, ut catholica doctrina in omnium animos inseratur atque alte descendat. Satagite ut vel a teneris annis omnes assuescant Deum filiali amore complecti, eiusque numen vereri; Principum legumque maiestati obsequium praestare; a cupiditatibus temperare, et ordinem quem Deus sive in civili sive in domestica societate constituit, diligenter custodire. Insuper adlaboretis oportet ut Ecclesiae catholicae filii neque nomen dare, neque abominatae sectae favere ulla ratione audeant: quin imo, per egregia facinora et honestam in omnibus agendi rationem ostendant, quam bene feliciterque humana consisteret societas, si singula membra recte factis et virtutibus praefulgerent. — Tandem cum Socialismi sectatores ex hominum genere potissimum quaerantur, qui artes exercent vel operas locant, quique laborum forte pertaesi divitiarum spe ac bonorum promissione facillime alliciuntur, opportunum videtur artificum atque opificum societates fovere, quae sub religionis tutela constitutae omnes socios sua sorte contentos operumque patientes efficiant, et ad quietam ac tranquillam vitam agendam inducant.

12. Nostris autem Vestrisque coeptis, Venerabiles Fratres, Ille aspiret, cui omnis boni principium et exitum acceptum referre cogimur. — Ceterum in spem praesentissimi auxilii ipsa Nos horum dierum erigit ratio, quibus Domini Natalis dies anniversaria celebritate recolitur. Quam enim Christus nascens senescenti iam mundo et in malorum extrema pene dilapso novam intulit salutem, eam nos quoque sperare iubet; pacemque, quam tunc per Angelos hominibus nuntiavit, nobis etiam se daturum promisit. Neque enim *abbreviata est manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius ut non exaudiat.* [1] His igitur auspicatissimis diebus Vobis, Venerabiles Fratres, et fidelibus Ecclesiarum Vestrarum fausta omnia ac laeta ominantes, bonorum omnium Datorem enixe precamur, ut rursum *hominibus appareat benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei,* [2] qui nos ab infensissimi hostis potestate ereptos in nobilissimam filiorum transtulit dignitatem. — Atque ut citius ac plenius voti compotes simus, fervidas ad Deum preces et ipsi Nobiscum adhibete, Venerabiles Fratres, et B. Virginis Mariae ab origine Immaculatae, eiusque Sponsi Iosephi ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum suffragiis maxime confidimus, patro-

[1] Is., LIX, 1.
[2] Tit., III, 4.

cinium interponite. — Interim autem divinorum munerum auspicem Apostolicam Benedictionem, intimo cordis affectu, Vobis, Venerabiles Fratres, Vestroque Clero ac fidelibus populis universis in Domino impertimur.

[Leonis XIII Acta, vol. I, p. 170-183].

577.

Leo XIII, litt. *Ci siamo*, 1 iun. 1879.[1]

1. Ci siamo grandemente compiaciuti della Vostra pastorale sollecitudine, o Venerabili Fratelli, nel prendere alacremente la difesa del matrimonio cristiano, or che viene minacciato da un nuovo sfregio con la promulgazione di un penale interdetto contro la religiosa celebrazione del medesimo. Ben ricordiamo come Voi stessi, e generalmente tutto l'Episcopato italiano, sentitamente protestaste, anche in passato, contro proposte di simil fatta che andavano a ferire la dignità e la libertà del connubio cristiano. Ma ora Voi raddoppiando gli sforzi per iscongiurare dalla cattolica Italia questa nuova sciagura, rinnovaste le Vostre rimostranze ed autorevoli richiami: e quantunque questi non abbiano avuto sin qui altro effetto ed altro onore che quello di un'arida menzione, condannati poi all'archivio senza lettura e senza esame; non è per questo men degna di essere da Noi commendata l'opera Vostra per avere opportunamente proclamata la verità cattolica al cospetto anche di quelli che, decisi di battere la via dell'errore ad ogni costo, schifano la voce amica che alla verità li richiama.

2. Del resto ben a ragione, o Venerabili Fratelli, lamentavate come funesta alla religione e alla morale una riforma di tal fatta, che dopo aver tolto ogni valore giuridico al cristiano matrimonio, ne inceppa la celebrazione e la sottopone con penali sanzioni alle esigenze di un procedimento civile. Conviene sconoscere i principii fondamentali del Cristianesimo, e diremo anche le nozioni elementari del naturale diritto, per affermare che il matrimonio sia una creazione dello Stato, e niente più che un volgare contratto e un sociale consorzio, tutto di ragione civile. La connubiale unione non è opera o invenzione dell'uomo: Iddio stesso, supremo Autore della natura, sin dalle prime con detta unione ordinò la propagazione del genere umano e la costituzione della famiglia: e nella legge di grazia, la volle di più nobilitare con imprimerle il divino suggello del Sacramento. Ondechè il matrimonio per giure cristiano, in quanto concerne la sostanza e santità del vincolo, è un atto essenzialmente sacro e religioso, il cui ordinamento naturalmente appartiene alla potestà religiosa, non per delegazione dello Stato, o per assenso di Principi, ma per mandato del divin Fondatore del Cristianesimo e Autore dei Sacramenti.

3. Voi ben sapete peraltro, o Venerabili Fratelli, come per coonestare le intrusioni del potere civile nella legislazione cristiana del matrimonio,

[1] Agli Arcivescovi e Vescovi delle provincie ecclesiastiche di Torino, Vercelli e Genova.

pongasi in campo, qual portato del moderno progresso, il concetto della dissociazione del contratto dal Sacramento; sicchè consideratolo isolatamente come contratto, lo si vuole in tutto assoggettare alla signoria dello Stato, lasciando alla Chiesa la sola ingerenza di una rituale benedizione. Ad accreditar poi simile teoria si ricorre all'autorità di codici stranieri, e al fatto di qualche nazione cattolica, presso cui il matrimonio è oggidì governato da una legislazione al tutto civile e laicale.

4. Ma checchè dicano giuristi acattolici o ligi all'autocrazia dello Stato, egli è certo che la coscienza di quanti sono sinceramente cattolici non può accogliere questa dottrina come base d'una legislazione cristiana sul matrimonio, per la ragione che fondasi sopra un errore dommatico più volte condannato dalla Chiesa, quale è quello di ridurre il Sacramento ad una estrinseca cerimonia e alla condizione di un semplice rito; dottrina che sovverte l'essenziale concetto del matrimonio cristiano, nel quale il vincolo connubiale santificato dalla religione s'identifica col Sacramento, e costituisce inseparabilmente con esso un solo soggetto ed una sola realità. Perlochè dissacrare il connubio in mezzo ad una società cristiana val quanto degradarlo, fare onta alla fede religiosa dei sudditi, ed ordire un funesto inganno alle loro coscienze, essendochè la sola legalità dell'atto civile senza il Sacramento non valga, nè possa valere, ad onestare le loro unioni e felicitare le loro famiglie. — Nè monta l'esempio di quelle nazioni cattoliche, che travagliate già profondamente da fiere lotte e da sconvolgimenti sociali, si videro astrette a subire una riforma di tal tempra, o ispirata da dottrine ed influenze eterodosse, o stabilita dalla prepotenza degl'imperanti; la quale riforma peraltro, oltr'essere stata ivi feconda di amarissimi frutti, non ebbe mai pacifico possesso, ma fu costantemente disapprovata dalla coscienza degli onesti cattolici e dal legittimo magistero della Chiesa.

5. E qui mette bene notare, quanto immeritamente viene incolpata la Chiesa di voler esercitare un'azione invasiva in fatto di legislazione matrimoniale a danno, come dicono, delle prerogative dello Stato e della politica autorità. La Chiesa interviene a tutelare solamente ciò che è sotto l'impero del gius divino, e che a lei inalienabilmente fu commesso, cioè la santità del vincolo e le religiose attinenze che gli sono proprie. — Niuno poi contende allo Stato quelle parti, che possono competergli per ordinare temporalmente il matrimonio al ben comune, e per regolarne secondo giustizia gli effetti civili. Ma non così quando esso, entrando nel santuario della religione e della coscienza, si fa arbitro e riformatore delle intime attinenze d'un vincolo augusto, che Iddio da sè stesso ordinò, e che le potestà del secolo, come non possono annodare, così non possono sciogliere nè immutare giammai.

6. Laonde ben comprendete, o Venerabili Fratelli, qual giudizio può farsi di uno Stato cattolico che, messi da banda i santi principii e le sapienti discipline del giure cristiano sul matrimonio, si pone nel triste impegno di creare una moralità connubiale tutta sua, d'indole affatto umana, sotto forme e guarentigie meramente forensi; e di poi, per quanto è da lui, coattivamente la impone alle coscienze dei sudditi, sostituendola a quella

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PII X

religiosa e sacramentale, senza la quale il coniugio fra cristiani non può essere nè lecito, nè onorato, nè stabile. Vi confessiamo, o Venerabili Fratelli, che non poco Ci accuora il vedere, che questa è la sorte preparata dagli odierni reggitori alla cattolica Italia, e che in questa Metropoli stessa del cattolicismo si va ora maturando l'ingiurioso e infausto disegno.

7. Riguardato difatti in sè stesso e nelle sue conseguenze un tale disegno, pur troppo s'appalesa ingiurioso ed infausto sia alla religione e al Sacerdozio, sia alla libertà delle coscienze ed alla pubblica morale. Imperocchè lo Stato invadendo audacemente il campo religioso, e disponendo di materia non sua, tien conto del Sacramento solamente per vincolarne l'esercizio, e sottoporlo all'impero del Codice e alle esigenze d'un formalismo forese. Anzi dal Sacramento trae un titolo di reità per colpire il sacro Ministro e i contraenti con pene pecuniarie ed afflittive; riguarda come illegittima e di niun valore, quantunque benedetta da Dio, la unione sacramentale, se non è preceduta dalla formalità civile; volge ingiustamente a colpa della Chiesa e del Clero ciò che è effetto naturale dell'istituzione e delle religiose convinzioni del popolo italiano, l'infrequenza cioè delle civili celebrazioni e la noncuranza del legale procedimento. E per non dire altro, impedisce al sacro Ministro, anche quando il dovere glie lo impone, di provvedere prontamente ed opportunatamente in supremi frangenti con la sacramentale celebrazione alla riconciliazione di angustiate coscienze, ed alla pace e all'onore compromesso delle famiglie. — E in riguardo poi ai sudditi, vincola indebitamente la loro fede e libertà religiosa col divieto di usare al Sacramento se non dipendentemente dallo Stato; impone alle loro coscienze pel coniugale consorzio e per la creazione della famiglia la sola moralità del Codice, che innanzi a Dio e alla religione non li giustifica; e nel medesimo tempo lascia libero il vizioso concubinato, sicchè possa impunemente dilatarsi e signoreggiare in mezzo al civile consorzio (come dimostrano le statistiche), eludendo i doveri cristiani e le prescrizioni stesse del Codice: e quel che è sommamente pericoloso, mette in mano un'arma legale ad uomini frodolenti per tradire la coscienza di timorate fanciulle e di onesti genitori con rifiutarsi dopo l'atto civile alla religiosa celebrazione.

8. Dal che, o Venerabili Fratelli, sorge naturale il dubbio, che l'odierna riforma contro il matrimonio religioso sia dettata, più che da sentimento di ordine e di rettitudine sociale, dal proposito di recare nuove tribolazioni alla Chiesa ed al Clero, e di accrescere incentivi di perversione al popolo italiano. E il dubbio pur troppo si avvalora, se si osservi come la detta riforma vada a colpire di maggior pena il sacro Ministro, che non i principali trasgressori, lasciando pure a questi uno scampo per esimersi, entro un termine, dall'azione penale, ma non così al sacro Ministro: e se inoltre si ponga mente agl'ignobili commenti e alle irreligiose declamazioni, onde si volle innanzi al pubblico accreditare la riforma stessa, non senza offesa e cordoglio d'ogni cuore cattolico. Poichè si osò dire senza ambagi: Che la morale sociale non è la morale religiosa, ed il legislatore civile non deve farla da moralista: Che lo Stato non guarda a Sa-

cramenti, nè si perita di punire anche un Sacramento per sostenere le sue istituzioni: Che la presente riforma è una rappresaglia contro la Chiesa, perchè condanna come iniqua la legge civile, che disconosce il carattere religioso del Sacramento: Che il Sacramento del matrimonio è un'unione simulata, è un concubinato che offende la legge sociale. — Voi ben vedete, o Venerabili Fratelli, dopo siffatte manifestazioni, da quali principî è ispirata, ed a qual termine intenda la proposta riforma!

9. Preghiamo perciò di tutto cuore l'Altissimo, che Ci risparmi l'angoscia di vedere spargere nella vigna evangelica questa nuova semenza, la quale non può recare che frutti perniciosi alla fede ed alla domestica e pubblica morale, e sarà pure una sorgente di nuove offensioni e violenze a danno dei sacri Ministri. — In pari tempo non desistiamo, o Venerabili Fratelli, di premunire i fedeli con opportune esortazioni sulla grande verità cattolica, che l'origine e santificazione delle nozze è da Dio, e che fuori delle forme da Dio e dalla Chiesa stabilite non v'è onestà, nè santità di vincolo, nè grazia di Sacramento. — Ad ismentire poi le speciose accuse che oggi si vanno lanciando contro la Chiesa ed il Clero, facendoli credere sistematicamente ostili a quelli ordinamenti che regolano il matrimonio nelle sue civili attinenze, non abbiamo che a ricordare le sapienti istruzioni con cui la Chiesa stessa, posta in salvo l'integrità del domma e la dignità del Sacramento, lascia che i fedeli, di fronte a siffatte legislazioni, fruiscano dei sociali vantaggi che da quelle discendono. Queste istruzioni Voi ben le conoscete, o Venerabili Fratelli, da moltissimi atti della Sede Apostolica, e segnatamente dal Breve di Benedetto XIV ai Vescovi di Olanda, ***Redditae sunt***, del 17 settembre 1746; [1] dal Breve di Pio VI al Vescovo di Luçon del 28 maggio 1793; [2] dall'Enciclica di Pio VII all'Episcopato francese del 17 febbrario 1809; e ai giorni nostri dalla generale Istruzione della S. Penitenzieria ai Vescovi d'Italia del 15 gennaio 1866. [3]

10. Quanto Vi abbiamo esposto, o Venerabili Fratelli, potrebbe certo valere ad illuminare le menti e a scongiurare il temuto pericolo. — Che se ciò malgrado la malvagità degli uomini Ci astringesse a vedere con queste ed altre perniciose riforme sempre più compromesso il Sacramento, Noi con Voi ne saremmo per fermo profondamente addolorati: ma dall'invitto esempio degli Apostoli e dei Nostri Predecessori trarremmo le norme per tutelare maisempre, secondo il divino mandato, la santa causa del matrimonio cristiano, e la salute spirituale dei fedeli.

11. Intanto a pegno della Nostra particolare benevolenza a Voi, Venerabili Fratelli, a tutto il Clero e popolo alle Vostre cure affidato impartiamo con effusione di cuore l'Apostolica Benedizione.

[Leonis XIII Acta, vol. I, p. 236-244].

[1] Cf. N. 372.
[2] Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 9, p. 314-316.
[3] Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, 1280.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

578.

Leo XIII, ep. encycl. *Aeterni Patris*, 4 aug. 1879.

Aeterni Patris Unigenitus Filius, qui in terris apparuit, ut humano
generi salutem et divinae sapientiae lucem afferret, magnum plane ac mira-
bile mundo contulit beneficium, cum caelos iterum ascensurus, Apostolis
praecepit, ut *euntes docerent omnes gentes;*[1] Ecclesiamque a se conditam
communem et supremam populorum magistram reliquit. Homines enim,
quos veritas liberaverat, veritate erant conservandi: neque diu permansis-
sent caelestium doctrinarum fructus, per quos est homini parta salus, nisi
Christus Dominus erudiendis ad fidem mentibus perenne magisterium
constituisset. Ecclesia vero divini Auctoris sui cum erecta promissis, tum
imitata caritatem, sic iussa perfecit, ut hoc semper spectarit, hoc maxime
voluerit, de religione praecipere et cum erroribus perpetuo dimicare. Huc
sane pertinent singulorum Episcoporum vigilati labores; huc Conciliorum
perlatae leges ac decreta, et maxime Romanorum Pontificum sollicitudo
quotidiana, penes quos, beati Petri Apostolorum Principis in primatu
successores, et ius et officium est docendi et confirmandi fratres in fide. —
Quoniam vero, Apostolo monente, *per philosophiam et inanem fallaciam*[2]
Christifidelium mentes decipi solent, et fidei sinceritas in hominibus cor-
rumpi, idcirco supremi Ecclesiae Pastores muneris sui perpetuo esse duxe-
runt etiam veri nominis scientiam totis viribus provehere, simulque singulari
vigilantia providere, ut ad fidei catholicae normam ubique traderentur
humanae disciplinae omnes, praesertim vero *philosophia*, a qua nimirum
magna ex parte pendet ceterarum scientiarum recta ratio. Id ipsum et Nos
inter cetera breviter monuimus, Venerabiles Fratres, cum primum Vos
omnes per Litteras encyclicas allocuti sumus;[3] sed modo rei gravitate, et
temporum conditione compellimur rursus Vobiscum agere de ineunda
philosophicorum studiorum ratione, quae et bono fidei apte respondeat,
et ipsi humanarum scientiarum dignitati sit consentanea.

Si quis in acerbitatem nostrorum temporum animum intendat, earumque
rerum rationem, quae publice et privatim geruntur, cogitatione complec-
tatur, is profecto comperiet, fecundam malorum causam, cum eorum quae
premunt, tum eorum quae pertimescimus, in eo consistere, quod prava de
divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum iampridem pro-
fecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio
recepta. Cum enim insitum homini natura sit, ut in agendo rationem ducem
sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile labitur: atque
ita contingit, ut pravitas opinionum, quarum est in intelligentia sedes, in

[1] Matth., XXVIII, 19.
[2] Coloss., II, 8.
[3] Cf. N. 573.

humanas actiones influat, easque pervertat. Ex adverso, si sana mens
hominum fuerit, et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum
vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progi-
gnet. — Equidem non tantam humanae philosophiae vim et auctoritatem
tribuimus, ut cunctis omnino erroribus propulsandis, vel evellendis parem
esse iudicemus: sicut enim, cum primum est religio christiana constituta,
per admirabile fidei lumen *non persuabilibus humanae sapientiae verbis*
diffusum, *sed in ostensione spiritus et virtutis*,[1] orbi terrarum contigit ut
primaevae dignitati restitueretur; ita etiam in praesens ab omnipotenti
potissimum virtute et auxilio Dei expectandum est, ut mortalium mentes,
sublatis errorum tenebris, resipiscant. Sed neque spernenda, neu postha-
benda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio, fortiter
suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt; quibus in adiu-
mentis rectum philosophiae usum constat esse praecipuum. Non enim
frustra rationis lumen humanae menti Deus inseruit; et tantum abest,
ut superaddita fidei lux intelligentiae virtutem extinguat aut imminuat,
ut potius perficiat, auctisque viribus, habilem ad maiora reddat. — Igitur
postulat ipsius divinae Providentiae ratio, ut in revocandis ad fidem
et ad salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur:
quam industriam, probabilem ac sapientem, in more positam fuisse prae-
clarissimorum Ecclesiae Patrum, antiquitatis monumenta testantur. Illi
scilicet neque paucas, neque tenues rationi partes dare consueverunt,
quas omnes perbreviter complexus est magnus Augustinus, *huic scien-
tiae tribuens... illud quo fides saluberrima... gignitur, nutritur, defenditur,
roboratur.*[2]

Ac primo quidem philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad
veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumno-
rum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare: quam-
obrem a veteribus modo *praevia ad christianam fidem institutio*,[3] modo
christianismi praeludium et auxilium,[4] modo *ad Evangelium paedagogus*[5]
non immerito appellata est.

Et sane benignissimus Deus, in eo quod pertinet ad res divinas, non
eas tantum veritates lumine fidei patefecit, quibus attingendis impar humana
intelligentia est, sed nonnullas etiam manifestavit, rationi non omnino
impervias, ut scilicet, accedente Dei auctoritate, statim et sine aliqua erro-
ris admixtione omnibus innotescerent. Ex quo factum est, ut quaedam
vera, quae vel divinitus ad credendum proponuntur, vel cum doctrina
fidei arctis quibusdam vinculis colligantur, ipsi ethnicorum sapientes, natu-
rali tantum ratione praelucente, cognoverint, aptisque argumentis demon-
straverint ac vindicaverint. *Invisibilia enim ipsius*, ut Apostolus inquit, *a
creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna*

[1] I Cor., II, 4.
[2] De Trin., lib. XIV, c. 1.
[3] Clem. Alex., Strom. lib. I, c. 16; lib. VII, c. 3.
[4] Orig. ad Greg. Thaum.
[5] Clem. Alex., Strom. I, c. 5.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

quoque eius virtus et divinitas; [1] et *gentes quae legem non habent ... ostendunt* nihilominus *opus legis scriptum in cordibus suis.* [2] Haec autem vera, vel ipsis ethnicorum sapientibus explorata, vehementer est opportunum in revelatae doctrinae commodum utilitatemque convertere, ut reipsa ostendatur, humanam quoque sapientiam, atque ipsum adversariorum testimonium fidei christianae suffragari. Quam agendi rationem, non recens introductam, sed veterem esse constat, et sanctis Ecclesiae Patribus saepe usitatam. Quin etiam venerabiles isti religiosarum traditionum testes et custodes formam quamdam eius rei et prope figuram agnoscunt in Hebraeorum facto, qui Aegypto excessuri, deferre secum iussi sunt argentea atque aurea Aegyptiorum vasa cum vestibus pretiosis, ut scilicet, mutato repente usu, religioni veri Numinis ea supellex dedicaretur, quae prius ignominiosis ritibus et superstitioni inservierat. Gregorius Neocaesariensis [3] laudat Originem hoc nomine, quod plura ex ethnicorum placitis ingeniose decerpta, quasi erepta hostibus tela, in patrocinium christianae sapientiae et perniciem superstitionis singulari dexteritate retorserit. Et parem disputandi morem cum Gregorius Nazianzenus, [4] tum Gregorius Nyssenus [5] in Basilio Magno et laudant et probant; Hieronymus vero magnopere commendat in Quadrato Apostolorum discipulo, in Aristide, in Iustino, in Irenaeo, aliisque permultis. [6] Augustinus autem, *Nonne aspicimus,* inquit, *quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Graeci?* [7] Quod si vero naturalis ratio opimam hanc doctrinae segetem prius fudit, quam Christi virtute fecundaretur, multo uberiorem certe progignet, posteaquam Salvatoris gratia nativas humanae mentis facultates instauravit et auxit. — Ecquis autem non videat, iter planum et facile per huiusmodi philosophandi genus ad fidem aperiri?

Non his tamen limitibus utilitas circumscribitur, quae ex illo philosophandi instituto dimanat. Et revera divinae sapientiae eloquiis graviter reprehenditur eorum hominum stultitia, qui *de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere Eum qui est; neque, operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex.* [8] Igitur primo loco magnus hic et praeclarus ex humana ratione fructus capitur, quod illa Deum esse demonstret: *a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* [9] — Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinita in primis sapientia, quam nulla usquam res latere, et summa

[1] Rom., I, 20.
[2] Ibid., II, 14, 15.
[3] Orat. paneg. ad Origen.
[4] Vit. Moys.
[5] Carm. I, Iamb. 3.
[6] Epist. ad Magn.
[7] De doctr. christ., lib. II, c. 40.
[8] Sap., XIII, 1.
[9] Ibid., 5.

iustitia, quam pravus nunquam vincere possit affectus, ideoque Deum non solum veracem esse, sed ipsam etiam veritatem falli et fallere nesciam. Ex quo consequi perspicuum est, ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem atque auctoritatem conciliet. — Simili modo ratio declarat, evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tanquam certis certae veritatis argumentis, vel ab ipsa origine emicuisse: atque ideo omnes, qui Evangelio fidem adiungunt, non temere adiungere, tamquam doctas fabulas secutos, [1] sed rationabili prorsus obsequio intelligentiam et iudicium suum divinae subiicere auctoritati. Illud autem non minoris pretii esse intelligitur, quod ratio in perspicuo ponat, Ecclesiam a Christo institutam (ut statuit Vaticana Synodus) *ob suam admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus locis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum esse motivum credibilitatis, et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.* [2]

Solidissimis ita positis fundamentis, perpetuus et multiplex adhuc requiritur philosophiae usus, ut sacra Theologia naturam, habitum, ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat. In hac enim nobilissima disciplinarum magnopere necesse est, ut multae ac diversae caelestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quaeque locis convenienter dispositae, et ex propriis principiis derivatae apto inter se nexu cohaereant; demum ut omnes et singulae suis iisque invictis argumentis confirmentur. — Nec silentio praetereunda, aut minimi facienda est accuratior illa atque uberior rerum, quae creduntur, cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquando lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus [3] fructuosissimam esse decrevit. Eam siquidem cognitionem et intelligentiam plenius et facilius certe illi consequuntur, qui cum integritate vitae fideique studio ingenium coniungunt philosophicis disciplinis expolitum, praesertim cum eadem Synodus Vaticana doceat, eiusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam *tum ex eorum, quae naturaliter cognoscuntur, analogia; tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo* peti oportere. [4]

Postremo hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem, magna est philosophiae laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur. *Est quidem,* sicut Clemens Alexandrinus testatur, *per se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia veritatem non facit potentiorem; sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset dolosas adversus veritatem insidias,*

[1] II Petr., I, 16.
[2] Const. dogm. de Fid. Cath., cap. 3.
[3] Const. cit., cap. 4.
[4] Ibid.

dicta est vineae apta sepes et vallus. [1] Profecto sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita divinarum scientiarum defensores plura e philosophiae penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. Neque mediocriter in eo triumphare fides christiana censenda est, quod adversariorum arma, humanae rationis artibus ad nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expediteque repellat. Quam speciem religiosi certaminis ab ipso gentium Apostolo usurpatam commemorat S. Hieronymus scribens ad Magnum: *Ductor christiani exercitus Paulus et orator invictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei: didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium, et Goliath superbissimi caput proprio mucrone truncare.* [2] Atque ipsa Ecclesia istud a philosophia praesidium christianos doctores petere non tantum suadet, sed etiam iubet. Etenim Concilium Lateranense V, posteaquam constituit *omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse, eo quod verum vero minime contradicat,* [3] philosophiae doctoribus praecipit, ut in dolosis argumentis dissolvendis studiose versentur: siquidem, ut Augustinus testatur, *si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest.* [4]

Verum ut pretiosis hisce, quos memoravimus, afferendis fructibus par philosophia inveniatur, omnino oportet, ut ab eo tramite numquam deflectat, quem et veneranda Patrum antiquitas ingressa est, et Vaticana Synodus solemni auctoritatis suffragio comprobavit. Scilicet cum plane compertum sit, plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cuiuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriae infirmitatis conscia, maiora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat,, et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat, in morem ancillae et pedisequae, famulari caelestibus doctrinis, easque aliqua ratione, Dei beneficio attingere. — In iis autem doctrinarum capitibus, quae percipere humana intelligentia naturaliter potest, aequum plane est, sua methodo, suisque principiis et argumentis uti philosophiam: non ita tamen, ut auctoritati divinae sese audacter subtrahere videatur. Imo, cum constet, ea, quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quae fidei adversantur pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus se fidei simul et rationis iura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit.

Novimus profecto non deesse, qui facultates humanae naturae plus nimio extollentes, contendunt, hominis intelligentiam, ubi semel divinae

[1] Strom., lib. I, c. 20.

[2] Epist. ad Magn.

[3] Bulla *Apostolici regiminis*, d. 19 decembris an. 1513. – Cf. Bull. Rom., tom. 3, III, p. 393, 394.

[4] Epist. 143, (al. 7) ad Marcellin., n. 7.

auctoritati subiiciatur, e nativa dignitate excidere, et quodam quasi servitutis iugo demissam plurimum retardari atque impediri, quominus ad veritatis excellentiaeque fastigium progrediatur. — Sed haec plena erroris et fallaciae sunt; eoque tandem spectant, ut homines, summa cum stultitia, nec sine crimine ingrati animi, sublimiores veritates repudient, et divinum beneficium fidei, ex qua omnium bonorum fontes etiam in civilem societatem fluxere, sponte reiiciant. Etenim cum humana mens certis finibus, iisque satis angustis, conclusa teneatur, pluribus erroribus, et multarum rerum ignorationi est obnoxia. Contra fides christiana, cum Dei auctoritate nitatur, certissima est veritatis magistra; quam qui sequitur, neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitatur. Quapropter qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae coniungunt, ii optime philosophantur: quandoquidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam iuvat intelligentiam; cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit. — Cum vero ingenii aciem intendunt in refellendis sententiis, quae fidei repugnant, et in probandis, quae cum fide cohaerent digne ac perutiliter rationem exercent: in illis enim prioribus, caussas erroris deprehendunt, et argumentorum quibus ipsae fulciuntur, vitium dignoscunt: in his autem posterioribus, rationum momentis potiuntur, quibus solide demonstrentur et cuilibet prudenti persuadeantur. Hac vero industria et exercitatione augeri mentis opes et explicari facultates qui neget, ille veri falsique discrimen nihil conducere ad profectum ingenii, absurde contendat necesse est. Merito igitur Vaticana Synodus praeclara beneficia, quae per fidem rationi praestantur, his verbis commemorat: *Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit.* [1] Atque idcirco homini, si saperet, non culpanda fides, veluti rationi et naturalibus veritatibus inimica, sed dignae potius Deo grates essent habendae vehementerque laetandum, quod, inter multas ignorantiae causas et in mediis errorum fluctibus, sibi fides sanctissima illuxerit, quae, quasi sidus amicum, citra omnem errandi formidinem portum veritatis commonstrat.

Quod si, Venerabiles Fratres, ad historiam philosophiae respiciatis, cuncta, quae paullo ante diximus, re ipsa comprobari intelligetis. Et sane philosophorum veterum, qui fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi, in pluribus deterrime errarunt. Nostis enim, inter nonnulla vera, quam saepe falsa et absona, quam multa incerta et dubia tradiderint de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de mundi gubernatione, de divina futurorum cognitione, de malorum caussa et principio, de ultimo fine hominis, aeternaque beatitudine, de virtutibus et vitiis, aliisque doctrinis, quarum vera certaque notitia nihil magis est hominum generi necessarium. — Contra vero primi Ecclesiae Patres et Doctores, qui satis intellexerant, ex divinae voluntatis consilio, restitutorem humanae etiam scientiae esse Christum, qui Dei virtus est Deique

[1] Const. dogm. de Fid. Cath., cap. 4.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PII X

sapientia, [1] et *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*, [2] veterum sapientum libros investigandos, eorumque sententias cum revelatis doctrinis conferendas suscepere: prudentique delectu quae in illis vere dicta et sapienter cogitata occurrerent, amplexi sunt, ceteris omnibus vel emendatis, vel reiectis. Nam providissimus Deus, sicut ad Ecclesiae defensionem martyres fortissimos, magnae animae prodigos, contra tyrannorum saevitiem excitavit, ita philosophis falsi nominis aut haereticis viros sapientia maximos obiecit, qui revelatarum veritatum thesaurum etiam rationis humanae praesidio tuerentur. Itaque ab ipsis Ecclesiae primordiis, catholica doctrina eos nacta est adversarios multo infensissimos, qui christianorum dogmata et instituta irridentes, ponebant plures esse deos, mundi materiam principio caussaque caruisse, rerumque cursum caeca quadam vi et fatali contineri necessitate, non divinae providentiae consilio administrari. Iamvero cum his insanientis doctrinae magistris mature congressi sunt sapientes viri, quos *Apologetas* nominamus, qui, fide praeeunte, ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt, quibus constituerent, unum Deum, omni perfectionum genere praestantissimum esse colendum; res omnes e nihilo omnipotenti virtute productas, illius sapientia vigere, singulasque ad proprios fines dirigi ac moveri. — Principem inter illos sibi locum vindicat *S. Iustinus* martyr, qui posteaquam celeberrimas graecorum Academias, quasi experiendo, lustrasset, plenoque ore nonnisi ex revelatis doctrinis, ut idem ipse fatetur, veritatem hauriri posse pervidisset, illas toto animi ardore complexus, calumniis purgavit, penes Romanorum Imperatores acriter copioseque defendit, et non pauca graecorum philosophorum dicta cum eis composuit. Quod et *Quadratus*, et *Aristides*, *Hermias* et *Athenagoras* per illud tempus egregie praestiterunt. — Neque minorem in eadem causa gloriam adeptus est *Irenaeus*, martyr invictus, Ecclesiae Lugdunensis Pontifex: qui cum strenue refutaret perversas orientalium opiniones, Gnosticorum opera per fines romani imperii disseminatas, *origines haereseon singularum* (auctore Hieronymo) *et ex quibus philosophorum fontibus emanarint... explicavit.* [3] — Nemo autem non novit *Clementis Alexandrini* disputationes, quas idem Hieronymus sic, honoris caussa, commemorat: *Quid in illis indoctum? imo quid non de media philosophia est?* [4] Multa ipse quidem incredibili varietate disseruit ad condendam philosophiae historiam, ad artem dialecticam rite exercendam, ad concordiam rationis cum fide conciliandam utilissima. — Hunc secutus *Origines*, scholae Alexandrinae magisterio insignis, graecorum et orientalium doctrinis eruditissimus, perplura eademque laboriosa edidit volumina, divinis litteris explanandis, sacrisque dogmatibus illustrandis mirabiliter opportuna; quae licet erroribus, saltem ut nunc extant, omnino non vacent, magnam tamen complectuntur vim sententiarum, quibus naturales veritates et numero et

[1] I Cor., I, 24.
[2] Coloss., II, 3.
[3] Epist. ad Magn.
[4] Loc. cit.

firmitate augentur. — Pugnat cum haereticis *Tertullianus* auctoritate sacrarum Litterarum; cum philosophis, mutato armorum genere, philosophice; hos autem tam acute et erudite convincit, ut iisdem palam fidenterque obiiciat: *Neque de scientia, neque de disciplina, ut putatis, aequamur.* [1] — *Arnobius* etiam, vulgatis adversus gentiles libris, et *Lactantius* divinis praesertim Institutionibus, pari eloquentia et robore dogmata ac praecepta catholicae sapientiae persuadere hominibus strenue nituntur, non sic philosophiam evertentes, ut Academici solent, [2] sed partim suis armis, partim vero se philosophorum inter se concertatione sumptis eos revincentes. [3] — Quae autem de anima humana, de divinis attributis, aliisque maximi momenti quaestionibus, magnus *Athanasius* et *Chrysostomus* oratorum princeps, scripto reliquerunt, ita, omnium iudicio, excellunt, ut prope nihil ad illorum subtilitatem et copiam addi posse videatur. — Et ne singulis recensendis nimii simus, summorum numero virorum, quorum est mentio facta, adiungimus *Basilium* magnum et utrumque *Gregorium*, qui, cum Athenis, ex domicilio totius humanitatis, exiissent philosophiae omnis apparatu affatim instructi, quas sibi quisque doctrinae opes inflammato studio pepererat, eas ad haereticos refutandos, instituendosque christianos converterunt. — Sed omnibus veluti palmam praeripuisse visus est *Augustinus*, qui ingenio praepotens, et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus, contra omnes suae aetatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari. Quem ille philosophiae locum non attigit; imo vero quem non diligentissime investigavit, sive cum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret, et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive cum, Academicorum aut Manichaeorum commentis deletis, humanae scientiae fundamenta et firmitudinem in tuto collocavit, aut malorum, quibus premuntur homines, rationem et originem et causas est persecutus? Quanta de Angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et aeternitate, de ipsa quoque mutabilium corporum natura subtilissime disputavit? — Post id tempus per Orientem *Ioannes Damascenus*, Basilii et Gregorii Nazianzeni vestigia ingressus, per Occidentem vero *Boëtius* et *Anselmus*, Augustini doctrinas professi, patrimonium philosophiae plurimum locupletarunt.

Exinde mediae aetatis Doctores, quos *Scholasticos* vocant, magnae molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem. — Quae autem scholasticae disciplinae sit origo, indoles et excellentia, iuvat hic, Venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri Praedecessoris Nostri, Sixti V fusius aperire: « Divino Illius munere, qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis in-

[1] Apologet., § 46.
[2] Inst. VII, cap. 7.
[3] De opif. Dei, cap. 21.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

struit, inventa est a maioribus nostris sapientissimis viris, Theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus S. Thomas et seraphicus S. Bonaventura, clarissimi huius facultatis professores,... excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam, multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt. Et huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas: his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est ». [1] Quae verba quamvis Theologiam scholasticam dumtaxat complecti videantur, tamen esse quoque de Philosophia eiusque laudibus accipienda perspicitur. Siquidem praeclare dotes, quae Theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex addit, « apta illa et inter se nexa rerum et caussarum cohaerentia, ille ordo et dispositio tamquam militum in pugnando instructio, illae dilucidae definitiones, et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta, patefiunt et denudantur », [2] praeclarae, inquimus, et mirabiles istae dotes unice a recto usu repetendae sunt eius philosophiae, quam magistri scholastici, data opera et sapienti consilio, in disputationibus etiam theologicis, passim usurpare consueverunt. — Praeterea cum illud sit scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo coniunxerint, profecto Theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent.

Iamvero inter Scholasticos Doctores, omnium princeps et magister, longe eminet *Thomas Aquinas;* qui, uti Caietanus animadvertit, veteres *doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est.* [3] Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur. — Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator,

[1] Bulla *Triumphantis*, 14 mart. 1588, § 10. – Cf. Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 405-410.
[2] Bull. cit.
[3] In 2^{m}, 2^{ae}, q. 148, a. 4, in fin.

divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit. Nulla est philosophiae pars, quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur.

Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quamlatissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit. — Praeterea rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta.

Has ob caussas, doctissimi homines, superioribus praesertim aetatibus, theologiae et philosophiae laude praestantissimi, conquisitis incredibili studio Thomae voluminibus immortalibus, angelicae sapientiae eius sese non tam excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt. — Omnes prope conditores et legiferos Ordinum religiosorum iussisse constat sodales suos, doctrinis S. Thomae studere et religiosius haerere, cauto, ne cui eorum impune liceat a vestigiis tanti viri vel minimum discedere. Ut Dominicianam familiam praetereamus, quae summo hoc magistro iure quodam suo gloriatur, ea lege teneri Benedictinos, Carmelitas, Augustinianos, Societatem Iesu, aliosque sacros Ordines complures, statuta singulorum testantur.

Atque hoc loco magna cum voluptate provolat animus ad celeberrimas illas, quae olim in Europa floruerunt, Academias et Scholas, Parisiensem nempe, Salmantinam, Complutensem, Duacenam, Tolosanam, Lovaniensem, Patavinam, Bononiensem, Neapolitanam, Conimbricensem, aliasque permultas. Quarum Academiarum nomen aetate quodammodo crevisse, rogatasque sententias, cum graviora agerentur negotia, plurimum in omnes partes valuisse, nemo ignorat. Iamvero compertum est, in magnis illis humanae sapientiae domiciliis, tamquam in suo regno, Thomam consedisse principem; atque omnium vel doctorum vel auditorum animos miro consensu in unius angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquievisse.

Sed, quod pluris est, Romani Pontifices Praedecessores Nostri sapien-

tiam Thomae Aquinatis singularibus laudum praeconiis, et testimoniis amplissimis prosecuti sunt. Nam Clemens VI,[1] Nicolaus V,[2] Benedictus XIII[3] aliique testantur, admirabili eius doctrina universam Ecclesiam illustrari; S. Pius V[4] vero fatetur eadem doctrina haereses confusas et convictas dissipari, orbemque universum a pestiferis quotidie liberari erroribus; alii cum Clemente XII,[5] uberrima bona ab eius scriptis in Ecclesiam universam dimanasse, Ipsumque eodem honore colendum esse affirmant, qui summis Ecclesiae doctoribus, Gregorio, Ambrosio, Augustino et Hieronymo defertur; alii tandem S. Thomam proponere non dubitarunt Academiis et magnis Lyceis exemplar et magistrum, quem tuto pede sequerentur. Qua in re memoratu dignissima videntur B. Urbani V verba ad Academiam Tolosanam: *Volumus et tenore praesentium vobis iniungimus, ut B. Thomae doctrinam tamquam veridicam et catholicam sectemini, eamdemque studeatis totis viribus ampliare.*[7] Urbani autem exemplum Innocentius XII[7] in Lovaniensi studiorum Universitate, et Benedictus XIV[8] in Collegio Dionysiano Granatensium renovarunt. — His vero Pontificum maximorum de Thoma Aquinate iudiciis, veluti cumulus, Innocentii VI testimonium accedat: *Huius* (Thomae) *doctrina prae ceteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam tenuerint, inveniantur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus.*[9]

Ipsa quoque Concilia Oecumenica, in quibus eminet lectus ex toto orbe terrarum flos sapientiae, singularem Thomae Aquinati honorem habere perpetuo studuerunt. In Conciliis Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Vaticano, deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum, haereticorum et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem. — Sed haec maxima est et Thomae propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinae Scripturae codicibus et Pontificum Maximorum decretis *Summam* Thomae Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur.

Postremo haec quoque palma viro incomparabili reservata videbatur, ut ab ipsis catholici nominis adversarii obsequia, praeconia, admirationem extorqueret. Nam exploratum est, inter haereticarum factionum duces non defuisse, qui palam profiterentur, sublata semel e medio doctrina Thomae Aquinatis, se facile posse *cum omnibus* catholicis doctoribus *subire certamen*

[1] Bulla *In Ordine*, 6 febr. 1344.
[2] Breve ad FF. Ord. Praedic. 1451.
[3] Bulla *Pretiosus*, 26 maii 1727, § 30. – Cf. Bull. Rom., tom. 12, p. 201-217.
[4] Bulla *Mirabilis*, 11 apr. 1567. – Cf. Bull. Rom., tom. 4, II, p. 367, 368.
[5] Bulla *Verbo Dei*, 28 aug. 1733. – Cf. Bull. Rom., tom. 13, p. 353, 354.
[6] Const. 5 dat. die 3 aug. 1368 ad Cancell. Univ. Tolos.
[7] Litt. in form. Brev., die 6 febr. 1694.
[8] Litt. in form. Brev., die 21 aug. 1752.
[9] Serm. de S. Thom.

et vincere, et Ecclesiam dissipare.[1] — Inanis quidem spes, sed testimonium non inane.

His rebus et caussis, Venerabiles Fratres, quoties respicimus ad bonitatem, vim praeclarasque utilitates eius disciplinae philosophicae, quam maiores nostri adamarunt, iudicamus temere esse commissum, ut eidem suus honos non semper, nec ubique permanserit: praesertim cum philosophiae scholasticae et usum diuturnum et maximorum virorum iudicium, et, quod caput est, Ecclesiae suffragium favisse constaret. Atque in veteris doctrinae locum nova quaedam philosophiae ratio hac illac successit, unde non ii percepti sunt fructus optabiles ac salutares, quos Ecclesia et ipsa civilis societas maluissent. Adnitentibus enim Novatoribus saeculi XVI, placuit philosophari citra quempiam ad fidem respectum, petita dataque vicissim potestate quaelibet pro lubitu ingenioque excogitandi. Qua ex re pronum fuit, genera philosophiae plus aequo multiplicari, sententiasque diversas atque inter se pugnantes oriri etiam de iis rebus, quae sunt in humanis cognitionibus praecipuae. A multitudine sententiarum ad haesitationes dubitationesque persaepe ventum est: a dubitationibus vero in errorem quam facile mentes hominum delabantur, nemo est qui non videat. — Hoc autem novitatis studium, cum homines imitatione trahantur, catholicorum quoque philosophorum animos visum est alicubi pervasisse: qui patrimonio antiquae sapientiae posthabito, nova moliri, quam vetera novis augere et perficere maluerunt, certe minus sapienti consilio, et non sine scientiarum detrimento. Etenim multiplex haec ratio doctrinae, cum in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nitatur, mutabile habet fundamentum, eaque de causa non firmam atque stabilem neque robustam, sicut veterem illam, sed nutantem et levem facit philosophiam. Cui si forte contingat, hostium impetu ferendo vix parem aliquando inveniri, eius rei agnoscat in seipsa residere causam et culpam. — Quae cum dicimus, non eos profecto improbamus doctos homines atque solertes, qui industriam et eruditionem suam, ac novorum inventorum opes ad excolendam philosophiam afferunt: id enim probe intelligimus ad incrementa doctrinae pertinere. Sed magnopere cavendum est, ne in illa industria atque eruditione tota aut praecipua exercitatio versetur. — Et simili modo de sacra Theologia iudicetur; quam multiplici eruditionis adiumento iuvari atque illustrari quidem placet; sed omnino necesse est, gravi Scholasticorum more tractari, ut, revelationis et rationis coniunctis in illa viribus, *invictum fidei propugnaculum*[2] esse perseveret.

Optimo itaque consilio cultores disciplinarum philosophicarum non pauci, cum ad instaurandam utiliter philosophiam novissime animum adiecerint, praeclaram Thomae Aquinatis doctrinam restituere, atque in pristinum decus vindicare studuerunt et student. Pari voluntate plures ex ordine Vestro, Venerabiles Fratres, eamdem alacriter viam esse ingressos, magna cum animi Nostri laetitia cognovimus. Quos cum laudamus

[1] Beza — Bucerus.
[2] Sixtus V, Bull. cit.

vehementer, tum hortamur, ut in suscepto consilio permaneant: reliquos vero omnes ex Vobis singulatim monemus, nihil Nobis esse antiquius et optabilius, quam ut sapientiae rivos purissimos, ex angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes studiosae iuventuti large copioseque universi praebeatis.

Quae autem faciunt, ut magno id studio velimus, plura sunt. — Principio quidem, cum in hac tempestate nostra, machinationibus et astu fallacis cuiusdam sapientiae, christiana fides oppugnari soleat, cuncti adolescentes, sed ii nominatim qui in Ecclesiae spem succrescunt, pollenti ac robusto doctrinae pabulo ob eam causam enutriendi sunt, ut viribus validi, et copioso armorum apparatu instructi, mature assuescant causam religionis fortiter et sapienter agere *parati semper*, secundum Apostolica monita, *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe;* [1] et *exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere.* [2] — Deinde plurimi ex iis hominibus, qui, abalienato a fide animo, instituta catholica oderunt, solam sibi esse magistram ac ducem rationem profitentur. Ad hos autem sanandos, et in gratiam cum fide catholica restituendos, praeter supernaturale Dei auxilium nihil esse opportunius arbitramur, quam solidam Patrum et Scholasticorum doctrinam, qui firmissima fidei fundamenta, divinam illius originem, certam veritatem, argumenta quibus suadetur, beneficia in humanum genus collata, perfectamque cum ratione concordiam tanta evidentia et vi commonstrant, quanta flectendis mentibus vel maxime invitis et repugnantibus abunde sufficiat.

Domestica vero, atque civilis ipsa societas, quae ob perversarum opinionum pestem quanto in discrimine versetur, universi perspicimus, profecto pacatior multo et securior consisteret, si in Academiis et scholis sanior traderetur, et magisterio Ecclesiae conformior doctrina, qualem Thomae Aquinatis volumina complectuntur. Quae enim de germana ratione libertatis, hoc tempore in licentiam abeuntis, de divina cuiuslibet auctoritatis origine, de legibus earumque vi, de paterno et aequo summorum Principum imperio, de obtemperatione sublimioribus potestatibus, de mutua inter omnes caritate; quae scilicet de his rebus et aliis generis eiusdem a Thoma disputantur, maximum atque invictum robur habent ad evertenda ea iuris novi principia, quae pacato rerum ordini et publicae saluti periculosa esse dignoscuntur. — Demum cunctae humanae disciplinae spem incrementi praecipere, plurimumque sibi debent praesidium polliceri ab hac, quae Nobis est proposita, disciplinarum philosophicarum instauratione. Etenim a philosophia, tamquam a moderatrice sapientia, sanam rationem rectumque modum bonae artes mutuari, ab eaque, tamquam vitae communi fonte, spiritum haurire consueverunt. Facto et constanti experientia comprobatur, artes liberales tunc maxime floruisse, cum incolumis honor et sapiens iudicium philosophiae stetit; neglectas vero et prope obliteratas iacuisse, inclinata atque erroribus vel ineptiis implicita philoso-

[1] I Petr., III, 15.
[2] Tit., I, 9.

phia. — Quapropter etiam physicae disciplinae, quae nunc tanto sunt in pretio, et tot praeclare inventis, singularem ubique cient admirationem sui, ex restituta veterum philosophia non modo nihil detrimenti, sed plurimum praesidii sunt habiturae. Illarum enim fructuosae exercitationi et incremento non sola satis est consideratio factorum, contemplatioque naturae; sed, cum facta constiterint, altius assurgendum est, et danda solerter opera naturis rerum corporearum agnoscendis, investigandisque legibus, quibus parent, e principiis, unde ordo illarum, et unitas in varietate, et mutua affinitas in diversitate proficiscuntur. Quibus investigationibus mirum quantam philosophia scholastica vim et lucem,et opem est allatura, si sapienti ratione tradatur.

Qua in re et illud monere iuvat, nonnisi per summam iniuriam eidem philosophiae vitio verti, quod naturalium scientiarum profectui et incremento adversetur. Cum enim Scholastici, sanctorum Patrum sententiam secuti, in Anthropologia passim tradiderint, humanam intelligentiam nonnisi ex rebus sensibilibus ad noscendas res corpore materiaque carentes evehi, sponte sua intellexerunt, nihil esse philosopho utilius, quam naturae arcana diligenter investigare, et in rerum physicarum studio diu multumque versari. Quod et facto suo confirmarunt: nam S. Thomas, B. Albertus magnus, aliique Scholasticorum principes, non ita se contemplationi philosophiae dediderunt, ut non etiam multum operae in naturalium rerum cognitione collocarint: imo non pauca sunt in hoc genere dicta eorum et scita, quae recentes magistri probent, et cum veritate congruere fateantur. Praeterea, hac ipsa aetate, plures iique insignes scientiarum physicarum doctores palam aperteque testantur, inter certas ratasque recentioris Physicae conclusiones, et philosophica Scholae principia nullam veri nominis pugnam existere.

Nos igitur, dum edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum; Vos omnes, Venerabiles Fratres, quam enixe hortamur, ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream sancti Thomae sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis. Sapientiam sancti Thomae dicimus: si quid enim est a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo in pacto animo est aetati nostrae ad imitandum proponi. — Ceterum, doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri, a Vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare; eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. Eamdem Academiae a Vobis institutae aut instituendae illustrent ac tueantur, et ad grassantium errorum refutationem adhibeant. — Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est: sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Probe autem novimus conatus Nostros irritos futuros, nisi communia cepta, Venerabiles Fratres, Ille secundet, qui *Deus scientiarum* in divinis eloquiis [1] appellatur; quibus etiam monemur *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum* esse *descendens a Patre luminum.* [2] Et rursus: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei.* [3] — Igitur hac quoque in re exempla sequamur Doctoris angelici, qui numquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi propitiato precibus Deo; quique candide confessus est, quidquid sciret, non tam se studio aut labore suo sibi peperisse quam divinitus accepisse; ideoque humili et concordi obsecratione Deum simul omnes exoremus, ut in Ecclesiae filios spiritum scientiae et intellectus emittat, et aperiat eis sensum ad intelligendam sapientiam. Atque ad uberiores percipiendos divinae bonitatis fructus, etiam B. Virginis Mariae, quae sedes sapientiae appellatur, efficacissimum patrocinium apud Deum interponite; simulque deprecatores adhibete purissimum Virginis Sponsum B. Iosephum, et Petrum ac Paulum Apostolos maximos, qui orbem terrarum, impura errorum lue corruptum, veritate renovarunt, et caelestis sapientiae lumine compleverunt.

Denique divini auxilii spe freti, et pastorali Vestro studio confisi, Apostolicam benedictionem, caelestium munerum auspicem et singularis Nostrae benevolentiae testem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, universoque clero et populo singulis commisso, peramanter in Domino impertimur.

[Leonis XIII Acta, vol. I, p. 255-284].

579.

Leo XIII, litt. *Iampridem*, 15 oct. 1879. [4]

Iampridem considerando experiendoque intelleximus, teterrimum quod adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem modo geritur bellum, citius feliciusque opitulante Deo, componi non posse, quam rectis sciendi agendique principiis per philosophicas disciplinas ubilibet restitutis; ideoque ad summam totius causae pertinere sanam solidamque ubique locorum reflorescere philosophiam. Litteras idcirco encyclicas ad universos catholici orbis Antistites nuper dedimus, [5] quibus pluribus ostendimus, huius generis utilitatem non esse alibi quaerendam, quam in philosophia christiana a priscis Ecclesiae Patribus procreata et educta, quae fidei catholicae non modo maxime convenit, sed etiam defensionis et luminis utilia adiumenta praebet. Eam ipsam, decursu aetatum, magnis fecundam fructibus, a S. Thoma Aquinate, summo Scholasticorum Magistro, quasi hae-

[1] I Reg., II, 3.
[2] Iac., I, 17.
[3] Ibid., V, 5.
[4] Ad S. R. E. Cardinalem Antonium de Luca Sacro Consilio Studiis regundis Praefectum.
[5] Cf. N. 578.

reditario iure acceptam commemoravimus; in eaque ordinanda illustranda et augenda mentis illius vim virtutemque sic enituisse, ut cognominis sui mensuram Angelicus Doctor cumulate implesse videatur. Maiorem autem in modum Episcopos hortati sumus ut, collatis Nobiscum viribus, excitare aggrediantur motam gradu et prope collapsam philosophiam illam veterem, scholisque catholicis redonatam, in sede honoris pristini collocare.

Nec mediocrem animi laetitiam ex eo percepimus, quod Litterae illae Nostrae, divina ope favente, pronum ubique obsequium et singularem animorum assensum nactae sunt. Cuius rei testimonium Nobis luculentum impertiunt plures Episcoporum ad Nos ex Italia praesertim, ex Gallia, Hispania, Hibernia, perlatae epistolae, sive singulares, sive plurium eiusdem provinciae vel gentis communes, egregia animi sensa praeferentes. Nec doctorum hominum suffragium defuit, ultro et reverenter datum, cum insignes eruditorum Academiae eumdem plane ac Sacrorum Antistites, animum Nobis scripto declaraverint. — In his autem litteris placet maxime obsequium auctoritati Nostrae et huic Apostolicae Sedi praestitum; placent mens et iudicia ab auctoribus prolata. Una est enim omnium vox, una sententia, notari et tuto designari Litteris illis Nostris, quo tandem loco sit praesentium malorum radix, et unde petenda remedia. Omnes consentiunt humanam rationem, si a divina fidei auctoritate discesserit, dubitationum fluctibus et praesentissimis errorum periculis esse propositam; haec autem pericula facile evasuram, si ad catholicam philosophiam homines perfugerint.

Quamobrem, Venerabilis Frater Noster, illud Nobis est magnopere in optatis, ut S. Thomae doctrina, fidei veritati apprime conformis cum in omnibus catholicis Athenaeis quamprimum reviviscat, tum maxime in hac Urbe principe catholici nominis; quae ob eam causam, quod est sedes Pontificis Maximi, debet optimarum doctrinarum laude ceteris antecellere. — Huc accedit quod Romam, catholicae unitatis centrum, soleant adolescentes ex omni terrarum loco frequentes celebrare, nullibi, quam penes augustam B. Petri cathedram, germanam incorruptamque sapientiam satius hausturi. Itaque si philosophiae christianae, quam diximus, largiter hinc copia defluxerit, non unius Urbis finibus conclusa tenebitur, sed ad omnes populos, velut abundantissimus amnis, manabit.

Sic igitur primo loco curavimus, ut in Seminario Romano, in Lyceo Gregoriano, in Urbaniano aliisque Collegiis, Nostrae adhuc auctoritati obnoxiis, philosophicae disciplinae secundum mentem et principia Doctoris Angelici, enucleate dilucide copiose tradantur atque excolantur. Et maxime in hoc omnem vigilare curam et contentionem doctorum volumus, ut quas ipsi doctrinae opes ex voluminibus sancti Thomae diligenter collegerint, easdem explicando dilatando, suaviter et fructuose auditoribus impertiant.

Sed praeterea quo magis haec studia vigeant et floreant, curandum est, ut amatores philosophiae Scholasticae in eius gratiam sedulo, quod possunt, enitantur; maxime autem in societates coeant, coetusque identidem habeant, in quibus studiorum suorum fructus singuli in medium adducant, et in communem afferant utilitatem.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Haec autem iudicia mentemque Nostram Tecum communicare voluimus, Venerabilis Frater Noster, qui sacro Consilio praees studiis disciplinarum regundis, certa spe freti, nec industriam, nec prudentiam Tuam hac in re Nobis defuturam. — Te profecto non latet doctorum hominum coetus sive Academias, nobilissimas veluti palaestras fuisse, in quibus viri ingenio peracri et doctrina praestantes cum se ipsi utiliter exercerent de maximis rebus scribentes ac disputantes, tum adolescentes erudirent, magno cum scientiarum incremento. Ex hoc optimo more institutoque iungendi vires et intelligentiae lumina conferendi, extiterunt illustria Doctorum collegia, alia pluribus simul disciplinis addicta, alia singularibus. Vivax fama et gloria eorum permansit, quae Romanis Pontificibus non uno nomine faventibus, ubique floruerunt, ut in hac Italia nostra, Bononiae, Patavii, Salerni, et alibi alia. — Cum igitur tanta fuerit laus et utilitas in voluntariis hisce hominum coetibus ad excolendas perpoliendasque disciplinas coeuntium, cumque eius utilitatis et laudis plurimum adhuc supersit, certum Nobis est eodem uti praesidio, quo consilia Nostra plenius perficiamus. — Scilicet auctores sumus, ut coetus Academicus in Urbe Roma instituatur, qui S. Thomae Aquinatis nomine et patronatu insignis, eo studia industriamque convertat, ut eius opera explanet, illustret; placita exponat et cum aliorum philosophorum sive veterum sive recentium placitis conferat; vim sententiarum earumque rationes demonstret; salutarem doctrinam propagare, et ad grassantium errorum refutationem recensque inventorum illustrationem adhibere contendat. — Idcirco Tibi, Venerabilis Frater Noster, cuius perspecta habemus ornamenta doctrinae, celeritatem ingenii, studiumque rerum omnium, quae ad humanitatem pertinent, id negotii damus, ut propositum Nostrum exequaris. Interim rem altius consideres; cumque rationem excogitaveris quae consiliis Nostris opportune respondeat, litteris expressam Nobis inspiciendam subiicies, ut probemus et auctoritate Nostra muniamus.

Demum quo latius spargatur ac disseminetur Angelici Doctoris sapientia, constituimus omnia eius opera de integro in lucem edere, exemplo S. Pii V Decessoris Nostri, rerum gestarum gloria et vitae sanctitate praeclari; cui quidem in ea re tam felix contigit exitus ut Thomae exemplaria, iussu illius evulgata, permagni sint apud viros doctos, summoque studio requirantur. Verum quanto plus editio illa est rara, tanto magis alia desiderari coepta, quae nobilitate ac praestantia cum Piana comparari possit. Ceterae enim cum veteres tum recentiores partim quod non omnia S. Thomae scripta exhibeant, partim, quod optimorum eius interpretum atque explanatorum careant commentariis, partim quod minus diligenter adornatae sint, non omne tulisse punctum videntur. Certa autem spes est, huiusmodi necessitati consultum iri per novam editionem, quae cuncta omnino sancti Doctoris scripta complectatur, optimis, quoad fieri poterit, formis litterarum expressa, accurateque emendata; iis etiam adhibitis codicum manu scriptorum subsidiis, quae aetate hac nostra in lucem et usum prolata sunt. Coniunctim vero edendas curabimus clarissimorum eius interpretum, ut Thomae de Vio Cardinalis Caietani et Ferrariensis, lucubrationes, per quas, tamquam per uberes rivulos, tanti viri doctrina decurrit. — Obversantur quidem animo rei gerendae cum magnitudo, tum difficultas; nec tamen deterrent quominus ad eam magna cum alacritate quamprimum aggrediamur. Confidimus enim in re tam gravi, quae ad commune Ecclesiae bonum magnopere pertinet, adfore Nobis divinam opem et concors Episcoporum studium, et prudentiam atque industriam Tuam spectatam iam et diu cognitam.

Interim praecipuae dilectionis testem, Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater Noster, ex intimo cordis affectu impertimus

[Leonis XIII Acta, vol. I, p. 298-303].

580.

Leo XIII, ep. encycl. *Arcanum*, 10 febr. 1880.

1. Arcanum divinae sapientiae consilium, quod Salvator hominum Iesus Christus in terris erat perfecturus, eo spectavit, ut mundum, quasi vetustate senescentem, Ipse per se et in se divinitus instauraret. Quod splendida et grandi sententia complexus est Paullus Apostolus, cum ad Ephesios ita scriberet: *Sacramentum voluntatis suae... instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt.* [1] — Revera cum Christus Dominus mandatum facere instituit quod dederat illi Pater, continuo novam quamdam formam ac speciem rebus omnibus impertiit, vetustate depulsa. Quae enim vulnera piaculum primi parentis humanae naturae imposuerat, Ipse sanavit: homines universos, natura filios irae, in gratiam cum Deo restituit: diuturnis fatigatos erroribus ad veritatis lumen traduxit; omni impuritate confectos ad omnem virtutem innovavit; redonatisque hereditati beatitudinis sempiternae spem certam fecit, ipsum eorum corpus, mortale et caducum, immortalitatis et gloriae caelestis particeps aliquando futurum. Quo vero tam singularia beneficia, quamdiu essent homines, tamdiu in terris permanerent, Ecclesiam constituit vicariam muneris sui, eamque iussit, in futurum prospiciens, si quid esset in hominum societate perturbatum, ordinare; si quid collapsum, restituere.

2. Quamquam vero divina haec instauratio, quam diximus, praecipue et directo homines attigit in ordine gratiae supernaturali constitutos, tamen pretiosi ac salutares eiusdem fructus in ordinem quoque naturalem largiter permanarunt; quamobrem non mediocrem perfectionem in omnes partes acceperunt cum singuli homines, tum humani generis societas universa. Etenim, christiano rerum ordine semel condito, hominibus singulis feliciter contigit, ut ediscerent atque adsuescerent in paterna Dei providentia conquiescere, et spem alere, quae non confundit, caelestium auxiliorum; quibus ex rebus fortitudo, moderatio, constantia, aequabilitas pacati animi, plures denique praeclarae virtutes et egregia facta consequuntur. — Socie-

[1] Ad Eph., I, 9, 10.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tati vero domesticae et civili mirum est quantum dignitatis, quantum firmitudinis et honestatis accesserit. Aequior et sanctior effecta principum auctoritas; propensior et facilior populorum obtemperatio; arctior civium coniunctio; tutiora iura dominii. Omnino rebus omnibus, quae in civitate habentur utiles, religio christiana consuluit et providit; ita quidem, ut, auctore S. Augustino, plus ipsa afferre momenti ad bene beateque vivendum non potuisse videatur, si esset parandis vel augendis mortalis vitae commodis et utilitatibus unice nata.

3. Verum de hoc genere toto non est Nobis propositum modo singula enumerare; volumus autem de convictu domestico eloqui, cuius est in *matrimonio* principium et fundamentum.

4. Constat inter omnes, Venerabiles Fratres, quae vera sit matrimonii origo. — Quamvis enim fidei christianae vituperatores perpetuam hac de re doctrinam Ecclesiae fugiant agnoscere, et memoriam omnium saeculorum delere iamdiu contendant, vim tamen lucemque veritatis nec extinguere nec debilitare potuerunt. Nota omnibus et nemini dubia commemoramus: posteaquam sexto creationis die formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, sociam illi voluit adiungere, quam de latere viri ipsius dormientis mirabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providentissimus Deus, ut illud par coniugum esset cunctorum hominum naturale principium, ex quo scilicet propagari humanum genus, et, numquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret. Atque illa viri et mulieris coniunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas prae se tulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem. — Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Iesu Christi auctoritate; qui Iudaeis et Apostolis testatus est, matrimonium ex ipsa institutione sui dumtaxat inter duos esse debere, scilicet virum inter et mulierem; ex duobus unam veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum sic esse Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines dissolvi, aut distrahi nequeat. *Adhaerebit* (homo) *uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* [1]

5. Verum haec coniugii forma, tam excellens atque praestans, sensim corrumpi et interire apud ethnicos populos coepit; et penes ipsum Hebraeorum genus quasi obnubilari atque obscurari visa. — Nam apud hos de uxoribus susceperat consuetudo communis, ut singulis viris habere plus una liceret; post autem, cum *ad duritiam cordis* [2] eorum indulgenter permisisset Moyses repudiorum potestatem, ad divortium factus est aditus. — In societate vero ethnicorum vix credibile videatur, quantam corruptelam et demutationem nuptiae contraxerint, quippe quae obiectae fluctibus essent errorum uniuscuiusque populi et cupiditatum turpissimarum. Cunctae plus

[1] Matth., XIX, 5, 6.
[2] Ibid., 8.

minus gentes dediscere notionem germanamque originem matrimonii visae sunt; eamque ob caussam de coniugiis passim ferebantur leges, quae esse e republica viderentur, non quas natura postularet. Sollemnes ritus, arbitrio legumlatorum inventi, efficiebant ut honestum uxoris, aut turpe concubinae nomen mulieres nanciscerentur; quin eo ventum erat, ut auctoritate principum reipublicae caveretur, quibus esset permissum inire nuptias, et quibus non esset, multum legibus contra aequitatem contendentibus, multum pro iniuria. Praeterea polygamia, polyandria, divortium caussae fuerunt, quamobrem nuptiale vinculum magnopere relaxaretur. Summa quoque in mutuis coniugum iuribus et officiis perturbatio extitit, cum vir dominium uxoris acquireret, eamque suas sibi res habere, nulla saepe iusta caussa, iuberet; sibi vero ad effrenatam et indomitam libidinem praecipiti impune liceret *excurrere per lupanaria et ancillas, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas.* [1] Exsuperante viri licentia, nihil erat uxore miserius, in tantam humilitatem deiecta, ut instrumentum pene haberetur ad explendam libinem, vel gignendam sobolem comparatum. Nec pudor fuit, collocandas in matrimonium emi vendi, in rerum corporearum similitudinem, [2] data interdum parenti maritoque facultate extremum supplicium de uxore sumendi. Talibus familiam ortam connubiis necesse erat aut in bonis reipublicae esse, aut in mancipio patrifamilias, [3] cui leges hoc quoque posse dederant, non modo liberorum conficere et dirimere arbitratu suo nuptias, verum etiam in eosdem exercere vitae necisque immanem potestatem.

6. Sed tot vitiis, tantisque ignominiis, quibus erant inquinata coniugia, sublevatio tandem et medicina divinitus quaesita est; quandoquidem restitutor dignitatis humanae legumque mosaicarum perfector Iesus Christus non exiguam, neque postremam de matrimonio curam adhibuit. Etenim nuptias in Cana Galileae Ipse praesentia sua nobilitavit, primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles; [4] quibus caussis vel ex eo die in hominum coniugia novae cuiusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta. Deinde matrimonium revocavit ad primaevae originis nobilitatem, cum Hebraeorum mores improbando, quod et multitudine uxorum et repudii facultate abuterentur; tum maxime praecipiendo, ne quis dissolvere auderet quod perpetuo coniunctionis vinculo Deus ipse constrinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset ab institutis mosaicis in medium allatas, supremi legislatoris suscepta persona, haec de coniugibus sanxit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.* [5]

7. Verum quae auctoritate Dei de coniugiis decreta et constituta sunt, ea nuncii divinarum legum Apostoli plenius et enucleatius memoriae lit-

[1] Hieronym. Oper., tom. 1, col. 455.
[2] Arnob. *Adv. Gent.*, 4.
[3] Dionys. Halicar., lib. II, c. 26, 27.
[4] Ioan. II.
[5] Matth. XIX, 9.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

terisque prodiderunt. Iamvero Apostolis magistris accepta referenda sunt,
quae *sancti Patres nostri, Concilia, et universalis Ecclesiae traditio semper*
docuerunt,[1] nimirum Christum Dominum ad Sacramenti dignitatem eve-
xisse matrimonium; simulque effecisse ut coniuges, caelesti gratia quam
merita eius pepererunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso coniugio adi-
piscerentur: atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia
mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perfecisse,[2] et
viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinae caritatis vin-
culo validius coniunxisse. *Viri,* Paullus inquit ad Ephesios, *diligite uxores*
vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam
sanctificaret..... Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua.... nemo enim
unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus
Ecclesiam; quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius.
Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae
et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico
in Christo et in Ecclesia.[3] — Similiter Apostolis auctoribus didicimus unita-
tem, perpetuamque firmitatem, quae ab ipsa requirebatur nuptiarum ori-
gine, sanctam esse et nullo tempore violabilem Christum iussisse. *Iis qui*
matrimonio iuncti sunt, idem Paullus ait, *praecipio non ego, sed Dominus,*
uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro
suo reconciliari.[4] Et rursus: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius*
vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est.[5] — Hisce igitur caussis matri-
monium extitit *sacramentum magnum,*[6] *honorabile in omnibus,*[7] pium, castum,
rerum altissimarum imagine et significatione verendum.

8. Neque iis dumtaxat quae commemorata sunt, christiana eius perfe-
ctio absolutioque continetur. Nam primo quidem nuptiali societati excel-
sius quiddam et nobilius propositum est, quam antea fuisset; ea enim
spectare iussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad
ingenerandam Ecclesiae sobolem, *cives Sanctorum et domesticos Dei;*[8] ut
nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religio-*
nem procrearetur atque educaretur.[9] — Secundo loco sua utrique coniugum
sunt officia definita, sua iura integre descripta. Eos scilicet ipsos necesse
est sic esse animo semper effectos, ut amorem maximum, constantem fidem,
sollers assiduumque praesidium alteri alterum debere intelligant. — Vir est
familiae princeps, et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne
illius et os de ossibus eius, subiiciatur pareatque viro, in morem non ancil-
lae, sed sociae; ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas, nec digni-

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, in pr.
[2] Ibid., cap. I, *de reform. matr.*
[3] Ad Ephes. V, 25 et seqq.
[4] I Cor., VII, 10, 11.
[5] Ibid., V, 39.
[6] Ad Eph., V, 32.
[7] Ad Hebr., XIII, 4.
[8] Ad Eph., II, 19.
[9] Catech. Rom., cap. VIII.

tas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem
uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua
moderatrix officii. Nam *vir caput est mulieris, sicut Christus caput est*
Ecclesiae.... Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis
in omnibus.[1] — Ad liberos quod pertinet, subesse et obtemperare parentibus,
hisque honorem adhibere propter conscientiam debent; et vicissim in libe-
ris tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum
curas cogitationesque evigilare necesse est: *Patres.... educate illos* (filios)
in disciplina et correptione Domini.[2] Ex quo intelligitur, nec pauca esse
coniugum officia, neque levia; ea tamen coniugibus bonis, ob virtutem
quae Sacramento percipitur, non modo tolerabilia fiunt, verum etiam iu-
cunda.

9. Christus igitur, cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia
renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit.
Quae potestatem in coniugia christianorum omni cum tempore, tum loco
exercuit, atque ita exercuit, ut illam propriam eius esse appareret, nec
hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adep-
tam. — Quot vero et quam vigiles curas in retinenda sanctitate nuptiarum
collocarit, ut sua his incolumitas maneret, plus est cognitum quam ut
demonstrari debeat. — Et sane improbatos novimus Concilii Hierosolymi-
tani sententia amores solutos et liberos;[3] civem Corinthium incesti damna-
tum beati Paulli auctoritate;[4] propulsatos ac reiectos eodem semper tenore
fortitudinis conatus plurimorum, matrimonium christianum hostiliter peten-
tium, videlicet Gnosticorum, Manichaeorum, Montanistarum sub ipsa rei
christianae primordia; nostra autem memoria Mormonum, Sansimoniano-
rum, Phalansterianorum, Communistarum. — Simili modo ius matrimonii
aequabile inter omnes atque unum omnibus est constitutum, vetere inter
servos et ingenuos sublato discrimine;[5] exaequata viri et uxoris iura; ete-
nim, ut aiebat Hieronymus,[6] *apud nos quod non licet feminis, aeque non*
licet viris; et eadem servitus pari conditione censetur: atque illa eadem iura ob
remunerationem benevolentiae et vicissitudinem officiorum stabiliter firmata;
adserta et vindicata mulierum dignitas; vetitum viro poenam capitis de adul-
tera sumere,[7] iuratamque fidem libidinose atque impudice violare. — Atque
illud etiam magnum est quod de potestate patrumfamilias Ecclesia, quantum
oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus coniugii cupidis quidquam de iusta
libertate minueretur;[8] quod nuptias inter cognatos et affines certis gradibus
nullas esse posse decreverit,[9] ut nimirum supernaturalis coniugum amor

[1] Ad Eph., V, 23, 24.
[2] Ibid., VI, 4.
[3] Act., XV, 29.
[4] I Cor., V, 5.
[5] Cap. 1, *de coniug. serv.*
[6] Oper. tom. 1, col. 455.
[7] Can. *Interfectores,* et Can. *Admonere,* C. XXXIII, quaest. 2.
[8] C. 30, quaest. 2; cap. 3, *de cognat. spirit.*
[9] Cap. 8, *de consang. et affin.;* cap. 1, *de cognat. legali.*

latiore se campo diffunderet; quod errorem et vim et fraudem, quantum potuit, a nuptiis prohibenda curaverit; [1] quod sanctam pudicitiam thalami, quod securitatem personarum, [2] quod coniugiorum decus, [3] quod religionis incolumitatem [4] sarta tecta esse voluerit. Denique tanta vi, tanta providentia legum divinum istud institutum communiit, ut nemo sit rerum aequus existimator, quin intelligat, hoc etiam ex capite quod ad coniugia refertur, optimam esse humani generis custodem ac vindicem Ecclesiam; cuius sapientia et fugam temporum, et iniurias hominum, et rerum publicarum vicissitudines innumerabiles victrix evasit.

10. Sed, adnitente humani generis hoste, non desunt, qui sicut cetera redemptionis beneficia ingrate repudiant, sic restitutionem perfectionemque matrimonii aut spernunt, aut omnino non agnoscunt. — Flagitium nonnullorum veterum est, inimicos fuisse nuptiis in aliqua ipsarum parte; sed multo aetate nostra peccant perniciosius qui earum naturam, perfectam expletamque omnibus suis numeris et partibus, malunt funditus pervertere. Atque huius rei caussa in eo praecipue sita est, quod imbuti falsae philosophiae opinionibus corruptaque consuetudine animi plurimorum, nihil tam moleste ferunt, quam subesse et parere; acerrimeque laborant, ut non modo singuli homines, sed etiam familiae atque omnis humana societas imperium Dei superbe contemnant. — Cum vero et familiae et totius humanae societatis in matrimonio fons et origo consistat, illud ipsum iurisdictioni Ecclesiae subesse nullo modo patiuntur; imo deiicere ab omni sanctitate contendunt, et in illarum rerum exiguum sane gyrum compellere, quae auctoribus hominibus institutae sunt, et iure civili populorum reguntur atque administrantur. Unde sequi necesse erat, ut principibus reipublicae ius in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiae esse decernerent; quae si quando potestatem eius generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia principum, aut iniuria factum. Sed iam tempus esse inquiunt, ut qui rempublicam gerunt, iidem sua iura fortiter vindicent, atque omnem coniugiorum rationem arbitrio suo moderari aggrediantur. — Hinc illa nata, quae *matrimonia civilia* vulgo appellantur; hinc scitae leges de caussis, quae coniugiis impedimento sint; hinc iudiciales sententiae de contractibus coniugalibus, iure ne initi fuerint, an vitio. Postremo omnem facultatem in hoc genere iuris constituendi et dicundi videmus Ecclesiae catholicae praereptam tanto studio, ut nulla iam ratio habeatur nec divinae potestatis eius, nec providarum legum, quibus tamdiu vixere gentes, ad quas urbanitatis lumen cum christiana sapientia pervenisset.

11. Attamen *Naturalistae* iique omnes, qui reipublicae numen se maxime colere profitentes, malis hisce doctrinis totas civitates miscere nituntur, non possunt reprehensionem falsitatis effugere. Etenim cum matrimonium ha-

[1] Cap. 26, *de sponsal.*; capp. 13, 15, 29, *de sponsal. et matrim.*, et alibi.
[2] Cap. 1, *de convers. infid.*; capp. 5 et 6, *de eo qui duxit in matr.*
[3] Capp. 3, 5 et 8, *de sponsal. et matr.* — Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 3, *de reform. matrim.*
[4] Cap. 7, *de divort.*

beat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca Innocentius III [1] et Honorius III, [2] decessores Nostri, non iniuria nec temere affirmare potuerunt, *apud fideles et infideles existere Sacramentum coniugii.* Testamur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore iuris et aequitatis cognitione praestiterant; quorum omnium mentibus informatum anticipatumque constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate coniunctae. Hanc ob caussam nuptiae apud illos non sine caerimoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt. — Ita magnam in animis caelesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani! — Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. — Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cuius accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. — Postremo magnum pondus est, magna vis historiae, qua luculenter docemur, potestatem legiferam et iudicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicae consentientes fuisse aut conniventes in ea re, inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Iudaeorum potestate; similiter Paullum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligola, Nerone! Neque illud unquam homini sanae mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitudine coniugii, [3] de nuptiis servos inter et ingenuas, [4] tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini christiano, quibus nihil tam fuit propositum, quam vi et caede religionem Christi opprimere adolescentem: praesertim cum ius illud ab Ecclesia profectum a civili iure interdum adeo dissideret, ut Ignatius Martyr, [5] Iustinus, [6] Athenagoras [7] et Tertullianus, [8] tamquam iniustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriae leges

[1] Cap. 8, *de divort.*
[2] Cap. 11, *de transact.*
[3] Can. Apost., 16, 17, 18.
[4] Philosophum. Oxon. 1851.
[5] Epist. ad Polycarp., cap. 5.
[6] Apolog. mai., n. 15.
[7] Legat. pro Christian., nn. 32, 33.
[8] De coron. milit., cap. 13.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

favebant. — Postea vero quam ad christianos Imperatores potentatus omnis reciderat, Pontifices maximi et Episcopi in Concilia congregati, eadem semper cum libertate conscientiaque iuris sui, de matrimoniis iubere vetare perseverarunt quod utile esse, quod expedire temporibus censuissent, utcumque discrepans ab institutis civilibus videretur. Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicae honestatis in Conciliis Illiberitano, [1] Arelatensi, [2] Chalcedonensi,[3] Milevitano II [4] aliisque, fuerint ab Ecclesiae praesulibus constituta, quae a decretis iure imperatorio sancitis longe saepe distarent. — Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius iunior, Iustinianus [5] fateri non dubitarunt, in iis rebus quae nuptias attingant, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere. Et de connubiorum impedimentis si quid per edicta sanxerunt, caussam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex Ecclesiae permissu atque auctoritate; [6] cuius ipsius iudicium exquirere et reverenter accipere consueverunt in controversiis de honestate natalium, [7] de divortiis, [8] denique de rebus omnibus cum coniugali vinculo necessitudinem quoquo modo habentibus. [9] — Igitur iure optimo in Concilio Tridentino definitum est, in Ecclesiae potestate esse *impedimenta matrimonium dirimentia constituere*, [10] *et caussas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare*. [11]

12. Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a sacramento disiungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. — Etenim non potest huiusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure. — Huc accedit, quod ob hanc caussam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae coniunctionis vinculo, quo vir et mulier inter

[1] De Aguirre, Conc. Hispan., tom. I, can. 13, 15, 16, 17.
[2] Harduin., Act. Concil., tom. I, can. 11.
[3] Ibid., can. 16.
[4] Ibid., can. 17.
[5] Novel., 137.
[6] Fejér, *Matrim. ex instit. Christ.*, Pest., 1835.
[7] Cap. 3, *de ordin. cognit.*
[8] Cap. 3, *de divort.*
[9] Cap. 13, *qui filii sint legit.*
[10] Trid., sess. XXIV, can. 4.
[11] Ibid., can. 12.

se conligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos iustum coniugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adiunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat. — Quapropter nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur potestatem in matrimonia christianorum ad principes reipublicae esse iure traductam. Quod si hac in re alienum violatum ius est, nemo profecto dixerit esse ab Ecclesia violatum.

13. Utinam vero Naturalistarum oracula, ut sunt plena falsitatis et iniustitiae, ita non etiam essent fecunda detrimentorum et calamitatum. Sed facile est pervidere quantam profanata coniugia perniciem attulerint; quantam allatura sint universae hominum communitati. — Principio quidem lex est provisa divinitus, ut quae Deo et natura auctoribus instituta sunt, ea tanto plus utilia ac salutaria experiamur, quanto magis statu nativo manent integra atque incommutabilia; quandoquidem procreator rerum omnium Deus probe novit quid singularum institutioni et conservationi expediret, cunctasque voluntate et mente sua sic ordinavit, ut suum unaquaeque exitum convenienter habitura sit. At si rerum ordinem providentissime constitutum immutare et perturbare hominum temeritas aut improbitas velit, tum vero etiam sapientissime atque utilissime instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse desinunt, vel quod vim iuvandi mutatione amiserint, vel quod tales Deus ipse poenas malit de mortalium superbia atque audacia sumere. Iamvero qui sacrum esse matrimonium negant, atque omni despoliatum sanctitate in rerum profanarum coniiciunt genus, ii pervertunt fundamenta naturae, et divinae providentiae tum consiliis repugnant, tum instituta, quantum potest, demoliuntur. Quapropter mirum esse non debet, ex huiusmodi conatibus insanis atque impiis eam generari malorum segetem, qua nihil est saluti animorum, incolumitatique reipublicae perniciosius.

14. Si consideretur quorsum matrimoniorum pertineat divina institutio, id erit evidentissimum, includere in illis voluisse Deum utilitatis et salutis publicae uberrimos fontes. Et sane, praeter quam quod propagationi generis humani prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem vitam coniugum beatioremque efficiant; idque pluribus caussis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adiumento, amore constanti et fideli, communione omnium bonorum, gratia caelesti, quae a sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem; nam matrimonia quamdiu sint congruentia naturae, Deique consiliis apte conveniant, firmare profecto valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionem liberorum, temperare patriam potestatem proposito divinae potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obedientes. Ab eiusmodi autem coniugiis expectare civitates iure possunt genus et sobolem civium, qui probe animati sint, Deique reverentia atque amore assueti, sui officii esse ducant iuste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos diligere, laedere neminem.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

15. Hos fructus tantos ac tam praeclaros tamdiu matrimonium revera genuit, quamdiu munera sanctitatis, unitatis, perpetuitatisque retinuit, a quibus vim omnem accipit frugiferam et salutarem; neque est dubitandum similes paresque ingeneraturum fuisse, si semper et ubique in potestatem fidemque fuisset Ecclesiae, quae illorum munerum est fidissima conservatrix et vindex. — Sed quia modo passim libuit humanum ius in locum naturalis et divini supponere, deleri non solum coepit matrimonii species ac notio praestantissima, quam in animis hominum impresserat et quasi consigna- verat natura; sed in ipsis etiam Christianorum coniugiis, hominum vitio, multum vis illa debilitata est magnorum bonorum procreatrix. Quid est enim boni quod nuptiales afferre possint societates, unde abscedere christiana religio iubetur, quae parens est omnium bonorum, maximasque alit virtutes, excitans et impellens ad decus omnes generosi animi atque excelsi? Illa igitur semota ac reiecta, redigi nuptias oportet in servitutem vitiosae homi- num naturae et pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis naturalis parum valido defensas patrocinio. Hoc fonte multiplex derivata pernicies, non modo in privatas familias, sed etiam in civitates influxit. Etenim salutari depulso Dei metu, sublataque curarum levatione, quae nusquam alibi est quam in religione christiana maior, persaepe fit, quod est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii munera et officia videantur; et liberari nimis multi vinculum velint, quod iure humano et sponte nexum putant, si dissi- militudo ingeniorum, aut discordia, aut fides ab alterutro violata, aut utrius- que consensus, aliaeve caussae liberari suadeant oportere. Et si forte satis fieri procacitati voluntatum lege prohibeatur, tum iniquas clamant esse leges, inhumanas, cum iure civium liberoıum pugnantes; quapropter omnino videndum ut, illis antiquatis abrogatisque, licere divortia humaniore lege decernatur.

16. Nostrorum autem temporum legumlatores, cum eorumdem iuris principiorum tenaces se ac studiosos profiteantur, ab illa hominum impro- bitate, quam diximus, se tueri non possunt, etiamsi maxime velint: quare idem ipsa declarat. Ut enim alia praetereamus, exeunte saeculo superiore, in illa non tam perturbatione quam deflagratione Galliarum, cum societas omnis, amoto Deo, profanaretur, tum demum placuit ratas legibus esse coniugum discessiones. Easdem autem leges renovari hoc tempore multi cupiunt, propterea quod Deum et Ecclesiam pelli e medio ac submoveri volunt a societate coniunctionis humanae; stulte putantes extremum gras- santi morum corruptelae remedium ab eiusmodi legibus esse quaerendum.

17. At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim caussa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus dome- sticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. — Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam

corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascun- tur, ac teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt.—Multoque esse graviora haec mala constabit si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divor- tiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, maior cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans.

18. Haec certe sunt omnia per se clara; sed renovanda rerum gestarum memoria fiunt clariora. — Simul ac iter divortiis tutum lege praestari coepit, dissidia, simultates, secessiones plurimum crevere; et tanta est vivendi turpitudo consecuta, ut eos ipsos, qui fuerant talium discessionum defen- sores, facti poenituerit; qui nisi contraria lege remedium mature quaesis- sent, timendum erat, ne praeceps in suam ipsa perniciem respublica dila- beretur. — Romani veteres prima divortiorum exempla dicuntur inhorruisse; sed non longa mora sensus honestatis in animis obstupescere, modera- tor cupiditatis pudor interire, fidesque nuptialis tanta cum licentia violari coepit, ut magnam veri similitudinem habere videatur quod a nonnullis scriptum legimus, mulieres non mutatione consulum, sed maritorum enu- merare annos consuevisse. — Pari modo apud Protestantes principio quidem leges sanxerant, ut divortia fieri liceret certis de causis, iisque non sane mul- tis: istas tamen propter rerum similium affinitatem, compertum est in tan- tam multitudinem excrevisse apud Germanos, Americanos, aliosque, ut qui non stulte sapuissent, magnopere deflendam putarint infinitam morum depravationem, atque intolerandam legum temeritatem. — Neque aliter se res habuit in civitatibus catholici nominis: in quibus si quando datus est coniugiorum discidiis locus, incommodorum, quae consecuta sunt, multitudo opinionem legislatorum longe vicit. Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem malitiam fraudemque versare mentem, ac per saevitiam adhibitam, per iniurias, per adulteria fingere caussas ad illud impune dissolvendum, cuius pertaesum esset, coniunctionis maritalis vinculum: idque cum tanto publi- cae honestatis detrimento, ut operam emendandis legibus quamprimum dari omnes iudicaverint oportere. — Et quisquam dubitabit, quin exitus aeque miseros et calamitosos habiturae sint leges divortiorum fautrices, sicubi forte in usum aetate nostra revocentur? Non est profecto in homi- num commentis vel decretis facultas tanta, ut immutare rerum naturalem indolem conformationemque possint: quapropter parum sapienter publicam felicitatem interpretantur, qui germanam matrimonii rationem impune per- verti posse putant; et, qualibet sanctitate cum religionis tum Sacramenti posthabita, diffingere ac deformare coniugia turpius velle videntur, quam ipsa ethnicorum instituta consuevissent. Ideoque nisi consilia mutentur, perpetuo sibi metuere familiae et societas humana debebunt, ne miser- rime coniiciantur in illud rerum omnium certamen atque discrimen, quod est Socialistarum ac Communistarum flagitiosis gregibus iamdiu proposi-

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tum. — Unde liquet quam absonum et absurdum sit publicam salutem a divortiis expectare, quae potius in certam societatis perniciem sunt evasura.

19. Igitur confitendum est, de communi omnium populorum bono meruisse optime Ecclesiam catholicam, sanctitati et perpetuitati coniugiorum tuendae semper intentam; nec exiguam ipsi gratiam deberi, quod legibus civicis centum iam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamaverit;[1] quod haeresim deterrimam Protestantium de divortiis et repudiis anathemate perculerit;[2] quod usitatam graecis diremptionem matrimoniorum multis modis damnaverit;[3] quod irritas esse nuptias decreverit ea conditione initas, ut aliquando dissolvantur;[4] quod demum vel a prima aetate leges imperatorias repudiarit, quae divortiis et repudiis perniciose favissent.[5] — Pontifices vero maximi quoties restiterunt principibus potentissimis, divortia a se facta ut rata Ecclesiae essent minaciter petentibus, toties existimandi sunt non modo pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitatis gentium propugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Caelestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paullo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exultantem.

20. Quae cum ita sint, omnes gubernatores administratoresque rerum publicarum, si rationem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere, oblatumque Ecclesiae adiumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam vocare Ecclesiam in suspicionem inimicitiae, et in falsam atque iniquam violati iuris civilis insimulationem.

21. Eoque magis, quod Ecclesia catholica, ut in re nulla potest ab religione officii et defensione iuris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis in rebus omnibus, quae cum incolumitate iurium et sanctitate officiorum suorum possunt una consistere. Quam ob rem nihil unquam de matrimoniis statuit, quin respectum habuerit ad statum communitatis, ad conditiones populorum; nec semel suarum ipsa legum praescripta quoad potuit, mitigavit, quando ut mitigaret caussae iustae et graves impulerunt. — Item non ipsa ignorat neque diffitetur, sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur: de quibus rebus iure decernunt et cognoscunt qui rei publicae praesunt.

22. Nemo autem dubitat, quin Ecclesiae conditor Iesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adiuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut coniunctio inter eas et concordia intercederet, in iisque rebus quae sint, diversa licet ratione, communis iuris et iudicii, altera, cui sunt humana tradita opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt caelestia concredita. Huiusmodi autem compositione, ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus iuvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae. Etenim sicut hominum intelligentia, quemadmodum in superioribus Encyclicis Litteris ostendimus, si cum fide christiana conveniat, multum nobilitatur multoque evadit ad vitandos ac repellendos errores munitior, vicissimque fides non parum praesidii ab intelligentia mutuatur; sic pariter, si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et, religione praeeunte, numquam erit non iustum imperium: alteri vero adiumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.

23. Nos igitur, harum rerum consideratione permoti, cum studiose alias, tum vehementer in praesenti viros principes in concordiam atque amicitiam iungendam iterum hortamur; iisdemque paterna cum benevolentia veluti dexteram primi porrigimus, oblato supremae potestatis Nostrae auxilio, quod tanto magis est hoc tempore necessarium, quanto ius imperandi plus est in opinione hominum, quasi accepto vulnere, debilitatum. Incensis iam procaci libertate animis, et omnes imperii, vel maxime legitimi, iugum nefario ausu detrectantibus, salus publica postulat, ut vires utriusque potestatis consocientur ad prohibenda damna, quae non modo Ecclesiae, sed ipsi etiam civili societati impendent.

24. Sed cum amicam voluntatum coniunctionem valde suademus, precamurque Deum, principem pacis, ut amorem concordiae in animos cunctorum hominum iniiciat, tum temperare Nobis ipsi non possumus, quin Vestram industriam, Venerabiles Fratres, Vestrum studium ac vigilantiam, quae in Vobis summa esse intelligimus, magis ac magis hortando incitemus. Quantum contentione assequi, quantum auctoritate potestis, date operam, ut apud gentes fidei Vestrae commendatas integra atque incorrupta doctrina retineatur, quam Christus Dominus et caelestis voluntatis interpretes Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia catholica religiose ipsa servavit, et a Christifidelibus servari per omnes aetates iussit.

25. Praecipuas curas in id insumite, ut populi abundent praeceptis sapientiae christianae, semperque memoria teneant matrimonium non volun-

[1] Pius VI, epist. ad episc. Lucion., 28 maii 1793 (Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 9, p. 314-316). – Pius VII, litt. encycl. die 17 febr. 1809, et Const. dat. die 19 iulii 1817. – Pius VIII, litt. encycl. die 29 maii 1829. – Gregorius XVI, Const. dat. die 15 augusti 1832 (Cf. N. 485). – Pius IX, alloc. habit. die 27 septembris 1852 (Cf. N. 515).

[2] Trid., sess. XXIV, can. 5 et 7.

[3] Concil. Floren., et Instr. Eug. IV ad Armenos (Cf. N. 52). – Bened. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742 (Cf. N. 328).

[4] Cap. 7, *de condit. appos.*

[5] Hieron., epist. 79 ad Ocean. – Ambros., lib. VIII in cap. 16 Lucae, n. 5. – August., De nuptiis, cap. 10.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum, et hac lege prorsus ut sit unius ad unam: Christum vero novi Foederis auctorem illud ipsum ex officio naturae in Sacramenta transtulisse, et quod ad vinculum spectat, legiferam et iudicialem Ecclesiae suae adtribuisse potestatem. Quo in genere cavendum magnopere est, ne in errorem mentes inducantur a fallacibus conclusionibus adversariorum, qui eiusmodi potestatem ademptam Ecclesiae vellent. Similiter omnibus exploratum esse debet, si qua coniunctio viri et mulieris inter Christifideles citra Sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione iusti matrimonii carere; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem, iure civili introductum; iure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum caussa, scilicet nuptiale vinculum, existat. — Haec quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur. — In tanta autem confusione sententiarum, quae serpunt quotidie longius, id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum coniugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate esse; ideoque manifesti criminis reos esse, si qui forte coniuges, quaecumque demum caussa esse dicatur, novo se matrimonii nexu ante implicare velint, quam abrumpi primum morte contigerit. — Quod si res eo devenerint, ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad coniugum conditionem accommodatis, lenire studet secessionis incommoda; nec umquam committit, ut de reconcilianda concordia aut non laboret aut desperet. — Verum haec extrema sunt; quo facile esset non descendere si sponsi non cupiditate acti, sed praesumptis cogitatione tum officiis coniugum, tum caussis coniugiorum nobilissimis, ea qua aequum est mente ad matrimonium accederent; neque nuptias anteverterent continuatione quadam serieque flagitiorum, irato Deo. Et ut omnia paucis complectamur, tunc matrimonia placidam quietamque constantiam habitura sunt, si coniuges spiritum vitamque hauriant a virtute religionis, quae forti invictoque animo esse tribuit; quae efficit ut vitia, si qua sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum pondus, ut educationis liberorum operosa sollicitudo, ut comites vitae labores, ut casus adversi non solum moderate, sed etiam libenter perferantur.

26. Illud etiam cavendum est, ne scilicet coniugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine; animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse cetera concordes. Quin imo ab eiusmodi coniugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religio-

num aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine. — Postremo loco, cum probe intelligamus, alienum esse a caritate Nostra neminem oportere, auctoritati fidei et pietati Vestrae, Venerabiles Fratres, illos commendamus, valde quidem miseros, qui aestu cupiditatum abrepti, et salutis suae plane immemores contra fas vivunt, haud legitimi matrimonii vinculo coniuncti. In his ad officium revocandis hominibus Vestra sollers industria versetur: et cum per Vos ipsi, tum interposita virorum bonorum opera, modis omnibus contendite, ut sentiant se flagitiose fecisse, agant nequitiae poenitentiam, et ad iustas nuptias ritu catholico ineundas animum inducant.

27. Haec de matrimonio christiano documenta ac praecepta, quae per has litteras Nostras Vobiscum, Venerabiles Fratres, communicanda censuimus, facile videtis, non minus ad conservationem civilis communitatis, quam ad salutem hominum sempiternam magnopere pertinere. — Faxit igitur Deus ut quanto plus habent illa momenti et ponderis, tanto dociles promptosque magis ad parendum animos ubique nanciscantur. Huius rei gratia, supplice atque humili prece omnes pariter opem imploremus beatae Mariae Virginis Immaculatae, quae, excitatis mentibus ad obediendum fidei, matrem se et adiutricem hominibus impertiat. Neque minore studio Petrum et Paullum obsecremus Principes Apostolorum, domitores superstitionis, satores veritatis, ut ab eluvione renascentium errorum humanum genus firmissimo patrocinio tueantur.

28. Interea caelestium munerum auspicem et singularis benevolentiae Nostrae testem, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et populis vigilantiae Vestrae commissis, Apostolicam Benedictionem ex animo impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. II, p. 10-40].

581.

Leo XIII, allocut. *Summi Pontificatus*, 20 aug. 1880.

1. Summi Pontificatus sacrosancta maiestas, quam sicut habemus ipsa vita cariorem, sic conservare ac tueri omni contentione volumus et debemus, postulat a Nobis, ut de iniuria longe maxima supremae auctoritati Nostrae et huic Apostolicae Sedi haud ita pridem imposita, ad Vos, Venerabiles Fratres, hodierno die referamus. De iniuria intelligimus illata ad administratoribus rei Belgarum publicae, quod Legatum Nostrum nulla iusta caussa repente dimiserunt.

2. Nos quidem non tam privato dolore permoti, quam de Apostolicae Sedis honore solliciti, totam rei gestae seriem una cum instrumentis atque auctoritatibus, quibus iure credatur, pervulgari iussimus, ut omnia proferentur in lucem veritatis, et aequi viri facile statuerent, quam parum habeant firmamenti et virium coniectae ab inimicis in Apostolicam Sedem indignissimae criminationes. — Nunc vero eius facti rationem altius considerantes, cum in hoc tum in aliis non absimili genere, quae fere ubique geruntur,

certa vestigia agnoscimus quae significant recruduisse vehementer bellum, longo iam tempore adversus Christi Ecclesiam nefarie susceptum. Imo etiam magis apertam nudatamque conspicimus factiosorum hominum de abalienandis ab Apostolica Sede animis veterem coniurationem, eo consilio initam, ut in christianas gentes, quas semel Romani Pontificis auctoritati praesidioque forte subduxerint, omnem ipsi nutu atque arbitratu suo potestatem exerceant. — Atque idem plane propositum inimicis fuit, cum per vim et dolos eripere Romanis Pontificibus civilem principatum voluerunt, manifesto divinae Providentiae consilio et consentiente aetatum suffragio constitutum, uti salva iis perpetuo ea securitas ac libertas esset, qua nihil est magis in gerenda christiana republica necessarium. — Neque alio machinationes spectant summis artificiis excogitatae, adhibitaeque calliditate pari, per quas multi iamdiu contendunt invisam et suspectam facere populis Ecclesiam, invidiamque institutis catholicis conflare, praecipue autem Pontificatui Romano, ad communem humani generis salutem divinitus instituto.

3. Haec eadem consilia etiam in Belgio exequi catholici nominis hostes destinaverant, ut vincula abrumperentur aut relaxarentur, quae Belgarum gentem Apostolicae Sedi coniungunt. Quamobrem, data opportunitate, in ipsis legumlatorum publicis coetibus pluries est eorum exaudita vox, Legationem belgicam apud Romanum Pontificem esse tollendam; idque se statutum in animo ac deliberatum habere. Revera duobus ante annis, vix dum ad gubernacula reipublicae homines illarum partium accesserant, mora nulla fuit, quin aperte edicerent, revocationem oratoris belgici a legatione esse decretam; eamdem reapse perfectum iri, ubi primum per tempora licuisset.

4. Cum haec consilia atque hic habitus animorum in iis esset, perlata lex de primordiis studiorum publice tradendis, propositi perficiendi caussam attulit. — Nostis, Venerabiles Fratres, indolem huiusce legis atque rationem. Profecto in ea condenda hoc maxime consilium atque hanc sententiam fuisse apparet ab auctoritate catholicae religionis, vel a pueritia, abducere animos, institutionemque iuventutis, remota qualibet Ecclesiae providentia, civilis potestatis imperio voluntatique reservare. Etenim ea lege decernitur, in educatione puerili nullas esse debere sacrorum Pastorum partes, nullam Ecclesiae vigilantiam; dissociatisque penitus a religione litteris, ab eruditione puerorum, si ipsa publicarum scholarum ratio et disciplina spectetur, omnem de religione doctrinam abesse praecipitur: quod perfacile cernitur quam sit fidei et moribus ineuntis aetatis periculosum. — Eoque gravius esse periculum intelligitur, quod eadem lege omnis religiosa institutio plane excluditur ab iis ipsis litterarum palaestris, quas scholas *normales* vocant, ubi exercitatione praeceptisque conformantur, qui quaeve deinceps velint ad erudiendos pueros sese conferre.

5. Lex huiusmodi, per quam plurimum de doctrina iuribusque Ecclesiae detrahitur, maximoque discrimini sempiterna adolescentium salus obiicitur, non poterat, salvo officio, Episcopis probari, quibus a Deo id est muneris onerisque impositum, ut in salute animorum fideique sanctitate defendenda vigilanter elaborent. Revera cum probe sentirent, quid a se tempus offi-

ciumque postularet, sedulam operam dederunt arcendae ab eiusmodi publicis scholis iuventuti, aliasque aperiendas curarunt, potestati suae obnoxias, in quibus tenerae adolescentulorum mentes cum litterarum tum religionis elementis optime formarentur. Et hanc ad rem, laus est egregia Belgarum, peropportuno huic operi sese alacritate summa adiutores praebuisse. Cum enim animadverterent, quantum religioni periculum ab ea lege impenderet, avitam fidem, quoquo modo possent, tuendam susceperunt; idque tam inflammato studio, ut laborum ac sumptuum magnitudo admirationem fecerit apud omnes, ad quos huius rei fama pervenit.

6. Nos vero, qui propter excelsum supremi Pastoris et Magistri munus, intemeratam ubique fidem conservare, sacra Ecclesiae iura asserere, et salutis discrimina a capite gentium christianarum propulsare debemus, ipsa officii ratione sinere prohibebamur, indemnatam per Nos abire legem, quam Venerabiles Fratres Nostri Episcopi belgici iure condemnavissent. Quapropter in litteris Nostris ad dilectissimum filium Nostrum Leopoldum II regem Belgarum aperte declaravimus, legem die 1 Iulio mense factam magnopere catholicae doctrinae praeceptis repugnare; eamdemque perniciosam saluti adolescentium, neque parum ipsi civitati calamitosam futuram. Igitur qua talem improbavimus damnavimusque non semel, sicut nunc in conspectu omnium Vestrum, iisdem de caussis, iterum improbamus atque damnamus. Quam rem more agimus institutisque Apostolicae Sedis, quae semper iudicii atque auctoritatis suae pondere scholas perculit cuiuslibet religionis expertes, quas medias seu *neutras* appellant, quaeque suapte natura illuc tandem evadunt, ut Deum prorsus non agnoscant: neque usquam passa est, eiusmodi scholas a iuventute catholica celebrari, nisi certis casibus, cum eam tempus et necessitas cogeret, cautoque prius ne praesens esset pravae contagionis periculum. — Nihilominus christiana caritate animati, et quod nolebamus ullam dari caussam quamobrem acerbius bellum fieret, valde auctores fuimus Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, in medio certamine consistentibus, ut, quod ad decreta exequenda, moderationem et suavitatem in re praesenti ne relinquerent, et in poenis exigendis agerent lenius; quoniam rei christianae studium, tam iusta caussa incensum, paterna illa benevolentia temperari oporteret, quae devios quosque benigne complectitur.

7. Multum ad ea quae volebamus cohortationes Nostrae profecerant, multoque magis futurum videbatur, ut in reliquum tempus proficerent; non satis tamen ex sententia curatorum rerum belgicarum, qui Episcopos ipsos muneri suo firmissime intentos nihilominus coargui a Nobis, et in quo essent probabiles, in eo reprehendi voluissent. Quod cum Nos libere constanterque negavissemus facturos, idcirco officiose amiceque Nobiscum agi desitum est, et insigni, vixque alias audito illiberalitatis exemplo, legatus Noster excedere finibus iussus est. — Plura deinde per ambages et calumnias caussati, indigne factum tegere falsis nominibus conati sunt, omnemque caussam et culpam in Apostolicam Sedem transferre. Crescente autem audacia, nec a conviciis, nec a contumeliis temperatum est: imo ne in Urbe quidem Roma hostilis animi defuit insolens ostentatio.

BIBLIOTHECA FRATERNITATIS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

8. Quapropter muneris Nostri apostolici memores, casum gravem et repentinum in conspectu omnium Vestrum, Venerabiles Fratres, deplorantes, Nobiscum et cum sancta Petri Sede inique actum esse testamur et conquerimur. Cumque ius potestatemque habeat Pontifex maximus Nuntios aut Legatos ad exteras gentes, nominatim catholici nominis, earumque principes mittendi, de violato huiusmodi iure cum iis quos penes est culpa, expostulamus: eoque magis, quod eius iuris multo augustius est in Romano Pontifice principium, cum ab amplissima auctoritate primatus, quem ille divinitus obtinet in universam Ecclesiam, proficiscatur; quemadmodum et Pius VI gloriosae recordationis Pontifex declaravit his verbis: « Ius est Romano Pontifici habendi aliquos, in dissitis praesertim locis, qui sui absentis personam repraesentent, qui iurisdictionem suam atque auctoritatem stabili delegatione collatam exerceant, qui denique suas vices obeant; idque ex intima vi ac natura primatus, ex iuribus dotibusque cum primatu coniunctis, ex constanti Ecclesiae disciplina a primis usque saeculis deducta... » [1]

9. Querimur super hoc etiam, quod dimittendi Nostri per Belgium Legati caussa iniuriosa et de industria quaesita allata sit; cum contra dimissum idcirco esse constet, quod Nos deserere officium recusavimus, factaque significatione Nostrae cum Venerabilibus Fratribus Episcopis belgicis consentientis voluntatis, discedere ab iis nulla ratione voluimus. — Demum cohibere querelas non possumus propter multa et varia, quae de Nobis et hac Sede Apostolica sunt contumeliose atque atrociter dicta. Equidem quod privatim ad Nos, prompti ad perferendas patienter iniurias sumus, ignoscedumque obtrectatoribus atque inimicis, *gaudentes*, Apostolorum exemplo, *quod digni habiti sumus pro nomine Iesu contumeliam pati.* [2] Nihilominus tamen Deum hominesque testamur, numquam esse passuros, ut quicquam de Apostolicae Sedis existimatione et dignitate impune minuatur; quam Nobis certum est, omni vi et omnium rerum vitaeque ipsius, si res postularet, iactura defendere, ut tantae huius dignitatis amplitudo servetur, Nostrisque Successoribus integra atque inviolata tradatur.

10. Has autem voces, quas iustus animi dolor et conscientia officii in hoc amplissimo consessu Vestro, Venerabiles Fratres, Nobis expresserunt, late per orbem terrarum propagari volumus, ut viri principes universaeque gentes, querelarum Nostrarum aequitate perspecta, intelligant quibus profecta initiis, quem habuerit exitum res de qua loquimur; simul fraudes caveant, quibus homines non probi in aures animosque influunt multitudinis; alacriterque studeant in fide Romani Pontificis, nihil mutata aut labefactata voluntate, permanere.

11. Quod ad catholicam Belgarum gentem attinet, in summa est eorum laude ponendum, quod magna affecti sollicitudine ob Nostri discessum Legati, quem tot annos perhonorifice exceptum modis omnibus observarant, in hoc tempore propensioris voluntatis huic Apostolicae Sedi documenta depromerent: volunt enim, qua ratione possunt, curam et molestiam compensare iniuriarum, quas in persona humilitatis Nostrae Iesu Christi Vicarius accepit. — Atque hic pergratum Nobis est recordari grave quoddam laudum praeconium quod a Gregorio XVI, Pontifice maximo, Nobis praesentibus atque audientibus, Belgis tributum est. Is enim cum Nos pontificiae apud eos legationi benigne destinaret, de gente illa in universum plura effatus est verbis amplissimis, appellavitque genus hominum fortissimum, quorum fides et amor erga Apostolicam Sedem et erga Principes suos multis rebus ac perdiu constitisset. — Revera has ipsorum virtutes cum superiorum aetatum monumenta testantur, tum Nos usu et consuetudine Ipsi cognovimus, quamdiu illa legatione functi sumus; illorumque hominum et temporum et rerum iucundissima haerens in animo recordatio, peculiarem Nostram in eos fovit atque aluit benevolentiam. Igitur de Belgis confidimus futurum, ut ab Ecclesiae amore et obsequio numquam discedant, constantesque in fidei catholicae professione, et de christiana iuventutis institutione anxii atque solliciti, sese patribus et maioribus dignos in omne tempus impertiant.

[1] Resp. super Nuntiaturis Apost., cap. 8, sect. 2, n. 24.
[2] Act., V, 41.

12. Haec de rebus belgicis habuimus, quae Vobiscum, Venerabiles Fratres, communicaremus, ut illatam Apostolicae Sedi iniuriam propulsaremus, violatamque dignitatem tueremur. — Attamen per Vos ipsi videtis, praesentes Ecclesiae labores non esse Belgarum finibus circumscriptos. Longius serpit bellum, et latius manant rei catholicae detrimenta: quorum tamen sermonem praesens in tempus omittimus. — Interim vero meliore spe erectos confirmatosque animos gerere oportet, et concordibus obsecrationibus suppliciter contendere a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis, ut Ecclesiam sponsam suam, tot fessam malis ac tantis curis exercitam, benigne consoletur; sedatisque undis ac fluctibus, optatam diu tranquillitatem restituat.

[Leonis XIII Acta, vol. II, p. 114-122].

582.

Leo XIII, const. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881.

§ 1. Romanos Pontifices Decessores Nostros paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicis recordationis Pius IX in Litteris *Universalis Ecclesiae*, III kalend. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL datis, [1] graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantum temporum ratio sinebat, ea benefacta quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa dominici gregis ad nuptias Agni caelestis iam vocata, ac mystico Eius

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 235-246.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

corpori sociata, pleniorem veritatis atque ordinis firmitatem per Episcopo-
rum gubernationem et regimen rursus adepta est. *Episcopi quippe*, inquit
S. Irenaeus, [1] *successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus succes-
sione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt;* atque
inde fit, quemadmodum S. Cyprianus monet, [2] *ut Ecclesia super Episcopos
constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur.*

2. Huic sane sapienti consilio mirifice respondit eventus; plura nimi-
rum Concilia provincialia celebrata, quae saluberrimis legibus religiosa
dioecesium negotia ordinarunt: latius propagata in dies catholica fides, et
complures nobilitate generis et doctrina praestantes ad unitatem Ecclesiae
revocati: clerus admodum auctus: auctae pariter religiosae domus non modo
ex regularibus ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus institutis, quae
moderandis adolescentium moribus, vel caritatis operibus exercendis optime
de re christiana et civili societate meruerunt: constituta pia laicorum soda-
litia: novae missiones novaeque Ecclesiae quamplures erectae, nobili instru-
ctu divites, egregio cultu decorae; permulta etiam item condita orphanis
alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae, in quibus pueri et adole-
scentes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

§ 3. Cuius quidem rei laus non exigua tribuenda est Britannicae gen-
tis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita
veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit
Tertullianus *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subiecta.* [3] At prae-
cipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia,
tum Cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum
sollertia.

§ 4. Nihilominus quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates
dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales ordinum religiosorum
obstiterunt, quominus uberiores fructus perciperentur. Illi enim, cum prae-
scripta fuisset per memoratas Litteras Praedecessoris Nostri communis iuris
observantia, rati sunt se posse omnia decernere quae ad ipsius iuris exe-
cutionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum
potestati permissa sunt. Plures contra gravesque causae prohibebant, ne
peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus
aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias finien-
das Angliae Episcopi, pro sua in hanc Apostolicam Sedem observantia,
Nos adiere rogantes, ut suprema auctoritate Nostra dirimerentur.

§ 5. Nos vicissim haud gravate eam postulationem excepimus, tum
quia nobilem illam nationem non minore quam Decessores Nostri benevo-
lentia complectimur, tum quia nihil Nobis est antiquius, quam ut subla-
tis dissidii causis stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia. Quo
gravius autem et cautius a Nobis iudicatio fieret, non modo iis quae ultro
citroque adducebantur iuribus et auctoritatibus diligenter animum adieci-

[1] Adv. haer., lib. IV, cap. 26, n. 2.
[2] Epist. 29 ad lapsos.
[3] Lib. adv. iudaeos, cap. 5.

mus, sed etiam sententiam perrogavimus Congregationis specialiter depu-
tatae aliquot S. R. E. Cardinalium e duobus sacris Consiliis, quorum alte-
rum Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeest, alterum
christiano nomini propagando. Hi cunctis accurate exploratis quae in deli-
berationem cadebant, et rationum momentis, quae afferebantur utrinque,
religiose perpensis, fideliter Nobis exposuerunt quid aequius melius de
singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito
itaque memoratorum Cardinalium consilio, causaque probe cognita, supre-
mum iudicium Nostrum de controversiis ac dubitationibus quae propo-
sitae sunt per hanc Constitutionem pronunciamus.

§ 6. Multiplex licet varieque implexa sit congeries rerum quae in
disceptationem vocantur, omnes tamen ad tria potissimum capita com-
mode redigi posse arbitramur, quorum alterum ad familiarum religiosarum
exemptionem pertinet ab episcopali iurisdictione; alterum ministeria re-
spicit, quae a regularibus missionariis exercentur; tertium quaestiones
complectitur de bonis temporalibus deque usu in quem illa oporteat
converti.

§ 7. Ad regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt
canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae
est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Epi-
scopis, horumque auctoritate regantur; [1] tamen quo melius in religiosis
ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato
et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfec-
tioni *religiosae conversationis* [2] consultum, haud immerito Romani Pontifices,
quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate
regundos adtribuere, Clerum Regularem Episcoporum iurisdictione exem-
ptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa quod placuerit religio-
sas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod
earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab
ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas
iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici
maximo propter primatum Pontificium immediate subesse oporteret, [3] in
Eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium
exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic
huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina,
adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati
sive ordinariae sive delegatae.

§ 8. De hoc itaque privilegio exemptionis dubitatum est, num eo munian-
tur religiosi sodales, qui in Anglia et Scotia missionum causa consistunt: hi
enim ut plurimum in privatis domibus terni, bini, interdum singuli commo-
rantur. Et quamvis Benedictus XIV in Constit. *Apostolicum ministerium*,

[1] Concil. Trid., sess. 23, *de sacram. ord.*, can. 7.
[2] S. Gregor. M., Epist. III, lib. IX. – Bened. XIV, Epist. Decret. *Apostolicae ser-
vitutis*, prid. idus martii 1742. – Cf. N. 334.
[3] Concil. Vatic., Constit. *Pastor aeternus*, cap. 3. — Cf. N. 10.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

III kalen. iunii anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII,[1] memoratos missionarios regulares privilegio perfrui declaraverit, subdubitandum tamen Episcopi rursus in praesens existimabant, eo quod, restituta episcopali hierarchia, rem catholicam ad iuris communis formam in ea regione gubernari oportet. Iure autem communi[2] constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Insuper ipse Constitutionis Auctor visus est ponere privilegii causam in « publici regiminis legibus... quibus coenobia quaecumque prohibentur »; hanc vero causam compertum est fuisse sublatam, quum plures iam annos per leges illius regni liceat religiosis sodalibus in collegia coire.

§ 9. Nihilominus haec tanti non sunt, ut reapse privilegium defecisse iudicemus. Nam quamvis hierarchiae instauratio faciat, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiae disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent. Iamvero sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries declaravit, Constitutiones Clementis VIII, *Quoniam*, IX kal. iunii MDCIII,[3] Gregorii XV, *Cum alias*, XVI kalen. septemb. MDCXXII,[4] Urbani VIII, *Romanus Pontifex*, V kalen. septemb. MDCXXIV,[5] itemque Constitutiones Innocentii X non esse de domibus atque hospitiis missionum intelligendas.[6] Ac merito quidem; nam quum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII, utrum religiosi viri ad Indos missi in culturam animarum existimandi essent quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur, Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum quorumcumque*, VI idus novembris MDCI decreverat eos « reputandos esse tamquam religiosos viventes intra claustra » quamobrem « in concernentibus curam animarum Ordinario loci subesse: in reliquis vero non Ordinario loci, sed suis superioribus subiectos remanere ». Neque alias sensit iudicavitque Benedictus XIV in suis Constitutionibus *Quamvis*, V kalen. martii MDCCXLVI,[7] *Cum nuper*, VI idus novembris MDCCLI,[8] et *Cum alias*, V idus iunii MDCCLIII.[9] Ex quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac domos quantumvis incolarum paucitate infrequentes huius, de quo agitur, privilegii iure comprehendi, idque non in locis solum ubi Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt; de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. Apparet insuper rationem potissimam exemptionis missionariorum regularium in Anglia non esse exquirendam in legi-

[1] Cf. N. 425.
[2] Innocent. X, Constit. *Instaurandae*, die 15 oct. 1652 (Cf. N. 233). Constit. *Ut in parvis*, die 10 febr. 1654 (Cf. Bull. Rom., tom. 6, III, p. 270, 271).
[3] Cf. N. 190.
[4] Cf. Bull. Rom., tom. 5, V, p. 47, 48.
[5] Cf. N. 204.
[6] S. Congr. de Prop. fide, 30 ianuarii 1627; 27 martii 1631; 5 octobris 1655; 23 septembris 1805; 29 martii 1834. – Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 32.
[7] Cf. Bened. XIV Bull., tom. 2, p. 1-6.
[8] Cf. N. 417.
[9] Cf. Bened. XIV Bull., tom. 4, p. 108-111.

bus civilibus, quae coenobiis erigendis obessent; sed magis in eo salutari ac nobilissimo ministerio, quod a viris apostolicis exercetur. Quod non obscure Benedictus XIV significavit inquiens, « regulares Anglicanae missioni destinatos illuc proficisci in bonum sanctae nostrae religionis ». Eamdemque causam pariter attulerat Clemens VIII, cum de sodalibus religiosis ad Indos profectis docuerat, ipsos antistitum suorum iussu illuc concessisse, ibique sub disciplina praefecti provinciae versari « ad praedicandum sanctum Dei evangelium et viam veritatis et salutis demonstrandam ». Hinc post sublatas leges sodalitiis regularibus infensas, et hierarchia catholica in integrum restituta, ipsi Britannorum Episcopi in priori Synodo Westmonasteriensi testati sunt, rata sibi privilegia fore, « quibus viri religiosi suis in domibus vel extra legitime gaudent » quamvis « extra monasteria ut plurimum degant ».

§ 10. Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus: Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.

§ 11. Praecipuam hanc quam definivimus controversiam altera excipiebat affinis, de obligatione qua teneantur Rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, aliique religiosi sodales, facultatibus praediti quae missionariis conceduntur, ut intersint iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, neque non Synodis dioecesanis. Cuius quaestionis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare quod in Concilio Westmonasteriensi Provinciali IV praecipitur his verbis: « Si duo vel plures sint sacerdotes in eadem missione, unum tantum primum designandum, qui gerat curam animarum et administrationem Ecclesiae... ceteros omnes curam quam habent animarum cum dependentia a primo exercere ».[1] Comperta itaque natura facti de quo agitur, et semota tantisper ea quaestionis parte quae Synodos respicit, ambigi nequit, quin Rectores missionum adesse debeant iis Cleri coetibus, qui *collationes* dicuntur. Namque eorum causa eadem ferme est ac parochorum; parochos autem etiam regulares ea obligatione adstringi et docuit Benedictus XIV, Const. *Firmandis*, § 6, VIII idus novembris MDCCXLIV,[2] et sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis pluries declaravit.[3] Recte igitur in praedicta Synodo Westmonasteriensi fuit constitutum « Ad suam collationem tenentur convenire, respondere parati omnes sacerdotes saeculares et regulares salvis eorum iuribus, qui curam habent animarum ». Aliter dicendum videretur de vicariis, aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *iure constituto* a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra Congregatione Concilii declaratum.[4] At

[1] Dec. 10, n. 10.
[2] Cf. N. 349.
[3] *Forosempronien.*, 5 sept. 1650, Lib. 19 Decret.
[4] *Forosempronien.*, 12 maii 1681, Lib. 53 Decr., fol. 258; *Aquipendien.*, VV. SS. LL. 12 martii 1718.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Nos minime praeterit Concilium Romanum habitum anno MDCCXXV auctoritate Benedicti XIII iussisse confessarios omnes etiam ex ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare « dummodo morales in eorum conventibus lectiones non habeantur ».[1] Quum autem quod sine effectu geritur id geri nullo modo videatur, sacrum Consilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas regularium collationes in quibusdam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illic munere perfungentibus imperavit, ut Cleri conventibus interessent. Hisce igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum rectores Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia, parvasque missionum domos incolunt.

§ 12. De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est:[2] « Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere tenentur. Ratione autem parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam adnexarum, debentii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse ». Quam legem egregie illustravit Benedictus XIV.[3] Neque vero putamus cuiquam negotium facessere decretum Alexandri VIII, III kalen. aprilis MDCXCI, quo cavetur, ut ad synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, omnesque antistites domorum religiosarum quas Innocentius X Episcoporum potestati subiecerat. Quum enim Innocentianae Constitutiones viros apostolicos, qui in sacris missionibus versantur, non attingant, facile intelligitur, neque decretum Alexandri VIII ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori quaestionis parti hoc unum respondemus: standum esse decretis Synodi Tridentinae.

§ 13. Proxima est quaestio quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodalium. Namque hisce decretis pareant oportet etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur,[4] ceterisque in rebus « in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta ».[5] Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit; « siquidem, Gelasio I[6] et Nicolao I[7] auctoribus, ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo sit appellare permissus ». Quare huius appellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si apta fiat causarum distinctio. Fas est nimirum Regu-

[1] Conc. Roman., a. 1725, p. 28.
[2] Sess. 24, cap. 2, *de ref.*
[3] De Synod. dioec., lib. 3, cap. 1, § 11.
[4] Concil. Trid., sess. 25, cap. 11, *de regular.*
[5] Innoc. IV, cap. I, *de privileg.*, in 6.
[6] Ep. 7 ad Episc. Dardan., ann. 495, tom. 2 Collect. Harduini.
[7] Ep. 8 ad Michael. Imperat., tom. 5 Collect. Harduini. – Cf. N. 25.

laribus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum etiam *in suspensivo*. Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo iure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare a lege communi, scilicet *in devolutivo*.[1] At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra regulares vim rationemque legis amittunt: quare constat illos sic exemptionem a iurisdictione episcopali possidere uti ante possederint; donec Pontificis maximi auctoritate iudicetur, iure ne an secus cum iis actum sit.

§ 14. Hactenus de exemptionis privilegio; nunc de iis quaestionibus dicendum, quibus ministeria quaedam per regulares exercita occasionem praebuerunt. Excellit inter haec munus curationis animarum, quod saepe, ut innuimus, religiosis viris demandatur intra fines ab Episcopis praestitutos; locus autem iis finibus comprehensus *missionis* nomine designatur. Iamvero de his missionibus disceptatum fuit, an et quomodo fieri possit ab Episcopis earum divisio, seu, ut dici solet, dismembratio. Nam qui Regularium iura tuebantur, negabant hanc divisionem fieri posse nisi legitimis de causis, adhibitisque iuris solemniis quae praescripta sunt ab Alexandro III[2] et a Concilio Tridentino.[3] Alia vero erat Episcoporum opinatio.

§ 15. Profecto si divisio fiat paroeciae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria iure constitutae, dubitandum non est quin nefas sit Episcopo canonum praescripta contemnere. At Britannicae missiones generatim in paroecias ad iuris tramites erectae non sunt: idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI[4] officium applicandi missam pro populo ad Episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesium Britannicarum non ea sit constitutio, ut in veras paroecias dispositae sint. Itaque ad divisionem missionis simplicis ea iuris solemnia transferenda non sunt, quae super dismembratione paroeciarum fuerunt constituta: eo vel magis quod propter missionum indolem et peculiares circumstantias, numero plures ac leviores causae possint occurrere, quae istarum divisionem suadeant, quam quae iure definitae sint ut fiat paroeciarum divisio. Neve quis urgeat similitudinem quam utraeque inter se habent; cum enim obligatio servandi solemnia iuris libertatem agendi coerceat, ad similes causas non est pertrahenda. Silentibus itaque hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est ut Concilii Provincialis Westmonasteriensis valeat auctoritas, cuius hoc decretum est: « Non obstante rectoris missionarii deputatione, licebit Episcopo de consilio Capituli,

[1] Bened. XIV, *de Synod. dioec.*, lib. 13, cap. 5, § 2.
[2] Cap. *ad audientiam, de Eccles. aedific.*
[3] Sess. 21, cap. 4, *de ref.*
[4] Die 18 aug. – Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 1296.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

intra limites missionis cui praeponitur, novas Ecclesias condere ac portionem districtus iis attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat ». Quae cum sint ita, ad propositam consultationem respondemus: licere Episcopis missiones dividere, servata forma sancti Concilii Tridentini,[1] quoad missiones quae sunt vere proprieque dictae paroeciae; quoad reliquas vero, ad formam Synodi I Provincialis Westmonasteriensis.[2] Quo melius autem missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur, quod iam accepimus laudabiliter esse in more positum: quod si a religiosis sodalibus missio administretur, Praefectus Ordinis audiatur; salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutivo* tantum.

§ 16. Peracta missionis, cui regulares praesint, dismembratione, alia nonnunquam quaestio suboritur: utrum nempe Episcopus in praeficiendo Rectore missioni, quae nova erigitur, ipsos religiosos sodales ceteris debeat praeferre. — Quamvis illi hanc sibi praerogativam adserant, obscurum tamen non est, haud leves exinde secuturas difficultates et offensiones. Ceterum in ea de qua sermo est, nova erectione necesse est alterutrum contingere; nimirum ut paroecia veri nominis, aut mere missio constituatur. Si primum fieret, per quam alienum esset ab Ecclesiae disciplina e religiosa familia arcessitum parochum praeferri; sic enim iure quod modo viget arcentur regulares a parochi munere, ut illud suscepturi venia Apostolica indigeant. Ad rem Benedictus XIV in Constit. *Cum nuper*, VI idus novembris MDCCLI.[3] « Quemadmodum, inquit, negari nequit, ex veteri canonum lege, monachos et regulares ecclesiarum parochialium regiminis capaces fuisse, ita certum nunc est ex recentiori canonica disciplina interdictum esse regularibus parochiarum curam adsumere sine dispensatione Apostolica ». Hinc sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis[4] ad dubium « an annuendum sit precibus Patrum Augustinianorum de nova paroecia iisdem concedenda », rescripsit — negative et amplius. — Sin autem, quod secundo loco posuimus, mera missio erigitur, ius certe non obest religiosis viris ne inter eos eligatur rector; ast ne iis quidem praeferri optantibus suffragatur. Rem itaque integram et in sua potestate positam aggrediens Episcopus, libertate sua utatur oportet; ubi enim iura silent, loco legis est Praesulis auctoritas; praesertim vero quod, ut doctorum fert adagium, Episcopus *intentionem habet in iure fundatam* in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinent. Quamobrem praelatio quoad novam missionem, a Regularibus expetita, aut nullo iuris subsidio fulcitur, aut in disertam iuris dispositionem offendit.

§ 17. Officium curationis animarum sedulitati Regularium commissum alias etiam dubitationes gignit; eaeque loca spectant finibus compre-

[1] Cap. 4, sess. 21, *de ref.*

[2] *De regimine congregationum seu missionum*, n. 5.

[3] Cf. N. 417.

[4] In Ianuen., *dismembrationis*, XXV ianuarii MDCCCLXXIX. – Cf. Thesaurus Resol. S. C. C., tom. 138, p. 56-69.

hensa missionum quae ab ipsis reguntur. Coepit enim ambigi utrum coemeteria et pia loca, intra fines illarum sita, Episcopus visitare possit. Ast in coemeteriis facilis ac prona suppetit distinctionis adeoque finiendae controversiae ratio. Nam si de coemeteriis agatur quae solis religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt; cetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit Benedictus XIV in Constit. *Firmandis*, VIII idus novembris MDCCXLIV.[1] Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimitur, ea secernendo quae exempta sunt ab iis quibus praeest Episcopus sive ordinario iure, sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum piis locis, sententiam Nostram paucis complectimur pronunciantes: sacrorum canonum et constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda.

§ 18. Superioribus dubiis arcto iungitur nexu illud quo quaeritur an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares* etiam, *primariae, puerorum* nuncupantur; est enim sanctissimum docendi ministerium, et proximum piis locis ordinem tenent scholae de quibus agendum est. Quo illae pertineant ex ipso nomine dignoscitur; intendunt nimirum ad puerilem aetatem primis litterarum elementis primisque fidei veritatibus, ac morum praeceptis apte instituendam: quae quidem institutio omnibus est temporibus, locis et vitae generibus necessaria, ac multum habet momenti ad universae societatis humanae, nedum singulorum hominum incolumitatem; ex puerili enim institutione pendet, ut plurimum, qua quis ratione sit reliquae aetatis spatium acturus. Itaque quid a docentibus eo loci praecipue praestandum sit, sapienter Pius IX significavit scribens, « In hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi et ad pietatem morumque honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem accurate formandi, atque in iisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut aliorum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, adventitiae appareant ».[2] — Nemo exhinc non intelligit istam puerorum institutionem in Episcoporum officiis esse ponendam, et scholas, de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis, quam in pagis exiguis inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

§ 19. Insuper quod ratio suadet lux historiae confirmat. Nullum quippe fuit tempus quo singularis non eluxerit Conciliorum cura in huiusmodi scholis ordinandis ac tuendis, pro quibus plura sapienter constituerunt. Eorum nempe decretis prospectum est ut illas Episcopi in oppidis et pagis

[1] Cf. N. 349.

[2] Epist. ad Archiep. Friburg., *Cum non sine maxima*, XIV iulii MDCCCLXIV. – Cf. N. 539.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

restitui et augeri curarent, [1] puerique ad discendum admitterentur, qualibet, si fieri posset, impensa remissa. [2] Eorumdem auctoritate dictae leges, quibus alumni religioni ac pietati operam darent, [3] definitae dotes et ornamenta animi, quibus magistros praeditos esse oporteret, [4] iisque imperatum, uti iurarent iuxta formulam catholicae professionis: [5] demum scholarum curatores constituti qui eas adirent, ac circumspicerent nequid inesset vitii aut incommodi, neve quid omitteretur ex rebus, quas de illarum disciplina leges dioecesanae sanxissent. [6] Ad haec, quum Patres Conciliorum probe intelligerent parochos etiam pastoralis ministerii compotes esse, partes haud exiguas iisdem tribuerunt in scholis puerorum, quarum cura cum animarum curatione summa necessitate iungitur. Placuit igitur in singulis paroeciis pueriles scholas constitui, [7] quibus nomen est *parochialibus* impositum: [8] iussi sunt parochi munus docendi suscipere, sibique adiutricem operam magistrorum et magistrarum adsciscere: [9] iisdem negotium datum scholas regendi et curandi diligentissime: [10] quae omnia si non ex fide integreque gesserint, officium deseruisse arguuntur, [11] dignique habentur in quos Episcopus animadvertat. [12] In unum ergo collineant argumenta ex ratione et factis petita, ut scholae, quas pauperum vocant, institutis dioecesanis et paroecialibus praecipuo iure adnumerandae sint; eaque de causa Britannorum Episcopi ad hanc usque aetatem in missionibus tam saecularibus quam regularibus easdem pro potestate sua visitare consueverunt. Quod et Nos probantes declaramus: Episcopos ius habere quoad omnia visitandi huiusmodi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus.

§ 20. Alia profecto causa est ceterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno MDCCCLXXIV a sacro

[1] Synod. I Prov. *Camerac.*, tit. *de scholis*, cap. 1 – Synod. Prov. *Mechlin.*, tit. *de scholis*, cap. 2.

[2] Synod. *Namurcen.*, an. 1604, tit. 2, cap. 1.

[3] Synod. *Antuerpien.*, sub. Mireo, tit. 9, cap. 3.

[4] Synod. *Cameracen.*, an. 1550.

[5] Synod. II Prov. *Mechlinien.*, tit. 1, cap. 3.

[6] Synod. II Prov. *Mechlimien.*, tit. 20, cap. 4. – Synod. Prov. *Pragen.*, an. 1860, tit. 2, cap. 7.

[7] Synod. *Valens.*, an. 529, can. 1. – Synod. *Nanneten*, relat. in cap. 3, *de vit. et hon. clericor.* – Synod. *Burdigalen.*, an. 1853, tit. 27.

[8] Synod. I Prov. *Mechlimien.*, tit. *de Scholis*, cap. 2. – Synod. Prov. *Colocen.*, an. 1863, tit. 6. – Synod. Prov. *apud Maynooth*, anno 1875.

[9] Synod. *Nannet.*, sup. cit. – Synod. *Antuerp.*, sup. cit. – Synod. Prov. *Burdig.*, an. 1850, tit. 6, cap. 3.

[10] Synod. Prov. *Vienn.*, ann. 1858, tit. 6, cap. 8. – Synod. Prov. *Ultraiect.*, an. 1865, tit. 3, cap. 2.

[11] Synod. Prov. *Colocen.*, an. 1863, tit. 6, cap. 5. – Synod. Prov. *Colonien.*, an. 1860, tit. 2, cap. 23. – Synod. Prov. *Ultraiect.*, an. 1863, tit. 9, cap. 5.

[12] Synod. I Prov. *Cameracen.*, tit. *de scholis*, cap. 2.

Consilio christiano nomini propagando, quum acta expenderentur Concilii Provincialis Westmonasteriensis IV. [1]

§ 21. Quum res in vado sit quod ad scholas attinet et collegia regularium iam constituta, adhuc tamen est in ancipiti, si de novis erigendis agatur. De his enim quaeritur: an et cuius superioris venia sit impetranda? Porro cum latius ea dubitatio pateat et ecclesiarum quoque ac coenobiorum erectionem pertingat, omnia haec unius quaestionis et iudicii terminis complectimur. Atque his primo occurrunt Decretales veteres quibus est cautum ne quid huiusmodi quisquam institueret absque Sedis Apostolicae licentia speciali. [2] Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit « sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta »; [3] quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari iubentibus. Quapropter cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII [4] pravam consuetudinem emendaturus, opera eiusmodi improbavit tam quae sine venia Episcopi, quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit. — Huc etiam spectavit Innocentius X in Constitut. *Instaurandae*, idibus octobris MDCLII, [5] qua praecepit ut nemo ex familiis regularibus « domos vel loca quaecumque de novo recipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali ». Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri. [6] Iisdem insistens vestigiis sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam. [7] His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove caenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere.

§ 22. Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps

[1] Decret. 26.

[2] Cap. *Religiosorum*, § *confirmatas*, *de relig. domib.*, et cap. *Ex eo*, *de excess. praelat.*, in 6.

[3] Concil. Trident., sess. 25, cap. 3, *de Regular.*

[4] Constit. *Romanus Pontifex.*, XIII kalen. septembris 1624. – Cf. N. 204.

[5] Cf. N. 233.

[6] Bened. XIV, *de Synod. dioec.*, lib. 9, cap. 1, num. 9. – Monacelli, *Formul. legal.*, part. 1, tit. 6, form. 19, num. 31.

[7] Sac. Congr. de Prop. Fide in coetibus habitis diebus 22 martii 1669; 3 nov. 1688; 1704; 1768; 23 aug. 1858; 30 maii 1864; 17 iulii 1865. – Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 178.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere? Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre: aut immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum, priore usu retento, novam causam sive usum inducere. Iam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit « ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare ». [1] Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam « Monasteriorum, Collegiorum, domorum, conventuum et aliorum Regularium locorum huiusmodi? » Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII per Constitutionem *Romanus Pontifex*, nisi « servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum et Concilii Tridentini forma ». [2] Sic unum superest de quo contendatur; num priore usu retento, nova causa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituantur; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII et Urbano VIII fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur; nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur: Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

§ 23. Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parta bona sunt, qui cum sua sponte et voluntate dona largiantur, vel intuitu missionis id faciunt, vel eius qui missioni praeest. Iam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere Episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum Consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis Ordinibus sive Institutis commissas die XIX aprilis MDCCCLXIX, rescripsit in haec verba: « 1° Missionarii regulares bonorum temporalium, ad ipsos *qua regulares* spectantium, rationem Episcopis reddere non tenentur. 2° Eorum tamen bonorum, quae missioni, vel regularibus *intuitu missionis* tributa fuerunt, Episcopi

[1] Cap. *Cum ex eo, de excess. praelat.*, in 6.
[2] Cf. N. 204.

ius habent ab iisdem missionariis regularibus, aeque ac a Parochis cleri saecularis, rationem exigendi ». Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus die X maii anno MDCCCLXVIII, in mandatis dederat ut bona missionum diligenter describerentur, ea secernendo quae propria missionum essent ab iis quae ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent.

§ 24. Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri Ecclesiae Rectori data piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris. [1] Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere, eique reddere cuius res gesta fuit, [2] ideo parochus vel Ecclesiae Rector facere non potest quin rationes reddat Ordinario loci, cuius est iurisdictio et causae piae tutela. [3] At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pleno iure ad Episcopum pertinent; huic ergo cuiusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod Urbanus II in Concilio Claromontano, aliique post eum Romani Pontifices decreverunt [4] circa Ecclesias parochiales, quoad temporalia Monasteriis iunctas, teneri vicarios respondere Episcopis de *plebis cura*, de temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii; siquidem seposita etiam ratione historica unde ea profecta est iuris dispositio, [5] certum exploratumque est, in iis pontificiis decretis ac litteris appellatione temporalium, beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent compendia significari.

§ 25. Quocirca ea confirmantes quae a S. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia, intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios Cleri saecularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem Congregationis die XIX aprilis MDCCCLXIX, et Instructionem diei X maii MDCCCLXVIII.

§ 26. Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his quae modo iussimus exequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem prae-

[1] Fagnan., in cap. *Pastoralis, de his quae fiunt a Praelatis*, n. 29. – Card. De Luca in Conc. Trid., discur. 18, n. 5. – Reiffenst., lib. 3 Decret., tit. 30, n. 193.
[2] L. 1 § *officio ff. de tutelae et rat. distr.* – L. 2 § *et sane ff. de negot. gest.* L. *Curator.*, *L. Tutor*, Cod., *de negot. gest.*
[3] Sac. Congr. Concilii *Nullius*, seu *Nonantulan.*, *iurium parochialium*, 27 iunii 1744 ad dub. XII. – Cf. Thesaurus Resol. S. C. C., tom. 13, p. 97, 98.
[4] Lucius II *ad Prioren S. Pancratii in Anglia*, Alexander III *ad Monaster. S. Arnulphi*, Lucius III *ad Superiorem Praemonstrat. et ad Abbatissam S. Hilarii in dioecesi Fesulana.*
[5] Gonzal. Comment., in cap. I, *de Cappel. Monach.*

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

sumi. [1] At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam
quidam ecclesiastici iuris periti fere communem evasisse docent, cuius vi
« hodie pene solae oblationes quae in Ecclesia sub missis ad altare fiunt
et quae pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis
aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis similibus
functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectant; consuetudine
reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut aliis certis finibus
applicante ». [2] Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia
adiumenta fideles accipiunt, [3] haud inconcinne praesumi potest collata libe-
ralitas, ubi Ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministro-
rum tuitioni prospiciatur, longe aliud iudicium esse debet ubi eam bonorum
copiam Ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum
sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus
divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo quem ecclesia-
stica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos lege cautum
fuerat ut pecunia omnis dono accepta, inter Ecclesiam, Episcopum, Cleri-
cos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si lar-
gitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles sem-
per pro arbitrio possint modum et finem designare in quem oblatam
stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a
legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu.
Haec Nobis considerantibus visi sunt prudenter et opportune egisse Patres
Concilii Provincialis Westmonasteriensis II, cum partim interpretantes
piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest,
utentes potestate imperandi pecuniae collationes decernendique quo tem-
pore et qua de causa conferri oporteat, statuerunt in capite *de bonis ecclesia-
sticis*, quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio,
itemque Nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis
Synodi sese affatim adcommodare oportere.

§ 27. Sublatis controversiis cognitioni Nostrae propositis, confidimus,
curam a Nobis in iis componendis adhibitam eo valituram, ut ad tranquilli-
tatem et incrementum rei catholicae in Anglia non leviter conferat. Equi-
dem pronunciationes Nostras ad iuris et aequitatis regulam studiose reli-
gioseque exegimus, nec dubitamus quin in iis exequendis par diligentia et
religio eniteat illorum inter quos iudicium protulimus. Sic enim fiet, ut
Episcoporum ductu et prudentia religiosi sodales de Anglicis missionibus
apprime meriti, strenue et alacriter e laboribus suis fructus salutis ferre
pergant laetissimos, atque utrique (ut voce utamur Gregorii Magni ad Angliae
Episcopos) *communi.... consilio, concordique actione quae sunt pro Christi
zelo agenda disponant unanimiter, recte sentiant, et quae senserint, non sibi-*

[1] Argum. ex cap. *Pastoral.* 9, *de his quae fiunt a Praelat.*; cap. *Transmissa, de Verb. sign.*, ac praesertim cap. 1, *de Statu Monach.*

[2] Reiffenst., L. 3 Decretal., tit. 30, n. 193, Van Espen, *Ius eccles. univ.*, part. 2, sect. 4, tit. 2, cap. 10, nn. 20 et 21.

[3] Argum. ex cap. *quia Sacerdotes* 13, caus. 10, quaest. 1.

met discrepando perficiant. [1] Concordiam hanc postulat paterna caritas Epi-
scoporum in adiutores suos et mutua Cleri in Episcopos observantia; hanc
concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum iunctis
studiis ac viribus quaerenda; hanc eamdem exigit necessitas iis resistendi
qui catholico nomini infensi sunt. Haec vires gignit et infirmos quoque pares
efficit ad grandia quaeque gerenda; haec signum est quod sinceros Christi
discipulos ab iis disterminat qui se tales esse mentiuntur. Ad hanc igitur
singulos et universos enixe cohortamur in Domino, rogantes cum Paulo ut
impleant gaudium Nostrum, ut idem sapiant eamdem caritatem habentes,
unanimes, idipsum sentientes. [2]

§ 28. Demum ut firmiter ea consistant quae constituimus, volumus
atque decernimus, praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam
ex eo quod praedicti religiosi sodales et alii quicumque in praemissis inter-
esse habentes cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis existant, seu alias
specifica mentione digni iis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi,
causaeque propter quas praesentes emanaverint sufficienter adductae, veri-
ficatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis
iuridica et privilegiata causa, colore et capite etiam in corpore iuris clauso,
nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio
seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet,
quantumvis magno et substantiali, individuamque expressionem requi-
rente defectu impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut
ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aliudve
quodcumque iuris remedium intentari vel impetrari; sed ipsas praesentes
Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, quibuscumque
iuris seu facti defectibus, qui adversus illas ad effectum impediendi vel retar-
dandi earum executionem quovis modo vel quavis de causa opponi possent
minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus obtinere, easque
propterea, omnibus et singulis impedimentis penitus reiectis, ab illis ad
quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter ser-
vari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios
et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum fore et inane si secus
super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit
attentari.

§ 29. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra et Can-
cellariae Apostolicae Regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque Apostolicis
ac in Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis consti-
tutionibus et ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congre-
gationum, Institutorum, et Societatum, etiam Iesu, et quarumvis Ecclesia-
rum et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel
quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus
etiam immemoralibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis
quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis et factis ac

[1] Apud Bedam, *Histor. Angl.*, II, 29.

[2] Philip., II, 2.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

licet pluries iteratis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione specialis forma servanda foret, tenores earumdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 30. Quocumque autem modo earumdem praesentium Litterarum exempla in Anglia publicata fuerint, volumus ut statim post huiusmodi publicationem omnes et singulos quos concernunt vel concernent in posterum perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae ac notificatae fuissent.

§ 31. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrarum decisionum, declarationum, decretorum, praeceptorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

[Leonis XIII Acta, vol. II, p. 231-260].

583.

Leo XIII, ep. encycl. *Etsi Nos*, 15 febr. 1882.

1. Etsi Nos, pro auctoritate atque amplitudine Apostolici muneris, et universam christianam rempublicam et singulas eius partes maxima, qua possumus, vigilantia et caritate complectimur: nunc tamen singulari quadam ratione curas cogitationesque Nostras ad se Italia convertit. — Quibus in cogitationibus et curis altius quiddam rebus humanis divinisque suspicimus: anxii enim et solliciti sumus de salute animarum sempiterna; in qua tanto magis fixa et locata esse omnia studia Nostra oportet, quanto eam maioribus periculis videmus oppositam. — Cuius generis pericula, si magna umquam in Italia fuerunt, maxima profecto sunt hoc tempore, cum ipse rerum publicarum status magnopere sit incolumitati religionis calamitosus. Eamque ob caussam Nos movemur vehementius, quod singulares coniunctionis necessitudines Nobis cum Italia intercedunt, in qua Deus domicilium Vicarii sui, magisterium veritatis, et catholicae unitatis centrum collocavit. — Alias quidem multitudinem monuimus, ut sibi caveret, et singuli intelligerent, quae sua sint in tantis offensionum caussis officia. Nihilominus ingravescentibus malis, volumus in ea Vos, Venerabiles Fratres, mentem diligentius intendere, et, communium rerum inclinatione perspecta, munire vigilantius populorum animos, omnibusque praesidiis firmare, ne thesaurus omnium pretiosissimus, fides catholica diripiatur.

2. Perniciosissima hominum secta, cuius auctores et principes non celant neque dissimulant quid velint, in Italia iamdiu consedit: denunciatisque Iesu Christo inimicitiis, despoliare penitus institutis christianis multitudinem contendit. Quantum audendo processerit, nihil attinet dicere hoc

loco, praesertim cum extent Vobis, Venerabiles Fratres, ante oculos vel fidei vel moribus illatae iam labes et ruinae. — Apud italas gentes, quae in avita religione constanter et fideliter omni tempore permanserunt, imminuta nunc passim Ecclesiae libertas est, atque acrius in dies hoc agitur, ut ex omnibus publice institutis forma illa et veluti character christianus deleatur, quo semper fuit Italorum non sine caussa nobilitatum genus. Sublata sodalium religiosorum collegia: proscripta Ecclesiae bona: rata citra ritus catholicos connubia: in institutione iuventutis nullae potestati ecclesiasticae partes relictae. — Neque finis est nec modus ullus acerbi et luctuosi belli cum Apostolica Sede suscepti, cuius caussa incredibiliter Ecclesia laborat, Romanusque Pontifex in summas angustias compulsus est. Is enim civili principatu spoliatus, necesse fuit ut in alienam ditionem potestatemque concederet. — Urbs autem Roma, augustissima urbium christianarum, exposita est et patet quibuslibet Ecclesiae hostibus, profanaque rerum novitate polluitur, scholis et templis ritu haeretico passim dedicatis. Quin immo exceptura fertur hoc ipso anno legatos et capita inimicissimae rerum catholicarum sectae, huc ad singulare quoddam concilium coetumque profecturos. Quibus quidem huius deligendi loci satis apparet quae caussa fuerit: videlicet conceptum adversus Ecclesiam odium explere procaci iniuria volunt, Romanoque Pontificatu in ipsa sede sua lacessendo, funestas belli faces proxime admovere. Dubitandum profecto non est, quin impios hominum conatus Ecclesia aliquando victrix effugiat: certum tamen exploratumque est, his artibus eos hoc assequi velle, una cum Capite totum Ecclesiae corpus afficere et religionem, si fieri possit, extinguere.

3. Quod sane velle eos, qui se italici nominis amantissimos profitentur, incredibile videretur; nam italicum nomen, intereunte fide catholica, maximarum utilitatum fonte prohiberi necesse esset. Etenim si religio christiana cunctis nationibus optima salutis praesidia peperit, sanctitatem iurium, tutelam iustitiae; si caecas ac temerarias hominum cupiditates virtute sua ubique edomuit, comes et adiutrix omnium rerum quae honestae sunt, quae laudabiles, quae magnae: si varios civitatum ordines, et diversa reipublicae membra ad perfectam stabilemque concordiam ubique revocavit, horum profecto beneficiorum copiam uberius quam ceteris Italorum generi impertivit. — Est quidem nimis multorum haec labes et macula, ut obesse et nocere saluti aut incremento reipublicae Ecclesiam dicant, Romanumque Pontificatum prosperitati et magnitudini italici nominis inimicum putent. Sed istorum querelas absurdasque criminationes aperte superiorum temporum omnia monumenta convincunt. Revera enim Ecclesiae summisque Pontificibus Italia maxime debet, quod gloriam suam apud omnes gentes propagavit, quod iteratis barbarorum impressionibus non succubuit, et immanes Turcarum impetus invicta repulit, et multis in rebus aequam legitimamque libertatem diu conservavit, et pluribus iisdemque immortalibus optimarum artium monumentis civitates suas locupletavit. — Neque postrema Romanorum Pontificum haec laus est, quod provincias italicas ingenio moribusque diversas communi fide et religione unas semper conservarint, et a discordiis omnium funestissimis liberaverint. Atque in trepidis calamitosisque tem-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

poribus non semel erant publicae res ad extremos casus praecipitaturae, nisi Pontificatus Romanus ad salutem valuisset. — Neque futurum est, ut minus valeat in posterum, modo ne voluntas hominum obsistens virtutem eius intercipiat, neu libertatem impediat. Etenim vis illa benefica, quae in institutis catholicis inest, quoniam ab ipsa eorum natura sponte proficiscitur, immutabilis est et perpetua. Quemadmodum pro salute animarum omnia religio catholica et locorum et temporum intervalla complectitur, ita etiam in rebus civilibus ubique et semper sese ad hominum utilitates porrigit atque explicat.

4. Tot vero ereptis tantisque bonis, summa mala succedunt: quoniam qui sapientiam christianam oderunt, iidem, quidquid contra fieri a se dicant, ad perniciem devocant civitatem. Istorum enim doctrinis nihil est magis idoneum ad inflammandos violenter animos, concitandasque perniciosissimas cupiditates. Sane in iis quae cognitione scientiaque continentur, caeleste fidei lumen repudiant: quo extincto, mens humana in errores saepissime rapitur, nec vera cernit, atque illuc facile evadit, ut in humilem foedumque *materialismum* abiiciatur. Spernunt in genere morum aeternam immutabilemque rationem, et supremum legum latorem ac vindicem Deum despiciunt: quibus sublatis fundamentis, consequens est, ut, nulla satis idonea legum sanctione, omnis vivendi norma ab hominum voluntate arbitrioque sumatur. In civitate vero ex immodica libertate, quam praedicant et volunt, licentia gignitur: licentiam sequitur perturbatio ordinis, quae est maxima et funestissima pestis reipublicae. Revera nulla fuit aut deformior species, aut miserior conditio civitatis, quam illa in qua tales et doctrinae et homines valere aliquamdiu potuerunt. Ac nisi recentia exempla suppeterent, id fidem excedere videretur, potuisse homines scelere audaciaque furentes in tanta excidia ruere, et retento ad ludibrium libertatis nomine, in caede et incendiis debacchari. — Quos si tantos nondum sensit Italia terrores, primo quidem singulari Dei beneficio tribuere, deinde id quoque caussae fuisse statuere debemus, quod, cum itali homines numero longe maximo in religione catholica studiose perseverarint, idcirco flagitiosarum opinionum, quas diximus, dominari libido non potuit. Verum si haec, quae religio praebet, munimenta perrumpantur, continuo Italia in eos casus ipsos delaberetur, qui maximas et florentissimas nationes aliquando perculerunt. Etenim necesse est, ut similitudinem doctrinarum exitus similes consequantur: et quoniam in eodem vitio sunt semina, fieri non potest, quin fructus plane eosdem effundant. Immo vero maiores fortasse poenas violatae religionis gens italica lueret, quia perfidiam et impietatem culpa ingrati animi cumularet. Non enim casu aliquo, aut levi hominum voluntate datum est Italiae, ut partae per Iesum Christum salutis vel principio esset particeps, et beati Petri Sedem in sinu gremioque suo collocatam possideret, et longo aetatum cursu iis, quae a religione catholica sponte fluunt, maximis et divinis beneficiis perfrueretur. Quapropter metuendum sibi magnopere esset quod ingratis populis Paullus Apostolus minaciter nunciavit, *Terra saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo: proferens autem spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* [1]

5. Prohibeat Deus hanc tantam formidinem; atque omnes pericula serio considerent, quae partim iam adsunt, partim impendent ab iis, qui non communi utilitati, sed *sectarum* commodis servientes, capitales cum Ecclesia inimicitias exercent. Qui si saperent, si vera caritate patriae tenerentur, certe nec de Ecclesia diffiderent, nec de nativa eius libertate detrahere, iniuriosis suspicionibus adducti, conarentur; immo vero consilia ab ea oppugnanda ad tuendam adiuvandamque verterent: idque in primis providerent, ut Pontifex Romanus sua iura reciperet. — Etenim suscepta cum Apostolica Sede contentio quanto plus Ecclesiae nocet, tanto minus est incolumitati rerum italicarum profutura. De qua re alio loco mentem Nostram declaravimus: « Dicite, publicas Italiae res neque prosperitate florere, neque diuturna tranquillitate posse consistere, nisi Romanae Sedis dignitati et summi Pontificis libertati, prout omnia iura postulant, fuerit consultum ».

6. Quapropter, cum nihil magis velimus, quam ut res christiana salva sit, cumque praesenti italicarum gentium discrimine commoveamur, Vos vehementius quam unquam alias, Venerabiles Fratres, hortamur, ut studium caritatemque Vestram ad comparanda tot malorum remedia Nobiscum conferatis. — Et primum quidem edocete summa cum cura populos, quanti sit fidem catholicam possidere, et quam magna eiusdem tuendae necessitas. — Quoniam vero hostes et oppugnatores catholici nominis, quo facilius male cautos decipiant, multis in rebus aliud agunt, aliud simulant, valde interest occulta eorum consilia patefieri in lucemque proferri, ut scilicet, comperto quid reapse velint et qua caussa contendant, excitetur in catholicis hominibus ardor animi, et Ecclesiam, Romanum Pontificem, hoc est salutem suam viriliter aperteque defendant.

7. Multorum ad hanc diem virtus, quae plurimum potuisset, visa est aliquantum in agendo lenta et in labore remissa, sive quod insueti rerum essent animi, sive quod periculorum non satis fuerit magnitudo perspecta. Nunc vero, cognitis experiendo temporibus, nihil esset perniciosius, quam perferre oscitanter longinquam improborum malitiam, expeditumque ipsis locum relinquere rei christianae ad libidinem suam diutius vexandae. Ii quidem prudentiores quam filii lucis multa iam ausi: inferiores numero, calliditate et opibus validiores, haud longo tempore magna apud nos malorum incendia excitaverunt. Intelligant igitur quicumque amant catholicum nomen, tempus iam esse conari aliquid, et nullo pacto languori desidiaeque se dedere, cum nemo celerius opprimatur, quam qui vecordi securitate quiescunt. Videant quam nihil reformidarit veterum illorum nobilis et operosa virtus: quorum et laboribus et sanguine fides catholica adolevit. Vos autem, Venerabiles Fratres, excitate cessantes, cunctantes impellite: exemplo et auctoritate Vestra universos confirmate ad exercenda constanter et fortiter officia, quibus actio vitae christianae continetur. — Ad hanc alen-

[1] Hebr., VI, 7, 8.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

dam augendamque experrectam virtutem, curare ac providere opus est, ut
numero, consensu, efficiendis rebus, floreant lateque amplificentur *societa-*
tes, quibus maxime propositum sit fidei christianae virtutumque ceterarum
retinere et incitare studia. Tales sunt consociationes iuvenum, opificum;
quaeque constitutae sunt aut coetibus catholicorum hominum in tempora
certa agendis, aut inopiae miserorum levandae, et tuendae dierum festo-
rum religioni, et pueris ex infima plebe erudiendis; aliaeque ex eodem
genere complures. — Et cum rei christianae quam maxime intersit Pontifi-
cem Romanum in gubernanda Ecclesia et esse et videri ab omni periculo,
molestia, difficultate liberum, quantum lege possunt agendo, rogando, con-
tendendo, tantum, Pontificis caussa, enitantur et efficiant; neque ante quie-
scant, quam sit Nobis, reapse non specie, libertas restituta, quacum non
modo Ecclesiae bonum, sed et secundus rerum italicarum cursus, et chri-
stianarum gentium tranquillitas necessario quodam vinculo coniungitur.

8. Deinde vero permagni refert publicari et longe lateque fluere salu-
briter scripta. — Qui capitali odio ab Ecclesia dissident, scriptis editis de-
certare, iisque tamquam aptissimis ad nocendum armis uti consueverunt.
Hinc teterrima librorum colluvies, hinc turbulentae et iniquae ephemerides,
quarum vesanos impetus nec leges frenant, nec verecundia continet. Quid-
quid est proximis his annis per seditionem et turbas gestum, iure gestum
esse defendunt: dissimulant aut adulterant verum: Ecclesiam et Pontificem
maximum quotidianis maledictis falsisque criminationibus hostiliter petunt:
nec ullae sunt tam absurdae pestiferaeque opiniones, quas non dissemi-
nare passim aggrediantur. Huius igitur tanti mali, quod serpit quotidie
latius, sedulo prohibenda vis est: nimirum oportet severe et graviter addu-
cere multitudinem, ut intento animo sibi caveat, et prudentem in legendo
delectum religiosissime servare velit. Praeterea scripta scriptis opponenda,
ut ars quae potest plurimum ad perniciem eadem ad hominum salutem
et beneficium transferatur, atque inde remedia suppetant, unde mala venena
quaeruntur. — Quam ad rem optabile est, ut saltem in singulis provinciis
ratio aliqua instituatur demonstrandi publice, quae et quanta sint singulo-
rum christianorum in Ecclesiam officia, vulgatis ad id scriptionibus crebris,
et quoad fieri potest, quotidianis. In primis autem sint in conspectu posita
religionis catholicae in omnes gentes praeclara merita: explicetur oratione
virtus eius privatis publicisque rebus maxime prospera et salutaris: statua-
tur quanti sit, celeriter Ecclesiam ad illum dignitatis locum in civitate
revocari, quem et divina eius magnitudo, et publica gentium utilitas vehe-
menter postulat. — Harum rerum caussa necesse est, ut qui animum ad
scribendum appulerint, plura teneant: videlicet idem omnes in scribendo
spectent: quod maxime expedit, id constituant iudicio certo et efficiant:
nihil ex iis rebus praetermittant, quarum utilis atque expetenda cognitio
videatur: gravitate et moderatione dicendi retenta, errores et vitia repre-
hendant, sic tamen ut careat acerbitate reprehensio, personisque parcatur:
deinde orationem adhibeant planam atque evidentem, quam facile queat
multitudo percipere. — Reliqui autem omnes, qui vere et ex animo cupiunt,
florere res et sacras et civiles ingenio hominum litterisque defensas, hos

litterarum ingeniique fructus tueri liberalitate sua studeant; et ut quisque
ditior est, ita potissimum re fortunaque sustineat. Iis enim, qui scribendo
dant operam, omnino afferenda sunt huius generis adiumenta: sine quibus
aut nullos ipsorum industria habitura est exitus, aut incertos et perexiguos. —
In quibus rebus omnibus si quid nostris hominibus incommodi impendet,
si qua est dimicatio subeunda, audeant tamen sese obvios ferre, cum ho-
mini christiano nulla sit adeundi vel incommoda vel labores caussa iustior,
quam ne lacerari ab improbis religionem patiatur. Neque enim hac filios
lege Ecclesia aut genuit aut educavit, ut, cum tempus et necessitas coge-
ret, nullam ab iis opem expectaret, sed ut singuli eorum otio privatisque
utilitatibus salutem animarum et incolumitatem rei christianae antepo-
nerent.

9. Praecipuae autem curae cogitationesque Vestrae, Venerabiles Fra-
tres, in eo evigilare debent, ut ministros Dei idoneos rite instituatis. Quod
si Episcoporum est plurimum operae et studii in fingenda probe omni
iuventute ponere, longe plus ipsos elaborare in clericis verum est, qui in
Ecclesiae spem adolescunt, et participes adiutoresque munerum sanctissi-
morum sunt aliquando futuri. — Caussae profecto graves et omnium aeta-
tum communes decora virtutum multa et magna in sacerdotibus postulant:
verumtamen nostra haec aetas plura quoque et maiora admodum flagitat.
Revera fidei catholicae defensio, in qua laborare maxime sacerdotum debet
industria, et quae est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desi-
derat non vulgarem neque mediocrem, sed exquisitam et variam; quae non
modo sacras, sed etiam philosophicas disciplinas complectatur, et physico-
rum sit atque historicorum tractatione locuples. Eripiendus est enim error
hominum multiplex, singula christianae sapientiae fundamenta convellen-
tium: luctandumque persaepe cum adversariis apparatissimis, in disputando
pertinacibus, qui subsidia sibi ex omni scientiarum genere astute conqui-
runt. — Similiter cum hodie magna sit et ad plures diffusa corruptela mo-
rum, singularem prorsus oportet in sacerdotibus esse virtutis constantiae-
que praestantiam. Fugere quippe consuetudinem hominum minime possunt:
immo applicare se propius ad multitudinem ipsis officii sui muneribus
iubentur: idque in mediis civitatibus, ubi nulla iam fere libido est, quin
permissam habeat et solutam licentiam. Ex quo intelligitur, virtutem in
Clero tantum habere virium hoc tempore debere, ut possit se ipsa tueri
firmiter, et omnia cum blandimenta cupiditatum vincere, tum exemplorum
pericula sospes superare. — Praeterea conditas in Ecclesiae perniciem leges
consecuta passim clericorum paucitas est: ita plane, ut eos, qui in sacros
ordines Dei munere leguntur, duplicare operam suam necesse sit, et excel-
lenti sedulitate, studio, devotione exiguam copiam compensare. Quod qui-
dem utiliter facere non possunt, nisi animum gerant tenacem propositi,
abstinentem, incorruptum, caritate flagrantem, in laboribus pro salute ho-
minum sempiterna suscipiendis promptum semper atque alacrem. Atqui
ad huiusmodi munera est adhibenda praeparatio diuturna et diligens: non
enim tantis rebus facile et celeriter assuescitur. Atque illi sane in sacer-
dotio integre sancteque versabuntur, qui sese in hoc genere ab adolescentia

excoluerint, et tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes, quae commemoratae sunt, non tam instituti quam nati videantur.

10. His de caussis, Venerabiles Fratres, iure Seminaria clericorum sibi vindicant plurimas et maximas animi, consilii, vigilantiae Vestrae partes. Quod ad virtutem et mores, minime fugit sapientiam Vestram, quibus abundare praeceptis et institutis adolescentem clericorum aetatem oporteat. — In gravioribus autem disciplinis, Litterae Nostrae Encyclicae *Aeterni Patris* [1] viam rationemque studiorum optimam indicaverunt. Sed quoniam in tanto ingeniorum cursu plura sunt sapienter et utiliter inventa, quae minus decet non habere perspecta, praesertim cum homines impii quidquid incrementi affert dies in hoc genere, tamquam nova tela in veritates divinitus traditas intorquere consueverint, date operam, Venerabiles Fratres, quantum potestis, ut alumna sacrorum iuventus non modo sit ab investigatione naturae instructior, sed etiam iis artibus apprime erudita, quae cum sacrarum Litterarum vel interpretatione vel auctoritate cognationem habeant. — Illud certe non ignoramus, ad elegantiam studiorum optimorum multas res esse necessarias: quarum tamen sacris Seminariis italicis adimunt aut minuunt importunae leges facultatem. — Sed hac etiam in re tempus postulat, ut largitate et munificentia bene de religione catholica promereri nostrates studeant. Voluntas maiorum pia et benefica egregie eiusmodi necessitatibus providerat; atque illud Ecclesia assequi prudentia et parsimonia potuerat, ut tutelam et conservationem rerum sacrarum nequaquam haberet necesse caritati filiorum suorum commendare. Sed patrimonium eius legitimum aeque ac sacrosanctum, cui superiorum aetatum iniuria pepercerat, nostrorum temporum procella dissipavit: quare caussa renascitur, cur qui diligunt catholicum nomen, animum inducant maiorum liberalitatem renovare. Profecto Gallorum, Belgarum, aliorumque in caussa haud multum dissimili illustria sunt munificentiae documenta, non modo aequalium, sed etiam posterorum admiratione dignissima. Neque dubitamus, quin italica gens, communium rerum consideratione permota, id pro viribus actura sit, ut et se patribus suis dignam impertiat, et ex fraternis exemplis capiat quod imitetur.

11. In his rebus, quas diximus, profecto haud minimam habemus spem solatii incolumitatisque repositam. — Verum cum in omnibus consiliis, tum maxime in iis, que salutis publicae caussa suscipiuntur, omnino ad humana praesidia accedere necesse est opem omnipotentis Dei, cuius in potestate sunt non minus singulorum hominum voluntates, quam cursus et fortuna imperiorum. Quapropter invocandus summis precibus Deus, orandusque, ut tot eius beneficiis ornatam atque auctam respiciat Italiam; in eaque fidem catholicam, quod est maximum bonum, cunctis periculorum suspicionibus depulsis, perpetuo tueatur. Hanc ipsam ob caussam imploranda suppliciter est Immaculata Virgo Maria, magna Dei parens, fautrix et adiutrix consiliorum optimorum, una cum sanctissimo Sponso eius Iosepho, custode et patrono gentium christianarum. Ac pari studio obsecrare

[1] Cf. N. 578.

opus est Petrum et Paullum, magnos Apostolos, ut in italicis gentibus fructum laborum suorum incolumem custodiant, nomenque catholicum, quod maioribus nostris suo ipsi sanguine pepererunt, apud seros posteros sanctum inviolatumque conservent.

12. Horum omnium caelesti patrocinio freti, auspicem divinorum munerum, et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem Vobis universis, Venerabiles Fratres, et populis fidei Vestrae commissis, peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. III, p. 13-27].

584.

Leo XIII, const. *Praedecessores*, 24 maii 1882.

[Cf. Codicis Iuris Canonici Docum. III. – Cf. etiam Pii X Acta, vol. III, p. 293-321].

585.

Leo XIII, litt. ap. *In suprema*, 10 iun. 1882.

1. In suprema rei christianae procuratione, beato Petro Apostolorum principi eiusque successoribus divinitus data, illud Romanos Pontifices summa vigilantia providere necesse est, ut omnes sacrorum ministri curam animarum gerentes sui muneris officia, ex quibus commune Ecclesiae bonum magnopere pendet, studiose et accurate exerceant. — In iis autem eminet sacrosanctum Missae sacrificium pro salute populi cui quisque praeest, nominatim faciendum: cuius vim officii Patres Tridentini ex praecepto divino proficisci tradiderunt. [1] Quapropter ne quis in ea re delinqueret, Benedictus XIV Decessor Noster, editis Apostolicis Litteris *Cum semper oblatas*, die XIX augusti an. MDCCXLIV, [2] edixit omnes et singulos, qui in aliqua parochiali Ecclesia quocumque titulo animarum curam gererent, in singulis Dominicis aliisque diebus festis « non modo sacrificium Missae celebrare, sed etiam illius fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere: nec illud pro aliis applicare, aut pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere posse ». — Quibus quidem in litteris aperta Episcoporum mentio nulla est: nihilominus dubitari non potest, quin Pontifex sapientissimus quod de Parochis tam graviter praecipiebat, idem de maioribus animarum pastoribus intelligi tacite saltem et oblique voluerit. Idque multo veri similius apparet ex eo, quod proximus eius successor Clemens XIII in hoc eodem genere exposuit et declaravit. Is enim in Litteris Encyclicis *A quo die*, post. id. septemb. an. MDCCLVIII datis, [3] cum

[1] Sess. XXIII, cap. 1, *de ref.*
[2] Cf. N. 345.
[3] Bull. Rom. Cont., tom. 1, p. 27-33.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

multa de episcopalium munerum perfunctione dixisset, illud etiam adiecit, sacrum pro populo peragere *crebro* Episcopos oportere, de se deque Venerabilibus Fratribus suis in hanc sententiam locutus: « Cum non nostras tantummodo curare debeamus infirmitates, sed etiam putare aliorum mala ad nos pertinere et ea aeque habere ac nostra, vehementius diutiusque intendenda nobis ad Dominum nostra est oratio, qua, tamquam Ecclesiae fidelium interpretes, omnium fidem, spem et caritatem ante oculos Domini statuentes, quod omnibus in universum quodque cuique fidelium opus est, a Domino impetremus. Dei autem exorandi viam nobis muniet, et quidvis adipiscendi etiam aperiet augustissimum Eucharistiae sacrificium. Idcirco vel maximis nostri muneris occupationibus etiam implicati, sacrosanctum Iesu Christi Corpus et Sanguinem non recusabimus quominus frequenter Deo offeramus, nullumque maius putemus nobis datum esse negotium, quam crebro placationis hostiam pro nostris populique peccatis Deo Patri immolare ».

2. Haec Decessor ille Noster non minus sapienter quam pie. — Verum quibus Episcopi diebus perlitare pro populo debeant, nihil ille constituit: ex quo factum est, ut inter doctores catholicos atque etiam inter ipsos Episcopos de officio conveniret, de diebus discreparet. Cumque hanc opinionum varietatem Romanae Congregationes Nostrae ad hanc diem minime sustulerint, non eadem ubique extitit disciplina, sed varia in locis variis consuetudo. Nunc vero Episcopi plures, omnes haesitationis caussam sibi penitus eximi cupientes, significarunt avere se et orare, ut de ipsis diebus Sedis Apostolicae auctoritate decernatur, lata lege, cui omnes in reliquum tempus obtemperent. — Igitur cum nihil Nobis tam curae sit, quam publica christianorum utilitas et rerum sacrarum aequabilis in omnibus locis disciplina, simulque velimus Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, praesertim tam aequa postulantibus, satis facere, nihil differendum ducimus, quin de ea re pro potestate Nostra statuamus ac iudicemus.

3. Generatim vero et universe officium istud episcopale, de quo loquimur, non est difficile cognoscere quam sit sacris litteris consentaneum, et praeteritorum temporum memoria testatum. Quae enim loca caussas rationesque suppeditant, cur generatim quotquot sunt animarum pastores fundere preces sacrumque facere debeant pro populo quem regunt, ex iisdem locis efficitur, idem plane esse officium Episcoporum: sunt enim Episcopi in munere pastorali principes. Sic a primo Ecclesiae ortu rerum externarum administrationem deponere Apostoli properaverunt, quo sibi commodius *orationi et ministerio verbi* insistere liceret.[1] Et Paulus ad Colossenses de se ipse *Non cessamus*, inquit, *pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia et intellectu spirituali.*[2] Et ad Philippenses: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem fa-*

[1] Act., VI, 4 et seq.
[2] Ad Coloss., I, 9.

ciens.[1] Et ad hanc deprecationem, in qua Paulus cum gaudio et gratias agens Deo semper haerebat, non est dubium, quin sacrificium Eucharisticum adhiberet, quod est praestantissimum precationis genus, et cuius ille potissimum caussa pontifices christianos testabatur esse constitutos. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*[2]

4. Quemadmodum vero ex his locis perspicuum est, omnino Episcopos debere rem divinam pro salute populi saepe facere, ita facile intelligitur quam deceat, immo quam oporteat in diebus festis singulis facere. — Etenim festi dies singulari quadam ratione religioni addicti et consecrati sunt: per eosque, assueti intermissione laboris, christianis praecipitur plus operae iis rebus tribuere, quae ad excolendum expiandumque animum pertinent; maxime vero augustissimo sacrificio interesse, quo creatori et gubernatori rerum omnium Deo debitum latriae cultum adhibeant. Quamobrem ipsa videtur dierum festorum sanctitas postulare, ut Episcopi, Ecclesiae sibi commissae custodes et principes, sanctissimum Missae sacrificium pro populo offerant Deo, « quo tamquam Ecclesiae fidelium interpretes, omnium fidem, spem et caritatem ante oculos Domini statuentes, quod omnibus in universum, quodque cuique fidelium opus est a Domino impetrent ».

5. Huius disciplinae probe opportunitatem utilitatemque viderant Episcopi veteres, qui summa cum religione sacrificandi munus per dies festos semper usurpaverunt. Quod sane complura christianarum antiquitatum monumenta confirmant: et in iis commemorandum videtur S. Iustini M. testimonium ex Apologia I ad Antoninum Pium,[3] in qua posteaquam nitide declarasset, consecratum in Eucharistico Sacrificio panem et vinum « non ut communem cibum et potum sumi » a christianis, sed ut « incarnati Iesu carnem et sanguinem », quemadmodum « Apostoli in commentariis suis, quae vocantur Evangelia, tradiderunt », mox graphice describit rationem totam unde ab initio Ecclesia catholica, per oblationem huius Eucharistici Sacrificii, solemnem cultum Deo optimo maximo exhibere consuevit Dominico quoque die, quem gentiles *diem solis* appellabant, ethnicum Imperatorem his verbis allocutus: « Ac solis, ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eumdem locum fit conventus, et commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector desiit, is qui praeest admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit. Postea omnes simul consurgimus et preces emittimus: atque, ut iam diximus, ubi desiimus precari, panis affertur et vinum et aqua: et qui praeest preces et gratiarum actiones totis viribus emittit, et populus acclamat, *Amen*, et eorum, in quibus gratiae actae sunt, distributio fit et communicatio unicuique praesentium, et absentibus per Diaconos mittitur ». Quod vero

[1] Ad Philip., I, 3-4.
[2] Ad Hebr., V, 1.
[3] Id edit. Maurin., pag. 83, n. 61.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

S. Iustinus per ea verba *qui praeest* non semel prolata designat hoc loco praesertim Episcopos, in ambiguo esse non sinunt tot illae quae supersunt sanctorum Ecclesiae Patrum orationes seu Homiliae, quas *inter Missarum solemnia* constat esse pro concione recitatas. Sic S. Gregorius M.[1] « quia, inquit, Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de evangelica lectione non possumus ». Immo in hac re tam constans disciplina tenuerat, ut si forte diebus festis a christianorum conventu abfuisset Episcopus; item si concionem habere aut divinam hostiam litare praetermisisset, novitatem et insolentiam rei haud secus mirarentur omnes,[2] quam si diebus iuri dicundo statutis vacuum tribunal, vacua iudicum subsellia cernerentur. Sacris autem in dies festos operante Episcopo, *communis sacrificii* oblatio fieri dicebatur:[3] cuius appellationis ea profecto vis est, ut satis significet, praesente populo et pro populo Sacrificium fieri consuevisse. — Huc aliud etiam spectat, quod erat in more positum Pontificum Romanorum: ii quippe Dominicis diebus, peracto Sacrificio, quidpiam *consecratorum munerum* mittere ad singulos Urbis Titulos, seu curialia templa solebant, quibus in locis una cum inferioribus animarum pastoribus multitudo adesset, quae adesse Pontifici maximo sacrificanti non potuisset. Quae quidem consecratorum munerum pars communi sermone *fermentum* appellata ob hanc caussam censetur, quod sicut modicum fermentum totam, cui iniicitur, farinae massam conglutinat atque attollit; ita mystico illo quasi fermento populus Urbanus universus in unum veluti corpus coalesceret, ut singuli se cum Pontifice maximo fide et caritate coniunctos, et sacrificii, quod ille faceret, participes esse sentirent.[4]

6. Quod si mutata hodie consuetudine, nequaquam singulis diebus festis coram multitudine Episcopi sacrum faciunt, facere tamen pro populo necesse est. Revera Patres Tridentini, qui hoc officium ex praecepto divino repetunt,[5] cum deinceps[6] iubent Episcopos curare ut omnes Presbyteri « saltem diebus Dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant Missas celebrent », eos profecto tacite monuerunt, ne officio iusto ac debito, quod ab inferioribus animarum pastoribus exigerent, ipsi deessent. Quapropter in Concilio Provinciali Mediolanensi I, cui maxime proposita erat decretorum Tridentinorum promulgatio, praesentibus et suffragia ferentibus iis ipsis Episcopis, qui paulo ante ad sedes suas Tridento reverterant,[7] constitutum est: « Cum Pontifices, ut inquit Apostolus, ex hominibus assumpti pro hominibus constituantur in iis quae sunt ad Deum, ut offerant dona

[1] Hom. VIII in Evang.
[2] S. Io. Chrysostomus, Hom. I de Incomprehensibili Dei natura.
[3] Conc. I Prov. Mechlinien., tit. *de Epis.*
[4] Cfr. B. Ios. M. Thomasii Card. Opusc. VI in edit. Rom. Omnium Opp., tom. VII, pag. 51 seqq. Cf. etiam Augustini Orsi Card., Hist. Eccl., lib. XXXI, n. 58.
[5] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 1.
[6] Ead. Sess., c. 14.
[7] Cfr. Orationem a S. Carolo Borromeo habitam.

et sacrificia pro peccatis, Episcopus Dominicis et aliis festis diebus, nisi iure impediatur, Missam celebret ».[1]

7. Quapropter mirum videri non debet, si Theologiae moralis et iuris pontificii doctorum una fere sententia est, officium celebrandi Missam pro populo maiore ratione ad Episcopos, quam ad Parochos pertinere. Omnium loco sit S. Alphonsi De Ligorio, Ecclesiae Doctoris, auctoritas: « Si autem Parochi, et omnes quibus cura animarum commissa est, tenentur in Dominicis et festis de praecepto Missam celebrare et applicare pro populo, tanto magis ad id tenentur Episcopi tamquam principaliores animarum pastores ».[2] Cuius doctrinae ratio in eo maxime consistit, quod cum Parochi auctoritate ecclesiastica instituti sint, eorum officium ex iure divino, quod *mediatum* et *hypotheticum* vocant, proficiscitur. Contra vero ad Episcopos pastorale munus *immediate* pertinet, quippe quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: pertinet etiam *principaliter*, quia inest in eis perfecta et plena cura pastoralis, cuius partem dumtaxat Parochi exercent, Ecclesiae auctoritate sibi demandatam. Quod sane praeclare S. Thomas his verbis complectitur: « Episcopi principaliter habent curam ovium suae dioecesis: presbyteri autem curati habent aliquas subministrationes sub Episcopis », id est « secundum quod eis ab Episcopo committitur ».[3]

8. His itaque omnibus diu multumque consideratis, auditisque Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sententiis, decernimus et declaramus, omnes et singulos Episcopos, quacumque dignitate, etiam Cardinalitia, auctos, item Abbates iurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes, in Dominicis aliisque festis diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, et qui ex dierum de praecepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri.

9. Et ne cui dubitationi aditus pateat, declaramus, eosdem Episcopos et Abbates huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas vel plures Dioeceses et Abbatias aeque principaliter unitas regant. — Novimus quidem Romanas Congregationes Nostras aliud decrevisse de Parochis duas vel plures parochiales Ecclesias aeque principaliter unitas gerentibus: in quibus singulis singulae per dies festos Missae celebrentur et pro populo applicentur necesse est. Sed alia est Parochorum, alia Episcoporum ratio. Etenim cum cuique Parocho specialis in unaquaque Paroecia ac definita populi cura commissa sit, festis diebus Parochus non modo celebrare pro populo debet, sed etiam in parochiale templum populum admittere, ut sacrosancto Missae sacrificio intersit, et audiat verbum Dei, et sacramenta pro opportunitate recipiat, et iis omnibus officiis excolatur, quae diebus

[1] Tit. *de frequenti divini Sacrificii oblatione.*
[2] Theol. moral., lib. VI, num. 326.
[3] 2. 2. q. 184, art. 6, ad 2 et 3. Vide etiam opusc. XIX, cap. 4.

BIBLIOTHECA FRATERNITATIS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

praesertim Dominicis aliisque festis praestanda sunt. At non haec valere possunt pro Episcopis, qui dissimili in conditione et caussa versantur, cum nulla lege hodie iubeantur omnibus diebus festis sanctum Sacrificium in Cathedrali templo peragere.

10. Quamquam vero minime necessarium, opportunum tamen ducimus declarare, ea quae supra constituta sunt, ad Episcopos non spectare, qui *Titulares* dicuntur, quique ad dignitatem episcopalem promoti, ideo a Romano Pontifice titulo decorantur Ecclesiarum Cathedralium, quae olim florentes, nunc Clero populoque catholico destituuntur, ne scilicet antiqua earum dignitas et memoria penitus deleatur. Cum enim ipsi sedium suarum possessionem non capiant, qua dumtaxat suscepta munus, de quo diximus, Episcopi implere tenentur, [1] cumque nullus neque Clerus neque populus eorum regimini tradatur, satis constat, eos uti carent usu atque exercitio potestatis ex episcopali consecratione acceptae, ita etiam haud esse officiis atque oneribus curae episcopalis obnoxios. Sed tamen si aequitatis caritatisque episcopalis ratio habeatur, non potest non consentaneum videri, eos etiam interdum sacrificium offerre, ut respiciat Deus miseram Ecclesiarum illarum conditionem, quarum titulo et nomine ipsi honestantur. Huic rei optime congruunt quae a Pio VI Decessore Nostro in consecratione Episcopi Cyrenensis die IV octobris an. MDCCLXXVIII in Basilica Ostiensi dicta sunt: cum scilicet enumerans caussas ob quas Apostolica Sedes Ecclesias etiam ab infidelibus occupatas conferre solet, « oportere, inquit, aliquem existere cui singulariter incumbat, si non regere captivam illam miseri gregis portionem, preces saltem ac lacrymas pro eadem ad misericordiarum Patrem assidue effundere ».

11. Volumus autem praesentes Litteras, omniaque et singula in iis contenta inviolabiliter observari, et de subreptionis, obreptionis, aut cuiuscumque invaliditatis vitio intentionisque Nostrae et quocumque alio defectu a quoquam notari, impugnari, vel in controversiam vocari nullo unquam tempore posse; sublata cuilibet aliter de his iudicandi et definiendi potestate: et quidquid secus super his contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam in generalibus Conciliis editis, nec non Cancellariae Apostolicae regulis, statutis quoque etiam iuratis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, atque indultis etiam Apostolicis quomodolibet hactenus concessis, ceterisque contrariis quibuscumque. Atque hae Litterae Romae publicatae perinde habeantur ac si unicuique eorum, quos concernunt, personaliter intimatae et notificatae fuissent.

12. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrarum Ordinationum et Constitutionum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

[Leonis XIII Acta, vol. III, p. 83-94].

[1] S. C. Rit., in *Marsor.*, 12 nov. 1831, ad 22. — Cf. Decr. Authent., n. 2682.

586.

Leo XIII, litt. ap. *Quo universi*, 7 iul. 1882.

Quo universi utriusque sexus fideles in tertium S. Francisci Asisinatis Ordinem adscripti easdem leges eosdemque ritus in obeundis instituti sui functionibus adhibere possint, enchiridion seu manuale unicum typis edere visum est. Multiplices vero sub eiusdem manualis editionem exortae sunt de absolutionis tum generalis, tum in articulo mortis, tum de Papalis benedictionis formulis controversiae, ad quas dirimendas Consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositorum nonnulla proposita sunt dubia seu quaestiones. Hinc Consilium idem consideratis perpensisque omnibus, quid de huiusmodi quaestionibus deliberaverit per Secretarium suum ad Nos referendum curavit. Nos autem, quibus salutare frugiferumque tertii Ordinis S. Francisci sodalitium in deliciis semper fuit, Nobisque summopere cordi est, ut illud sanctas sui instituti leges ritusque observet, atque in dies, hisce praesertim temporibus, propagetur et incrementa suscipiat, memorati Consilii deliberationem probavimus, eamque omnibus per Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis cognoscendis decretum indicendam censuimus. Nostris mandatis obsequens Congregatio, sibique demandatum munus meliori quo fieri possit modo explere cupiens, opportunum in primis duxit omnes et singulas benedictionis et absolutionis generalis expendere formulas, quae nedum penes Tertiarios Franciscales, verum etiam apud alias eiusdem Ordinis familias, imo et alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes essent in usu, quo unam eamdemque ab omnibus in posterum respective in eiusmodi benedictionibus et absolutione adhibendam formulam concinnaret. Quamobrem praefata Congregatio omnes, quorum intersit, monendos putavit, ut siquid in casu notatu dignum iudicassent, intra congruum tempus eidem Congregationi subiicerent. Exacto inde triennio, quum nihil ex parte alicuius ex dictis Ordinibus obiectum sit, Congregatio Sacris Ritibus praeposita, accurate omnibus diligenterque inspectis et expensis quae sequuntur decrevit, nempe:

I. Pro Absolutione in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta in Constitutione sa. me. Benedicti Papae XIV, *Pia Mater*, [1] addito tantum ad *Confiteor* nomine Sancti proprii Fundatoris.

II. Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda detur cum formula approbata in Constitutione eiusdem sa. me. Benedicti Papae XIV, *Exemplis Praedecessorum*, [2] sed nonnisi bis in anno, et sub conditione quod

[1] Cf. N. 380.
[2] Cf. N. 386.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

haec Benedictio nunquam detur eadem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam impertiat.

III. In Absolutione generali pro Regularibus cuiuscumque Ordinis, atque in Benedictione cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Saecularibus adhibeantur omnino duae insequentes formulae a R̃mo Assessore ipsius Sacrae Congregationis propositae atque ab eadem approbatae, abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis, videlicet:

Formula Absolutionis Generalis pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Completis precibus, ab uno ex adstantibus dicitur Confiteor *addito nomine proprii Fundatoris. Deinde sacerdos dicit:*

Misereatur vestri etc. Indulgentiam, absolutionem etc. *Postea subiungit:*

Dominus Noster Iesus Christus per merita suae sacratissimae passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini

nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis, maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, nec non sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulae constitutionum, ordinationum et admonitionum maiorum nostrorum, ab omnibus poenitentiis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis, ac de quibus iam confessi estis: In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen. [1]

Formula benedictionis cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Saecularibus ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem, vel cum Regularibus cuiuscumque Ordinis habentibus.

Antiph. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras; parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.
Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

[1] Ultima formulae absolutionis generalis oratio apud Benedictinos confoederatos ex Decr. S. R. C., *Ordinis S. Benedicti*, 9 iulii 1924 (N. 188/1924) vigenti iuri conformiter ita mutatur:

Dominus noster Iesus Christus per merita sacratissimae Passionis vos absolvat ab omni vinculo delictorum, et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa et mihi in hac parte commissa, absolvo vos a transgressionibus Regulae, Constitutionum, ordinationum et admonitionum maiorum nostrorum, ab omnibus poenitentiis oblitis seu etiam neglectis, concedens vobis indulgentiam plenariam omnium peccatorum vestrorum. In nomine Patris et Fi✠lii et Spiritus sancti. Amen.

Oremus

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Dicto deinde:

Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc.

Sacerdos prosequitur:

Dominus Noster Iesus Christus, qui Beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, Ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam aeternam, et vivatis in saecula saeculorum. Amen.

Per sacratissimam Passionem et Mortem Domini Nostri Iesu Christi; precibus et meritis Beatissimae semper Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Beati Patris Nostri *N.* et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam Indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si haec Indulgentia immediate post Sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis: Dominus Noster Iesus Christus etc., *et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.*

Nos huiusmodi memoratae Congregationis decretum omnino ratum habemus, et Apostolica auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, probamus, confirmamus, sancimus, illudque ab omnibus et in omnibus hoc futurisque temporibus servari iubemus. Decernentes has Litteras Nostras semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari ac definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non eiusdem tertii Ordinis S. Francisci, ceterisve quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo

robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, ceterisque omnibus quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

[Leonis XIII Acta, vol. III, p. 104-111].

587.

Leo XIII, ep. encycl. *Cum multa*, 8 dec. 1882.[1]

1\. Cum multa sint, in quibus excellit generosa ac nobilis Hispanorum natio, tum illud est in prima commendatione ponendum, quod post varios rerum et hominum interitus, pristinum illud ac prope hereditarium retineat fidei catholicae studium, quocum semper visa est Hispani generis salus et magnitudo coniuncta. — Quod quidem studium plura argumenta declarant: praecipue vero eximia in hanc Sedem Apostolicam pietas, quam omni significationum genere, litteris, liberalitate, susceptis religionis caussa peregrinationibus, Hispani homines saepe et praeclare testantur. Neque interitura est paulo superioris temporis memoria, quo tempore ipsorum animum fortem aeque ac pium Europa spectavit, cum Sedem Apostolicam adversorum eventuum calamitas attigisset. — In his rebus omnibus, praeter singulare quoddam Dei beneficium, agnoscimus, Venerabiles Fratres, vigilantiae vestrae fructum: itemque laudabile ipsius populi propositum, qui per haec tam infensa catholico nomini tempora religioni avitae studiose adhaerescit, neque dubitat magnitudini periculorum parem constantiae magnitudinem opponere. Profecto nihil est, quin de Hispania sperari iure queat, si modo talem animorum affectionem caritas aluerit, et stabilis voluntatum concordia roboraverit. — Verum quod ad hanc partem, non enim dissimulabimus id quod est, cum cogitamus agendi rationem, quam aliquot ex Hispania catholici homines ineundam putant, dolor quidam obiicitur animo cum nonnulla similitudine anxiae sollicitudinis, quam Paulus Apostolus olim, Corinthiorum caussa, susceperat. Tuta et tranquilla catholicorum cum inter se tum maxime cum Episcopis suis istic concordia permanserat: eoque nomine Gregorius XVI Decessor Noster iure laudavit Hispanam gentem, quod eius pars *longe maxima in veteri sua erga Episcopos et inferiores pastores canonice constitutos reverentia* perseveraret.[2] Nunc tamen, interiectis partium studiis, vestigia apparent dissensionum, quae in varias velut acies distrahunt animos, ipsasque societates, religionis gratia constitutas, non parum perturbant. Incidit saepe, ut apud disquirentes, qua potissimum ratione expediat rem catholicam tueri, minus quam aequum est, Episcoporum valeat auctoritas. Quin immo interdum si quid Episcopus suaserit, si quid etiam pro potestate decreverit, non desunt qui moleste ferant, aut aperte reprehendant, sic accipientes,ut voluisse illum existiment alteris gratificari, alteros offendere.

[1] De animorum concordia inter Hispanos procuranda.
[2] Alloc. *Afflictas*, kal. mart. 1841. — Cf. N. 496.

Iamvero plane perspicitur quanti referat, incolumem esse animorum coniunctionem, eo vel magis quod in tanta ubique pravarum opinionum licentia, in tam acri insidiosaque Ecclesiae catholicae oppugnatione, omnino necesse est, christianos universos collatis in unum viribus maximaque voluntatum conspiratione resistere, ne calliditate atque impetu adversariorum separatim oppressi succumbant. Igitur huiusmodi incommodorum cogitatione permoti, Vos, his litteris, Venerabiles Fratres, appellamus, vehementerque petimus, ut salutarium monitorum Nostrorum interpretes, in firmanda concordia prudentiam auctoritatemque vestram adhibeatis.

2. Erit autem opportunum primo loco rei sacrae reique civilis meminisse rationes mutuas, quia multi contrario errore falluntur. Solent enim nonnulli rem politicam a religione non distinguere solum, sed penitus seiungere ac separare, nihil ut esse utrique commune velint, nec quicquam ad alteram ab altera influere putent oportere. Hi profecto non multum ab iis distant, qui civitatem constitui administrarique malunt, amoto cunctarum procreatore Dominoque rerum Deo: ac tanto deterius errant, quod rempublicam uberrimo utilitatum fonte temere prohibent. Nam ubi religio tollatur, vacillare necesse est illorum stabilitatem principiorum, in quibus salus publica maxime nititur, quaeque vim a religione capiunt plurimam, cuiusmodi potissimum sunt, iuste moderateque imperare, propter conscientiam officii subesse, domitas habere virtute cupiditates, suum cuique reddere, aliena non tangere.

3. Verum sicut iste tam impius declinandus est error, sic etiam fugienda illorum opinio praepostera, qui religionem cum aliqua parte civili permiscent ac velut in unum confundunt, usque adeo, ut eos, qui sint ex altera parte, prope descivisse a catholico nomine decernant. Hoc quidem est factiones politicas in augustum religionis campum perperam compellere: fraternam concordiam velle dirimere, funestaeque incommodorum multitudini aditum ianuamque patefacere. — Igitur oportet rem sacram remque civilem, quae sunt genere naturaque distincta, etiam opinione iudicioque secernere. Nam hoc genus de rebus civilibus, quantumvis honestum et grave, si spectetur in se, vitae huius, quae in terris degitur, fines nequaquam praetergreditur. Contra vero religio, nata Deo et ad Deum referens omnia, altius se pandit caelumque contingit. Hoc enim illa vult, hoc petit, animum, quae pars est hominis praestantissima, notitia et amore Dei imbuere, totumque genus humanum ad futuram civitatem, quam inquirimus, tuto perducere. Quapropter religionem, et quidquid est singulari quodam vinculo cum religione colligatum, rectum est superioris ordinis esse ducere. Ex quo consequitur, eam, ut est summum bonum, in varietate rerum humanarum atque in ipsis commutationibus civitatum debere integram permanere: omnia enim et temporum et locorum intervalla complectitur. Fautoresque contrariarum partium, cetera dissentientes, in hoc oportet universi conveniant, rem catholicam in civitate salvam esse oportere. Et ad istud nobile necessariumque propositum, quotquot amant catholicum nomen debent velut foedere icto studiose incumbere, silere paulisper iussis diversis de caussa politica sententiis, quas tamen suo loco honeste legi-

timeque tueri licet. Huius enim generis studia, modo ne religioni vel iustitiae repugnent, Ecclesia minime damnat; sed procul omni concertationum strepitu, pergit operam suam in communem afferre utilitatem, hominesque cunctos materna caritate diligere, eos tamen praecipue, quorum fides pietasque constiterit maior.

4. Concordiae vero quam diximus, idem est in re christiana, atque in omni bene constituta republica fundamentum: nimirum obtemperatio legitimae potestati, quae iubendo, vetando, regendo, varios hominum animos concordes et congruentes efficit. Quam ad rem nota omnibus atque explorata commemoramus: verumtamen talia, ut non cogitatione solum tenenda, sed moribus et usu quotidiano, tamquam officii regula, servanda sint. — Scilicet sicut Pontifex Romanus totius est Ecclesiae magister et princeps, ita episcopi rectores et capita sunt Ecclesiarum, quas rite singuli ad gerendum acceperunt. Eos in sua quemque ditione ius est praeesse, praecipere, corrigere, generatimque de iis, quae e re christiana esse videantur, decernere. Participes enim sunt sacrae potestatis, quam Christus Dominus a Patre acceptam Ecclesiae suae reliquit: eamque ob caussam Gregorius IX Decessor Noster Episcopos inquit *in partem sollicitudinis vocatos vices Dei gerere minime dubitamus.* [1] Atque huiusmodi potestas Episcopis est summa cum utilitate eorum, in quos exercetur, data: spectat enim natura sua ad *aedificationem corporis Christi*, perficitque ut Episcopus quisque, cuiusdam instar vinculi, christianos, quibus praeest, et inter se et cum Pontifice maximo, tamquam cum capite membra, fidei caritatisque communione consociet. In quo genere gravis est ea sancti Cypriani sententia: *Illi sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens:* [2] et gravior altera: *Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.* Talis est christianae reipublicae constitutio, eaque immutabilis ac perpetua: quae nisi sancte servetur, summa iurium et officiorum perturbatio consequatur necesse est, discissa compositione membrorum apte cohaerentium in corpore Ecclesiae, *quod per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.* [4] Ex quibus apparet, adhibendam esse adversus Episcopos reverentiam praestantiae muneris consentaneam, in iisque rebus, quae ipsorum potestatis sunt, omnino obtemperari oportere.

5. Perspectis autem studiis, quibus multorum animi istic hoc tempore permoventur, Hispanos omnes non hortamur solum, sed plane obsecramus, ut sese huius tanti officii memores impertiant. — Ac nominatim vehementer studeant modestiam atque obedientiam tenere qui sunt ex ordine Cleri, quorum dicta factaque utique ad exemplum in omnes partes valent plurimum. Quod in muneribus suis insumunt operae, tum sciant maxime

[1] Epist. 198, lib. 13.
[2] Epist. 69 ad Pupianum.
[3] Ibid.
[4] Coloss., II, 19.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

fructuosum sibi, proximisque salubre futurum, si se ad imperium eius
nutumque finxerint, qui Dioecesis gubernacula tenet. Profecto sacerdotes
tradere se penitus partium studiis, ut plus humana, quam caelestia curare
videantur, non est secundum officium. Cavendum igitur sibi esse intelli-
gant, ne prodeant extra gravitatem et modum. Hac adhibita vigilantia,
pro certo habemus, Clerum Hispanum non minus animorum saluti quam
rei publicae incremento virtute, doctrina, laboribus, magis magisque in
dies profuturum.

6. Ad eius adiuvandam operam eas societates non parum iudicamus
opportunas, quae sunt tamquam auxiliariae cohortes catholico nomini prove-
hendo. Itaque illarum probamus institutum et industriam, ac valde cupi-
mus, ut aucto et numero et studio maiores edant quotidie fructus. — Verum
cum sibi proposita sit rei catholicae tutela et amplificatio, resque catholica
in Dioecesibus singulis ab Episcopo geratur, sponte consequitur, eas Epi-
scopis subesse et ipsorum auctoritati auspiciisque tribuere plurimum opor-
tere. — Neque minus elaborandum ipsis est in coniunctione animorum reti-
nenda: primo enim hoc est cuivis hominum coetui commune, ut omnis
eorum vis et efficientia a voluntatum conspiratione proficiscatur: deinde
maxime decet in huiusmodi sodalitatibus elucere caritatem mutuam, quae
debet esse ad omnia rectefacta comes, disciplinaeque christianae alumnos
velut signum et nota distinguere. Quapropter cum sodales facile possint
de re publica diversi diversa sentire, idcirco ne concordia animorum con-
trariis partium studiis dirimatur, meminisse oportet, quorsum spectent
societates, quae a re catholica nominantur, et in consiliis capiundis ita
habere animos in uno illo proposito defixos, ut nullius partis esse videantur,
memores divinae Pauli Apostoli sententiae: *Quicumque in Christo bapti-
zatis estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus
neque liber... omnes enim vos unum estis in Christo.* [1] — Qua ratione illud
capietur commodi, ut non modo socii singuli, sed variae etiam eius-
dem generis societates, quod est diligentissime providendum, amice ac
benevole consentiant. Sepositis quippe, ut diximus, partium studiis, in-
fensarum aemulationum praecipuae erunt occasiones sublatae: eritque
consequens, ut ad se una omnes caussa convertat, eademque maxima et
nobilissima, de qua inter catholicos hoc nomine dignos nullus potest esse
dissensus.

7. Denique magni refert, sese ad hanc ipsam disciplinam accommodare,
qui scriptis, praesertim quotidianis, pro religionis incolumitate dimicant. —
Compertum quidem Nobis est, quid studeant, qua voluntate contendant:
neque facere possumus, quin de catholico nomine meritos iusta laude
prosequamur. Verum suscepta ipsis caussa tam excellens est tamque prae-
stans, ut multa requirat, in quibus labi iustitiae veritatisque patronos mi-
nime decet: neque enim debent, dum unam partem officii curant, reli-
quas deserere. Quod igitur societates monuimus, idem scriptores monemus,
ut amotis lenitate et mansuetudine dissidiis, coniunctionem animorum

[1] Galat., III, 27-28.

cum ipsi inter se, tum in multitudine tueantur; quia multum pollet scri-
ptorum opera in utramque partem. Concordiae vero cum nihil tam sit
contrarium, quam dictorum acerbitas, suspicionum temeritas, insimulatio-
num iniquitas, quidquid est huiusmodi summa animi provisione fugere et
odisse necesse est. Pro sacris Ecclesiae iuribus, pro catholicis doctrinis
non litigiosa disputatio sit, sed moderata et temperans quae potius ratio-
num pondere, quam stilo nimis vehementi et aspero victorem certaminis
scriptorem efficiat.

8. Istas igitur agendi normas plurimum arbitramur posse ad eas caus-
sas, quae perfectam animorum concordiam impediunt, prohibendas. Vestrum
erit, Venerabiles Fratres, mentem Nostram populo interpretari, et quantum
potestis contendere, ut ad ea quae diximus, vitam quotidianam universi
exigant. — Quod sane Hispanos homines ultro effecturos confidimus cum
ob spectatam erga hanc Apostolicam Sedem voluntatem, tum ob speranda
concordiae beneficia. Domesticorum exemplorum memoriam renovent: cogi-
tent, maiores suos, si multa fortiter multa praeclare domi forisque gesserunt,
plane non dissipatis dissentiendo viribus, sed una velut mente, unoque
animo gerere potuisse. Etenim fraterna caritate animati *et id ipsum invicem
sentientes*, de praepotenti Maurorum dominatu, de haeresi, de schismate
triumpharunt. Igitur quorum accepere fidem et gloriam, eorum vestigiis
insistant, imitandoque perficiant, ut illi non solum nominis, sed etiam
virtutum suarum superstites reliquisse videantur.

9. Ceterum expedire vobis, Venerabiles Fratres, ad coniunctionem ani-
morum similitudinemque disciplinae existimamus, qui in eadem estis pro-
vincia et inter vos et cum Archiepiscopo consilia identidem conferre, de
rebus communibus una consulturos: ubi vero res postulaverit, hanc adire
Sedem Apostolicam, unde fidei integritas et disciplinae virtus cum verita-
tis lumine proficiscitur. — Cuius rei percommodam allaturae sunt opportu-
nitatem peregrinationes, quae passim ex Hispania suscipiuntur. Nam ad
componenda dissidia dirimendasque controversias nihil est aptius, quam
Eius vox, quem Christus Dominus princeps pacis vicarium constituit pote-
statis suae: itemque caelestium charismatum copia, quae ex Apostolorum
sepulcris large dimanat.

10. Verumtamen quoniam *omnis sufficientia nostra ex Deo est*, Deum
enixe Nobiscum una adprecamini, ut monitis Nostris virtutem efficiendi
impertiat, animosque populorum promptos ad parendum efficiat. — Com-
munibus adnuat coeptis augusta Dei parens Maria Virgo Immaculata, Hi-
spaniarum patrona: adsit Iacobus Apostolus, adsit Theresia a Iesu, virgo
legifera, magnum Hispaniarum lumen, in qua concordiae amor, patria cari-
tas, obedientia christiana mirabiliter in exemplum eluxere.

11. Interim caelestium munerum auspicem et paternae benevolentiae
Nostrae testem vobis omnibus, Venerabiles Fratres, cunctaeque genti Hi-
spanorum Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. III, p. 170-180].

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

588.

Leo XIII, const. *Misericors Dei Filius*, 30 maii 1883.

Misericors Dei Filius, qui, suavi iugo et levi onere hominibus imposito, omnium vitae et saluti consuluit, Ecclesiam a se conditam non potestatis solum sed etiam misericordiae suae reliquit heredem, ut parta per ipsum beneficia ad omnes saeculorum aetates eodem semper caritatis tenore propagarentur. Propterea quemadmodum in iis, quae Iesus Christus in omni vita vel gessit vel praecepit, mitis illa sapientia et invictae magnitudo benignitatis eluxit, sic pariter in singulis christianae reipublicae institutis mira quaedam eminet indulgentia et lenitas, ut plane vel in ipsa re similitudinem Dei, qui *caritas est*, [1] gerere Ecclesia videatur. Illud est autem munus pietatis huius maternae maxime proprium, accommodare sapienter leges, quoad fieri potest, ad tempora, ad mores, et in praecipiendo exigendoque summa semper aequitate uti. Atque huiusmodi consuetudine caritatis simul et sapientiae efficitur, ut immutabilitatem doctrinae absolutam et sempiternam cum prudenti disciplinae varietate Ecclesia coniungat.

Hac Nos ratione animum et mentem Nostram in gerendo Pontificatu conformantes, officii Nostri ducimus, eo, quo aequum est, iudicio aestimare naturam temporum, et omnia circumspicere, ne quem difficultas deterreat ab utilium exercitatione virtutum. Et nunc quidem perpendere ad hanc normam placuit sodalitatem Franciscalium *Ordinis Tertii*, qui *saecularis* dicitur, diligenterque statuere num leges eius modice temperari ob mutata tempora oporteret.

Praeclarum istud Francisci patris institutum vehementer pietati christianorum commendavimus per litteras Encyclicas *Auspicato*, quas die XVII septembris anno superiore dedimus. [2] Dedimus autem hac voluntate atque hoc unice proposito, ut quanto plures possent ad sanctitatis christianae laudem invitatione Nostra tempestive revocarentur. Origo quippe est maxima et malorum quae premunt, et periculorum quae metuuntur, neglecta christiana virtus: alteris vero mederi, atque altera deprecari non alia homines ratione possunt, quam maturando privatim et publice ad Iesum Christum reditu, *qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum.* [3] Iamvero in curandis Iesu Christi praeceptis instituta Franciscalia tota sunt posita: neque enim quicquam spectavit aliud auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana exerceretur. Profecto Ordines Franciscales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusque persequuntur: sed paucorum sunt, nempe eorum quibus Dei munere concessum est ad evangelicorum consiliorum sanctitatem singulari quadam alacritate contendere.

[1] I Ioan., IV, 16.
[2] Cf. Leonis XIII Acta, vol. III, p. 142-156.
[3] I Hebr., VII, 25.

Verum Tertius Ordo natus aptus est multitudini: et quantum possit ad mores iustos, integros, religiosos, superiorum temporum monumenta et res ipsa declarant.

Auctori autem et adiutori bonorum consiliorum Deo acceptum referre debemus, quod illis cohortationibus Nostris clausae aures populi christiani non fuerunt. Imo vero plurimis ex locis perfertur excitata erga Franciscum Assisiensem pietas, auctusque passim numerus sodalitatem Tertii Ordinis expetentium. Quapropter velut incitamenta currentibus praebituri illuc decrevimus cogitationem intendere, unde impediri aut retardari aliquatenus posse animorum salutaris iste cursus videbatur. Et primum quidem perspeximus, Regulam Tertii Ordinis, quam Nicolaus IV Decessor Noster probavit confirmavitque Constitutione Apostolica *Supra Montem*, die XVII augusti MCCLXXXIX, [1] non omnino iis, quibus nunc vivitur, temporibus atque moribus respondere. Hinc cum expleri suscepta officia sine molestia et labore nimio non possint, pleraque legum capita condonare, sodalium precibus hactenus necesse fuit: quod quidem sine disciplinae communis detrimento fieri non posse, facile intelligitur.

Deinde alia quoque in eadem sodalitate erat caussa, quae Nostras sibi curas vindicaret. Nimirum Romani Pontifices Decessores Nostri Tertium Ordinem iam inde a natali suo summa benevolentia complexi, indulgentias complures et satis amplas in expiationem admissorum sodalibus concessere. Quarum ratio effecta est annorum decursu perplexior: atque illud in contentionem saepe veniebat, num de pontificali indulgentia certis in caussis constaret, et quo tempore, quove genere eadem uti fas esset. Certe desiderata non est Apostolicae Sedis hac in re providentia: ac nominatim Benedictus XIV P. M. Constitutione *Ad Romanum Pontificem*, die XV martii anno MDCCLI [2] tollendas priores dubitationes curavit: non paucas tamen ut fere fit, denuo attulit dies.

Quamobrem huiusmodi incommodorum cogitatione adducti, ex sacro Consilio indulgentiis sacrisque reliquiis tuendis praeposito aliquot S. E. R. Cardinales destinavimus, qui leges Tertiariorum pristinas cum cura recognoscerent; item indulgentias et privilegia omnia in commentarium relata examinarent: adhibitoque intelligenti iudicio, hac de re ad Nos referrent, quid retinendum quidve novandum pro temporum conditione censuissent. Transacto, uti imperatum erat, negotio, ii quidem Nobis auctores fuerunt, leges veteres flecti atque accommodari ad has recentes vivendi consuetudines oportere, cum quorumdam capitum immutatione nonnulla. De indulgentiis vero, ne qui relinquatur haesitandi locus, prohibendique caussa periculi ne quid non iure fiat, arbitrati sunt, Nos ad exemplum Benedicti XIV sapienter utiliterque facturos, si revocatis abrogatisque indulgentiis omnibus, quae hactenus valuerant, alias quasdam ex integro eidem sodalitio decreverimus.

Ergo quod bonum felixque sit, Dei gloriam amplificet, et pietatis virtutumque ceterarum studia magis accendat, Nos his Litteris auctoritate

[1] Bull. Rom., tom. 3, II, p. 53-56.
[2] Bened. XIV, Bull., tom. 3, p. 335-339.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Nostra apostolica Legem Franciscalium Ordinis Tertii, qui *saecularis* dicitur, eo modo quo infra descripta est, novamus et sancimus. Quo tamen facto nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur; quam omnino volumus immutatam atque integram permanere. Praeterea poenarum remissionibus, seu indulgentiis, privilegiisque, quae infra in indice recensentur, eosdem sodales uti posse volumus et iubemus, sublatis penitus indulgentiis privilegiisque universis, quae eidem sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante hanc diem concesserat.

LEX
SODALIUM FRANCISCALIUM TERTII ORDINIS QUI *SAECULARIS* DICITUR.

Cap. I.

De cooptatione, tirocinio, professione.

§ I. Ne quos cooptari liceat, nisi maiores quatuordecim annorum, eosque bene moratos, retinentes concordiae, atque in primis sanctitate professionis catholicae probatos, spectatoque erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

§ II. Nuptae, nisi sciente et consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus videatur faciendum, auctore sacerdote conscientiae ipsarum iudice.

§ III. Adlecti in sodalitatem *scapulare* parvum unaque cingulum de more gerant: ni gesserint, statis privilegiis iuribusque careant.

§ IV. Qui quaeve Tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum tirocinio exigant: mox, Ordinem rite professi, servaturos sese iura Dei, oberientes Ecclesiae dicto futuros; si quid in iis, quae professi sunt, deliquerint, satis facturos singuli spondeant.

Cap. II.

De disciplina vivendi.

§ I. Sodales Tertii Ordinis in omni cultu habituque, sumptuosiore elegantia posthabita, teneant eam, quae singulos deceat, mediocritatis regulam.

§ II. Choreis ludisve scenicis procacioribus, item comissationibus perquam caute abstineant.

§ III. Pastu atque potu utantur frugaliter: neve ante vel accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie grateque Deo.

§ IV. Ieiunium Mariae Virgini Immaculatae, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia, singuli servanto: admodum laudabiles, si qui praeterea vel ieiunium in sextas, vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum.

§ V. Admissa rite expianto per menses singulos: item ad divinum epulum accedant per menses singulos.

§ VI. Tertiarios ex ordine Clericorum, quod Psalmis quotidie dant operam, nihil praeterea hoc nomine debere placet. Laici, qui nec canonicas, neu Mariales preces, vulgo *Officium parvum B. M. V.*, persolvunt, precationem Dominicam cum Salutatione Angelica et *Gloria Patri* adhibeant duodecies in dies singulos, excepto si per valetudinem non liceat.

§ VII. Quibus est testamenti factio, ii suo quisque tempore de re sua testentur.

§ VIII. In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere: pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernicies virtuti metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum potestate sint, legi ne sinant.

§ IX. Caritatem benevolam et inter se et ad alienos sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias curent.

§ X. Iusiurandum ne iurent unquam, nisi necessario. Turpia dictu, scurriles iocos fando fugiant. Excutiant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint: si fecerint, errorem poenitendo corrigant.

§ XI. Rei divinae, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad coetus menstruos, quos Praefectus indixerit, conveniant.

§ XII. Conferant in commune pro facultate quisque sua nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, praesertim affecta valetudine, subleventur, vel divini cultus dignitati consulatur.

§ XIII. Ad sodalem aegrotantem Praefecti vel adeant ipsi, vel mittant, qui caritatis officia expleat. Iidem, in morbo ancipiti, moneant suadeant, ut quae ad expiandum animum pertinent, aegrotus tempestive curet.

§ XIV. Ad exequias sodalis demortui sodales municipes hospitesve conveniant, simulque Mariales preces instituto Dominici Patris, id est *Rosarium*, tertiam partem ad caeleste demortui solatium adhibeant. Item sacerdotes inter rem divinam, laici, si poterunt, sumpta Eucharistia, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur.

Cap. III.

De officiis, de visitatione, deque ipsa lege.

§ I. Officia, advocatis ad conventum sodalibus, deferantur. Eadem triennalia sunto. Oblata ne qui sine caussa iusta recuset, neu oscitanter gerat.

§ II. Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quaerat, satisne salvae leges. Eius rei ergo, sodalitiorum sedes in singulos annos, eoque crebrius, si res postulaverit, pro potestate circumeat, coetumque habeat, Praefectis sodalibusque universis adesse iussis. Si quem *Visitator* ad officium monendo iubendo revocarit, sive quid, salutaris poenae nomine, in quemquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

§ III. *Visitatores* ex Primo Franciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio Regulari legantur, quos Custodes seu *Guardiani*, si id rogati fuerint, designabunt, *Visitatoris* munere laicis viris interdictum esto.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

§ IV. Sodales nec obedientes et noxii iterum et tertium admoneantur officii sui: ni pareant, excedere Ordine iubeantur.

§ V. In his legibus si qui forte quid deliquerint, hoc se nomine culpam suscepturos nullam sciant, exceptis iis quae iure divino Ecclesiaeque legibus alioqui praecipiuntur.

§ VI. Si quae huius capita legis quemquam servare caussa gravis et iusta prohibeat, eum ex ea parte lege solvi, eademve capita commutari prudenter liceat. Cuius rei Praefectis ordinariis Franciscalium et Primi Ordinis et Tertii item *Visitatoribus* supra dictis facultas potestasque sit.

INDEX INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM.

Cap. I.

De indulgentiis plenariis.

Tertiariis ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, indulgentiam plenariam consequendi ius sit, diebus et caussis quae infra scriptae sunt:

I. Die aditiali:

II. Quo die singuli Ordinem primitus profitentur:

III. Quo die ad concionem menstruam seu *Conferentiam* conveniunt, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, remque christianam Deo de more commendaverint:

IV. Die IV octobris, natali Francisci Patris legiferi: die XII augusti, natali Clarae Virginis legiferae: die II augusti, festo Mariae Angelorum reginae ob Basilicam eius dedicatam: item quo die solemnia anniversaria aguntur Sancti caelitis, in cuius templo sedes est sodalitii constituta, si modo ipsum templum pietatis caussa celebraverint, remque christianam Deo de more commendaverint:

V. Semel per menses singulos, quo die cuique placuerit, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, et aliquandiu ad mentem Pontificis maximi obsecrando perstiterint:

VI. Quoties, potioris vitae studio, per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi secesserint:

VII. Item morituris, si sanctum salutare nomen Iesu aut voce, aut, si loqui posse desierint, voluntate imploraverint. Iidem eodem iure fruantur, si nec compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint.

VIII. Bis in anno *Benedictionem summi Pontificis nomine* accepturis, si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplicaverint: itemque, hac ipsa supplicandi lege, accepturis quam appellant *Absolutionem*, hoc est *Benedictionem*, per hos dies qui infra scripti sunt: I. Natali Domini Nostri Iesu Christi: II. die solemni Paschatis Resurrectionis: III. die solemni Pentecostes: IV. in festo Sanctissimi Cordis Iesu: V. item Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis: VI. Iosephi sponsi eius die XIX martii: VII. Impressionis SS. Stigmatum Francisci Patris die XVII septembris: VIII. Ludovici regis Galliarum, Patroni caelestis salutaris sodalium ex Tertio Ordine die XXV augusti: IX. Elisabeth Hungaricae die XIX novembris.

IX. Item semel in mense, si qui *Pater Ave* et *Gloria Patri* quinquies pro incolumitate rei christianae, semel ad mentem Pontificis maximi recitaverint, ii iure omni ad expiandas animi labes fruantur, quo fruuntur et qui stativa in Urbe supplicia obeunt, et qui Portiunculam, Hierosolymitana loca sanctissima, aedem Iacobi Apostoli Compostellensem, religionis caussa, celebrant.

X. Quibus diebus stativae supplicationes in Missali Romano designantur, si templum sacrariumve, in quo sedes est sodalitii constituta, adierint, remque christianam Deo de more commendaverint, in eodem templo sacrariove per eos ipsos dies amplissimo iure fruantur, quo in Urbe cives hospitesve fruuntur.

Cap. II.

De indulgentiis partialibus.

I. Tertiariis ex utroque sexu singulis, si templum sacrariumve, in quo est sedes sodalitii constituta, celebraverint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplicaverint quo die sacra Stigmata Francisco Patri divinitus impressa sunt, item festo sanctorum Ludovici regis, Elisabeth reginae Lusitaniae, Elisabeth Hungaricae, Margaritae Cortonensis, itemque aliis duodecim diebus, quos singuli maluerint et Praefectus Ordinis probarit, ea supplicatio septennis septiesque quadragenae satisfactionis instar sit.

II. Quoties Missae aliisve divinis officiis, vel sodalium conventibus publicis privatisve interfuerint: inopes hospitio acceperint: dissidia composuerint, componendave curarint: in pompam rite ductam prodierint: Sacramentum Augustum, cum circumfertur, vel comitati sint, vel, si comitari nequiverint, ad campani aeris signum precationem Dominicam cum Salutatione Angelica semel recitaverint: quinquies precationem et salutationem eamdem recitaverint rei christianae, vel animabus sodalium defunctorum Deo commendandis: hominem mortuum extulerint: devium quemquam ad officium reduxerint: Dei praeceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint: aut aliud quippiam ex hoc genere caritatis egerint, toties singulis eorum, harum rerum singularum caussa, tercentos de poenalium dierum numero expungere liceat.

Tertiariis, si malint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis, sive *plenariis* sive *partialibus*, labes poenasque defunctorum expiare liceat.

Cap. III.

De privilegiis.

I. Sacerdotibus ex ordine Tertiariorum ad quodlibet altare facientibus, tribus ex qualibet hebdomade diebus, perlitare fas sit, modo ne similem perlitandi facultatem in alium diem impetraverint.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

II. Qui sacrum fecerit animabus sodalium defunctorum expiandis, is ubicumque veniae defuncto impetrandae perlitato.

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus: non obstantibus Constitutionibus, Litteris Apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras ullo modo, ullave ex parte violare. Si quis autem adversus eas tale quicquam ausit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

[Leonis XIII Acta, vol. III, p. 225-238].

589.

Leo XIII, litt. ap. *Salutaris*, 24 dec. 1883.

Salutaris ille *spiritus precum*, misericordiae divinae munus idem et pignus, quem Deus olim effundere pollicitus est *super domum David et super habitatores Ierusalem*, etsi numquam in Ecclesia catholica cessat, tamen experrectior ad permovendos animos tunc esse videtur cum homines magnum aliquod aut ipsius Ecclesiae aut reipublicae tempus adesse vel impendere sentiunt. Solet enim in rebus trepidis excitari fides pietasque adversus Deum, quia quo minus apparet in rebus humanis praesidii, eo maior esse caelestis patrocinii necessitas intelligitur. — Quod vel nuper perspexisse videmur, cum Nos diuturnis Ecclesiae acerbitatibus et communium temporum difficultate permoti, pietatem christianorum per epistolam Nostram Encyclicam appellantes, Mariam Virginem sanctissimo Rosarii ritu colendam atque implorandam octobri mense toto decrevimus.[1] Cui quidem voluntati Nostrae obtemperatum esse novimus studio et alacritate tanta, quantam vel rei sanctitas vel caussae gravitas postulabat. Est enim neque in hac solum Italia nostra sed in omnibus terris pro re catholica, pro salute publica, supplicatum; et Episcopis auctoritate, Clericis exemplo operaque praeeuntibus, magnae Dei matri habitus certatim honos. Et mirifice sane Nos declaratae pietatis ratio multiplex delectavit: templa magnificentius exornata: ductae solemni ritu pompae: ad sacras conciones, ad synaxin, ad quotidianas Rosarii preces magna ubique populi frequentia. Nec praeterire volumus quod gestienti animo accepimus de nonnullis locis, quos procella temporum vehementius affligit: in quibus tantus extitit fervor pietatis, ut presbyterorum inopiam privati redimere, quibus in rebus possent, suomet ipsi ministerio maluerint, quam sinere ut in templis suis indictae preces silerent.

Quare dum praesentium malorum sensum spe bonitatis et misericordiae divinae consolamur, inculcari bonorum omnium animis intelligimus oportere, id quod sacrae Litterae passim aperteque declarant, sicut in omni virtute, sic in ista, quae in obsecrando Deo versatur, omnino plurimum referre perpetuitatem atque constantiam. Exoratur enim placaturque precando Deus: hoc tamen ipsum, quod se exorari sinit, non solum bonitatis suae, sed etiam perseverantiae nostrae vult esse fructum. — Talis autem in orando perseverantia longe plus est hoc tempore necessaria, cum tam multa Nos tamque magna, ut saepe diximus, circumstent ex omni parte pericula, quae sine praesenti Dei ope superari non possunt. Nimis enim multi oderunt *omne quod dicitur Deus et colitur:* oppugnatur Ecclesia neque privatorum dumtaxat consiliis, sed civilibus persaepe institutis et legibus: christianae sapientiae adversantur immanes opinionum novitates, ita plane ut et sua cuique et publica tuenda salus sit adversus hostes acerrimos, extrema virium coniuratos experiri. Vere igitur huius tanti proelii complectentes cogitatione certamen, nunc maxime intuendum animo esse censemus in Iesum Christum Dominum Nostrum, qui quo Nos ad imitationem erudiret sui, *factus in agonia prolixius orabat*.

[1] Ep. encycl. *Supremi apostolatus*, 1 sept. 1883. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. III p. 280-289.

Ex variis autem precandi rationibus ac formulis in Ecclesia catholica pie et salubriter usitatis, ea, quae Rosarium Mariale dicitur, multis est nominibus commendabilis. In quibus, quemadmodum in Litteris Nostris Encyclicis confirmavimus, illud permagnum, quod est Rosarium praecipue implorando Matris Dei patrocinio adversus hostes catholici nominis institutum: eaqua ex parte nemo ignorat, sublevandis Ecclesiae calamitatibus idem saepe et multum profuisse. Non solum igitur privatorum pietati, sed publicis etiam temporibus est magnopere consentaneum istud precandi genus in eum restitui honoris locum, quem diu obtinuit, cum singulae christianorum familiae nullum sibi abire diem sine Rosarii recitatione paterentur. His Nos de causis omnes hortamur atque obsecramus, ut quotidianam Rosarii consuetudinem religiose et constanter insistant: itemque declaramus, Nobis esse in optatis ut in Dioeceseon singularum templo principe quotidie, in templis Curialibus diebus festis singulis recitetur. Huic autem excitandae tuendaeque exercitationi pietatis magno usui esse poterunt familiae Ordinum religiosorum, et praecipuo quodam iure suo sodales Dominiciani: quos omnes pro certo habemus tam fructuoso nobilique officio minime defuturos.

Nos igitur in honorem magnae Dei genitricis Mariae; ad perpetuam recordationem implorati ubique gentium per mensem octobrem a purissimo Eius Corde praesidii; in perenne testimonium amplissimae spei, quam in Parente amantissima reponimus; ad propitiam eius opem magis ac magis in dies impetrandam, volumus ac decernimus, ut in Litaniis Lauretanis, post invocationem, *Regina sine labe originali concepta*, addatur praeconium, *Regina sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.*

Volumus autem, ut hae Litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant: irritum vero et inane futurum decernimus, si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Leonis XIII Acta, vol. III, p. 299-302].

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

590.

Leo XIII, ep. encycl. *Nobilissima*, 8 febr. 1884.[1]

1. Nobilissima Gallorum gens, multis in rebus pace bellove praeclare gestis, singularem quamdam sibi comparavit in Ecclesiam catholicam laudem meritorum, quorum nec interitura est gratia, nec gloria consenescet. Institutis christianis, praeeunte rege Clodovaeo, mature susceptis, hoc sane perhonorificum fidei pietatisque testimonium simul et praemium tulit, ut *primogenita Ecclesiae filia* nominaretur. Ex eo tempore, Venerabiles Fratres, saepe maiores vestri ad magnas res et salutares visi sunt divinae ipsius providentiae adiutores: nominatim vero ipsorum est nobilitata virtus in vindicando ubique terrarum catholico nomine, in christiana fide ad barbaras gentes propaganda, in liberandis tuendisque sanctioribus Palaestinae locis ut non sine caussa vetus illud vim proverbii obtinuerit, *gesta Dei per Francos*. Atque his rationibus contingit, ut fideli animo sese pro nomine catholico devoventes, in societatem gloriarum Ecclesiae aliquo modo venire potuerint, et complura publice privatimque instituere, in quibus eximia vis religionis, beneficentiae, magnanimitatis cernitur. Quas patrum vestrorum virtutes Romani Pontifices Decessores Nostri maiorem in modum probare consueverunt, reddendaque pro meritis benevolentia, non semel ornare Gallorum nomen laudibus voluerunt. Amplissimae quidem illae sunt, quas Innocentius III et Gregorius IX, magna illa Ecclesiae lumina, maioribus vestris tribuebant: quorum prior in epistola ad Archiepiscopum Rhemensem, *regnum Franciae*, ait, *praerogativa quadam diligimus caritatis, utpote quod prae ceteris mundi regnis Apostolicae Sedi ac Nobis obsequiosum semper extitit et devotum:* alter vero in epistola ad sanctum Ludovicum IX, in regno Galliae, *quod a devotione Dei et Ecclesiae nullo casu avelli potuit, nunquam libertas ecclesiastica periit, nullo unquam tempore vigorem proprium christiana fides amisit: quin imo pro earum conservatione reges et homines dicti regni sanguinem proprium fundere et se periculis multis exponere minime dubitaverunt.* — Parens autem naturae Deus, a quo mercedem virtutum recteque factorum utique in terris accipiunt civitates, multa Gallis ad prosperitatem largitus est, laudes bellicas, pacis artes, gloriam nominis, imperii auctoritatem. Quod si oblita quodammodo Gallia sui, munus a Deo demandatum aliquando defugiens, maluit infensos spiritus adversus Ecclesiam sumere, tamen summo Dei beneficio nec diu nec tota desipuit. Atque utinam funestos illos religioni ac civitati casus, quos proximiora aetati nostrae tempora pepererunt, sospes evasisset! Verum posteaquam mens hominum novarum opinionum imbuta veneno, auctoritatem Ecclesiae passim coepit reiicere infinita libertate ferox, cursus praeceps, quo proclive erat, factus est. Nam cum mortiferum doctrinarum virus in ipsos hominum mores influxisset, humana societas huc magnam partem sensim evasit, ut omnino

[1] Ad Galliae Episcopos et populos.

desciscere a christianis institutis velle videatur. Ad hanc perniciem per Gallias dilatandam non parum valuerunt superiore saeculo quidam insaniente sapientia philosophi, qui christianae veritatis adorti sunt fundamenta convellere, eamque philosophandi rationem inierunt, quae excitata iam immodicae libertatis studia vehementius inflammaret. Proxima fuit eorum opera, quos rerum divinarum impotens odium nefariis inter se societatibus coniunctos tenet, quotidieque facit opprimendi catholici nominis cupidiores: an vero maiore, quam uspiam, in Gallia contentione, nemo quam Vos, Venerabiles Fratres, iudicare melius potest.

2. Quapropter paterna caritas, qua universas gentes prosequimur, sicut alias Nos impulit ut nominatim Hiberniae, Hispaniae, Italiaeque populos, datis ad Episcopos litteris, convenienter temporibus ad officium cohortaremur, ita nunc ad Galliam suadet mentem cogitationemque convertere. — Ea enim molimenta, quae diximus, non Ecclesiae solum nocent, sed ipsi quoque sunt perniciosa et funesta reipublicae; propterea quod fieri non potest ut prosperitas civitati comitetur, virtute religionis extincta. Et sane ubi vereri Deum homo desiit, maximum iustitiae tollitur fundamentum, sine qua bene geri rem publicam vel ipsi ethnicorum sapientes negabant posse; neque enim satis habitura dignitatis est auctoritas principum, neque satis virium leges. Plus apud unumquemque valebit utilitas, quam honestas: vacillabit incolumitas iurium, malo custode officiorum poenarum metu: et qui imperant, facile in dominatum iniustum, et qui parent, levi momento in seditionem et turbas delabentur. — Praeterea quia nihil est in rerum natura boni, quod non bonitati divinae acceptum referendum sit, omnis hominum societas, quae a disciplina et temperatione sui abesse Deum iubeat, quantum est in se, divinae beneficentiae adiumenta respuit, planeque est digna, cui caelestis tutela denegetur. Itaque quantumvis opibus firma et copiis locuples esse videatur, gerit tamen interitus sui in ipsis reipublicae visceribus inclusa semina, neque spem habere potest diuturnitatis. Scilicet gentibus christianis, non fere secus ac singulis hominibus, tam est inservire Dei consiliis salubre, quam deficere periculosum; eisque illud plerumque accidit, ut quibus temporibus fidelitatem suam erga Deum vel Ecclesiam studiosius retinent, in optimum statum naturali quodam itinere veniant; quibus deserunt, excidant. Has quidem vices in annalibus temporum intueri licet; earumque domestica et satis recentia exempla suppeterent, si vacaret ea recordari quae superior vidit aetas, cum procax multorum licentia tremefactam Galliam funditus miscuit, rem sacram et civilem eodem excidio complexa.

3. Contra vero haec, quae certam civitatis ruinam secum ferunt, facile depelluntur, si in constituenda gubernandaque tum domestica tum civili societate catholicae religionis praecepta serventur. Ea enim sunt ad conservationem ordinis et ad reipublicae salutem aptissima.

4. Ac primo quidem ad societatem domesticam quod attinet, interest quam maxime susceptam e coniugio christiano sobolem mature ad religionis praecepta erudiri; et eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, cum institutione religiosa esse coniunctas. Alteras

seiungere ab altera idem est ac reipsa velle, ut animi pueriles in officiis erga Deum in neutram partem moveantur: quae disciplina fallax est, et praesertim in primis puerorum aetatulis perniciosissima, quod revera viam atheismi munit, religionis obsepit. Omnino parentes bonos curare oportet, ut sui cuiusque liberi, cum primum sapere didicerunt, praecepta religionis percipiant, et ne quid occurrat in scholis, quod fidei morumve integritatem offendat. Et ut ista in instituenda sobole diligentia adhibeatur, divina est naturalique lege constitutum, neque parentes per ullam caussam solvi ea lege possunt. Ecclesia vero, integritatis fidei custos et vindex, quae, delata sibi a Deo conditore suo auctoritate, debet ad sapientiam christianam universas vocare gentes, itemque sedulo videre quibus excolatur praeceptis institutisque iuventus quae in ipsius potestate sit, semper scholas quas appellant *mistas* vel *neutras*, aperte damnavit, monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum. Quibus in rebus parendo Ecclesiae, simul utilitati paretur, optimaque ratione saluti publicae consulitur. Etenim quorum prima aetas ad religionem erudita non est, sine ulla cognitione adolescunt rerum maximarum, quae in hominibus alere virtutum studia, et appetitus regere rationi contrarios solae possunt. Cuiusmodi illae sunt de Deo creatore notiones, de Deo iudice et vindice, de praemiis poenisque alterius vitae expectandis, de praesidiis caelestibus per Iesum Christum allatis ad illa ipsa officia diligenter sancteque servanda. His non cognitis, male sana omnis futura est animorum cultura: insueti ad verecundiam Dei adolescentes nullam ferre poterunt honeste vivendi disciplinam, suisque cupiditatibus nihil unquam negare ausi, facile ad miscendas civitates pertrahentur.

5. Deinde illa saluberrima aeque ac verissima, quae ad civilem societatem vicissitudinemque iurium et officiorum inter sacram et politicam potestatem spectant. — Quemadmodum enim duae sunt in terris societates maximae, altera civilis, cuius proximus finis est humano generi bonum comparare temporale et mundanum, altera religiosa, cuius est homines ad veram illam felicitatem perducere, ad quam facti sumus, caelestem ac sempiternam, ita gemina potestas est; aeternae naturalique legi obedientes ambae, et in rebus quae alterutrius ordine imperioque continentur, sibi singulae consulentes. Verum quoties quidquam constitui de eo genere oportet, de quo utramque potestatem, diversis quidem caussis diversoque modo, sed tamen utramque constituere rectum sit, necessaria est et utilitati publicae consentanea utriusque concordia; qua sublata, omnino consecutura est anceps quaedam mutabilisque conditio, quacum nec Ecclesiae nec civitatis potest tranquillitas consistere. Cum igitur pactis conventis inter sacram civilemque potestatem publice aliquid constitutum est, tunc profecto quod iustitiae interest, interest idem rei publicae, concordiam manere integram; propterea quod sicut alteri ab altera praestantur officia mutua, ita certus utilitatis fructus ultro citroque accipitur et redditur.

6. In Gallia, ineunte hoc saeculo, posteaquam ingentes illi, qui paulo ante fuerant, motus civiles terroresque conquieverant, ipsi rerum publicarum rectores intellexere, haud posse melius fessam tot ruinis civitatem

sublevari, quam si religio catholica restitueretur. Futuras utilitates opinione praecipiens Pius VII Decessor Noster, voluntati primi Consulis ultro obsecutus est, facilitate indulgentiaque usus tanta, quanta maxima per officium licuit. — Tunc de summis capitibus cum convenisset, fundamenta posita sunt tutumque iter munitum restituendis ac sensim stabiliendis rebus religiosis opportunum. Et revera plura eo tempore ac posteriore aetate prudenti iudicio constituta sunt, quae ad incolumitatem et decus Ecclesiae pertinere videbantur. Permagnae exinde perceptae utilitates, tanto pluris aestimandae, quanto gravius in Gallia omnia sacra essent antea prostrata et afflicta. Publica dignitate religioni reddita, plane instituta christiana revixere: sed mirum quanta ex hoc facto in prosperitatem civilem bona redierunt. Etenim ex turbulentissimis fluctibus vixdum emersa civitas, cum vehementer tranquillitatis disciplinaeque publicae firma fundamenta requireret, ea ipsa quae requirebat, oblata sibi a religione catholica percommode sensit; ita ut appareat, illud de concordia ineunda consilium prudentis viri populoque bene consulentis fuisse. Quare, si ceterae rationes deessent tamen omnino eadem caussa, quae tunc ad pacificationem suscipiendam impulit, nunc deberet ad conservandam impellere. Nam inflammatis passim rerum novarum studiis, in tam incerta expectatione futurorum, novas discordiarum caussas inter utramque potestatem serere, interiectisque impedimentis beneficam Ecclesiae prohibere aut remorari virtutem, inconsulta res esset et plena periculi.

7. At vero hoc tempore huius generis eminere pericula non sine sollicitudine et angore videmus: quaedam enim et acta sunt et aguntur cum Ecclesiae salute minime congruentia, posteaquam nonnulli infenso animo instituta catholica in suspicionem invidiamque adducere, eaque civitati praedicare inimica vulgo consueverunt. Neque minus sollicitos anxiosque habent Nos eorum consilia, qui, dissociandis Ecclesiae reique publicae rationibus, salubrem illam riteque initam cum Apostolica Sede concordiam serius ocius diremptam vellent.

8. Nos quidem in hoc rerum statu nihil praetermisimus, quod tempora postulare viderentur. Legatum Nostrum Apostolicum, quoties oportere visum est, facere expostulationes iussimus: quas qui rem publicam gerunt prono se ad aequitatem animo accipere testati sunt. — Nos ipsi, cum lata lex est de collegiis sodalium religiosorum tollendis, animi Nostri sensa litteris consignavimus ad dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Archiepiscopum Parisiensium datis. Simili modo, missis superiore anno mense iunio ad summum rei publicae Principem litteris, cetera illa deploravimus, quae saluti animorum nocent, et Ecclesiae rationes incolumes esse non sinunt. Id vero effecimus tum quod sanctitate et magnitudine muneris Nostri apostolici permovebamur, tum quod vehementer cupimus ut accepta a patribus et maioribus religio sancte inviolateque in Gallia conservetur. Hac via, hoc ipso tenore constantiae certum Nobis est rem Galliae catholicam perpetuo in posterum defendere. — Cuius quidem officii iusti ac debiti Vos omnes, Venerabiles Fratres, adiutores strenuos semper habuimus. Revera sodalium religiosorum coacti dolere vicem, perfecistis

tamen, quod erat in potestate vestra, ne indefensi succumberent, qui non minus de re publica quam de Ecclesia meruerant. Hoc autem tempore, quantum leges sinunt, in eo evigilant maximae curae cogitationesque vestrae, ut probae institutionis copia suppeditet iuventuti: et de consiliis quae adversus Ecclesiam nonnulli agitant, non praetermisistis ostendere, quantum ipsi civitati essent allatura perniciem. Atque has ob caussas nemo iure criminabitur, aut aliquo Vos respectu rerum humanarum duci, aut constitutae reipublicae adversari: quia cum Dei agitur honos, cum salus animarum in discrimen adducitur, vestrum munus est harum rerum omnium tutelam defensionemque suscipere. — Pergite itaque prudenter et fortiter in episcopali munere versari: caelestis doctrinae praecepta tradere, et qua sit ingrediendum via in tam magna temporum iniquitate populo demonstrare. Eamdem omnium oportet esse mentem idemque propositum, et ubi communis est caussa, similem in agendo adhibere rationem. Providete ut nusquam scholae desint, in quibus notitia bonorum caelestium officiorumque erga Deum diligentissime alumni imbuantur, et discant penitus Ecclesiam cognoscere eidemque dicto esse audientes usque adeo ut intelligant et sentiant, omnes labores, eius caussa, patibiles putandos. Abundat Gallia praestantissimorum hominum exemplis, qui pro fide christiana nullam ab sese calamitatem, ne vitae quidem ipsius iacturam deprecati sint. In ipsa illa perturbatione, quam commemoravimus, viri invicta fide perplures extiterunt, quorum virtute et sanguine patrius stetit honos. Iamvero nostris etiam temporibus virtutem in Gallia cernimus per medias insidias et pericula satis, Deo iuvante, se ipsam tueri. Munus suum Clerus insistit, idque ea caritate, quae sacerdotum est propria, ad proximorum utilitates semper prompta et sollerti. Laici viri magno numero fidem catholicam profitentur aperto impavidoque pectore: obsequium suum certatim huic Apostolicae Sedi multis rationibus et saepe testantur: institutioni iuventutis ingenti sumptu et labore prospiciunt, necessitatibus publicis opitulantur liberalitate et beneficentia mirabili.

9. Iamvero ista bona, quae laetam spem Galliae portendunt, non conservanda solum sed etiam augenda sunt communi studio maximaque perseverantia sedulitatis. In primis videndum est ut idoneorum virorum copia magis ac magis Clerus locupletetur. Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum. — Deinde necesse est in patrocinio religionis multum elaborare lectos viros laicos, quibus cara est communis omnium mater Ecclesia, et quorum cum dicta tum scripta tuendis catholici nominis iuribus magno usui esse possunt. Ad optatos autem fructus maxime est conspiratio voluntatum et agendorum similitudo necessaria. Profecto nihil magis inimici cupiunt, quam ut dissideant catholici inter se: hi vero nihil sibi magis quam dissidia fugiendum putent, memores divini verbi, *omne regnum in seipsum divisum desolabitur*. Quod si, concordiae gratia, necesse est, quemquam de sua sententia iudicioque desistere, faciat non invitus, sperata utilitate communi. Qui scribendo dant operam, magnopere studeant

hanc in omnibus rebus animorum concordiam conservare; iidem praeterea quod in commune expedit malint, quam quod sibi: communia coepta tueantur; disciplinae eorum, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, libenti animo pareant, auctoritatemque vereantur; nec suscipiant quicquam praeter eorumdem voluntatem, quos, quando pro religione dimicatur, sequi necesse est tamquam duces.

10. Denique, quod facere in rebus dubiis semper Ecclesia consuevit, populus universus, Vobis auctoribus, obsecrare obtestarique Deum insistat, ut respiciat Galliam, iramque misericordia vincat. In ista fandi scribendique licentia pluries est divina violata maiestas, neque desunt qui non modo beneficia Salvatoris hominum Iesu Christi ingrate repudient, sed etiam impia ostentatione profiteantur, nolle se Dei numen agnoscere. Omnino catholicos decet hanc sentiendi agendique pravitatem magno fidei pietatisque studio compensare, publiceque testari, nihil sibi esse Dei gloria prius, nihil avita religione carius. Ii praesertim qui alligati arctius Deo, intra monasteriorum claustra aetatem degunt, excitent nunc sese ad caritatem generosius, et divinum propitiare numen humili prece, poenis voluntariis, suique devotione contendant. His rationibus eventurum, Deo opitulante, confidimus, ut qui sunt in errore resipiscant, nomenque Gallicum ad genuinam magnitudinem revirescat.

11. In his omnibus, quae hactenus diximus, paternum animum Nostrum, Venerabiles Fratres, et amoris, quo universam Galliam complectimur, magnitudinem recognoscite. Nec dubitamus quin hoc ipsum studiosissimae voluntatis Nostrae testimonium ad confirmandam augendamque valeat salutarem illam inter Galliam et Apostolicam Sedem coniunctionis necessitudinem, unde nec pauca, nec levia in communem utilitatem bona omni tempore profecta sunt. — Et hac cogitatione laeti, Vobis, Venerabiles Fratres, civibusque vestris maximam caelestium munerum copiam adprecamur: quorum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem Vobis universaeque Galliae Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XII Acta, vol. IV, p. 20-22].

591.

Leo XIII, ep. encycl. *Humanum genus*, 20 apr. 1884.

1. Humanum genus, postea quam a creatore, munerumque caelestium largitore Deo, *invidia Diaboli*, miserrime defecit, in partes duas diversas adversasque discessit; quarum altera assidue pro veritate et virtute propugnat, altera pro iis, quae virtuti sunt veritatique contraria. — Alterum Dei est in terris regnum, vera scilicet Iesu Christi Ecclesia, cui qui volunt ex animo et convenienter ad salutem adhaerescere, necesse est Deo et Unigenito Filio eius tota mente ac summa voluntate servire: alterum Satanae est regnum, cuius in ditione et potestate sunt quicumque funesta ducis sui et primorum parentum exempla secuti, parere di-

vinae aeternaeque legi recusant, et multa posthabito Deo, multa contra Deum contendunt. Duplex hoc regnum, duarum instar civitatum contrariis legibus contraria in studia abeuntium, acute vidit descripsitque Augustinus, et utriusque efficientem caussam subtili brevitate complexus est, iis verbis: *fecerunt civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei: caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui.* [1] — Vario ac multiplici cum armorum tum dimicationis genere altera adversus alteram omni saeculorum aetate conflixit, quamquam non eodem semper ardore atque impetu. Hoc autem tempore, qui deterioribus favent partibus videntur simul conspirare vehementissimeque cuncti contendere, auctore et adiutrice ea, quam *Massonum* appellant, longe lateque diffusa et firmiter constituta hominum societate. Nihil enim iam dissimulantes consilia sua, excitant sese adversus Dei numen audacissime: Ecclesiae sanctae perniciem palam aperteque moliuntur, idque eo proposito, ut gentes christianas partis per Iesum Christum Servatorem beneficiis, si fieri posset, funditus despolient. — Quibus Nos ingemiscentes malis, illud saepe ad Deum clamare, urgente animum caritate, compellimur: *Ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt: venite, et disperdamus eos de gente.* [2]

2. In tam praesenti discrimine, in tam immani pertinacique christiani nominis oppugnatione, Nostrum est indicare periculum, designare adversarios, horumque consiliis atque artibus, quantum possumus, resistere ut aeternum ne pereant quorum Nobis est commissa salus: et Iesu Christi regnum, quod tuendum accepimus, non modo stet et permaneat integrum, sed novis usque incrementis ubique terrarum amplificetur.

3. Romani Pontifices Decessores Nostri, pro salute populi christiani sedulo vigilantes, hunc tam capitalem hostem ex occultae coniurationis tenebris prosilientem, quis esset, quid vellet, celeriter agnoverunt; iidemque praecipientes cogitatione futura, principes simul et populos, signo velut dato, monuerunt ne se paratis ad decipiendum artibus insidiisque capi paterentur. — Prima significatio periculi per Clementem XII anno MDCCXXXVIII facta: [3] cuius est a Benedicto XIV [4] confirmata ac renovata Constitutio. Utriusque vestigiis ingressus est Pius VII: [5] ac Leo XII Constitutione Apostolica *Quo graviora* [6] superiorum Pontificum hac de re acta et decreta complexus, rata ac firma in perpetuum esse iussit. In eamdem sententiam Pius VIII, [7] Gregorius XVI, [8] persaepe vero Pius IX [9] locuti sunt.

[1] De Civit. Dei, lib. XIV, c. 17.
[2] Ps. LXXXII, v. 2-4.
[3] Const. *In eminenti*, die 28 aprilis 1738. — Cf. N. 299.
[4] Const. *Providas*, die 18 maii 1751. — Cf. N. 412.
[5] Const. *Ecclesiam a Iesu Christo*, die 13 septembris 1821. — Cf. N. 479.
[6] Const. data die 13 martii 1825. — Cf. N. 481.
[7] Encycl. *Traditi*, die 24 maii 1829. — Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 18, p. 17-20.
[8] Encycl. *Mirari*, die 15 augusti 1832. — Cf. N. 485.
[9] Encycl. *Qui pluribus*, die 9 novembris 1846 (Cf. N. 504). — Alloc. *Multiplices inter*, die 25 septembris 1865 (Cf. N. 544), etc.

4. Videlicet cum sectae Massonicae institutum et ingenium compertum esset ex manifestis rerum indiciis, cognitione caussarum, prolatis in lucem legibus eius, ritibus, commentariis, ipsis saepe accedentibus testimoniis eorum qui essent conscii, haec Apostolica Sedes denuntiavit aperteque edixit, sectam Massonum, contra ius fasque constitutam, non minus esse christianae rei, quam civitati perniciosam: propositisque poenis, quibus solet Ecclesia gravius in sontes animadvertere, interdixit atque imperavit, ne quis illi nomen societati daret. Qua ex re irati gregales, earum vim sententiarum subterfugere aut debilitare se posse partim contemnendo, partim calumniando rati, Pontifices maximos, qui ea decreverant, criminati sunt aut non iusta decrevisse, aut modum in decernendo transisse. Hac sane ratione Constitutionum Apostolicarum Clementis XII, Benedicti XIV, itemque Pii VII et Pii IX conati sunt auctoritatem et pondus eludere. Verum in ipsa illa societate non defuere, qui vel inviti faterentur, quod erat a Romanis Pontificibus factum, id esse, spectata doctrina disciplinaque catholica, iure factum. In quo Pontificibus valde assentiri plures viri principes rerumque publicarum rectores visi sunt, quibus curae fuit societatem Massonicam vel apud Apostolicam Sedem arguere, vel per se, latis in id legibus, noxae damnare, ut in Hollandia, Austria, Helvetia, Hispania, Bavaria, Sabaudia aliisque Italiae partibus.

5. Quod tamen prae ceteris interest, prudentiam Decessorum Nostrorum rerum eventus comprobavit. Ipsorum enim providae paternaeque curae nec semper nec ubique optatos habuerunt exitus: idque vel hominum, qui in ea noxa essent, simulatione et astu, vel inconsiderata levitate ceterorum, quorum maxime interfuisset diligenter attendere. Quare unius saeculi dimidiatique spatio secta Massonum ad incrementa properavit opinione maiora; inferendoque sese per audaciam et dolos in omnes reipublicae ordines, tantum iam posse coepit, ut prope dominari in civitatibus videatur. Ex hoc tam celeri formidolosoque cursu illa revera est in Ecclesiam, in potestatem principum, in salutem publicam pernicies consecuta, quam Decessores Nostri multo ante providerant. Eo enim perventum est, ut valde sit reliquo tempore metuendum non Ecclesiae quidem, quae longe firmius habet fundamentum, quam ut hominum opera labefactari queat, sed earum caussa civitatum, in quibus nimis polleat ea, de qua loquimur, aut aliae hominum sectae non absimiles, quae priori illi sese administras et satellites impertiunt.

6. His de caussis, ubi primum ad Ecclesiae gubernacula accessimus, vidimus planeque sensimus huic tanto malo resistere oppositu auctoritatis Nostrae, quoad fieri posset, oportere. — Sane opportunam saepius occasionem nacti, persecuti sumus praecipua quaedam doctrinarum capita, in quas Massonicarum opinionum influxisse maxime perversitas videbatur. Ita Litteris Nostris Encyclicis *Quod Apostolici muneris* [1] aggressi sumus *Socialistarum* et *Communistarum* portenta convincere: aliis deinceps *Arcanum* [2] veram germanamque notionem societatis domesticae, cuius est in

[1] Cf. N. 576.
[2] Cf. N. 580.

matrimonio fons et origo, tuendam et explicandam curavimus: iis insuper quarum initium est *Diuturnum*, [1] potestatis politicae formam ad principia christianae sapientiae expressam proposuimus, cum ipsa rerum natura, cum populorum principumque salute mirifice cohaerentem. Nunc autem, Decessorum Nostrorum exemplo, in Massonicam ipsam societatem, in doctrinam eius universam, et consilia, et sentiendi consuetudinem et agendi, animum recta intendere decrevimus, quo vis illius malefica magis magisque illustretur, idque valeat ad funestae pestis prohibenda contagia.

7. Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quae cuiusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae. Quae quamvis nunc nolle admodum videantur latere in tenebris, et suos agant coetus in luce oculisque civium, et suas edant ephemeridas, nihilominus tamen, re penitus perspecta, genus societatum clandestinarum moremque retinent. Plura quippe in iis sunt arcanis similia, quae non externos solum, sed gregales etiam bene multos exquisitissima diligentia celari lex est: cuiusmodi sunt intima atque ultima consilia, summi factionum principes, occulta quaedam et intestina conventicula: item decreta, et qua via, quibus auxiliis perficienda. Huc sane facit multiplex illud inter socios discrimen et iuris et officii et muneris: huc rata ordinum graduumque distinctio, et illa, qua reguntur, severitas disciplinae. Initiales spondere immo praecipuo sacramento iurare ut plurimum iubentur, nemini se ullo unquam tempore ullove modo socios, notas, doctrinas indicaturos. Sic ementita specie eodemque semper tenore simulationis quam maxime Massones, ut olim Manichaei, laborant abdere sese, nullosque, praeter suos, habere testes. Latebras commodum quaerunt, sumpta sibi litteratorum sophorumve persona, eruditionis caussa sociatorum: habent in lingua promptum cultioris urbanitatis studium, tenuioris plebis caritatem: unice velle se meliores res multitudini quaerere, et quae habentur in civili societate commoda cum quamplurimis communicare. Quae quidem consilia quamvis vera essent, nequaquam tamen in istis omnia. Praeterea qui cooptati sunt, promittant ac recipiant necesse est, ducibus ac magistris se dicto audientes futuros cum obsequio fideque maxima: ad quemlibet eorum nutum significationemque paratos, imperata facturos: si secus fecerint, tum dira omnia ac mortem ipsam non recusare. Revera si qui prodidisse disciplinam vel mandatis restitisse iudicentur, supplicium de iis non raro sumitur, et audacia quidem ac dexteritate tanta, ut speculatricem ac vindicem scelerum iustitiam sicarius persaepe fallat. — Atqui simulare, et velle in occulto latere; obligare sibi homines, tamquam mancipia, tenacissimo nexu, nec satis declarata caussa: alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere: armare ad caedem dextras, quaesita impunitate peccandi, immanitas quaedam est, quam rerum natura non patitur. Quapropter societatem, de qua loquimur, cum iustitia et naturali honestate pugnare, ratio et veritas ipsa convincit.

[1] Die 29 iunii 1881. — Leonis XIII Acta, vol. II, p. 269-287.

8. Eo vel magis, quod ipsius naturam ab honestate dissidentem alia quoque argumenta eademque illustria redarguunt. Ut enim magna sit in hominibus astutia celandi consuetudoque mentiendi, fieri tamen non potest, ut unaquaeque caussa ex iis rebus, quarum caussa est, qualis in se sit non aliqua ratione appareat. *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.* [1] Fructus autem secta Massonum perniciosos gignit maximaque acerbitate permixtos. Nam ex certissimis indiciis, quae supra commemoravimus, erumpit illud, quod est consiliorum suorum ultimum, scilicet evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicae, novamque ad ingenium suum extruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus.

9. Haec, quae diximus aut dicturi sumus, de secta Massonica intelligi oportet spectata in genere suo, et quatenus sibi cognatas foederatasque complectitur societates: non autem de sectatoribus earum singulis. In quorum numero utique possunt esse, nec pauci, qui quamvis culpa non careant quod sese istius modi implicuerint societatibus, tamen nec sint flagitiose factorum per se ipsi participes, et illud ultimum ignorent quod illae nituntur adipisci. Similiter ex consociationibus ipsis nonnullae fortasse nequaquam probant conclusiones quasdam extremas, quas, cum ex principiis communibus necessario consequantur, consentaneum esset amplexari, nisi per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreret. Item nonnullas locorum temporumve ratio suadet minora conari, quam aut ipsae vellent aut ceterae solent: non idcirco tamen alienae a Massonico foedere putandae, quia Massonicum foedus non tam est ab actis perfectisque rebus, quam a sententiarum summa iudicandum.

10. Iamvero Naturalistarum caput est, quod nomine ipso satis declarant, humanam naturam humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem oportere. Quo constituto, officia erga Deum vel minus curant, vel opinionibus pervertunt errantibus et vagis. Negant enim quicquam esse Deo auctore traditum: nullum probant de religione dogma, nihil veri, quod non hominum intelligentia comprehendat, nullum magistrum, cui propter auctoritatem officii sit iure credendum. Quoniam autem munus est Ecclesiae catholicae singulare sibique unice proprium doctrinas divinitus acceptas auctoritatemque magisterii cum ceteris ad salutem caelestibus adiumentis plene complecti et incorrupta integritate tueri, idcirco in ipsam maxima est inimicorum iracundia impetusque conversus. — Nunc vero in iis rebus, quae religionem attingunt, spectetur quid agat, praesertim ubi est ad agendi licentiam liberior, secta Massonum: omninoque iudicetur, nonne plane re exequi Naturalistarum decreta velle videatur. Longo sane pertinacique labore in id datur opera, nihil ut Ecclesiae magisterium nihil auctoritas in civitate possit: ob eamque caussam vulgo praedicant et pugnant, rem sacram remque civilem esse penitus distrahendas. Quo facto saluberrimam religionis catholicae virtutem a legibus, ab administratione reipublicae excludunt: illudque est consequens, ut praeter insti-

[1] Matth., VII, 18.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tuta ac praecepta Ecclesiae totas constituendas putent civitates. — Nec vero
non curare Ecclesiam, optimam ducem, satis habent, nisi hostiliter faciendo
laeserint. Et sane fundamenta ipsa religionis catholicae adoriri fando, scri-
bendo, docendo, impune licet: non iuribus Ecclesiae parcitur, non munera,
quibus est divinitus aucta, salva sunt. Agendarum rerum facultas quam
minima illi relinquitur, idque legibus specie quidem non nimis vim infe-
rentibus, re vera natis aptis ad impediendam libertatem. Item impositas
Clero videmus leges singulares et graves, multum ut ei de numero, multum
de rebus necessariis in dies decedat: reliquias bonorum Ecclesiae maximis
adstrictas vinculis, potestati et arbitrio administratorum reipublicae permis-
sas: sodalitates ordinum religiosorum sublatas, dissipatas. — At vero in
Sedem Apostolicam romanumque Pontificem longe est inimicorum inci-
tata contentio. Is quidem primum fictis de caussis deturbatus est propu-
gnaculo libertatis iurisque sui, principatu civili: mox in statum compulsus
iniquum simul et obiectis undique difficultatibus intolerabilem: donec ad
haec tempora perventum est, quibus sectarum fautores, quod abscondite
secum agitarant diu, aperte denunciant, sacram tollendam Pontificum pote-
statem, ipsumque divino iure institutum funditus delendum Pontificatum.
Quam rem, si cetera deessent, satis indicat hominum qui conscii sunt
testimonium, quorum plerique cum saepe alias, tum recenti memoria rur-
sus hoc Massonum verum esse declararunt, velle eos maxime exercere
catholicum nomen implacabilibus inimicitiis, nec ante quieturos, quam
excisa omnia viderint, quaecumque summi Pontifices religionis caussa insti-
tuissent. — Quod si, qui adscribuntur in numerum, nequaquam eiurare
conceptis verbis instituta catholica iubentur, id sane tantum abest, ut
consiliis Massonum repugnet, ut potius adserviat. Primum enim simplices
et incautos facile decipiunt hac via, multoque pluribus invitamenta prae-
bent. Tum vero obviis quibuslibet ex quovis religionis ritu accipiendis,
hoc assequuntur, ut re ipsa suadeant magnum illum huius temporis erro-
rem, religionis curam relinqui oportere in mediis, nec ullum esse inter
genera discrimen. Quae quidem ratio comparata ad interitum est religio-
num omnium, nominatim ad catholicae, quae cum una ex omnibus vera
sit, exaequari cum ceteris sine iniuria summa non potest.

11. Sed longius Naturalistae progrediuntur. In maximis enim rebus
tota errare via audacter ingressi, praecipiti cursu ad extrema delabuntur,
sive humanae imbecillitate naturae, sive consilio iustas superbiae poenas
repetentis Dei. Ita fit, ut illis ne ea quidem certa et fixa permaneant, quae
naturali lumine rationis perspiciuntur, qualia profecto illa sunt, Deum esse,
animos hominum ab omni esse materiae concretione segregatos, eosdemque
immortales. — Atqui secta Massonum ad hos ipsos scopulos non dissimili
cursus errore adhaerescit. Quamvis enim Deum esse generatim profiteantur,
id tamen non haerere in singulorum mentibus firma assensione iudicioque
stabili constitutum, ipsi sibi sunt testes. Neque enim dissimulant, hanc de
Deo quaestionem maximum apud ipsos esse fontem caussamque dissidii:
immo non mediocrem hac ipsa de re constat extitisse inter eos proximo
etiam tempore contentionem. Re autem vera initiatis magnam secta licen-

tiam dat, ut alterutrum liceat suo iure defendere, Deum esse, Deum nullum esse: et qui nullum esse praefracte contendant, tam facile initiantur, quam qui Deum esse opinantur quidem, sed de eo prava sentiunt, ut Pantheistae solent: quod nihil est aliud, quam divinae naturae absurdam quamdam speciem retinere, veritatem tollere. Quo everso infirmatove maximo fundamento, consequens est ut illa quoque vacillent, quae natura admonente cognoscuntur, cunctas res libera creatoris Dei voluntate extitisse: mundum providentia regi: nullum esse animorum interitum: huic quae in terris agitur, hominum vitae successuram alteram eamque sempiternam.

12. His autem dilapsis, quae sunt tamquam naturae principia, ad cognitionem usumque praecipua, quales futuri sint privati publicique mores, facile apparet. — Silemus de virtutibus divinioribus, quas absque singulari Dei munere et dono nec exercere potest quisquam, nec consequi: quarum profecto necesse est nullum in iis vestigium reperiri, qui redemptionem generis humani, qui gratiam caelestem, qui sacramenta, adipiscendamque in caelis felicitatem pro ignotis aspernantur. — De officiis loquimur, quae a naturali honestate ducuntur. Mundi enim opifex idemque providus gubernator Deus: lex aeterna naturalem ordinem conservari iubens, perturbari vetans: ultimus hominum finis multo excelsior rebus humanis extra haec mundana hospitia constitutus: hi fontes, haec principia sunt totius iustitiae et honestatis. Ea si tollantur, quod Naturalistae idemque Massones solent, continuo iusti et iniusti scientia ubi consistat, et quo se tueatur omnino non habebit. Et sane disciplina morum, quae Massonum familiae probatur unice, et qua informari adolescentem aetatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant et *solutam* ac *liberam*; scilicet in qua opinio nulla sit religionis inclusa. At vero quam inops illa sit, quam firmitatis expers, et ad omnem auram cupiditatum mobilis, satis ostenditur ex iis, qui partim iam apparent, poenitendis fructibus. Ubi enim regnare illa liberius coepit, demota loco institutione christiana, ibi celeriter deperire probi integrique mores: opinionum tetra portenta convalescere: plenoque gradu audacia ascendere maleficiorum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplorant: idemque non pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi, haud raro testantur.

13. Praeterea, quoniam est hominum natura primi labe peccati inquinata, et ob hanc caussam multo ad vitia quam ad virtutes propensior, hoc omnino ad honestatem requiritur, cohibere motus animi turbidos et appetitus obedientes facere rationi. In quo certamine despicientia saepissime adhibenda est rerum humanarum, maximique exhauriendi labores ac molestiae, quo suum semper teneat ratio victrix principatum. Verum Naturalistae et Massones, nulla adhibita iis rebus fide, quas Deo auctore cognovimus, parentem generis humani negant deliquisse: proptereaque liberum arbitrium nihil *viribus attenuatum et inclinatum* [1] putant. Quin immo exaggerantes naturae virtutem et excellentiam, in eaque principium et normam iustitiae unice

[1] Conc. Trid., Sess. VI, *de iustif.*, c. 1.

collocantes, ne cogitare quidem possunt, ad sedandos illius impetus regen-
dosque appetitus assidua contentione et summa opus esse constantia. Ex
quo videmus vulgo suppeditari hominibus illecebras multas cupiditatum:
ephemeridas commentariosque nulla nec temperantia nec verecundia: ludos
scenicos ad licentiam insignes: argumenta artium ex iis, quas vocant *verismi*,
legibus proterve quaesita: excogitata subtiliter vitae artificia delicatae et
mollis: omnia denique conquisita voluptatum blandimenta, quibus sopita
virtus conniveat. In quo flagitiose faciunt, sed sibi admodum constant, qui
expectationem tollunt bonorum caelestium, omnemque ad res mortales feli-
citatem abiiciunt et quasi demergunt in terram. — Quae autem comme-
morata sunt illud confirmare potest non tam re, quam dictu inopinatum.
Cum enim hominibus versutis et callidis nemo fere soleat tam obnoxie ser-
vire, quam quorum est cupiditatum dominatu enervatus et fractus animus,
reperti in secta Massonum sunt, qui edicerent ac proponerent, consilio et
arte enitendum ut infinita vitiorum licentia exsaturetur multitudo: hoc enim
facto, in potestate sibi et arbitrio ad quaelibet audenda facile futuram.

14. Quod ad convictum attinet domesticum, his fere continetur omnis
Naturalistarum disciplina. Matrimonium ad negotiorum contrahendorum
pertinere genus: rescindi ad voluntatem eorum, qui contraxerint, iure posse:
penes gubernatores rei civilis esse in maritale vinclum potestatem. In edu-
candis liberis nihil de religione praecipiatur ex certa destinataque sententia:
integrum singulis esto, cum adoleverit aetas, quod maluerint sequi. — Atqui
haec ipsa assentiuntur plane Massones: neque assentiuntur solum, sed
iamdiu student in morem consuetudinemque deducere. Multis iam in
regionibus iisdemque catholici nominis, constitutum est ut, praeter coniunc-
tas ritu civili, iustae ne habeantur nuptiae: alibi divortia fieri, lege licet: alibi,
ut quamprimum liceat, datur opera. Ita ad illud festinat cursus, ut matri-
monia in aliam naturam convertantur, hoc est in coniunctiones instabiles et
fluxas, quas libido conglutinet, et eadem mutata dissolvat. — Summa autem
conspiratione voluntatum illuc etiam spectat secta Massonum, ut institutio-
nem ad se rapiat adolescentium. Mollem enim et flexibilem aetatem facile
se posse sentiunt arbitratu suo fingere, et, quo velint, torquere: eaque re
nihil esse opportunius ad sobolem civium, qualem ipsi meditantur, talem
reipublicae educendam. Quocirca in educatione doctrinaque puerili nullas
Ecclesiae ministris nec magisterii nec vigilantiae sinunt esse partes: pluri-
busque iam locis consecuti sunt, ut omnis sit penes viros laicos adolescen-
tium institutio: itemque ut in mores informandos nihil admisceatur de iis,
quae hominem iungunt Deo, permagnis sanctissimisque officiis.

15. Sequuntur civilis decreta prudentiae. Quo in genere statuunt Natu-
ralistae, homines eodem esse iure omnes, et aequa ac pari in omnes partes
conditione: unumquemque esse natura liberum: imperandi alteri ius habere
neminem: velle autem, ut homines cuiusquam auctoritati pareant, aliunde
quam ex ipsis quaesitae, id quidem esse vim inferre. Omnia igitur in libero
populo esse: imperium iussu vel concessu populi teneri, ita quidem, ut,
mutata voluntate populari, principes de gradu deiici vel invitos liceat.
Fontem omnium iurium officiorumque civilium vel in multitudine inesse,

vel in potestate gubernante civitatem, eaque novissimis informata disciplinis.
Praeterea atheam esse rempublicam oportere: in variis religionis formis
nullam esse caussam, cur alia alii anteponatur: eodem omnes loco habendas.

16. Haec autem ipsa Massonibus aeque placere, et ad hanc similitudinem
atque exemplar velle eos constituere res publicas, plus est cognitum, quam
ut demonstrari oporteat. Iamdiu quippe omnibus viribus atque opibus id
aperte moliuntur: et hoc ipso expediunt viam audacioribus non paucis ad
peiora praecipitantibus, ut qui aequationem cogitant communionemque
omnium bonorum, deleto ordinum et fortunarum in civitate discrimine.

17. Secta igitur Massonum quid sit, et quod iter affectet ex his quae
summatim attigimus, satis elucet. Praecipua ipsorum dogmata tam valde
a ratione ac tam manifesto discrepant, ut nihil possit esse perversius. Reli-
gionem et Ecclesiam, quam Deus ipse condidit, idemque ad immortalitatem
tuetur, velle demoliri, moresque et instituta ethnicorum duodeviginti sae-
culorum intervallo revocare, insignis stultitiae est impietatisque audacissimae.
Neque illud vel horribile minus, vel levius ferendum, quod beneficia repu-
dientur per Iesum Christum benigne parta neque hominibus solum singulis,
sed vel familia vel communitate civili consociatis; quae beneficia ipso haben-
tur inimicorum iudicio testimonioque maxima. In huiusmodi voluntate
vesana et tetra recognosci propemodum videtur posse illud ipsum, quo
Satanas in Iesum Christum ardet, inexpiabile odium ulciscendique libido. —
Similiter illud alterum, quod Massones vehementer conantur, recti atque,
honesti praecipua fundamenta evertere, adiutoresque se praebere iis, qui
more pecudum quodcumque libeat, idem licere vellent, nihil est aliud quam
genus humanum cum ignominia et dedecore ad interitum impellere. —
Augent vero malum ea, quae in societatem cum domesticam tum civilem
intenduntur pericula. Quod enim alias exposuimus, inest in matrimonio
sacrum et religiosum quiddam omnium fere et gentium et aetatum con-
sensu: divina autem lege cautum esse, ne coniugia dirimi liceat. Ea si
profana fiant, si distrahi liceat, consequatur in familia necesse est turba
et confusio, excidentibus de dignitate feminis, incerta rerum suarum inco-
lumitatisque sobole. — Curam vero de religione publice adhibere nullam,
et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis respicere, quam
si omnino non esset, temeritas est ipsis ethnicis inaudita; quorum in animo
sensuque erat sic penitus affixa non solum opinio Deorum, sed religionis
publicae necessitas, ut inveniri urbem facilius sine solo, quam sine Deo
posse arbitrarentur. Revera humani generis societas, ad quam sumus natura
facti, a Deo constituta est naturae parente: ab eoque tamquam a principio
et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat,
bonorum. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa
naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona quae comitantur
vitae a Deo accepimus, sic eamdem ob caussam populi et civitates. Idcirco
qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspi-
cuum est non iniuste solum, sed etiam indocte absurdeque facere. — Quod
vero homines ad coniunctionem congregationemque civilem Dei voluntate
nascuntur, et potestas imperandi vinculum est civilis societatis tam neces-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

sarium ut, eo sublato, illam repente disrumpi necesse sit, consequens est ut imperandi auctoritatem idem gignat, qui genuit societatem. Ex quo intelligitur, imperium in quo sit, quicumque is est, ministrum esse Dei. Quapropter, quatenus finis et natura societatis humanae postulant, legitimae potestati iusta praecipienti aequum est parere perinde ac numini omnia moderantis Dei: illudque in primis a veritate abhorret, in populi esse voluntate positum obedientiam, cum libitum fuerit, abiicere. — Similiter, pares inter se homines esse universos, nemo dubitat, si genus et natura communis, si finis ultimus unicuique ad assequendum propositus, si ea, quae inde sponte fluunt, iura et officia spectentur. At vero quia ingenia omnium paria esse non possunt, et alius ab alio distat vel animi vel corporis viribus, plurimaeque sunt morum, voluntatis, naturarum dissimilitudines, idcirco nihil tam est repugnans rationi, quam una velle comprehensione omnia complecti, et illam omnibus partibus expletam aequabilitatem ad vitae civilis instituta traducere. Quemadmodum perfectus corporis habitus ex diversorum existit iunctura et compositione membrorum, quae forma usuque differunt, compacta tamen et suis distributa locis complexionem efficiunt pulcram specie, firmam viribus, utilitate necessariam: ita in republica hominum quasi partium infinita propemodum est dissimilitudo: qui si habeantur pares arbitriumque singuli suum sequantur, species erit civitatis nulla deformior: si vero dignitatis, studiorum, artium distinctis gradibus, apte ad commune bonum conspirent, bene constitutae civitatis imaginem referent congruentemque naturae.

18. Ceterum ex iis, quos commemoravimus, turbulentis erroribus, maximae sunt civitatibus extimescendae formidines. Nam sublato Dei metu legumque divinarum verecundia, despecta principium auctoritate, permissa probataque seditionum libidine, proiectis ad licentiam cupiditatibus popularibus, nullo nisi poenarum freno, necessario secutura est rerum omnium commutatio et eversio. Hanc immo commutationem eversionemque consulto meditantur, idque prae se ferunt, plurimi *Communistarum* et *Socialistarum* consociati greges: quorum coeptis alienam ne se dixerit secta Massonum, quae et consiliis eorum admodum favet, et summa sententiarum capita cum ipsis habet communia. Quod si nec continuo nec ubique ad extrema experiendo decurrunt, non ipsorum est disciplinae, non voluntati tribuendum, sed virtuti religionis divinae, quae extingui non potest, itemque saniori hominum parti, qui societatum clandestinarum recusantes servitutem, insanos earum conatus forti animo refutant.

19. Atque utinam omnes stirpem ex fructibus iudicarent, et malorum quae premunt, periculorum quae impendent, semen et initium agnoscerent! Res est cum hoste fallaci et doloso, qui serviens auribus populorum et principum, utrosque mollibus sententiis et assentatione cepit. — Insinuando sese ad viros principes simulatione amicitiae, hoc spectarunt Massones, illos ipsos habere ad opprimendum catholicum nomen socios et adiutores potentes: quibus quo maiores admoverent stimulos, pervicaci calumnia Ecclesiam criminati sunt de potestate iuribusque regiis cum principibus invidiose contendere. His interim artibus quaesita securitate et audacia, plurimum pollere in regendis civitatibus coeperunt, ceterum parati imperiorum fundamenta quatere, et insequi principes civitatis, insimulare, eiicere, quoties facere secus in gubernando viderentur, quam illi maluissent. — Haud absimili modo populos assentando ludificati sunt. Libertatem prosperitatemque publicam pleno ore personantes, et per Ecclesiam Principesque summos stetisse, quominus ex iniqua servitute et egestate multitudo eriperetur, populo imposuerunt, eumque rerum novarum sollicitatum siti in oppugnationem utriusque potestatis incitaverunt. Nihilominus tamen speratarum commoditatum maior est expectatio, quam veritas: immo vero peius oppressa plebes magnam partem iis ipsis carere cogitur miseriarum solatiis, quae, compositis ad christiana instituta rebus, facile et abunde reperire potuisset. Sed quotquot contra ordinem nituntur divina providentia constitutum, has dare solent superbiae poenas, ut ibi afflictam et miseram offendant fortunam, unde prosperam et ad vota fluentem temere expectavissent.

20. Ecclesia vero, quod homines obedire praecipue et maxime iubet summo omnium principi Deo, iniuria et falso putaretur aut civili invidere potestati, aut sibi quicquam de iure principum arrogare. Immo quod civili potestati aequum est reddere, id plane iudicio conscientiaque officii decernit esse reddendum. Quod vero ab ipso Deo ius arcessit imperandi, magna est ad civilem auctoritatem dignitatis accessio, et observantiae benevolentiaeque civium colligendae adiumentum non exiguum. Eadem amica pacis, altrix concordiae, materna omnes caritate complectitur; et iuvandis mortalibus unice intenta, iustitiam oportere docet cum clementia, imperium cum aequitate, leges cum moderatione coniungere: nullius ius violandum, ordini tranquillitatique publicae serviendum, inopiam miserorum, quam maxime fieri potest, privatim et publice sublevandam. *Sed propterea putant*, ut verba usurpemus Augustini, *vel putari volunt, christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicae, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum.* [1] Quibus cognitis, hoc esset civili prudentiae admodum congruens, et incolumitati communi necessarium, principes et populos non cum Massonibus ad labefactandam Ecclesiam, sed cum Ecclesia ad frangendos Massonum impetus conspirare.

21. Utcumque erit, in hoc tam gravi ac nimis iam pervagato malo Nostrarum est partium, Venerabiles Fratres, applicare animum ad quaerenda remedia. — Quia vero spem remedii optimam et firmissimam intelligimus esse in virtute sitam religionis divinae, quam tanto peius Massones oderunt, quanto magis pertimescunt, ideo caput esse censemus saluberrimam istam adversus communem hostem advocatam adhibere virtutem. Itaque quaecumque romani Pontifices Decessores Nostri decreverunt inceptis et conatibus sectae Massonum impediendis: quaecumque aut deterrendi ab eiusmodi societatibus aut revocandi caussa sanxerunt, omnia Nos et singula rata habemus atque auctoritate Nostra Apostolica confirmamus. In quo quidem plurimum voluntate christianorum confisi, per salutem

[1] Epist. 137, al. III, ad Volusianum, c. V, n. 20.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

singulos suam precamur quaesumusque, ut religioni habeant vel minimum ab iis discedere, quae hac de re Sedes Apostolica praeceperit.

22. Vos autem, Venerabiles Fratres, rogamus, flagitamus, ut collata Nobiscum opera, extirpare impuram hanc luem quae serpit per omnes reipublicae venas, enixe studeatis. Tuenda Vobis est gloria Dei, salus proximorum: quibus rebus in dimicando propositis, non animus Vos, non fortitudo deficiet. Erit prudentiae vestrae iudicare, quibus potissimum rationibus ea, quae obstabunt et impedient, eluctanda videantur. — Sed quoniam pro auctoritate officii Nostri par est probabilem aliquam rei gerendae rationem Nosmetipsos demonstrare, sic statuite, primum omnium reddendam Massonibus esse suam, dempta persona, faciem: populosque sermone et datis etiam in id Litteris episcopalibus edocendos, quae sint societatum eius generis in blandiendo alliciendoque artificia, et in opinionibus pravitas, et in actionibus turpitudo. Quod pluries Decessores Nostri confirmarunt, nomen sectae Massonum dare nemo sibi quapiam de caussa licere putet, si catholica professio et salus sua tanti apud eum sit, quanti esse debet. Ne quem honestas assimulata decipiat: potest enim quibusdam videri, nihil postulare Massones, quod aperte sit religionis morumve sanctitati contrarium: verumtamen quia sectae ipsius tota in vitio flagitioque est et ratio et caussa, congregare se cum eis, eosve quoquo modo iuvare, rectum est non licere.

23. Deinde assiduitate dicendi hortandique pertrahere multitudinem oportet ad praecepta religionis diligenter addiscenda: cuius rei gratia valde suademus, ut scriptis et concionibus tempestivis elementa rerum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia continetur. Quod illuc pertinet, ut mentes hominum eruditione sanentur et contra multiplices errorum formas et varia invitamenta vitiorum muniantur in hac praesertim et scribendi licentia et inexhausta aviditate discendi. — Magnum sane opus: in quo tamen particeps et socius laborum vestrorum praecipue futurus est Clerus, si fuerit, Vobis adnitentibus, a disciplina vitae, a scientia litterarum probe instructus. Verum tam honesta caussa tamque gravis advocatam desiderat industriam virorum laicorum, qui religionis et patriae caritatem cum probitate doctrinaque coniungant. Consociatis utriusque ordinis viribus, date operam, Venerabiles Fratres, ut Ecclesiam penitus et cognoscant homines et caram habeant: eius enim quanto cognitio fuerit amorque maior, tanto futurum maius est societatum clandestinarum fastidium et fuga. — Quocirca non sine caussa idoneam hanc occasionem nacti, renovamus illud quod alias exposuimus, Ordinem Tertium Franciscalium, cuius paullo ante temperavimus prudenti lenitate disciplinam, perquam studiose propagare tuerique oportere.[1] Eius enim, ut est ab auctore suo constitutus, haec tota est ratio, vocare homines ad imitationem Iesu Christi, ad amorem Ecclesiae, ad omnia virtutum christianarum officia: proptereaque multum posse debet ad societatum nequissimarum supprimendam contagionem. Novetur itaque quotidianis incrementis isthaec sancta sodalitas,

[1] Cf. N. 588.

unde cum multi expectari possunt fructus, tum ille egregius, ut traducantur animi ad libertatem, ad fraternitatem, ad aequalitatem iuris: non qualia Massones absurde cogitant, sed qualia et Iesus Christus humano generi comparavit et Franciscus secutus est. Libertatem dicimus *filiorum Dei*, per quam nec Satanae, nec cupiditatibus, improbissimis dominis, serviamus: fraternitatem, cuius in Deo communi omnium procreatore et parente consistat origo: aequalitatem, quae iustitiae caritatisque constituta fundamentis, non omnia tollat inter homines discrimina, sed ex vitae, officiorum, studiorumque varietate mirum illum consensum efficiat et quasi concentum, qui natura ad utilitatem pertinet dignitatemque civilem.

24. Tertio loco una quaedam res est, a maioribus sapienter instituta, eademque temporum cursu intermissa, quae tamquam exemplar et forma ad simile aliquid valere in praesentia potest. — Scholas seu collegia opificum intelligimus, rebus simul et moribus, duce religione, tutandis. Quorum collegiorum utilitatem si maiores nostri diuturni temporis usu et periclitatione senserunt, sentiet fortasse magis aetas nostra, propterea quod singularem habent ad elidendas sectarum vires opportunitatem. Qui mercede manuum inopiam tolerant, praeterquam quod ipsa eorum conditione uni ex omnibus sunt caritate solatioque dignissimi, maxime praeterea patent illecebris grassantium per fraudes et dolos. Quare iuvandi sunt maiore qua potest benignitate, et invitandi ad societates honestas, ne pertrahantur ad turpes. Huius rei caussa collegia illa magnopere vellemus auspiciis patrocinioque Episcoporum convenienter temporibus ad salutem plebis passim restituta. Nec mediocriter Nos delectat, quod pluribus iam locis sodalitates eiusmodi, itemque coetus patronorum constituti sint: quibus propositum utrisque est honestam proletariorum classem iuvare, eorum liberos, familias, praesidio et custodia tegere, in eisque pietatis studia, religionis doctrinam, cum integritate morum tueri. — In quo genere silere hoc loco nolumus illam spectaculo exemploque insignem, de populo inferioris ordinis tam praeclare meritam societatem, quae a Vincentio patre nominatur. Cognitum est quid agat, quid velit: scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis suppetias eat ultro, idque sagacitate modestiaque mirabili: quae quo minus videri vult, eo est ad caritatem christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior.

25. Quarto loco, quo facilius id quod volumus assequamur, fidei vigiliaeque vestrae maiorem in modum commendamus iuventutem, ut quae spes est societatis humanae. — Partem curarum vestrarum in eius institutione maximam ponite: nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior, ut iis adolescens aetas prohibeatur et scholis et magistris, unde pestilens sectarum afflatus metuatur. Parentes, magistri pietatis, Curiones inter christianae doctrinae praeceptiones insistant. Vobis auctoribus, opportune commonere liberos et alumnos de eiusmodi societatum flagitiosa natura, et ut mature cavere discant artes fraudolentas et varias, quas earum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt. Immo qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos ut statuant ac recipiant, inscientibus paren-

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tibus, aut non auctore vel Curione vel conscientiae iudice, nulla se unquam societate obligaturos.

26. Verum probe intelligimus, communes labores nostros evellendis his agro Dominico perniciosis seminibus haudquaquam pares futuros, nisi caelestis dominus vineae ad id quod intendimus benigne adiuverit. — Igitur eius opem auxiliumque implorare necesse est studio vehementi ac sollicito, quale et quantum vis periculi et magnitudo necessitatis requirunt. Effert se insolenter, successu gestiens, secta Massonum, nec ullum iam videtur pertinaciae factura modum. Asseclae eius universi nefario quodam foedere et occulta consiliorum communitate iuncti operam sibi mutuam tribuunt, et alteri alteros ad rerum malarum excitant audaciam. Oppugnatio tam vehemens propugnationem postulat parem: nimirum boni omnes amplissimam quamdam coeant opus est et agendi societatem et precandi. Ab eis itaque petimus, ut concordibus animis contra progredientem sectarum vim conferti immotique consistant: iidemque multum gementes tendant Deo manus supplices, ab eoque contendant christianum floreat vigeatque nomen: necessaria libertate Ecclesia potiatur: redeant ad sanitatem devii: errores veritati, vitia virtuti aliquando concedant. — Adiutricem et interpretem adhibeamus Mariam Virginem matrem Dei, ut quae a conceptu ipso Satanam vicit, eadem se impertiat improbarum sectarum potentem, in quibus perspicuum est contumaces illos mali daemonis spiritus cum indomita perfidia et simulatione reviviscere. — Obtestemur principem Angelorum caelestium, depulsorem hostium infernorum, Michaelem: item Iosephum Virginis sanctissimae sponsum, Ecclesiae catholicae patronum caelestem salutarem: Petrum et Paulum Apostolos magnos, fidei christianae satores et vindices invictos. Horum patrocinio et communium perseverantia precum futurum confidimus, ut coniecto in tot discrimina hominum generi opportune Deus benigneque succurrat.

27. Caelestium vero munerum et benevolentiae Nostrae testem Vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque universo vigilantiae vestrae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. IV, p. 43-70].

592.

Leo XIII, ep. encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

1. Immortale Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in caelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum. — Revera quacumque Ecclesia vestigium posuit, continuo rerum faciem immutavit, popularesque mores sicut virtutibus antea ignotis, ita et nova urbanitate imbuit: quam quotquot accepere populi, mansuetudine, aequitate, rerum gestarum gloria excelluerunt. Sed vetus tamen illa est atque

antiqua vituperatio, quod Ecclesiam aiunt esse cum rationibus reipublicae dissidentem, nec quicquam posse ad ea vel commoda vel ornamenta conferre, quae suo iure suaque sponte omnis bene constituta civitas appetit. Sub ipsis Ecclesiae primordiis non dissimili opinionis iniquitate agitari christianos, et in odium invidiamque vocari solitos hac etiam de caussa accepimus, quod hostes imperii dicerentur: quo tempore malorum culpam, quibus esset perculsa respublica, vulgo libebat in christianum conferre nomen, cum revera ultor scelerum Deus poenas a sontibus iustas exigeret. Eius atrocitas calumniae non sine caussa ingenium armavit stilumque acuit Augustini: qui praesertim in *Civitate Dei* virtutem christianae sapientiae, qua parte necessitudinem habet cum re publica, tanto in lumine collocavit, ut non tam pro christianis sui temporis dixisse caussam, quam de criminibus falsis perpetuum triumphum egisse videatur. — Similium tamen querelarum atque insimulationum funesta libido non quievit, ac permultis sane placuit civilem vivendi disciplinam aliunde petere, quam ex doctrinis, quas Ecclesia catholica probat. Immo postremo hoc tempore *novum*, ut appellant, *ius*, quod inquiunt esse velut quoddam adulti iam saeculi incrementum, progrediente libertate partum, valere ac dominari passim coepit. — Sed quantumvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam numquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis rationem, quam quae ab evangelica doctrina sponte efflorescit. — Maximi igitur momenti admodum muneri Nostro apostolico consentaneum esse arbitramur, novas de re publica opiniones cum doctrina christiana conferre: quo modo erroris dubitationisque caussas ereptum iri, emergente veritate, confidimus, ita ut videre quisque facile queat summa illa praecepta vivendi, quae sequi et quibus parere debeat.

2. Non est magni negotiis statuere, qualem sit speciem formamque habitura civitas, gubernante christiana philosophia rem publicam. — Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionem congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quae suppeditare *vitae sufficientiam perfectam* sola potest. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem qua regatur: quae, non secus ac societas, a natura propterea que a Deo ipso oriatur auctore. — Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quaecumque sunt, necesse est: ita ut quicumque ius imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas nisi a Deo.* [1] — Ius autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bo-

[1] Rom., XIII, 1.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

nique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsi in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. Deus enim, sicut in rebus, quae sunt quaeque cernuntur, caussas genuit secundarias, in quibus perspici aliqua ratione posset natura actioque divina, quaeque ad eum finem, quo haec rerum spectat universitas, conducerent: ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, ii imaginem quamdam divinae in genus humanum potestatis divinaeque providentiae referrent. Debet igitur imperium iustum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et cum paterna bonitate coniuncta: gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de caussa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, unius ut, vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit. Quod si, qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur.* [1] — Ita sane maiestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur. Etenim cum semel in animum induxerint, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia iusta ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus, eisdemque obsequium ad fidem praestare cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* [2] — Spernere quippe potestatem legitimam, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistant, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* [3] Quapropter obedientiam abiicere, et, per vim multitudinis, rem ad seditionem vocare est crimen maiestatis, neque humanae tantum, sed etiam divinae.

3. Hac ratione constitutam civitatem, perspicuum est, omnino debere plurimis maximisque officiis, quae ipsam iungunt Deo, religione publica satisfacere. — Natura et ratio, quae iubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti, ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli: neque minorem, quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed

[1] Sap., VI, 7.
[2] Rom., XIII, 1.
[3] Ibid., v. 2.

quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle. — Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus praesunt. Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in caelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes, quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt.

4. Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit: argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram, quam Iesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit.

5. Nam unigenitus Dei Filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* [1] — *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* [2] Igitur sicut Iesus Christus in terras venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant*, [3] eodem modo Ecclesia propositum habet, tamquam finem, salutem animorum sempiternam: ob eamque rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta. *Praedicate Evangelium omni creaturae.* [4] — Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus assignavit, qui cum potestate praeessent: unumque omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui

[1] Ioan., XX, 21.
[2] Matth., XXVIII, 20.
[3] Ioan., X, 10.
[4] Marc., XVI, 15.

claves regni caelorum commisit. *Tibi dabo claves regni caelorum.*[1] *Pasce agnos... pasce oves:*[2] — *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*[3] — Haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili: et, quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia. — Revera Iesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, iudicandi puniendique potestate. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes ... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*[4] Et alibi: *Si non audierit eos, dic Ecclesiae.*[5] Atque iterum: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.*[6] Rursus: *durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem.*[7] Itaque dux hominibus esse ad caelestia, non civitas sed Ecclesia debet: eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat: ut doceat omnes gentes: ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat; brevi, ut rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. — Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui iuris, quae ab assentatrice principum philosophia iamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere numquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus Synagogae prohiberentur, constanter respondebant, *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*[8] Eamdem sancti Ecclesiae Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt: romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare numquam praetermiserunt. — Quin etiam et opinione et re eamdem probarunt ipsi viri principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt. — Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela, muniretur.

[1] Matth., XVI, 19.
[2] Ioan., XXI, 16, 17.
[3] Luc., XXII, 32.
[4] Matth., XXVIII, 18-20.
[5] Matth., XVIII, 17.
[6] II Cor., X, 6.
[7] Ibid., XIII, 10.
[8] Act., V, 29.

6. Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura caussaque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt a Deo ordinatae sunt.*[1] Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque caussae nascerentur; nec raro sollicitus animi, velut in via ancipiti, haerere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contraria iubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires caussasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat ceteras, cunctaeque simul illuc, quo mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent. — Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri caelestia ac sempiterna bona comparare. — Quidquid igitur est in rebus humanis quoque modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo. — Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest.

7. Eiusmodi est, quam summatim attigimus, civilis hominum societatis christiana temperatio, et haec non temere neque ad libidinem ficta, sed ex maximis ducta verissimisque principiis, quae ipsa naturali ratione confirmantur.

8. Talis autem conformatio reipublicae nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum, aut parum decorum: tantumque abest, ut iura maiestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augu-

[1] Rom., XIII, 1.

stiora faciat. Immo, si altius consideretur, habet illa conformatio perfectionem quamdam magnam, qua carent ceteri rerum publicarum modi: ex eaque fructus essent sane excellentes et varii consecuturi, si modo suum partes singulae gradum tenerent, atque integre efficerent, cui unaquaeque praeposita est, officium et munus. — Revera in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicae, sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita: incolumia civium iura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa: officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia. Singuli homines in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo sibi sciunt praesto esse, quos tuto sequantur ad ingrediendum duces, ad perveniendum adiutores: pariterque intelligunt, sibi alios esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cetera, quibus communis haec vita constat, vel parienda vel conservanda datos. — Societas domestica eam, quam par est, firmitudinem adipiscitur ex unius atque individui sanctitate coniugii: iura officiaque inter coniuges sapienti iustitia et aequitate reguntur: debitum conservatur mulieri decus: auctoritas viri ad exemplum est auctoritatis Dei conformata: temperata patria potestas convenienter dignitati uxoris prolisque: denique liberorum tuitioni, commodis, institutioni optime consulitur. — In genere rerum politico et civili, leges spectant commune bonum, neque voluntate iudicioque fallaci multitudinis, sed veritate iustitiaque diriguntur: auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana maiorem, contineturque ne declinet a iustitia, neu modum in imperando transiliat: obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis. Quo cognito ac persuaso, omnino ad iustitiam pertinere illa intelliguntur, vereri maiestatem principum, subesse constanter et fideliter potestati publicae, nihil seditiose facere, sanctam servare disciplinam civitatis. — Similiter ponitur in officiis caritas mutua, benignitas, liberalitas: non distrahitur in contrarias partes, pugnantibus inter se praeceptis, civis idem et christianus: denique amplissima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam christiana religio sua sponte explet, communitati societatique civili omnia quaeruntur: ita ut illud appareat verissime dictum, « pendet a religione, qua Deus colitur, rei publicae status: multaque inter hunc et illam cognatio et familiaritas intercedit ». [1] — Eorum vim bonorum mirabiliter, uti solet, persecutus est Augustinus pluribus locis, maxime vero ubi Ecclesiam catholicam appellat iis verbis: « Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subiicis. Tu viros coniugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione praeponis... Tu cives civibus, tu gentes

[1] Sacr. Imp. ad Cyrillum Alexand. et Episcopos metrop. — Cfr. Labbeum, Collect. Conc. T. III.

gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas et nulli debeatur iniuria ». [1] — Idemque alio loco male sapientes reprehendens politicos philosophos: « Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites iussit, dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae, immo vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae ». [2]

9. Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates: quo tempore christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetraverat: cum religio per Iesum Christum instituta in eo, quo aequum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimaque magistratuum tutela ubique floreret: cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato coniungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione maiores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quae nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt. — Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit: quod Maomethanorum incursiones victrix propulsavit: quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere ceteris consuevit: quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est: quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adiutricem. — Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset: maioraque expectari iure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiae maiore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem maximum perscripsit, « cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur ». [3]

10. Sed perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quae saeculo XVI excitata sunt, cum primum religionem christianam miscuissent,

[1] De moribus Eccl. cath., cap. XXX, n. 63.
[2] Epist. 138 (al. 5) ad Marcellinum, cap. II, n. 15.
[3] Epist. 238.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerunt. Ex hoc velut fonte repetenda illa recentiora effrenatae libertatis capita, nimirum in maximis perturbationibus superiore saeculo excogitata in medioque proposita, perinde ac principia et fundamenta *novi iuris*, quod et fuit antea ignotum, et a iure non solum christiano, sed etiam naturali plus una ex parte discrepat. — Eorum principiorum illud est maximum, omnes homines, quemadmodum genere naturaque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitae inter se pares: unumquemque ita esse sui iuris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius: cogitare de re qualibet quae velit, agere quod lubeat, libere posse: imperandi aliis ius esse in nemine. His informata disciplinis societate, principatus non est nisi populi voluntas, qui, ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat: deligit autem, quibus se committat, ita tamen ut imperii non tam ius, quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum. In silentio iacet dominatio divina, non secus ac vel Deus aut nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret; vel homines sive singuli sive sociati nihil Deo deberent, vel principatus cogitari posset ullus, cuius non in Deo ipso caussa et vis et auctoritas tota resideat. Quo modo, ut perspicitur, est respublica nihil aliud nisi magistra et gubernatrix sui multitudo: cumque populus omnium iurium omnisque potestatis fontem in se ipse continere dicatur, consequens erit, ut nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet; ut religionem publice profiteatur nullam; nec debeat ex pluribus quae vera sola sit quaerere, nec unam quamdam ceteris anteponere, nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequabilitatem iuris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicae ne quid ab illis detrimenti capiat. Consentaneum erit, iudicio singulorum permittere omnem de religione quaestionem; licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam, si nullam probet. Hinc profecto illa nascuntur; exlex uniuscuiusque conscientiae iudicium; liberrimae de Deo colendo, de non colendo sententiae; infinita tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia.

11. His autem positis, quae maxime probantur hoc tempore, fundamentis reipublicae, facile apparet, quem in locum quamque iniquum compellatur Ecclesia. — Nam ubi cum eiusmodi doctrinis actio rerum consentiat, nomini catholico par cum societatibus ab eo alienis vel etiam inferior locus in civitate tribuitur: legum ecclesiasticarum nulla habetur ratio: Ecclesia, quae iussu mandatoque Iesu Christi docere omnes gentes debet, publicam populi institutionem iubetur nihil attingere. — De ipsis rebus, quae sunt mixti iuris, per se statuunt gubernatores rei civilis arbitratu suo, in eoque genere sanctissimas Ecclesiae leges superbe contemnunt. Quare ad iurisdictionem suam trahunt matrimonia christianorum, decernendo etiam de maritali vinculo, de unitate, de stabilitate coniugii: movent possessiones clericorum, quod res suas Ecclesiam tenere posse negant. Ad summam, sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et iuribus opinione detractis, plane similem habeant ceterarum communitatum, quas respublica continet: ob eamque rem si quid illa iuris, si quid possidet facul-

tatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis. — Si qua vero in republica suum Ecclesia ius, ipsis civilibus legibus probantibus, teneat, publiceque inter utramque potestatem pactio aliqua facta sit, principio clamant, dissociari Ecclesiae rationes a reipublicae rationibus oportere; idque eo consilio, ut facere contra interpositam fidem impune liceat, omniumque rerum habere, remotis impedimentis, arbitrium. — Id vero cum patienter ferre Ecclesia non possit, neque enim potest officia deserere sanctissima et maxima, omninoque postulet, ut obligata sibi fides integre religioseque solvatur, saepe sacram inter ac civilem potestatem dimicationes nascuntur, quarum ille ferme est exitus, alteram, ut quae minus est opibus humanis valida, alteri ut validiori succumbere.

12. Ita Ecclesiam, in hoc rerum publicarum statu, qui nunc a plerisque adamatur, mos et voluntas est, aut prorsus de medio pellere, aut vinctam adstrictamque imperio tenere. Quae publice aguntur, eo consilio magnam partem aguntur. Leges, administratio civitatum, expers religionis adolescentium institutio, spoliatio excidiumque ordinum religiosorum, eversio principatus civilis Pontificum romanorum, huc spectant omnia, incidere nervos institutorum christianorum, Ecclesiaeque catholicae et libertatem in angustum deducere, et iura cetera comminuere.

13. Eiusmodi de regenda civitate sententias ipsa naturalis ratio convincit, a veritate dissidere plurimum. — Quidquid enim potestatis usquam est, a Deo tamquam maximo augustissimoque fonte proficisci, ipsa natura testatur. Imperium autem populare, quod, nullo ad Deum respectu, in multitudine inesse natura dicitur, si praeclare ad suppeditandum valet blandimenta et flammas multarum cupiditatum, nulla quidem nititur ratione probabili, neque satis habere virium potest ad securitatem publicam quietamque ordinis constantiam. Revera his doctrinis res inclinavere usque eo, ut haec a pluribus tamquam lex in civili prudentia sanciatur, seditiones posse iure conflari. Valet enim opinio, nihilo principes pluris esse, quam delectos quosdam, qui voluntatem popularem exequantur: ex quo fit, quod necesse est, ut omnia sint pariter cum populi arbitrio mutabilia, et timor aliquis turbarum semper impendeat.

14. De religione autem putare, nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare iudicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse.

15. Sic illa quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas, omni moderatione posthabita, non quoddam est propria vi sua bonum, quo societas humana iure laetetur: sed multorum malorum fons et origo. — Libertas, ut quae virtus est hominem perficiens, debet in eo quod verum sit, quodque bonum, versari: boni autem verique ratio

BIBLIOTHECA

mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est, quam ipsa rerum natura, incommutabilis. Si mens adsentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali et in corruptelam ambae delabuntur. Quaecumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum: gratia tutelave legum defendere, multo minus. Sola bene acta vita via est in caelum, quo tendimus universi: ob eamque rem aberrat civitas a regula et praescriptione naturae, si licentiam opinionum praveque factorum in tantum lascivire sinat, ut impune liceat mentes a veritate, animos a virtute deducere. — Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error. Bene morata civitas esse, sublata religione, non potest: iamque plus fortasse, quam oporteret, est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat illa de vita et moribus philosophia, quam *civilem* nominant. Vera est magistra virtutis et custos morum Ecclesia Christi: ea est, quae incolumia tuetur principia, unde officia ducuntur, propositisque caussis ad honeste vivendum efficacissimis, iubet non solum fugere prave facta, sed regere motus animi rationi contrarios etiam sine effectu. — Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subiectam, magna quidem iniuria, magna temeritas est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quae naturalia sunt praeponuntur iis, quae sunt supra naturam: tollitur aut certe magnopere minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur, communem vitam Ecclesia compleret: praetereaque via ad inimicitias munitur et certamina, quae quantam utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit.

16. Huiusmodi doctrinas, quae nec humanae rationi probantur, et plurimum habent in civilem disciplinam momenti, romani Pontifices decessores Nostri, cum probe intelligerent quid a se postularet apostolicum munus, impune abire nequaquam passi sunt. Sic Gregorius XVI per Encyclicas litteras hoc initio *Mirari vos*, die XV augusti anno MDCCCXXXII,[1] magna sententiarum gravitate ea perculit, quae iam praedicabantur, in cultu divino nullum adhibere delectum oportere: integrum singulis esse, quod malint, de religione iudicare: solam cuique suam esse conscientiam iudicem: praeterea edere quae quisque senserit, itemque res moliri novas in civitate licere. De rationibus rei sacrae reique civilis distrahendis sic idem Pontifex: « Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit et salutaris ». — Non absimili modo Pius IX, ut sese opportunitas dedit, ex opinionibus falsis, quae maxime valere coepissent, plures notavit, easdemque postea in unum cogi iussit, ut scilicet

[1] Cf. N. 485.

in tanta errorum colluvione haberent catholici homines, quod sine offensione sequerentur.[1]

17. Ex iis autem Pontificum praescriptis illa omnino intelligi necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere: seditionum licentiam cum ratione pugnare: officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus: immoderatam sentiendi sensusque palam iactandi potestatem non esse in civium iuribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam. — Similiter intelligi debet, Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et iure perfectam: neque debere, qui summam imperii teneant, committere ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas liberam, aut quicquam de ceteris iuribus detrahant, quae in ipsam a Iesu Christo collata sunt. — In negotiis autem mixti iuris, maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum caussis proximis congruentem, quae caussae utramque societatem genuerunt.

18. Haec quidem sunt, quae de constituendis temperandisque civitatibus ab Ecclesia catholica praecipiuntur. — Quibus tamen dictis decretisque si recte diiudicari velit, nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent, quod doctrinae catholicae repugnet, eaedemque possunt, si sapienter adhibeantur et iuste, in optimo statu tueri civitatem. — Immo neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum rei publicae: quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem, sed etiam ad officium pertinere civium. — Insuper neque caussa iusta nascitur, cur Ecclesiam quisquam criminetur, aut esse in lenitate facilitateque plus aequo restrictam, aut ei, quae germana et legitima sit, libertati inimicam. — Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum. — Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam

[1] Earum nonnullas indicare sufficiat (cf. N. 543):

Prop. XIX. — Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Prop. XXXIX. — Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Prop. LV. — Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.

Prop. LXXIX. — ... falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens.* [1]

19. Simili ratione nec potest Ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat sanctissimarum Dei legum, debitamque potestati legitimae obedientiam exuat. Est enim licentia verius, quam libertas; rectissimeque ab Augustino *libertas perditionis*, [2] a Petro Apostolo *velamen malitiae* [3] appellatur: immo, cum sit praeter rationem, vera servitus est: *qui, enim, facit peccatum, servus est peccati.* [4] Contra illa germana est atque expetenda libertas, quae si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sinit: si publice, civibus sapienter praeest, facultatem augendorum commodorum large ministrat: remque publicam ab alieno arbitrio defendit. — Atqui honestam hanc et homine dignam libertatem, Ecclesia probat omnium maxime, eamque ut tueretur in populis firmam atque integram, eniti et contendere numquam destitit. — Revera quae res in civitate plurimum ad communem salutem possunt: quae sunt contra licentiam principum populo male consulentium utiliter institutae: quae summam rempublicam vetant in municipalem, vel domesticam rem importunius invadere: quae valent ad decus, ad personam hominis, ad aequabilitatem iuris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse, superiorum aetatum monumenta testantur. Sibi igitur perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cadit, ex altera volens et libens amplectitur res meliores, quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant huius vitae, quae quoddam est velut stadium ad alteram eamque perpetuo mansuram. — Ergo quod inquiunt, Ecclesiam recentiori civitatum invidere disciplinae, et quaecumque horum temporum ingenium peperit, omnia promiscue repudiare, inanis est et ieiuna calumnia. Insaniam quidem repudiat opinionum: improbat nefaria seditionum studia, illumque nominatim habitum animorum, in quo initia perspiciuntur voluntarii discessus a Deo: sed quia omne, quod verum est, a Deo proficisci necesse est, quidquid, indagando, veri attingatur, agnoscit Ecclesia velut quoddam divinae mentis vestigium. Cumque nihil sit in rerum natura veri, quod doctrinis divinitus traditis fidem abroget, multa quae abrogent, omnisque possit inventio veri ad Deum ipsum vel cognoscendum vel laudandum impellere, idcirco quidquid accedat ad scientiarum fines proferendos, gaudente et libente Ecclesia semper accedet: eademque studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, ita illas etiam fovebit ac provehet, quae positae sunt in explicatione naturae. Quibus in studiis, non adversatur Ecclesia si quid mens repererit novi: non repugnat quin plura quaerantur ad decus commoditatemque vitae: immo inertiae desidiaeque inimica, magno-

[1] Tract. XXVI in Ioan., n. 2.
[2] Epist. 105, ad Donatistas, cap. II, n. 9.
[3] I Petr., II, 16.
[4] Ioan., VIII, 34.

pere vult ut hominum ingenia uberes ferant exercitatione et cultura fructus: incitamenta praebet ad omne genus artium atque operum: omniaque harum rerum studia ad honestatem salutemque virtute sua dirigens, impedire nititur, quominus a Deo bonisque caelestibus sua hominem intelligentia atque industria deflectat.

20. Sed haec, tametsi plena rationis et consilii, minus probantur hoc tempore, cum civitates non modo recusant sese ad christianae sapientiae referre formam, sed etiam videntur quotidie longius ab ea velle discedere. — Nihilominus quia in lucem prolata veritas solet sua sponte late fluere, hominumque mentes sensim pervadere, idcirco Nos conscientia maximi sanctissimique officii, hoc est Apostolica, qua fungimur ad gentes universas, legatione permoti, ea quae vera sunt, libere, ut debemus, eloquimur; non quod non perspectam habeamus rationem temporum, aut repudianda aetatis nostrae honesta atque utilia incrementa putemus, sed quod rerum publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta vellemus: idque incolumi populorum germana libertate; in hominibus enim mater et custos optima libertatis veritas est: *veritas liberabit vos.* [1]

21. Itaque in tam difficili rerum cursu, catholici homines, si Nos, ut oportet, audierint, facile videbunt quae sua cuiusque sint tam in *opinionibus*, quam in *factis* officia. — Et in opinando quidem quaecumque Pontifices romani tradiderint vel tradituri sunt, singula necesse est et tenere iudicio stabili comprehensa, et palam, quoties res postulaverit, profiteri. Ac nominatim de iis, quas *libertates* vocant novissimo tempore quaesitas, oportet Apostolicae Sedis stare iudicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos. Cavendum, ne quem fallat honesta illarum species: cogitandumque quibus ortae initiis, et quibus passim sustententur atque alantur studiis. Satis iam est experiendo cognitum, quarum illae rerum effectrices sint in civitate: eos quippe passim genuere fructus, quorum probos viros et sapientes iure poeniteat. — Si talis alicubi aut reapse sit, aut fingatur cogitatione civitas, quae christianum nomen insectetur proterve et tyrannice, cum eaque conferatur genus id reipublicae recens, de quo loquimur, poterit hoc videri tolerabilius. Principia tamen, quibus nititur, sunt profecto eiusmodi, sicut ante diximus, ut per se ipsa probari nemini debeant.

22. Potest autem aut in privatis domesticisque rebus, aut in publicis actio versari. — Privatim quidem primum officium est, praeceptis evangelicis diligentissime conformare vitam et mores, nec recusare si quid christiana virtus exigat ad patiendum tolerandumque paulo difficilius. Debent praeterea singuli Ecclesiam sic diligere, ut communem matrem: eiusque et servare obedienter leges, et honori servire, et iura salva velle: conarique, ut ab iis, in quos quisque aliquid auctoritate potest, pari pietate colatur atque ametur. — Illud etiam publicae salutis interest, ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam: in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere

[1] Ioan., VIII, 32.

BIBLIOTHECA
FRATERNITATIS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

pendet singularum salus civitatum. — Item catholicorum hominum operam
ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam
rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. *Generatim* eo
dicimus, quia haec praecepta Nostra gentes universas attingunt. Ceterum
potest alicubi accidere, ut, maximis iustissimisque de caussis, rempublicam
capessere, in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed
generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere
tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil
operae: eo vel magis quod catholici homines ipsius, quam profitentur,
admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur.
Contra, ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem
salutis haud sane magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie coniun-
ctum christiani nominis: propterea quod plurimum possent qui male essent
in Ecclesiam animati; minimum, qui bene. Quamobrem perspicuum est,
ad rempublicam adeundi caussam esse iustam catholicis: non enim adeunt,
neque adire debent ob eam caussam, ut probent quod est hoc tempore in
rerum publicarum rationibus non honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad
fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destina-
tum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam
saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere.
— Haud aliter actum in primis Ecclesiae aetatibus. Mores enim et studia
ethnicorum quam longissime a studiis adhorrebant moribusque evangelicis:
christianos tamen cernere erat in media superstitione incorruptos semper-
que sui similes animose, quacumque daretur aditus, inferre sese. Fideles
in exemplum principibus, obedientesque, quoad fas esset, imperio legum,
fundebant mirificum splendorem sanctitatis usquequaque; prodesse stude-
bant fratribus, vocare ceteros ad sapientiam Christi, cedere tamen loco atque
emori fortiter parati, si honores, si magistratus, si imperia retinere, incolumi
virtute, nequivissent. Qua ratione celeriter instituta christiana non modo in
privatas domos, sed in castra, in curiam, in ipsam regiam invexere. « Hesterni
sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia
conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum »:[1]
ita ut fides christiana, cum Evangelium publice profiteri lege licuit, non in
cunis vagiens, sed adulta et iam satis firma in magna civitatum parte appa-
ruerit.

23. Iamvero his temporibus consentaneum est, haec maiorum exempla
renovari. — Catholicos quidem, quotquot digni sunt eo nomine, primum
omnium necesse est amantissimos Ecclesiae filios et esse et videri velle: quae
res nequeant cum hac laude consistere, eas sine cunctatione respuere: insti-
tutis populorum, quantum honeste fieri potest, ad veritatis iustitiaeque patro-
cinium uti: elaborare, ut constitutum naturae Deique lege modum libertas
agendi ne transiliat: dare operam ut ad eam, quam diximus, christianam
similitudinem et formam omnis respublica traducatur. — Harum rerum adi-
piscendarum ratio constitui uno certoque modo haud commode potest,

[1] Tertull., *Apol.*, n. 37.

cum debeat singulis locis temporibusque, quae sunt multum inter se dispa-
ria, convenire. Nihilominus conservanda in primis est voluntatum concordia,
quaerendaque agendorum similitudo. Atque optime utrumque impetrabi-
tur, si praescripta Sedis Apostolicae legem vitae singuli putent, atque Epi-
scopis obtemperent, quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.*[1] —
Defensio quidem catholici nominis necessario postulat ut in profitendis
doctrinis, quae ab Ecclesia traduntur, una sit omnium sententia, et summa
constantia, et hac ex parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo
modo conniveat, aut mollius resistat, quam veritas patiatur. De iis quae sunt
opinabilia, licebit cum moderatione studioque indagandae veritatis disputare,
procul tamen suspicionibus iniuriosis, criminationibusque mutuis. — Quam
ad rem, ne animorum coniunctio criminandi temeritate dirimatur, sic intel-
ligant universi: integritatem professionis catholicae consistere nequaquam
posse cum opinionibus ad *naturalismum* vel *rationalismum* accedentibus,
quarum summa est tollere funditus instituta christiana, hominisque stabilire
in societate principatum, posthabito Deo. — Pariter non licere aliam officii
formam privatim sequi, aliam publice, ita scilicet ut Ecclesiae auctoritas
in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et
turpia coniungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra
debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere vitae a virtute
christiana deficere. — Verum si quaeratur de rationibus mere politicis, de
optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus,
utique de his rebus potest honesta esse dissensio. Quorum igitur cognita
ceteroqui pietas est, animusque decreta Sedis Apostolicae obedienter acci-
pere paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, sententiam,
iustitia non patitur: multoque est maior iniuria, si in crimen violatae suspe-
ctaeve fidei catholicae, quod non semel factum dolemus, adducantur. — Om-
ninoque istum praeceptum teneant qui cogitationes suas solent mandare
litteris, maximeque ephemeridum auctores. In hac quidem de rebus maximis
contentione nihil est intestinis concertationibus, vel partium studiis relin-
quendum loci, sed conspirantibus animis studiisque id debent universi
contendere, quod est commune omnium propositum, religionem remque
publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet volun-
taria quadam oblivione conterere: si quid temere, si quid iniuria actum,
ad quoscumque demum ea culpa pertineat, compensandum est caritate
mutua, et praecipuo quodam omnium in Apostolicam Sedem obsequio redi-
mendum. — Hac via duas res praeclarissimas catholici consecuturi sunt,
alteram, ut adiutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagan-
daque sapientia christiana: alteram ut beneficio maximo afficiant societa-
tem civilem, cuius, malarum doctrinarum cupiditatumque caussa, magno-
pere periclitatur salus.

24. Haec quidem, Venerabiles Fratres, habuimus, quae universis catho-
lici orbis gentibus traderemus de civitatum constitutione christiana, offi-
ciisque civium singulorum.

[1] Act., XX, 28.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

25. Ceterum implorare summis precibus oportet caeleste praesidium, orandusque Deus, ut haec, quae ad ipsius gloriam communemque humani generis salutem cupimus et conamur, optatos ad exitus idem Ipse perducat, cuius est illustrare hominum mentes, permovere voluntates. — Divinorum autem beneficiorum auspicem, et paternae benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque universo vestrae fidei vigilantiaeque commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. V, p. 118-150].

593.

Leo XIII, ep. *Iampridem*, 6 ian. 1886.[1]

1. Iampridem Nobis in votis erat, Venerabiles Fratres, vos alloqui, ut de praesentibus rei catholicae in Germania conditionibus vobiscum ageremus. — Illud valde optabamus, singulari quadam ratione testari magnitudinem paternae caritatis ac studii, quo vos et dilectos vestros filios complectimur: simulque vobis gratulari de sollicitudine illa plane apostolica, qua vos omnes, Venerabiles Fratres, in gregem vestrum animatos inflammatosque conspicimus. Intelligimus praesertim curas, quas constanter adhibuistis, ut catholici homines, fidei vestrae concrediti, nunquam se a virtute, a pietate, a salutis via abduci paterentur. — Maxime etiam cordi erat, vobis patefacere animi solatium atque oblectationem quam percipimus tum ex summa voluntate, qua universi catholici homines Germaniae vobis adhaerescunt, vobisque dicto audientes sunt, tum ex disciplina et concordia, quae inter ipsos magis magisque invalescit.

2. Quod antea non licuit, placet praestare modo per hanc epistolam, quam ultro ad vos damus, spem bonam animo foventes fore ut, divinae Providentiae beneficio, cito dies affulgeat, qui religioni et Ecclesiae in Germania, laeta meliorum rerum initia afferat.

3. Neminem vestrum latet, Venerabiles Fratres, mutuam concordiam, quae haud brevi annorum spatio inter hanc Apostolicam Sedem et Borussiae Regnum fauste feliciter intercesserat, magnis ex improviso perturbationibus fuisse obnoxiam, ob eas praesertim latas leges, quibus catholici cives in grave discrimen et angorem adducti sunt. — At haec calamitas, quae Decessorem Nostrum fel. rec. Pium IX ac Nos etiam magno dolore affecit, occasionem praebuit, moderante Deo, quamobrem tum Pastorum tum Fidelium Germaniae virtus et in avita fide constantia maiorem in modum eluceret. Quae quidem virtus et constantia eo maiori commendatione digna est, quod cum illi strenuam caussae Ecclesiae tuendae operam darent, nunquam a fide et obsequio maiestati Principis debito, nunquam a patriae caritate discesserint; et obtrectatoribus suis re ipsa ostenderint, non civilium rationum respectu, sed religione officii, quae opus Dei sanctum et inviolatum haberi iubet,

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Borussiae.

sese unice moveri. — Hinc factum est, ut summus ipse meritorum auctor ac remunerator Deus non modo in vos, Venerabiles Fratres, sed etiam in universum Dioecesium vestrarum populum amplissima bonitatis et gratiarum suarum munera effuderit. Eo enim opem suam largiente, licet, novarum legum caussa, imminueretur in dies inter Borussiae fideles sacerdotum numerus, et in pluribus curialibus Ecclesiis deessent qui sacra fidelibus administrarent; licet viri fallaces, *veterum catholicorum* sibi nomine imposito, novas pravasque doctrinas serentes, discipulos post se abducere fraude deceptos conarentur, vidimus tamen cum gaudio dilectos filios catholicos e Germania fidem patrum suorum integre firmiterque tenere; nusquam se insidiis magistrorum nequitiae pervios praebere; sed christiani animi magnitudine pericula vincere, et tanto maiore in Ecclesiam studio moveri quanto asperioribus molestiis eam exerceri conspiciebant.

4. Quibus ex rebus magnae virtutis et gloriae, dolorem a Nobis susceptum ob memoratas leges levari sensimus; ac pio cordis affectu Deo laudes gratiasque egimus, qui filiorum suorum animis robur illud mirabiliter indiderat; et oblata occasione facere non potuimus, quin vestram istarumque catholicarum gentium virtutem merita commendatione palam ornaremus. — Sed Apostolico ministerio Nostro, quo vigilare cogimur ne Ecclesiae status ullum detrimentum capiat, neu interior vita eiusdem Ecclesiae ullis perturbationibus obnoxia sit, ea omnia haud satis erant, nisi pariter quantum in Nobis auctoritatis et studii est, id omne ad removendas praesentium temporum difficultates contulissemus. Quapropter nulli pepercimus curae, nullum praetermisimus officium, ut eae leges revocarentur, quae diuturnas Ecclesiae angustias, vobisque magnam laborum segetem pepererunt. Ac tantum Nobis studium fuit et inest adhuc animo restituendi solidis innixam fundamentis concordiam ac pacem, ut declarare supremis rerum Moderatoribus non omiserimus, propositum esse Nobis usque eo Nos morigeros eorum voluntati praebere, quo per divinas leges et conscientiae officium liceret. Quin immo hoc ipsum propositum Nos manifestis patefacere argumentis non dubitavimus; destinatumque animo habemus, nihil etiam in posterum praetermittere, quod restituendae firmandaeque concordiae conferre videatur.

5. At vero, ut hoc quod votis et spe Nostra prosequimur auspicato contingat, praecipue curandum est, ut a publicis legibus exulent quae contraria sunt rationibus catholicae disciplinae in eo quod sanctius et antiquius pietati fidelium est; itemque quae libertatem impediunt Episcoporum propriam, Ecclesias suas regendi ad normas divinitus constitutas, atque instituendae in sacris Seminariis ad canonicarum sanctionum praescripta iuventutis. — Quamquam enim sincero pacis studio teneamur, non tamen fas est Nobis contra ea, quae divinitus constituta et sancita sunt, quidquam audere; pro quibus profecto, si ad ea tuenda opus esset, extrema quaeque perpeti, exemplo Decessorum Nostrorum, non dubitaremus.

6. Vos autem, Venerabiles Fratres, non ignari estis quae sit intima Ecclesiae natura, et qualem ipsam divinus eius conditor constituerit, quaeque iura exinde dimanent, quorum vim convellere aut detrectare nemini

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

licet. Nimirum, uti Nos ipsi litteris Nostris encyclicis, *Immortale Dei*[1]
nuperrime declaravimus, Ecclesia societas est supernaturalis atque in suo
ordine perfecta. Quemadmodum enim id sibi propositum habet, ut filios
suos ad aeternam beatitudinem adducat, ita divinitus datis praesidiis et
instrumentis est praedita, quibus eos aeternorum bonorum compotes faciat,
inceptans in terris et in huius vitae militia aedificium, quod supremum
fastigium supremumque decus est habiturum in caelis. Ad solam autem
Ecclesiam pertinet statuere de iis quae interiorem eius vitam spectant,
cuius ratio a Christo Domino restitutore salutis nostrae fuit constituta.
Hanc potestatem liberam et nemini obnoxiam unum penes esse Petrum et
successores eius Christus iussit, ac sub auctoritate et magisterio Petri penes
esse Episcopos in suis cuiusque Ecclesiis: quae Episcoporum potestas natura
sua disciplinam Cleri, tum in iis quae ad sacra munera, tum in iis quae
ad sacerdotalis vitae rationem pertinent, praecipue complectitur: *presby-
terium enim Episcopo cooptatum est sicut chordae citharae.*[2]

7. Cum porro sacerdotalis ordo, tam sublimis ministerii heres, aliis
post alios succedentibus, nunquam sui dispar saeculorum cursu renove-
tur, cumque opus sit, ut qui in hunc ordinem vocati sunt, sinceritate
doctrinae et innocentia vitae, quantum fieri potest, eorum vestigiis insistant,
quos Christus primos fidei satores elegit, nemini dubium esse potest, non
aliis quam Episcopis ius munusque esse docendi et instituendi iuvenes,
quos Deus singulari beneficio ex hominibus assumit, ut sint ministri sui
ac dispensatores mysteriorum suorum. — Ac sane, si ab iis quibus dictum
est, *docete omnes gentes*, religionis doctrinam homines debent excipere,
quanto validiori iure ad Episcopos cura pertinet, ea quam potiorem duxe-
rint ratione, eorumque docentium ope quos maxime probaverint, sanae
doctrinae pabula tradendi iis qui pro suo ministerio sal terrae futuri sunt,
et pro Christo apud homines legatione functuri? Nec solum hoc gravissimo
munere obstringuntur Episcopi, sed eo insuper ut vigilantiam suam bono
alumnorum sacri ordinis impertiant, eosque mature imbuant solidae pie-
tatis sensibus, qua dempta, nec ii sacerdotii honore digni sunt, nec mune-
ribus eius rite implendis pares esse possunt.

8. Vos certe, Venerabiles Fratres, ratione atque experientia edocti,
optime nostis quam arduum sit, quam diuturni laboris opus tales iuvenes
fingere et instituere. Cum enim qui primoribus annis Deum elegerunt
in hereditatem suam, ex Apostolorum Principis praecepto teneantur se
ipsos vivam virtutis continentiaeque formam oculis christiani populi exhi-
bere, ii mature discant oportet, sub magisterio Episcoporum ac delectorum
moderatorum disciplina, cupiditatibus suis dominari, terrena despicere,
caelestia appetere, quorum et cogitatione muniti et amore inflammati, faci-
lius possint inter mundi corruptelas caste integreque versari. Oportet insu-
per ut cito assuescant constanti et impavido esse animo in munere expli-
candae populis tuendaeque catholicae veritatis, quam mundus spernit ac

[1] Cf. N. 592.
[2] Ignat. M., *Ep. ad Ephes.*, c. XV.

pertinaci odio prosequitur. Quid sane, Venerabiles Fratres, expectandum
esset, si cum tempora incidunt, quae vehementiorem postulant pro tuenda
Ecclesiae caussa dimicationem, sacri ordinis viri, sanctae disciplinae et
caritatis ope, in id iampridem comparati non sint ut Episcopis suis cum
fide adhaereant, eorum excipiant voces, et aspera quaeque pro Iesu Christi
nomine perferre non vereantur? Scilicet iuvenilium annorum disciplina,
quae in Seminariis aliisque sacrae institutionis sedibus traditur, ea est
qua sacrorum alumni, procul ab humanarum curarum aestu, ad apostolica
ministeria rite obeunda informantur, et ad quaeque vitae incommoda atque
ad omne laborum genus laeto animo subeundum in salutem animarum.
Ea est quae efficit, vigilantibus ac praesidentibus Episcopis delectisque ab
iis presbyteris diuturna sacrae disciplinae peritia spectatis, ut alumni discant
aequa lance metiri vires suas et quid ipsae valeant agnoscant: ac Pastores
vicissim, compertis cuiusque ingeniis et moribus, scienter decernere possint,
qui sint ex iis sacerdotii honore digni, et cavere ne quis immerito aut prae-
postere sacris ordinibus initietur. At qui poterunt huiusmodi salutares fru-
ctus haberi, nisi plena sacris Pastoribus sit facultas impedimenta remo-
vendi et opportunis ad id assequendum utendi praesidiis? — Qua in re,
quoniam nationis vestrae homines, praeter alia ornamenta, armorum quo-
que gloria excellunt, passurine unquam essent qui rei publicae praesunt,
ut qui iuvenes rudimenta militiae ad ducendos ordines et bellica munera
administranda in militaribus institutis accipiunt, ab aliis potius quam a
peritis bellicae artis scientiam armorum ediscerent, atque ab aliis magis
quam ab idoneis militiae magistris disciplinam castrorum, usum rerum et
martios spiritus haurirent?

9. Ex his facile intelligitur cur a vetustissimis Ecclesiae temporibus
Romani Pontifices et catholici Episcopi omnem curam gesserint, ut candi-
datis sacri ordinis contubernia constituerent, in quibus eos aut per se ipsi,
aut probatis adhibitis magistris, quos interdum e sacerdotibus Cathedra-
lis Ecclesiae legebant, ad litteras, ad severiores doctrinas et praecipue ad
mores sua vocatione dignos excolerent. Adhuc hominum memoria cele-
brantur domus olim ab Episcopis et coenobitis clericis excipiendis apertae,
atque inter eas illustris adhuc fama viget Patriarchii Lateranensis, ex quo,
velut ex arce sapientiae et virtutis, Pontifices maximi et Antistites san-
ctimonia ac doctrina clari prodierunt. Ac tanti momenti hoc studium accu-
ratae diligentisque clericorum disciplinae, et tam necessarium visum est,
ut iam inde ab initio saeculi sexti Synodus Toletana, *de iis quos voluntas
parentum a primis infantiae annis clericatus officio manciparat*, statuerit *obser-
vandum ut mox cum detonsi vel ministerio lectorum contraditi essent, in domo
Ecclesiae sub Episcopali praesentia a Praeposito sibi deberent erudiri.* — Inde
liquet quam gravi iustaque de caussa vehementer contendamus, vestrarum
Dioecesium Seminaria ad eas normas constitui, ordinari atque componi,
quas Concilii Tridentini Patres, ut notum pervulgatumque est, tradidere.[1]
Nec alia profecto fuit caussa cur Apostolica Sedes, cum inter romanos

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

Pontifices et supremos rerum publicarum Moderatores pactionum foedera pro variis temporum rationibus inita sunt, diligenter in iis cautum consultumque sacris Seminariis voluit, et Episcoporum ius in iis regendis, alia quavis potestate exclusa, sartum tectumque esse curavit. Cuius rei perspicuum inter alia documentum praebent Apostolicae litterae, quarum initium *De salute animarum*, quae a fel. rec. Pio VII Decessore Nostro die decima sexta iulii anno MDCCCXXI editae fuere, conventione ab Eo inita cum Borussiae Rege, in qua de nova Dioecesium descriptione agebatur.[1]

10. Sit igitur integrum, sit liberum ius et potestas Episcopis in Seminariorum palaestra mansuetae Christi militiae fingendae conferre operam; sit integrum sacerdotes iudicio suo deligere alios aliis ministeriis praeficiendos, ac nulli impedimento obnoxios pastorali suo munere tranquille perfungi.

11. Ex his autem, quae ediximus, videtis, Venerabiles Fratres, quam vere iusteque declaratum a Nobis fuerit, ad faustam stabilemque concordiam, summis votis tamdiu expetitam, inter potestatem utramque ineundam, opus esse latas leges ita componi, ut necessaria ad vivendum agendumque libertas Ecclesiae salva supersit. Ac Nos confidimus viros qui rei publicae gubernacula tenent, aequos se caussae nostrae praebituros, eaque Nobis praestituros, quae vi sanctissimorum iurium postulamus.

12. Nec vero postulata Nostra talia sunt, ut ex iis quidquam imperantibus de sua dignitate et potestate decedat; quin immo ex ipsis magnae in bonum publicum solidaeque dimanant utilitates. Quae enim a vobis, Venerabiles Fratres, et a cooperatoribus vestris in ministerio verbi populis documenta traduntur in iis quae ad eorum officia erga civilem auctoritatem pertinent, huc maxime redeunt: scilicet omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse debere *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*;[2] publica onera aequo animo ferenda; a turbulentis consiliis et molitionibus abstinendum; caritate fraternitatis invicem dilectionem exhibendam, mutuaque officia in hominum societate cum fide servanda. Quod si maior, quam nunc est, cooperatorum vestrorum evaderet numerus, ex hoc incremento una etiam eorum augeretur manus, quorum est tam salutaria humanae societati documenta in populos propagare; simulque facilius possent destitutae iamdiu rectorum suorum solatio paroeciales ecclesiae probatorum sacerdotum curae committi: quod catholicorum vota maxime flagitant.

13. Sunt praeterea, ut nostis, Venerabiles Fratres, in humanae societatis sinu plura publicarum perturbationum semina, veluti passim dispositi ignes, qui saevum minitantur incendium, in quibus praecipue se effert operariorum caussa, quae rei publicae moderatorum sollicitos habet animos, rationem quaerentium qua impendentibus periculis occurrant, viamque obstruant *sectarum* asseclis, qui in omnem occasionem excubant cre-

[1] Cf. Raccolta di Concordati, p. 648-665.
[2] Rom., XIII, 5.

scendi ex publicis malis, resque novas, magno cum rei publicae detrimento, moliendi. — Atqui mirum est quantum hac ipsa in re de humana societate mereri Ecclesiae ministri, opera sua, possunt; quod et in aliorum temporum procellis et calamitatibus scimus contigisse. Sacerdotes enim, qui pro sui ministerii ratione cum inferiorum ordinum hominibus quotidianam pene consuetudinem habent et cum iis solent familiariter intimeque versari, labores et dolores penitus norunt eius generis hominum; saucia eorumdem corda propius intuentur; et opportuna auxilia, documenta ex divinae religionis fontibus depromentes, nati apti sunt ea solatia et remedia aegris animis afferre, quae maxime praesentium malorum lenire sensum, fractas revocare vires possunt, et praecipites in turbulenta consilia animos compescere.

14. Nec minus insuper validam utilemque operam sacri ordinis viri eo imbuti spiritu, quem Ecclesia ministris suis indit, navare possunt in iis regionibus longe dissitis et a civili cultu remotis, in quibus *colonias* statuere plures Europae principes hoc tempore instituerunt. — Ipsi rei germanicae Gubernatores non modo certatim curant colonias deducere, possessionesque ampliare, sed etiam novos aditus industriae et mercaturis faciendis patefacere. Iidemque de humanitate gentium hoc etiam nomine optime merebuntur, quod nitantur tribus immanes et feras urbanis moribus atque artibus expolire. — Magni autem refert ad rudium et incultarum gentium demerendos animos voluntatesque conciliandas, eas confestim salutaria religionis praecepta edocere, ad veram recti honestique speciem intuendam adducere, et dignitatis filiorum Dei conscias efficere, ad quam ipsae etiam, Sospitatoris nostri meritis, vocatae sunt. Quas res maxime propositas animo habentes romani Pontifices, Evangelii praecones ad incultos populos mittere sedulo naviterque curarunt. Ac sane opus, de quo agitur, non exercituum, non civilium magistratuum, neque dominantium est, quamquam ipsi fructum ex eo uberrimum capiunt; sed illorum, uti testatur historia, est hominum, qui ex Ecclesiae castris prodeuntes, sacrarum expeditionum labores et pericula sibi suscipiunt, ac velut nuncii et interpretes Dei, inter barbaras gentes migrare non verentur, vitam et sanguinem fratrum saluti libenter largituri.

15. Haec omnia Nos animo reputantes et cogitatione complectentes, in spem adducimur fore ut, Deo aspirante et favente, vota Nostra optato exitu fortunentur. Vos autem, Venerabiles Fratres, pergite assiduis ad Deum precibus idipsum implorare. Cumque animi vestri non humanis cupiditatibus et consiliis, sed unice divinae gloriae studio et amore erga Ecclesiam agantur, dubitandum non est quin, divina opitulante gratia, dignam constantiae vestrae mercedem referatis.

16. Et quoniam in omnibus rebus ad prosperos earum exitus, magna semper vis fuit coniunctionis animorum mutuaeque caritatis, nihil sit vobis antiquius, quam sanctum caritatis vinculum inter vos omni studio tueri. Qua in re illud etiam vos perpendere volumus, Venerabiles Fratres, eas perturbationes quibus obnoxii estis, tales esse, ut non magis proprias singularum Dioecesium, quam communes universae Ecclesiae rationes attin-

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

gant: quarum tutela, ut nostis, huic Apostolicae Sedi commissa est, in qua suprema potestas Ecclesiam regendi, supremum eius magisterium, et catholicae unitatis centrum est constitutum. In hanc igitur Apostolicam Cathedram vestri perpetuo coniecti sint oculi; ac vobiscum reputate, nihil ipsi esse potius quam curam omnem operamque conferre, ut concertationibus, quae in ista regione vigent, finis tandem, uti vos vestraeque procurationis fideles optant, imponatur.

17. Patrem denique misericordiarum ex intimo corde adprecantes, ut respiciat labores et dolores vestros, atque communibus votis propitius annuat, Apostolicam benedictionem, praecipuae Nostrae dilectionis testem, auspicemque praesidii et solatii caelestis, vobis, Venerabiles Fratres, universoque Clero et fidelibus cuiusque vestrum fidei concreditis, peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, Vol. VI. p. 3-15].

°594.

Leo XIII, ep. encycl. *Quod multum*, 22 aug. 1886.[1]

1. Quod multum diuque optabamus, ut litteris Nostris opportune liceret affari Vos, quemadmodum Episcopos ex aliis gentibus nonnullis affati sumus, eo videlicet proposito ut vobiscum consilia Nostra de rebus communicaremus, quae ad prosperitatem christiani nominis salutemque Hungarorum pertinere viderentur, id Nobis est per hos ipsos dies optima opportunitate datum, cum liberatam duobus ante saeculis Budam memori laetitia Hungaria concelebret. — In domesticis Hungarorum laudibus haec quidem futura est ad perennitatem insignis, maioribus vestris contigisse ut civitatem principem, quam saeculi unius dimidiatique spatio hostes insederant, virtute et constantia recuperarent. Cuius divini beneficii ut et recordatio maneret et gratia, merito Innocentius XI P. M. decrevit, ut postridie calendas septembris, quo die tanta gesta res est, sacra solemnia in honorem sancti Stephani, primi ex regibus vestris apostolicis, toto orbe christiano agerentur. Iamvero satis est cognitum, suas Apostolicae Sedi, nec sane postremas, fuisse partes in hoc, de quo loquimur, maximo faustissimoque eventu, qui velut sponte consecutus est ex nobilissima tribus ante annis de eodem hoste ad Vindobonam victoria: quae sane magna ex parte apostolicis Innocentii curis iure tribuitur, et qua parta debilitari Maomethanorum opes in Europa coeptae sunt. — Verumtamen et ante illam aetatem in similibus saepe temporibus Decessores Nostri augendas Hungariae vires curaverunt consilio, auxiliis, pecunia, foederibus. A Callisto III ad Innocentium XI plures numerantur Pontifices romani, quorum nomen honoris caussa hoc in genere appellari oporteret. Unus sit instar omnium Clemens VIII cui, cum Strigonium et Vincestgraz e Turcarum essent dominatu vindicata, summa regni Consilia decrevere ut grates pu-

[1] Ad Episcopos Hungariae.

blice agerentur, quod derelictis ac prope desperatis rebus suis ille unus opportune et prolixe opitulatus esset. — Itaque sicut Apostolica Sedes Hungarorum generi nunquam defuit, quoties ipsis esset cum hostibus religionis morumque christianorum depugnandum, ita nunc, quando auspicatissimae memoriae permovet animos recordatio, vobiscum libens coniungitur iustae communione laetitiae: habitaque dissimilium temporum ratione, hoc volumus, hoc agimus unice, confirmare in professione catholica multitudinem, pariterque conferre, quoad possumus, operam ad communia pericula propulsanda: quo ipso assequemur, ut a Nobis saluti publicae serviatur.

2. Ipsa testis est Hungaria, munus a Deo nullum posse vel hominibus singulis vel civitatibus dari maius quam ut eius beneficio et accipiant catholicam veritatem et acceptam cum perseverantia retineant. In eiusmodi munere per se maximo inest aliorum bonorum cumulata complexio, quorum ope non solum homines singuli sempiternam in caelis felicitatem, sed civitates ipsae magnitudinem veri nominis prosperitatemque adipisci queant. Quod cum princeps regum apostolicorum plane intellexisset, nihil a Deo consuevit vehementius contendere, nihil in omni vita aut laboriosius curavit aut constantius egit, quam ut fidem catholicam toti regno inferret, ac stabilibus fundamentis vel ab initio constitueret. Igitur maturrime coepit inter romanos Pontifices et reges populumque Hungariae illa studiorum officiorumque vicissitudo, quam consequens aetas nulla sustulit. Statuit fundavitque Stephanus regnum: sed regium diadema non nisi a romano Pontifice accepit: consecratus auctoritate pontificia rex est, sed regnum suum Apostolicae Sedi oblatum voluit; Episcopales sedes non paucas munifice condidit, complura pie instituit, sed hisce meritis comitata vicissim est summa Apostolicae Sedis benignitas, et indulgentia multis in rebus omnino singularis. A fide, a pietate sua hausit rex sanctissimus consilii lumen, optimasque gubernandae reipublicae normas: neque alia re nisi assiduitate precandi fortitudinem animi adeptus est eam, qua vel nefarias perduellium coniurationes opprimeret, vel oblatos hostium impetus victor refutaret. — Ita, religione auspice, nata civitas vestra; eademque custode et duce, non ad maturitatem solum, sed ad firmitudinem imperii gloriamque nominis pleno gradu pervenistis. Fidem a rege ac parente suo, velut hereditate acceptam, sancte inviolateque Hungaria servavit, idque vel in summis temporum difficultatibus, cum populos finitimos a materno Ecclesiae sinu perniciosus error abduxit. Pariter cum fide catholica obsequium et pietas erga Petri Sedem in rege Apostolico, in Episcopis, in populo universo constans permansit: vicissimque romanorum Pontificum propensam in Hungaros voluntatem paternamque benevolentiam videmus perpetuis testimoniis confirmatam. Hodieque, tot et saeculorum et casuum decurso spatio, manent, Dei beneficio, necessitudines pristinae; et illae maiorum vestrorum virtutes haudquaquam extinctae sunt in posteris. Illa certe laudabilia, in Episcopalibus officiis consumpti nec sine fructu labores: calamitatum quaesita solatia: tuendis Ecclesiae iuribus collatum studium: conservandae fidei catholicae constans et animosa voluntas.

3. Haec quidem reputans, iucundo laetitiae sensu movetur animus; Vobisque, Venerabiles Fratres, et populo Hungarico meritam recte factis laudem libentes persolvimus. — Sed silere tamen non possumus, quod latet sane neminem, quam sint passim infensa virtuti tempora, quot oppugnetur Ecclesia artibus, quam in tot periculis metuendum, ne fides labefacta ibi etiam languescat, ubi maxime firma et altissimis est defixa radicibus. Satis est meminisse funestissimum illud malorum principium, *rationalismi* et *naturalismi* placita in omnes partes libere disseminata. Accedunt innumerabiles corruptelarum illecebrae: potestatis publicae saepe ab Ecclesia aut aversa voluntas aut aperta defectio; sectarum clandestinarum pervicax audacia; iuventutis nullo ad Deum respectu instituendae inita passim ratio. Atqui si unquam alias, profecto hoc tempore videre omninoque sentire homines oporteret quanta sit religionis catholicae ad tranquillitatem salutemque publicam non opportunitas solum, sed plane necessitas. Quotidianis enim experimentis constat, quo tandem respublicas impellere moliantur ii, qui nullius vereri auctoritatem, nec frenos cupiditatum suarum ullos perferre assueverunt. Scilicet quid spectent, quibus nitantur artibus, qua pertinacia contendant, nemini iam obscurum esse potest. Imperia maxima, respublicae florentissimae dimicare prope in singulas horas coguntur cum eiusmodi hominum gregibus, consiliorum societate et agendorum similitudine invicem coniunctis, unde periculum aliquod securitati publicae semper impendet. Contra tantam rerum malarum audaciam saluberrimo consilio alicubi perfectum est, ut auctoritas magistratuum et vis armaretur legum. Verumtamen ad prohibendos *socialismi* terrores una est ratio optima maximeque efficax, qua sublata, parum ad deterrendum valet poenarum metus, quae in eo consistit ut ad religionem penitus informentur cives, verecundiaque et amore Ecclesiae teneantur. Est enim religionis sanctissima custos, et innocentiae morum omniumque virtutum, quae a religione sponte proficiscuntur, parens educatrixque Ecclesia. Quicumque religiose integreque praecepta sequuntur Evangelii, hoc ipso longe a *socialismi* suspicione abesse necesse est. Iubet enim religio, uti Deum colere ac metuere, ita subesse atque obtemperare potestati legitimae; vetat quippiam seditiose facere: vult salvas suas cuique res, salva iura: qui maiores opes habent, eos inopi multitudini benigne subvenire. Egenos prosequitur omni caritatis numero, calamitosos suavissima consolatione perfundit, spe proposita bonorum maximorum et immortalium, quae tanto futura sunt ampliora, quanto aut gravius homo laboraverit aut diutius. — Quamobrem qui civitatibus praesunt, nihil sunt aut sapientius aut opportunius acturi, quam si religionem siverint, nulla re impediente, influere in animos multitudinis, eosque ad honestatem integritatemque morum praeceptis suis revocare. Ecclesiae diffidere, eamve suspectam habere, primum est aperte iniustum, deinde, praeter inimicos disciplinae civilis cupidosque rerum evertendarum, prodest nemini.

4. Ingentes motus civicos, turbasque formidolosas, quibus est alibi civitatum tremefacta quies, Hungaria quidem, Dei beneficio, non vidit. Sed instantia pericula Nos pariter ac Vos, Venerabiles Fratres, omnino

iubent attendere animum ad cavendum, et maiore in dies studio eniti, ut istic floreat vigeatque religionis nomen, suusque institutis christianis honos permaneat. — Hac de caussa illud in primis optandum, ut Ecclesia toto regno Hungarico plena atque integra libertate fruatur, quali fruebatur alias, nec nisi ad communem utilitatem uti consuevit. Nobis profecto maxime est in votis, ut ea e legibus tollantur, quae cum iuribus Ecclesiae discrepant, et eius facultatem agendi minuunt, et professioni catholici nominis officiunt. Id ut impetretur, Nobis Vobisque, quoad per leges licet, constanter elaborandum, quemadmodum tot iam clari viri hoc eodem proposito elaboraverunt. Interea, quandiu sunt illa, de quibus loquimur, legum iussa mansura, vestrum est conari ut saluti quam minime noceant, admonitis diligenter civibus, quae sua sint in hoc genere officia singulorum. Aliquot indicabimus capita, quae perniciosiora ceteris videntur esse.

5. Sic, veram amplecti religionem maximum officium est, quod nulla hominum aetate potest esse circumscriptum. *Nulla Dei regno infirma aetas.* Ut illud quisque novit, ita debet sine ulla cunctatione efficere: ex efficiendi autem voluntate ius unicuique sanctissimum gignitur, quod violari sine summa iniuria non potest. Simili de caussa, eorum, qui curam gerant animarum, verissimum idemque permagnum officium est in Ecclesiam cooptare, quotquot matura ad iudicandum aetate, ut cooptentur, petant. Quamobrem si animarum curatores alterutrum malle cogantur, necesse est eos humanarum legum severitatem potius subire, quam vindicis Dei iram lacessere.

6. Ad societatem coniugalem quod attinet, date operam, Venerabiles Fratres, ut alte descendat in animos doctrina catholica de sanctitate, unitate, perpetuitate matrimonii: ut saepe in memoriam populi revocetur, coniugia christianorum soli potestati ecclesiasticae, suapte natura, subesse: quid Ecclesia sentiat et doceat de eo, quod *matrimonium civile* vocant: qua mente, quo animo catholicos homines istiusmodi parere legi oporteat: non licere catholicis, idque maximis de caussis, nuptias cum christianis coniungere a professione catholica alienis; quique id facere, non ex auctoritate indulgentiaque Ecclesiae ausint, eos in Deum, in Ecclesiam ipsam peccare. Cumque haec res tanti sit, quanti videtis esse, universi, ad quos ea cura spectat, quantum possunt, diligentissime provideant ut ab eiusmodi praeceptis nemo ulla ratione discedat. Eo vel magis quod, si alia in re, certe in hac, de qua dicimus, obtemperatio Ecclesiae cum salute reipublicae necessariis quibusdam est nexa et iugata vinclis. Etenim principia, ac velut elementa optima vitae civilis societas domestica nutricatur et continet: propterea que hinc pendet magnam partem pacatus et prosperus civitatis status. Atqui talis domestica societas est, qualis exitu matrimoniorum efficitur: nec bene evenire matrimonia queunt, nisi Deo moderante et Ecclesia. His demotum conditionibus maritale coniugium, in servitutem redactum variarum libidinum, contra Dei voluntatem initum, itaque adiumentis despoliatum caelestibus iisque pernecessariis, sublata etiam communione vitae in eo, quod hominum interest maxime, id est in religione, fructus acerbissimos gignat necesse est, ad extremam familiarum

civitatumque perniciem. Quamobrem bene, nec solum de religione, sed
etiam de patria meruisse iudicandi sunt catholici viri, qui abhinc duobus
annis cum Coetus legumlatorum Hungariae rogarentur, vellent iuberent
rata esse christianorum cum hebraeis matrimonia, eam rogationem concor-
dibus animis et libera voce repudiarunt, et ut antiqua lex de coniugiis
probaretur, pervicerunt. Quorum suffragiis ex omnibus Hungariae partibus
comitata est assentiens voluntas plurimorum, idem se et sentire et probare
luculentis testimoniis confirmantium. Similis consensus et par animi con-
stantia adhibeatur, quotiescumque pro re catholica dimicatio sit: iam erit
consecutura victoria: minimum, experrectior et fructuosior futura vitae
actio, pulso languore excussaque desidia qua christiani nominis inimici
omnem catholicorum virtutem utique consopiri vellent.

7. Nec minor manabit in civitatem utilitas, si recte ac sapienter in-
stituendae iuventuti vel a primis puerorum aetatulis consulatur. Is est
temporum morumque cursus, ut nimis multi nimioque opere contendant
vigilantia Ecclesiae saluberrimaque religionis virtute prohibere deditam lit-
teris adolescentiam. Adamantur atque expetuntur passim scholae, quas ap-
pellant *neutras*, *mixtas*, *laicales*, eo nimirum consilio ut alumni in summa
sanctissimarum rerum ignoratione nullaque religionis cura adolescant.
Eiusmodi malum quia et latius et maius est, quam remedia, propagari
sobolem videmus bonorum animi incuriosam, religionis expertem, persaepe
impiam. Tantam calamitatem ab Hungaria vestra, Venerabiles Fratres,
omni, quo potestis, studio et contentione defendite. Adolescentes vel a
pueritia ad christianos mores christianamque sapientiam informari, non
modo Ecclesiae, sed etiam reipublicae hodie tanti interest, ut pluris interesse
non possit. Id iam plane intelligunt, quicumque recte sapiant: propterea-
que catholicos homines multis locis magno numero videmus de fingendis
probe pueris vehementer sollicitos, in eaque re praecipuam et constan-
tem operam, nec sumptuum nec laborum magnitudine deterritos, collo-
care. Non absimili proposito multos quoque ex Hungaria novimus idem
eniti et efficere: nihilominus sinite, Venerabiles Fratres, ut episcopale stu-
dium vestrum magis magisque incitemus. — Nos profecto, rei gravitate
perspecta, cupere et velle debemus, ut in publica adolescentium institu-
tione integrum Ecclesiae sit eas explere partes, quae sibi sunt divinitus
datae: nec facere possumus quin Vos flagitemus, ut operam vestram huc
studiose conferatis. Interea pergite etiam atque etiam patresfamilias monere,
ne a liberis suis eos celebrari patiantur discendi ludos, unde fidei chri-
stianae iactura metuatur: simulque efficite, ut scholae suppetant sanitate
institutionis et magistrorum probitate commendabiles, quae auctoritate
vestra et Cleri vigilantia gubernentur. Quod non solum de scholis primor-
diorum, sed etiam de litterarum maiorumque disciplinarum intelligi volu-
mus. Pia veterum liberalitate, maximeque regum et episcoporum vestro-
rum munificentia, domicilia scientiis litterarum tradendis plura et nobilia
constituta sunt. Floret apud vos memoria et praedicatione gratae poste-
ritatis Cardinalis Pázmány, Archiepiscopus Strigoniensis, qui magnum Ly-
ceum catholicum Budapesthinum et condidit et censu amplissimo ditavit.

Iamvero pulcrum est recordari, tantae molis opus effectum ab eo *pura
et sincera intentione religionis catholicae promovendae;* idemque a rege Fer-
dinando II confirmatum, *ut religionis catholicae veritas, ubi vigebat, incon-
cussa persisteret, ubi labefactata fuerat, repararetur, cultus divinus ubique
propagaretur.* Perspectum Nobis est, quam strenue constanterque curavistis
ut istae studiorum optimorum sedes, nihil mutata natura pristina, tales
esse perseverent, quales ipsarum auctores esse voluerunt, hoc est *Instituta
catholica*, quorum res familiaris, administratio, magisterium in potestate
Ecclesiae et Episcoporum permanerent. Quam ad rem Vos magnopere
hortamur nullam praetermittere opportunitatem, omniaque periclitari, ut
honestum ac nobile propositum omni ex parte consequamini. Consecuturi
autem estis, spectata Regis Apostolici eximia pietate, prudentiaque virorum
qui reipublicae praesunt: neque enim verisimile est passuros, ut, quod dis-
sentientibus a catholico nomine communitatibus concessum est, id Ecclesiae
catholicae denegetur. — Quod si ratio temporum postulabit, ut in hoc genere
aut quaedam instituantur nova, aut instituta augeantur, minime dubitamus
quin patrum exempla renovare, religionemque imitari velitis. Immo alla-
tum Nobis est, cogitationem iam Vobis esse susceptam de opportuna palae-
stra formandis magistris optimis. Saluberrimum consilium, si quod aliud,
dignum sapientia et virtute vestra: quod ut celeriter, Deo adiuvante, perfi-
ciatis, Nos profecto et cupimus et hortamur.

8. Verum ad salutem publicam si tantopere pertinet institutio adolescen-
tium in universum, multo pertinet magis eorum, qui sacris initiari volunt.
Ad hoc quidem debetis, Venerabiles Fratres, nominatim attendere, in hoc
maximam partem vigiliarum laborumque vestrorum consumere: sunt enim
adolescentes clerici spes et velut incohata forma sacerdotum: in sacerdotibus
vero quantopere nitatur decus Ecclesiae, et ipsa populorum aeterna salus,
Vos plane cognoscitis. — Omnino in instituendis clericis sunt duae res neces-
sariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Ad eas
humanitatis artes, quibus adolescens aetas informari solet, adiungendae
disciplinae sacrae et canonicae, cauto ut earum doctrina rerum sana sit,
usquequaque incorrupta, cum Ecclesiae documentis penitus consentiens,
hisque maxime temporibus, vi et ubertate praestans, *ut potens sit exhortari...
et eos, qui contradicunt arguere.* — Vitae sanctitas, qua dempta, inflat scien-
tia, non aedificat, complectitur non solum probos honestosque mores, sed
eum quoque virtutum sacerdotalium chorum, unde illa existit, quae efficit
sacerdotes bonos, similitudo Iesu Christi, summi et aeterni Sacerdotis.
Huc sane spectant sacra Seminaria: Vosque, Venerabiles Fratres, non
pauca habetis tum pueris ad clericatum praeparandis, tum clericis insti-
tuendis praeclare fundata. In iis maxime evigilent curae et cogitationes
vestrae: efficite, ut litteris disciplinisque tradendis lecti viri praeficiantur,
in quibus doctrinae sanitas cum innocentia morum coniuncta sit, ut in re
tanti momenti eis confidere iure optimo possitis. Rectores disciplinae,
magistros pietatis eligite prudentia, consilio, rerum usu prae ceteris com-
mendatos: communisque vitae ratio, auctoritate vestra, sic temperetur, ut
non modo nihil unquam alumni offendant pietati contrarium, sed abun-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

dent adiumentis omnibus, quibus alitur pietas; aptisque exercitationibus incitentur ad sacerdotalium virtutum quotidianos progressus. Ex industria diligentiaque in instituendis sacerdotibus posita fructus percipietis summo- pere optabiles, munusque vestrum episcopale multo sentietis esse ad geren- dum facilius, ad utilitatem uberius.

9. Sed ultra tendant paternae curae vestrae necesse est, scilicet ut pres- byteros in ipsa munerum sacrorum perfunctione comitentur. Sollerter et suaviter, uti vestram decet caritatem, videte, ne profanos spiritus unquam sumant, ne utilitatum suarum cupiditate, vel negotiorum saecularium cura ducantur: immo virtute et recte factis in exemplum excellant, de studio precandi nihil unquam remittendo, ad mysteria sanctissima caste adeundo. His erecti ac roborati praesidiis, quotidianos sacrorum munerum labores ultro deposcent, studioseque, ut par est, in excolendis populorum animis versabuntur, maxime ministerio verbi et sacramentorum usu. — Eorum vero redintegrandis animi viribus, quas continenter vigere infirmitas humana non patitur, nihil propemodum videtur aptius, quam quod est alibi in more positum, idque magno cum fructu, ut secedant identidem ad statas animi meditationes, Deo sibique unice per id tempus vacaturi. Vobis autem, Venerabiles Fratres, in obeundis pro potestate Dioecesibus, sponte et per- commoda sese dabit occasio cognoscendi ingenium et mores singulorum, pariterque videndi in re praesenti, qua potissimum ratione aut prohibere, aut sanare, siqua insederint, mala necesse sit. Atque ob eam caussam, ne vis ecclesiasticae disciplinae frangatur, adhibenda, ubi opus esse vide- bitur, ad sacrorum canonum normas iusta severitas: omnesque intelligant, cum sacerdotia, tum varios dignitatum gradus non esse nisi utilium cura- rum praemium oportere, proptereaque iis reservari, qui Ecclesiae servierint, qui in curanda animorum salute desudaverint, qui vitae integritate doctri- naque praestare iudicentur.

10. His ornato virtutibus Clero, non exiguam partem consultum erit et populo: qui, ut est amans Ecclesiae et religionis avitae perstudiosus, facile ac libenter sacrorum administris se dabit excolendum. — Sed tamen nulla Vobis praetermittenda earum rerum est, quae ad integritatem doctri- nae catholicae in multitudine conservandam, disciplinamque Evangelicam factis, vita, moribus retinendam valere videantur. Date operam ut frequen- ter sacrae expeditiones in culturam animorum suscipiantur: eisque praefi- cite viros probatae virtutis, Iesu Christi spiritu animatos, caritate proxi- morum incensos. — Opinionum vel cavendis vel evellendis erroribus, late in vulgus disseminentur salubriter scripta, quae cum rerum veritate con- gruant, et ad virtutem conducant. Hoc quidem tam laudabili frugiferoque proposito aliquot iam societates scimus coaluisse, nec frustra operam con- sumere. Eas igitur et augeri numero et maiore in dies fructuum copia florere valde cupimus. — Illud etiam volumus, excitari a Vobis universos, sed maxime qui doctrina, qui censu, qui dignitate, qui potentia ceteris antecellunt, ut in omni vita, tam privatim quam publice, impensius curent religionis nomen, Ecclesiae caussam, ductu auspicioque vestro, fortius agant, et quaecumque rei catholicae provehendae instituta sunt vel insti-

tuentur, adiuvare, amplificare ne recusent. — Similiter resistere necesse est fallacibus quibusdam opinionibus, ad tuendum suum cuiusque decus prae- postere excogitatis, quae fidei morumque christianorum praeceptis prorsus repugnant, et multis perniciose flagitioseque factis aditum patefaciunt. — Demum necessaria contentio est assidua et vehemens adversus non hone- stas consociationes: quarum est antevertenda contagio rationibus omnibus, iis nominatim, quas litterae Nostrae Encyclicae alias indicavere. [1] De qua re tanto a Vobis maiorem curam adhiberi volumus, quanto plus istic numero, opibus, potestate valent eius generis societates.

11. Haec habuimus, Venerabiles Fratres, quae Vobis, urgente proposi- tum caritate, perscriberemus: quae toti Hungarorum genti prompta ad parendum voluntate acceptum iri confidimus. — Ut patres vestri de hoste teterrimo magnifice ad Budam triumpharent, non bellica tantum fortitudine perfectum est, sed virtute religionis: quae quidem vobis, quemadmodum vim magnamque imperii auctoritatem initio peperit, ita domi prosperitatem, foris gloriam in posterum pollicetur. Ista quidem vel ornamenta vel com- moda evenire vobis cupimus, idemque precamur, opitulante magna Vir- gine Matre Dei, cui regnum Hungaricum consecratum est, a qua nomen etiam invenit: eademque de caussa opem suppliciter imploramus sancti Stephani, qui rempublicam vestram, omni a se beneficiorum genere orna- tam et auctam, volens propitius, uti certa spes est, respiciet e caelis, firmis- simoque patrocinio tuebitur.

12. Hac igitur spe freti, Vobis singulis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro universo, auspicem caelestium munerum et paternae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. VI, p. 146-161].

595.

Leo XIII, ep. encycl. *Pergrata Nobis*, 14 sept. 1886. [2]

1. Pergrata Nobis accidit communis epistola vestra, quam superiore mense accepimus, quaeque illud maxime testabatur, vos civesque vestros libentibus animis cognovisse novissima Apostolicae Sedis cum regno Lusi- tano pacta conventa, [3] de iisque laetari, velut de re bene gesta ac bono publico non minimum profutura. — Omnino, quod vos perspexistis, illud Nobis fuit in universo hoc negotio propositum, ut ea ad dignitatem impe- rii conservarentur, quae regibus vestris de catholico nomine meritis Pon- tifices romani contulerant, unaque meliori constitutioni commodisque rei Indorum christianae consuleretur. Quod quidem propositum partim vide- mur consecuti, partim confidimus Dei munere beneficioque consecuturos. — Quamobrem intuentibus animo optatissimum, de quo loquimur, eventum,

[1] Cf. N. 591.
[2] Ad Episcopos Lusitaniae.
[3] Cf. Raccolta di Concordati, p. 1029-1048.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

prospicere licet in posterum, nec ominari solum, sed plane spem certam concipere, futurum ut christianum nomen in Lusitania vestra ad communium rerum salutem florere pergat, et maiora in dies incrementa capiat.

2. Cui spei ut ad plenum respondeat exitus, Nos profecto primi omnium, ita Deus adsit propitius, dabimus operam. Plurimum vero adiumenti in prudentia vigilantiaque vestra episcopali, in solertia et virtute Cleri, in voluntate populi Lusitani, sine ulla dubitatione reperiemus. Immo in caussa tam nobili tamque fructuosa nec partes desiderabuntur virorum qui rem publicam gerunt: de quibus minime dubitamus, quin Nobis sapientiam et aequitatem suam, sicut nuperrime probavere, ita probare reliquo tempore velint: multo magis quod catholicae fidei studium beneque de Ecclesia merendi consuetudo non est apud Lusitanos inusitata aut recens, sed pervetus diuque celebrata.

3. Etenim quamquam est Lusitania velut ad extremitatem sita peninsulae Ibericae, eademque angustioribus limitibus circumscribitur, tamen reges vestri, quae laus est non exigua, imperii fines in Africam, in Asiam, in Oceaniam protulerunt, ut ex ipsis praestantioribus gentibus nulli Lusitania cederet, multas antecelleret. — Sed virtutem horum inceptorum magnitudini parem unde putandi sunt quaesivisse? Scilicet, si recte diiudicari velit, ex amore sensuque religionis. In iis enim ad ignotas et barbaras gentes laboriosis periculosisque expeditionibus, sic animo affectos constat plerumque fuisse, ut Christo Domino prius inservirent, quam vel utilitati vel gloriae, serendi christiani nominis, quam propagandi imperii sui cupidiores. Una cum expressa imagine vulnerum Iesu Christi, quod erat populare gentis vexillum, praeferre maiores vestri Crucem sacrosanctam in triremibus, in acie, venerabundi simul ac fidentes consueverant, ut non tam armorum quam Crucis ipsius praesidio nobiles victorias, quarum gloria permansit, videantur adepti. Quae pietas tunc maxime enituit, cum Lusitaniae reges viros apostolicos ex exteris quoque gentibus arcessitos studiose conquirebant, Francisci Xaverii vestigiis ingressuros, eosdemque non semel a romanis Pontificibus Nuntiorum Apostolicorum auctos potestate. Singularis haec fuit nec unquam interitura maiorum vestrorum laus, quod in remotissimas gentes fidei christianae lumen principes invexerint, eoque insigni beneficio Sedem quoque Apostolicam sibi egregie demeruerint. — Nec unquam sane Decessores Nostri destiterunt, quominus grati animi significationes genti vestrae exhiberent; cuius rei praeclarum sunt argumentum decora singularia in reges collata. Ad Nos quod spectat, quoties reputamus quam magna gesserit populus non ita magnus, gestit animus exemplum a Lusitanis petere, quanta vis religionis pietatisque sit: simulque Nostra vehementius excitatur mixta admiratione benevolentia. Ita sane: paternam vobis caritatem vel nuperrime re videmur probavisse: quandoquidem in componenda de rebus Indiae orientalis controversia, Nos quidem, quantum officii Nostri ratio patiebatur, liberaliter cum Lusitania egimus atque indulgenter. Quoniamque rectum est parem voluntatem accipere et reddere, idcirco plurimum de studio facilitateque gubernatorum rei publicae Nobismetipsis pollicemur. Fore nimirum confidimus, non solum

ut curam summam de iis adhibeant quae pacta sunt, sed operam Nobiscum pariter ac vobiscum libentes conferant ad ea, quae istic Ecclesia accepit, detrimenta sarcienda.

4. Sunt haec sane haud levia, praesertim si conditio spectetur Cleri vestri, et Ordinum religiosorum: quorum clades non in Ecclesiam solum, sed in ipsam civitatem redundavit, quae sibi sensit ereptos adiutores prudentes et strenuos, quorum opera informandis populi moribus, instituendae iuventuti, ipsis etiam coloniis ad christiana instituta fingendis, non mediocri usui esse potuisset, hodie maxime, cum tam late patentem sacris expeditionibus campum in Africa interiore videamus.

5. Quod si ad ipsas malorum origines animum advertamus, impietatis libidinem, quae superiore saeculo tantopere invaluit, neque unicam neque praecipuam caussam arbitramur fuisse. Pervasit illa quidem, velut contagione morbi, vestrorum etiam animos, incursuque suo graves ruinas traxit: nihilominus non ii videntur longe a vero discedere qui maiorem perniciem censent allatam a politicarum partium factionibus, intestinis discordiis, popularium seditionum procellis. Etenim religionis laudem et antiquam Lusitanorum erga romanum Pontificatum fidem nulla vis extinguere, nullae artes labefactare potuerunt. In mediis etiam vestrae reipublicae tempestatibus, populi semper iudicium fuit, foedus concordiamque regnorum cum Ecclesia maximum esse principium, quo christianas regi oporteat civitates: eamque ob caussam sanctum religiosae unitatis vinculum non modo permansit incolume, sed praebuit, auctoritate nutuque legum, constitutioni politicae fundamentum. Quae sane, laetabilia et ad commemorandum iucunda, ostendunt, rei catholicae statum, idoneis remediis adhibitis, non difficulter fieri posse longe meliorem. Vigent enim bona semina; quae si constantia animorum concordiaque voluntatum adoleverint, optatorum fructuum copiam submittent.

6. Hi vero qui cum imperio praesunt, quorum tam necessaria est opera ad Ecclesiae incommoda sananda, facile intelligent, quemadmodum Lusitanum nomen ad tantum gloriae fastigium catholicae religionis virtute beneficioque pervenit, ita unam esse viam tollendis malorum caussis expeditam, si eiusdem religionis ductu auspiciisque res publica constanter administretur. Quo facto, cum ingenio, cum moribus, cum voluntate populi futura est gubernatio rei publicae congruens. Continet enim catholica professio publicam regni Lusitani legitimamque religionem; propterea que omnino consentaneum est, tutela legum ac magistratuum potestate esse defensam, praesidiisque omnibus ad incolumitatem, ad perennitatem, ad decus, publice munitam. Politicae perinde atque ecclesiasticae potestati sua legitime constet et libertas et actio, omnibusque sit persuasum, quod res ipsa quotidiano experimento confirmat, tantum abesse ut invidiosa aemulatione adversetur Ecclesia potestati civili, ut huic plurima et maxima ad salutem civium tranquillitatemque publicam adiumenta suppeditet.

7. Ex altera parte ii qui sacra auctoritate pollent, quaecumque pro munere suo acturi sunt, sic agant, ut ipsis plane fidere se posse ac debere

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

rectores civitatis intelligant, nec ullam sibi oblatam caussam putent retinendarum fortasse legum, quas interest Ecclesiae non retineri. Suspicandi, diffidendi locum plerumque praebet politicarum concertatio partium: idque vos satis experiendo cognovistis. Profecto catholicorum hominum et nominatim Clericorum primum maximumque officium est, nihil unquam nec re suscipere, nec opinione profiteri, quod ab obsequio fideve Ecclesiae dissentiat, aut cum conservatione iurium eius consistere non possit. Quamvis autem fas cuique sit suum de rebus mere politicis iudicium, modo ne religioni iustitiaeque repugnet, honeste legitimeque tueri, tamen videtis, Venerabiles Fratres, perniciosum errorem eorum, si qui sunt, qui rem sacram remque civilem non satis secernant, religionisque nomen ad politicarum partium trahant patrocinium.

8. Igitur prudentia ac moderatione adhibita, non solum nullus erit suspicionibus locus, verum etiam firmius consistet illa catholicorum vehementer a Nobis expetita consensio. Quae si antea difficilior ad impetrandum fuit, ea de caussa fuit, quod nimis multi plus forsan, quam par esset, tenaces sententiae suae, nihil unquam nullaque ratione a studio partium suarum recedendum putaverunt. Quae quidem studia, tametsi intra certos fines improbari nequeant, adeptionem tamen supremae illius atque optatissimae coniunctionis valde impediunt.

9. Vestrum itaque erit, Venerabiles Fratres, omnem industriae diligentiaeque vim illuc intendere ut, prudenter amotis quaecumque obstare videantur, salutarem concordiam animorum concilietis. Idque commodius ex sententia succedet, si in re tanti momenti non disiuncte, sed collatis in unum curis, manum operi admoveritis. Quamobrem opportuna in primis videtur communicatio et societas consiliorum inter vos, ut agendi ratio similis existat. Quinam vero consiliorum delectus sit habendus, quid proposito conducat aptius, haud aegre dispicietis si vobis ob oculos veluti normam proposueritis quae identidem ab Apostolica Sede de huiusmodi negotiis declarata ac praescripta sunt, maxime vero litteras Nostras Encyclicas de constitutione christiana reipublicae.[1]

10. Ceterum non omnia singulatim persequemur, quae idoneum remedium desiderant, praesertim cum ea sint exploratiora vobis, Venerabiles Fratres, quos incommodorum vis proxime et prae ceteris urget. Similiter nec ea enumerabimus, quae tempestivam civilis potestatis operam postulant, ut rei catholicae, quo modo aequum est, consulatur. Cum enim nec de paterno animo Nostro, nec de vestro legibus civilibus obsequio dubitare queant, rectum est confidere, fore ut gubernatores civitatis iusto pretio aestiment propensionem Nostrae itemque vestrae voluntatis, Ecclesiamque, multis caussis afflictam, in libertatis dignitatisque debitum gradum restituendam curent. Nos autem, quod est partium Nostrarum, paratissimo semper animo futuri sumus agere communique consensu statuere de negotiis ecclesiasticis quod maxime opportunum videatur, honestas et aequas conditiones libenter accepturi.

[1] Cf. N. 592.

11. Quaedam alioqui sunt, eaque non parvi momenti, quibus nominatim debet industria vestra, Venerabiles Fratres, mederi. Eiusmodi in primis est paucitas sacerdotum, ex eo maxime profecta, quod pluribus locis, nec brevi annorum intervallo, vel ipsa Seminaria alumnis sacrorum instituendis desiderata sunt. Hac de caussa saepe vel christianae institutioni multitudinis, vel sacramentorum administrationi vix aegreque consultum. Nunc vero, quoniam divinae providentiae beneficio in Dioecesibus singulis sua sunt Clericorum seminaria, et ubi nondum restituta sunt, brevi, uti speramus et cupimus, restituentur, supplendi collegia sacerdotum in promptu est ratio, si modo disciplina alumnorum ea, qua decet, ratione constituta sit. Quam ad rem plane confidimus cognita Nobis prudentia sapientiaque vestra: sed tamen ne consilium Nostrum in hoc genere desideretis, dicta vobismetipsis putatote, quae ad venerabiles fratres Hungariae Episcopos paulo ante in caussa simili perscripsimus.[1] « Omnino in instituendis clericis sunt duae res necessariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Ad eas humanitatis artes, quibus adolescens aetas informari solet, adiungendae disciplinae sacrae et canonicae, cauto, ut earum doctrima rerum sana sit, usquequaque incorrupta, cum Ecclesiae documentis penitus consentiens, hisque maxime temporibus, vi et ubertate praestans, *ut potens sit exhortari... et eos, qui contradicunt, arguere*. Vitae sanctitas, qua dempta, inflat scientia non aedificat, complectitur non solum probos honestosque mores, sed eum quoque virtutum sacerdotalium chorum, unde illa existit, quae efficit sacerdotes bonos, similitudo Iesu Christi, summi et aeterni sacerdotis... In iis (Seminariis) maxime evigilent curae et cogitationes vestrae: efficite, ut litteris disciplinisque tradendis lecti viri praeficiantur, in quibus doctrinae sanitas cum innocentia morum coniuncta sit, ut in re tanti momenti eis confidere iure optimo possitis. Rectores disciplinae, magistros pietatis eligite prudentia, consilio, rerum usu prae ceteris commendatos: communisque vitae ratio, auctoritate vestra, sic temperetur, ut non modo nihil unquam alumni offendant pietati contrarium, sed abundent adiumentis omnibus, quibus alitur pietas: aptisque exercitationibus incitentur ad sacerdotalium virtutum quotidianos progressus ».

12. Deinde vero vigilantia vestra debet maxima et singularis esse in presbyteros, ut quo minor est operariorum numerus, eo sese impertiant in excolenda vinea Domini alacriores. Illud ex Evangelio *messis quidem multa* vere de vobis usurpari videtur posse, propterea quod religiosam institutionem semper Lusitani homines adamare consueverunt, eamdemque cupide et libenter excipiunt, si in sacerdotibus, magistris suis, ornamenta virtutum doctrinaeque laudem inesse perspexerint. Itaque mirum quantum profutura Cleri est opera in erudiendis popularibus suis, maxime adolescentibus, digne studioseque posita. Sed ad pariendum alendumque in hominibus amorem virtutis, exploratum est, valere maxime exempla: propterea que curent, quotquot in muneribus sacerdotalibus versantur, non

[1] Cf. N. 594.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

solum ne quid in ipsis deprehendatur ab officio institutoque ordinis sui
dissentiens, sed ut morum vitaeque sanctitate emineant, *tamquam lucerna*
super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

13. Tertium denique genus, in quo curas vestras oportet assidue ver-
sari, earum rerum est quae, mandatae litteris, in singulos dies, aut statis
temporibus in lucem prodire solent. Nostis tempora, Venerabiles Fratres:
ex altera parte rapiuntur homines inexplebili cupiditate legendi; ex altera
ingens prave sciptorum colluvio licenter effunditur: quibus caussis vix
dici potest, quanta labes honestati morum, quanta religionis incolumitati
quotidie ruina impendeat. Itaque hortando, monendo, omni qua potestis
ope et ratione perseverate, ut facitis, ab istiusmodi corruptis fontibus
homines revocare, ad salubres haustus adducere. Plurimum iuverit, si cura
ductuque vestro diaria publicentur, quae malis venenis undecumque obla-
tis opportune medeantur, suscepto veritatis, virtutis, religionis patrocinio.
Et quod ad eos pertinet, qui scribendi artem cum amore studioque rei
catholicae honestissimo sanctissimoque proposito coniungunt, si labores
suos vere volunt esse fructuosos et usquequaque laudabiles, constanter
meminerint quid ab iis requiratur, qui pro caussa optima dimicant. Scili-
cet in scribendo summa cum cura adhibeant necesse est moderationem,
prudentiam maximeque eam, quae vel mater vel comes est virtutum reli-
quarum, caritatem. Fraternae vero caritati videtis quam sit contraria suspi-
candi levitas, criminandi temeritas. Ex quo intelligitur, vitiose et iniuste
facturos, qui favent uni parti politicae, si crimen suspectae fidei catholi-
cae aliis inferre non dubitent, hac una de caussa quod sunt ex altera parte,
perinde ac catholicae professionis laus cum his aliisve partibus politicis
necessitate copuletur.

14. Haec, quae hactenus vel monuimus vel praecepimus, auctoritati
vestrae commendata sint; quam quidem vereri, et cui subesse necesse
est universos, quibus praeestis, praecipue vero sacerdotes, qui in omni
vita cum privata tum publica, sive in muneribus sacri ordinis versentur,
sive magisterium in Lyceis exerceant, in Episcoporum potestate esse num-
quam desinunt; iidemque quemadmodum ad omne decus virtutis, ita ad
obtemperationem et obsequium, quod auctoritati episcopali tribuere opor-
tet, debent vel exemplo suo vocare ceteros.

15. Quo autem omnia ex voto ac prospere cedant, caelestem opem
deprecemur; in primisque perennem illum divinae gratiae fontem adeamus,
Cor sanctissimum Servatoris nostri Iesu Christi, cuius viget apud vos reli-
gio praecipua et vetus. Patrocinia imploremus Immaculatae Dei Genitricis
Mariae, cuius singulari tutela Lusitanum regnum gloriatur: item Elisabethae
vestrae, feminarum regiarum sanctissimae, sanctorumque martyrum, qui
vel a primis Ecclesiae temporibus profuso sanguine rem christianam in
Lusitania constituerunt vel auxerunt.

16. Interea testem benevolentiae Nostrae et caelestium donorum auspi-
cem, benedictionem Apostolicam vobis et Clero populoque vestro universo
peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. VI, p. 180-191].

596.

Leo XIII, ep. *Officio sanctissimo.* 22 dec. 1887.[1]

1. Officio sanctissimo adducti muneris Apostolici, multum diuque,
ipsi nostis, contendimus, ut res Ecclesiae catholicae apud Borussos habe-
rent aliquando melius, atque in gradum dignitatis suum restitutae, ad
honorem pristinum amplioremque florescerent. Quae consilia, qui labores
Nostri, aspirante Deo et iuvante, sic processere, ut praeteritam querimo-
niam lenierimus, et spe teneamur de libertate catholici nominis plene ibi-
dem tranquilleque fruenda. — Nunc autem animus est cogitationes et curas,
singulari quodam studio, ad Bavaros convertere. Non ea quidem caussa
quod rem sacram eodem esse loco in Bavaria atque in Borussia erat, pute-
mus; sed hoc optamus et cupimus, ut isto quoque in regno, quod catho-
lica professione ab avis maioribusque gloriatur, incommoda quotquot insi-
dent de libertate detrahentia Ecclesiae catholicae, opportune resecentur. —
Cuius maxime salutaris propositi ut ad effectum perveniamus, volumus et
omnes aditus explorare, qui reliqui dentur, et quantum in Nobis auctori-
tatis opisque est sine cunctatione conferre. Atque vos opportune appella-
mus, Venerabiles Fratres, vestraque opera filios Nostros e Bavaria carissi-
mos appellamus omnes, ut quaecumque ad rationes fidei et religionis in
gente vestra curandas et provehendas pertinere videantur, ea vobiscum
pro potestate communicemus, de iis tribuamus consilia, de iisque ad ipsos
civitatis rectores fidenter instemus.

2. In sacris Bavarorum fastis, res repetimus haud incognitas vobis,
bene multa sunt, de quibus Ecclesia et civitas concordem capiant laeti-
tiam. Nam fides christiana, ex quo divina eius semina, cura studioque
summo sancti abbatis *Severini*, qui Norici apostolus extitit, aliorumque
Evangelii praeconum, in gremio regionis vestrae sunt sparsa, tam altas
egit fixitque radices, nulla ut deinceps neque superstitionis immanitate,
neque rerum publicarum perturbatione et conversione exaruerit penitus.
Quare, sub exitum saeculi septimi, factum est, ut, quum *Rupertus* episco-
pus sanctus Vormatiensis, Theodone invitante Bavariae duce, christianam
fidem per easdem regiones exsuscitandam amplificandamque aggressus
esset, sane multos, tum cultores fidei, tum eius amplectendae studiosos,
in media superstitione repererit. Ipse autem eximius princeps, Theodon,
quo fidei urgebatur ardore, romanum iter suscepit, et pronus ad sepul-
cra Ss. Apostolorum, itemque ad augustum Iesu Christi Vicarium, exem-
plum pietatis et coniunctionis Bavariae cum hac Apostolica Sede primus
edidit nobilissimum, quod alii subinde egregii principes sunt religiose imi-
tati. — Per idem tempus Cardinalis *Martinianus*, episcopus Sabinensis, a
sancto Pontifice Gregorio II in Bavariam legatus est, qui rebus catholicis
subsidia et incrementa afferret, sociique additi *Georgius* et *Dorotheus*, Car-

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Bavariae.

dinales ambo Ecclesiae romanae. Non ita multo post Romam ad summum Pontificem profectus est *Corbinianus* Episcopus Frisingensis, vir sanctimo- nia vitae suique despicientia insignis, qui apostolicos Ruperti labores pari laborum industria confirmavit et auxit. Cui vero laus debetur prae cete- ris, aluisse et excoluisse fidem in Bavaris, is facile est sanctus *Bonifacius*, Archiepiscopus Moguntinus; ipse qui Germaniae christianae pater, aposto- lus, martyr immortali verissimoque praeconio celebratur. Hic legationes peregit a romanis Pontificibus, Gregoriis II et III ac Zacharia, quorum maxima semper floruit gratia; eorumdemque nomine et auctoritate regiones Bavariae in dioeceses descripsit, atque ita hierarchiae ordinibus constitutis, insitam fidem ad perpetuitatem commendavit. *Ager dominicus* (scribente ad ipsum Bonifacium S. Gregorio II), *qui incultus iacebat, et spinarum aculeis ex infidelitate riguerat, vomere tuae doctrinae exarante, semen verbi suscepit, et fertilem messem protulit fidelitatis.* [1] — Illo ex tempore Bavarorum religio, quantumvis aetatum decursu tentata acerrime, ad omnes rerum civilium casus salva et constans permansit. Etenim secutae sunt quidem turbae illae et contentiones imperii adversus sacerdotium, asperae, diutur- nae, calamitosae; in iis tamen plus vere fuit Ecclesiae quod laetaretur in Bavaris, quam quod doleret. Summa autem consensione, a Gregorio XI, Pontifice legitimo, ipsi steterunt, effrenata dissidentium audacia neutiquam dimovente, frustra minitante; et, quod perarduum erat, longo inde inter- vallo, nihil vi atque impetu Novatorum absterriti, fidei integritatem et veterem cum romana Ecclesia coniunctionem religiose semper servarunt. Quae virtus et firmitudo patrum vestrorum eo magis praedicanda est, quod populos fere omnes eorum finitimos nova secta misere subegisset. Sane Bavaris, qui eo erant luctuoso tempore, illa apposite congruebant, quibus Gregorius idem II catholicus Thuringiae homines, a S. Bonifacio chri- stiana sapientia imbutos, multo ante affatus erat, meritae commendationis gratia, in quadam epistola ad optimates: *Insinuatam nobis magnificae in Christo fidei vestrae constantiam agnoscentes, quod paganis compellantibus vos ad idola colenda, fide plena responderitis, magis velle feliciter mori, quam fidem semel in Christo acceptam aliquatenus violare; nimia exultatione repleti, gratias debitas persolvimus Deo nostro et redemptori, bonorum omnium lar- gitori, cuius gratia comitante, vos ad meliora et potiora optamus proficere, et ad confirmandum fidei vestrae propositum sanctae Sedi Apostolicae reli- giosis mentibus adhaerere, et, prout opus poposcerit sacrae religionis, a memo- rata sancta Sede Apostolica, spirituali omnium fidelium matre, solatium quae- rere, sicut decet filios cohaeredes regni a regali parente.* [2]

3. Etsi vero Dei miserentis gratia, quae superiore memoria gentem vestram tutata est benignissimeque complexa, optime in posterum tempus augurari, optime sperare Nos iubet, nihilominus ea omnia, quoad suae cuiusque sunt partes, praestare debemus, quae plus habeant efficacitatis ad damna religionis sive accepta sarcienda, sive imminentia prohibenda; ita

[1] Ep. XIII ad Bonifacium. — Cf. Labbeum, Collect. Conc. V, VIII.
[2] Ep. V ad optimates Thuring. — Cf. Labbeum, Collect. Conc. V, VIII.

ut christiana doctrina et instituta morum sanctissima ad plures quotidie se possint effundere laetissimisque fructibus latius redundare. Quod non eo dicimus, velut si caussa catholica idoneos magis minimeque timidos propugnatores apud vos desideraret; probe enim novimus vos, Venerabiles Fratres, unaque maiorem et saniorem partem tum sacri ordinis tum hominum externorum, haudquaquam frigere otiose ad certamina et pericula quibus cingitur premiturque ecclesia vestra. Quapropter sicut non absimili caussa decessor Noster Pius IX amantissimis litteris ad Episcopos Bavariae datis, [1] praeclara eorum studia sacris Ecclesiae rationibus tuendis impensa, summis laudibus extulit; ita perlibenter Nos iustam singulis laudem ultro palamque tribuimus, quotquot ex Bavaris defensionem religionis avitae susceperunt fortiter et egerunt. Verum, quibus temporibus providentissimus Deus Ecclesiam suam saevis procellis agitari permittit, acriores ipse a nobis animos viresque in auxilium paratiores optimo iure deposcit. Vos autem ad unum, Venerabiles Fratres, aeque ut Nos, dolenter videtis quam aliena et quam iniqua in tempora Ecclesia inciderit; videtis cum primis quo se loco habeant res vestrae, et quibus vosmetipsi difficultatibus conflictemini. Ergo intelligitis experiendo, munera vestra maiorem quam antehac habere in praesentia amplitudinem, ad eaque vigilantiam et actionem, robur et prudentiam christianam debere vos enixius intendere.

4. Ac primum omnium ad clerum parandum et ornandum, auctores vobis hortatoresque sumus. — Clerus nimirum instar exercitus est, qui, quoniam instituta sua et suorum perfunctio munerum ita ferunt, ut, sub magisterio episcoporum, cum christiana multitudine assiduo fere usu versetur, decus idcirco praesidiumque tanto amplius est rei publicae allaturus, quanto et numero praestet et disciplina. Quapropter Ecclesiae haec fuit semper antiquissima cura, ut illos deligeret educeretque ad sacerdotium adolescentes, *quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros;* [2] eademque, *ut adolescentium aetas... a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat;* [3] ipsis proprias sedes et ephebea condidit, atque regulas, in sacro praesertim Concilio Tridentino, [4] sapientiae plenas praescripsit, *ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit.* [5] Alicubi quidem quaedam latae sunt valentque leges, quae sin minus impediunt, interturbant quominus uterque clerus sua sponte conflетur, suaque disciplina instituatur. Nos hac in re, quae tanti interest quanti interesse maxime potest, sicut alias, ita nunc oportere existimamus, sententiam Nostram aperte eloqui, et omni qua possumus ratione ius Ecclesiae sanctum inviolatumque retinere. Ecclesiae nimirum, quippe quae societas sit genere suo perfecta, ius nativum est cogendi instruendique copias suas, nocentes nemini, plurimis auxiliantes,

[1] Litt. *Nihil Nobis gratius*, die 20 februarii a. 1851.
[2] Conc. Trid., Sess. XXIII, *de reform.*, c. XVIII.
[3] Ibid.
[4] Ibid.
[5] Ibid.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

in pacifico regno quod saluti humani generis Iesus Christus in terris fun-
davit.

5. Clerus autem concredita sibi officia integre profecto et cumulate
explebit, ubi, curam Episcopis adhibentibus, talem e sacris seminariis disci-
plinam mentis animique sit nactus, qualem dignitas sacerdotii christiani
et ipse temporum morumque cursus requirit; eum scilicet oportet doctrinae
laude, et, quod caput est, summa laude virtutis excellere, ut animos homi-
num conciliet sibi atque in observantiam adducat.

6. Christiana sapientia, qua luce mirifica abundat, in omnium oculis
niteat necesse est, ut tenebris inscientiae, quae est religioni maxime inimica,
dispulsis, veritas longe lateque se pandat et feliciter dominetur. — Etiam
refellantur oportet et convellantur errores multiplices, qui, vel ignorantia vel
improbitate vel praeiudicatis opinionibus exorti, mentes hominum perverse
avocant a veritate catholica, et quoddam animis fastidium eius aspergunt.
Hoc munus permagnum quod est *exhortari in doctrina sana, et eos qui contra-
dicunt arguere*, [1] ad ordinem pertinet sacerdotum, qui legitime habuerunt
a Christo Domino impositum, quum divina ille potestate dimisit ad gentes
universas docendas: *Euntes in mundum universum, praedicate evangelium
omni creaturae;* [2] ita plane ut episcopi, in Apostolorum locum sublecti,
praesint magistri in Ecclesia Dei, presbyteri adiutores accedant. — Sanc-
tioribus hisce partibus plene perfecteque, si alias unquam, satis factum est
in primordiis religionis nostrae saeculisque consequentibus, per eam, quae
diu exarsit, maximam dimicationem cum ethnicae superstitionis tyrannide:
unde tam amplam cohors sacerdotalis collegit gloriam, amplissimamque
sanctissimus ordo Patrum et Doctorum, quorum sapientia et eloquentia
in omnem memoriam et admirationem florebunt. Per ipsos nempe doctrina
christiana subtilius tractata, uberius explicata, pugnacissime defensa, eo
magis veritate et praestantia patuit sua, prorsus divina: contra iacuit doctrina
ethnicorum, vel indoctis redarguta et contempta, ut quae nihil sibi consen-
tanea, perabsurda, inepta. Nequidquam vero connisi sunt adversarii, ut
cursum eum sapientiae catholicae tardarent et intercluderent; nequidquam
graecae scholas philosophiae, platonicam in primis et aristoteleam, magni-
ficentioribus sane verbis obiecerunt. Nostri enim neque istud quidem cer-
taminis genus declinantes, ad philosophos ethnicos applicuerunt ingenia et
studia: quae quisque eorum professus esset, incredibili paene diligentia
scrutati, consideraverunt singula, expenderunt, contulerunt: multa sunt
ipsis reiecta aut emendata, non pauca ex aequo probata et accepta; hoc etiam
ab ipsis apertum et prolatum est, ea quidem quae ipsa ratione et intelligentia
hominis falsa esse revincantur, ea tantummodo adversari doctrinae christia-
nae, adeo ut huic doctrinae qui obsistere velit et refragari, idem suae ipsius
necessario obsistat et refragetur rationi. Istiusmodi pugnatae sunt pugnae a
patribus illis nostris, atque illustres partae victoriae, eaeque non virtute
modo armisque fidei partae, sed auxiliis quoque humanae rationis: quae

[1] Tit., I, 9.
[2] Marc., XVI, 15.

scilicet, lumen praeferente sapientia caelesti, ex rerum ignoratione complu-
rium et quasi ex errorum silva, veritatis iter pleno gradu erat ingressa. —
Haec sane admirabilis fidei cum ratione consensio et conspiratio, quamquam
operosis multorum studiis ornata est, tamen, in uno velut constricta aedi-
ficio unoque in conspectu exposita, elucet vel maxime in opere S. Augustini
quod est *De civitate Dei*, pariterque in *Summa* utraque S. Thomae Aquinatis
quibus libris conclusa profecto habentur quaecumque erant a quibusque
sapientibus acute cogitata et disputata, ex iisque licet capita et fontes arces-
sere eius eminentis doctrinae quam nominant theologiam christianam.
Exemplorum tam insignium memoria utique per hos dies replicanda et
fovenda est clero, quando ab adversis partibus vetera passim arma exa-
cuuntur, vetera ferme praelia renovantur. Tantum hoc, quod olim repu-
gnabant ethnici christianae religioni, ne ab inveteratis numinum ritibus
institutisque deducerentur; nunc autem perditissimorum hominum opera
pessima in eo certat, ut e christianis populis divina omnia documenta et
pernecessaria, quae sacra cum fide sunt indita, stirpitus evellant, atque eos
deterius ethnicis habeant in miseriamque devolvant maximam, in omnis
videlicet fidei religionisque contemptum et eversionem. Cuius impurae
pestis, qua nulla est detestabilior, illi initia fecere, qui homini tribuerunt
natura tantum, ut de doctrina divinitus data posset quisque pro ratione
iudicioque suo cognoscere et decernere, minime vero auctoritati subesse
deberet Ecclesiae et Pontificis romani, quorum unice est, divino mandato
et beneficio, eam doctrinam custodire, eam tradere, de ea verissime iudi-
care. Inde praeceps via patebat, patuit autem illis miserrime, ad omnia
inficianda et amandanda quae sunt supra naturam rerum et captum homi-
nis posita: tum auctoritatem esse ullam, quae a Deo dimanet, ipsumque
Deum esse, impudentius pernegaverunt; delapsi postremo in commenta
et *Idealismi* insulsa et *Materialismi* abiectissima. Hanc tamen maximarum
rerum inclinationem, qui *Rationalistae* vocantur quive *Naturalistae*, pro-
gressionem scientiae, progressionem societatis humanae, mentito nomine
appellare non dubitant, quae revera utriusque pernicies est atque excidium.

7. Itaque, Venerabiles Fratres, cognitum perspectumque habetis quali
ratione et via alumnos Ecclesiae erudiri oporteat ad maiores doctrinas,
ut convenienter temporibus utiliterque in muneribus suis versentur. Hi
nimirum, ut erunt humanitatis artibus informati et politi, praestantissima
sacrae theologiae studia ne attingant prius quam diligentem adhibuerint
praeparationem in studio philosophiae. — Philosophiam eam intelligimus,
intimam solidamque, altissimarum indagatricem caussarum, patronam opti-
mam veritatis; cuius virtute neque ipsi fluctuent neve abripiantur *omni
vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*, [1]
et queant etiam doctrinis ceteris adiumenta veritatis subministrare, captio-
nibus praestigiisque opinionum discussis et refutatis. Huius rei gratia, ut
opera magni Aquinatis essent in manibus et assidue apteque exponerentur
iampridem monuimus, idemque saepius inculcavimus verbisque gravissi-

[1] Ephes., IV, 14.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

mis; [1] et gestit animus optimos inde fructus esse a clero perceptos, perquam
optimos uberrimosque spe certa exspectamus. Scilicet disciplina Doctoris
Angelici mire facta est ad conformandas mentes, mire usum parit com-
mentandi, philosophandi, disserendi presse invicteque: nam res singulas
dilucide monstrat aliam ex alia continua serie pendentes, omnes inter se
connexas et cohaerentes, omnes ad capita pertinentes suprema: tum in con-
templationem erigit Dei, qui rerum omnium et caussa effectrix est et vis
et summum exemplar, ad quem demum omnis philosophia et homo quan-
tus est, debent referri. Sic vere per Thomam scientia rerum divinarum
et humanarum, caussarumque quibus hae res continentur, quum praecla-
rissime illustrata, tum firmissime munita est: cuius conflictione disciplinae,
veteres sectae errorum penitus corruerunt, itemque novae, nomine potius
et specie, quam re illis dispares, simul emisere caput, et eiusdem ictibus
deiectae interciderunt; quod iam non unus ostendit de scriptoribus nostris.
Ratio quidem humana ad cognitionem rerum interiorem reconditamque
libera vult acie penetrare, nec non velle potest: verum Aquinate auctore
et magistro, hoc ipso facit expeditius et liberius, quia tutissime facit, omni
procul periculo transiliendi fines veritatis. Neque enim libertatem recte
dixeris, quae ad arbitrium libidinemque opiniones consectatur et spargit,
immo vero licentiam nequissimam, mendacem et fallacem scientiam, dede-
cus animi et servitutem. Ille reapse sapientissimus Doctor intra veritatis
fines graditur, qui non modo cum Deo, omnis veritatis principio et summa,
nunquam decertat, sed ipsi adhaeret semper arctissime semperque obsequi-
tur, arcana sua quoquo modo patefacienti; qui neque sancte minus Pon-
tifici romano est dicto audiens, et auctoritatem in eo reveretur divinam,
et *subesse romano Pontifici* tenet omnino *de necessitate salutis.* [2] — Eius
igitur in schola adolescat et exerceatur clerus ad philosophiam, ad theolo-
giam: existet enimvero doctus et ad sacra praelia valens quam qui maxime.

8. Lux tamen doctrinae a clero in christiani populi ordines diffundenda
vix dici potest quam magnam habeat utilitatem, si quasi e candelabro vir-
tutis effulserit. — In praeceptis enim, quae sunt ad corrigendos hominum
mores, plus fere possunt, quam dicta, facta magistrorum; nec quisquam
negotio tam facili habiturus est ei fidem, cuius a dictis praeceptisque di-
screpent facta. In Iesum Christum Dominum oculos intendamus et men-
tes: qui, ut *veritas* est, perdocuit nos quae credere deberemus, ut *vita*
est et *via*, semetipsum proposuit nobis exemplar absolutissimum, quo
modo ageremus honeste vitam et bonum ultimum studiose appeteremus.
Ipsemet discipulos suos ita de se voluit institutos et perfectos: *sic luceat
lux vestra*, hoc est doctrina, *coram hominibus, ut videant opera vestra bona,
et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est*, [3] doctrinam in unum et bonitatem Evangelii complexus, quod
ipsis ad propagandum committebat. — Sunt haec nempe instituta divina,

[1] Cf. N. 578, 579, 583.
[2] Opusc. *Contra errores Graecorum.*
[3] Matth., V, 16.

quibus vita sacerdotum componatur et dirigatur oportet. Omnino oportet
et necesse est habere eos sibi persuasum ac prope insculptum in animis,
se iam non de saeculi esse consortione, at vero Dei consilio electos esse,
qui, in communione saeculi aetatem agentes, vitam tamen Christi Domini
vivant. Qui, si de ipso in ipsoque vere vivant, minime *quae sua sunt* quae-
ritabunt, sed in iis profecto toti erunt *quae sunt Iesu Christi,* [1] neque homi-
num captabunt inanem gratiam, sed gratiam Dei solidam expetent: ab his
autem infimis rebus et corruptelis abstinebunt, abhorrebunt, et lucra bono-
rum caelestium industrie facientes, de iis effundent large hilareque, ut
sanctae est caritatis: nusquam porro committent, ut iudicio et arbitrio
Episcoporum aut opponant aut anteferant suum, sed ipsis parendo et obe-
diendo personam gerentibus Christi, felicissime elaborabunt in vinea Do-
mini, copia fructuum lectissimorum ad vitam sempiternam mansura. Quis-
quis vero se a pastore suo atque a pastorum maximo, romano Pontifice,
sententia et voluntate abiungit, nullo pacto coniungitur Christo: *Qui vos
audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit:* [2] quisquis autem est a Chri-
sto alienus, dissipat verius quam colligit. — Ex quo praeterea species modus-
que obtemperationis hominibus debitae, qui antecedunt publica potestate,
in promptu est. Nam longissime abest, ut sua ipsis iura velit quispiam
abnuere et derogare; ea potius et ab aliis civibus observanda diligenter
sunt et a sacerdotibus diligentius: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari.* [3]
Nobilissima enim atque honestissima sunt munia, quae viris principibus
Deus, dominator rectorque summus, imposuit, ut consilio, ratione, omni-
que custodia iustitiae civitatem moderentur, conservent, augeant. Proinde
clerus singula civium officia accuret et exsequatur, non in morem servien-
tis, sed reverentis; propter religionem, non propter metum; simul cum
iusto obsequio, dignitatem suam tuentes, iidem cives et sacerdotes Dei.
Quod si quando fiat, ut civile imperium in iura Dei et Ecclesiae invadat,
tum esto a sacerdotibus insigne exemplum, quemadmodum homo chri-
stianus, formidolosis religioni temporibus, in officio perstare debeat: multa
is, incolumi virtute, tacitus ferat; in tolerando male facta sit cautus, neque
improbis ulla in re assentiat neve assentetur: re autem urgente in alteru-
trum, Dei ne recusanda iussa an gratificandum hominibus, memorabile
illud dignissimumque Apostolorum responsum libera voce usurpet: *Opor-
tet obedire Deo magis quam hominibus.* [4]

9. Ad hoc veluti adumbratum specimen de ratione sacrae iuventutis
colendae, adiicere libet et aequum est, quae ad iuventutem in universum
pertinent: eius enim institutio valde Nos sollicitos habet, ut, sive ad cul-
tum mentis sive ad perfectionem animi, recte admodum integreque succe-
dat. — Novellam aetatem materno Ecclesia semper fovit complexu; eius
praesidio labores plurimos amantissime impendit et plurima adiumenta
paravit; in his, familias nonnullas hominum religiosorum constitutas, quae

[1] Philipp., II, 21.
[2] Luc., X, 16.
[3] Matth., XXII, 21.
[4] Act., V, 29.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

adolescentiam erudirent in artibus et doctrinis, ac praecipue ad sapientiam alerent virtutemque christianam. Sic auspicato fiebat ut in animos teneros pietas erga Deum facile influeret, ex qua officia hominis in se aliosque et patriam maturrime explicata, maturrime etiam in optimam spem florerent. Ecclesiae igitur iusta nunc est ingemendi caussa, quum videat in primis aetatulis filios suos a se divelli, atque in eos compelli litterarios ludos, ubi vel siletur omnino notitia Dei, vel mancum aliquid delibatur de ea perverseque miscetur; ubi colluvioni errorum nulla repagula, nulla fides documentis divinis, nullus veritati locus ut se ipsa defendat. Atqui de litterarum doctrinarumque domiciliis auctoritatem Ecclesiae catholicae prohibere, maxime iniurium est, eo quod munus religionis docendae, eius videlicet rei qua nemo homo non indiget ad salutis aeternae adeptionem, Ecclesiae a Deo sit datum; nulli vero alii datum est hominum societati, neque societas ulla sibi potest adsciscere; ideoque ipsa suum propriumque ius merito affirmat, labefactum conqueritur. — Cavendum insuper est vehementerque curandum, ut in scholis quae ditionem Ecclesiae vel omnino vel partim excusserint, ne quod iuventus periculum subeat neve ullum in fide catholica morumque honestate detrimentum capiat. In quo quidem et cleri et virorum proborum sollertia multum valebit, tum si laborent ut religionis doctrina non solum e scholis illis non exturbetur, sed, quo par est, loco maneat, maneatque apud magistros idoneos et spectatae virtutis, tum si alia quaedam praesidia inveniant et comparent, quibus ea ipsa doctrina incorrupte et commode iuventuti impertiatur. — Valebunt autem permultum consilia et opera patrumfamilias sociata. Quare opus est admonitione ad eos et hortatione quanta fieri possit gravissima: velint animadvertere, quam magna sanctaque officia sibi cum Deo intercedant de liberis suis; ut scientes religionis, bene moratos, Deum pie colentes educare debeant; ut faciant damnose, si aetatem credulam et incautam suspectis praeceptoribus in discrimen committant. Hisce in officiis, simul cum procreatione liberorum susceptis, noverint patresfamilias, totidem iura inesse secundum naturam et aequitatem, atque esse eiusmodi, de quibus nihil liceat sibi remittere, nihil cuivis hominum potestati liceat detrahere, quum, officiis solvi quibus homo teneatur ad Deum, sit per hominem nefas. Hoc igitur parentes reputent, se magnum quidem onus gerere de liberorum tuitione, multo tamen gerere maius, ut eos ad meliorem potioremque vitam, quae animorum est, educant: quod ubi per se ipsi praestare nequeant, suum prorsus esse vicaria opera aliorum praestare, ita ut necessariam religionis doctrinam ex magistris probatis audiant liberi et percipiant. Iam illud non infrequens est exemplum sane pulcherrimum religionis munificentiaeque, ut, quibus locis scholae nullae publice pateant nisi quae *neutrae* vocantur, catholici viri magnis laboribus et sumptibus aperuerint certas suas, et pari constantia sustentent. Praeclara haec et tutissima iuventutis perfugia, ubi opus est, pro rerum et locorum rationibus, alia atque alia constitui maxime optandum.

10. Neque silentio praetereundum est, christianam iuventutis institutionem in maximam ipsius reipublicae verti utilitatem. — Sane liquet innu-

merabilia et ingentia damna ei civitati metuenda esse, in qua docendi ratio et disciplina sit expers religionis, aut, quod est deterius, ab ea dissideat. Statim enim ac posthabitum et contemptum sit supremum illud divinumque magisterium, cuius admonitione iubemur vereri Dei auctoritatem, eiusdemque firmamento omnia Dei oracula tenere certissima fide, iam proclivis est humanae scientiae ad perniciosissimos errores, in primis *naturalismi* et *rationalismi*, ruina. Hinc fiet, ut iudicium arbitriumque de rebus intelligendis, ac proclivius de agendis, homini cuilibet permittatur, et continuo publica imperantium auctoritas debilitata iaceat et afflicta: quibus namque inserta sit pessima opinio, se nullo pacto obligari dominatione et rectione Dei, permirum sane si hominis ullum imperium observent et patiantur. Fundamentis vero in quibus omnis auctoritas nititur, excisis, societas coniunctionis humanae resolvitur et dissipatur, nulla erit res publica, dominatus armorum plenus et scelerum occupabit omnia. Num vero tam funestam calamitatem possit civitas, suis ipsa opibus freta, deprecari? num possit, Ecclesiae subsidia respuens? num possit, cum Ecclesia confligens? — Res prudenti cuique aperta manifestaque est. — Ipsa igitur civilis prudentia suadet, in iuventute erudienda et instituenda suam partem episcopis et clero esse relinquendam; diligenterque providendum, ne ad nobilissimum docendi munus homines vocentur vel de religione languidi et ieiuni, vel palam aversi ab Ecclesia. Quod quidem intolerabilius esset, si huiusmodi ingenii homines deligerentur ad doctrinas sacras, omnium praestantissimas, profitendas.

11. Praeterea interest quam maxime, Venerabiles Fratres, ut pericula avertatis et propulsetis, quae gregibus vestris a contagione *massonum* impendent. — Huius tenebricosae sectae consilia et artes quam sint nequitiae plena et quam exitiosa civitati, docuimus alias, singularibus litteris Nostris encyclicis, [1] nec non adiumenta indicavimus, quibus vires eius oporteat reprimi et enervari. Nec profecto erit satis unquam praemonitum, caveant christiani a tali scelerum factione: haec enim, quamquam odium grave in Ecclesiam catholicam principio concepit asperiusque deinde obfirmavit et quotidie inflammat, non tamen perpetuo inimicitias apertas exercet, at saepius agit versute et dolose, maximeque adolescentiam, quae rerum ignara est et inops consilii, miserabiliter irretit, simulata quoque specie pietatis et caritatis. — Quod est autem cautionis ab iis qui fide a catholicis discrepant, probe tenetis Ecclesiae praescripta, ne qua inde damna in christianum populum vel consuetudine vel pravitate opinionum dimanent. Videmus equidem et vehementer dolemus, facultatem Nobis ac vobis haud parem esse atque voluntatem et studium haec ipsa pericula penitus avertendi: attamen alienum non putamus, sollicitudinem vestram pastoralem incitare, et alacritatem simul acuere hominum catholicorum, si communibus studiis removeri possint aut sublevari quaecumque obsistunt communibus votis. *Assumite*, cohortatione utimur sancti decessoris Nostri Leonis Magni, *religiosae sollicitu-*

[1] Cf. N. 576, 591, 594.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

dinis pium zelum, et contra saevissimos animarum hostes omnium fidelium cura consurgat. [1]

12. Itaque, excussa, si qua insederit, segnitia et desidia, caussam religionis et Ecclesiae tamquam suam bonus quisque suscipiat; pro eaque fideliter et perseveranter propugnet. — Usuvenit enim, ut nequam homines ex inertia ac timiditate bonorum, improbitatem suam et licentiam nocendi confirment, atque etiam proferant. Sit sane, catholicorum conatus et studia minus interdum ad ea posse quae in sententia et spe habeantur: at satis in utramque partem profectura sunt, scilicet ad adversarios coercendos, et ad animos infirmos abiectosque roborandos, praeter eam magnam utilitatem quae posita est in secura officii conscientia. Quamquam, neque istud quidem facile dederimus, sollertiam et operam catholicorum, recto et perseverante consilio adhibitam, effectu suo carere. Nam semper factum est fietque semper, ut res summis difficultatibus implicatae et undique obseptae, praeclare tandem eveniant, modo animose, uti monuimus, fortiterque agantur, comite et ministra christiana prudentia. Quippe veritas, cui homo a natura cupidissime studet, mentes aliquando pervincat necesse est: ea quidem perturbationibus morbisque animi tentari atque obrui potest, exstingui non potest. — Quod opportunius convenire in Bavariam non una de caussa videtur. Huic enim, quoniam Dei beneficio in regnis catholicis numeratur, non tam opus est fidem sanctam accipere, quam acceptam a patribus custodire et fovere: praeterea, qui nomine publico auctores sunt legum ad rempublicam temperandam, ii magnam partem catholici; catholici item quum sint plerique cives et incolae, minime dubitamus quin matri suae, Ecclesiae laboranti, omni velint ope favere et succurrere. Ergo, si tam impense acriterque, ut debent, contendant omnino omnes, sane quam felices curarum exitus, auspice Deo, laetari licebit. Equidem contendant omnes praecipimus, eo quia sicut nihil est perniciosius discordia, ita nihil est praestabilius et magis efficax consensione concordiaque animorum, collectis viribus ad unum idemque nitentium. Ad haec, bene catholicis per leges suppetit medium quo conditionem habitumque rei publicae meliorem fieri expostulent, atque eum optent velintque statum, qui et Ecclesiae et sibi, si minus obsecundet et gratificetur, quod multo esset aequissimum, at non adversetur dure. Neque vero rectum erit cuiquam arguere et vituperare nostros, qui adiumenta huius generis quaerant: quibus enim adiumentis hostes catholici nominis ad licentiam uti consueverunt, id est, ut leges ab imperantibus eliciant et paene extorqueant odiosas libertati rei civilis sacraeque, nonne integrum sit catholicis eadem adhibere, atque ita adhibere, ut honestissimis modis religioni consulant, et ea tueantur bona, dotes ac iura, quae Ecclesiae catholicae divinitus collata sunt, quaeque ab universis qui praesunt qui subsunt, omni sunt honore afficienda?

13. In bonis autem Ecclesiae, quae Nos ubique semperque conservare debemus, ab omnique iniuria defendere, illud certe praestantissimum est, tanta ipsam perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda

[1] Serm. XV, c. 6.

requirat. Haec nimirum est libertas divina, ab unigenito Dei Filio auctore profecta, qui Ecclesiam sanguine fuso excitavit, qui perpetuam in hominibus statuit, qui voluit ipsi ipse praeesse: atque adeo propria est Ecclesiae, perfecti divinique operis, ut qui contra eam faciant libertatem, iidem contra Deum faciant et contra officium. — Quod enim alias, nec semel diximus, ideo constituit Deus Ecclesiam suam, ut bona animorum ultima, omnique natura rerum immensum maiora, haberet curanda, persequenda, largienda: utque, opibus fidei et gratiae, vitam a Christo in homines novam inferret, salutis sempiternae efficientem. Quoniam vero cuiusque societatis et genus et iura a caussis propositisque maxime notantur unde ipsa extiterit et quo contendat, haec facile sunt consequentia: Ecclesiam societatem esse tam a civili discretam, quam utriusque inter sese discernuntur proximae caussae et proposita; eamdem esse societatem necessariam, quae ad universitatem se porrigat generis humani, cum ad christianam vitam universi vocentur, atque ita, ut, qui recusent vel deserant, ablegentur perpetuo, vitae exsortes caelestis; esse potissimum sui iuris societatem, eamque praestantissimam, propter ipsam caelestium et immortalium bonorum, ad quae tota conspirat, excellentiam. Iam vero liberae caussae, non videt nemo, liberam trahunt facultatem rerum adhibendarum, quotquot usui sunt futurae. — Sunt autem Ecclesiae, tamquam instrumenta, apta et necessaria, posse arbitratu suo christianam doctrinam tradere, sacramenta sanctissima procurare, cultu divino fungi, omnem cleri disciplinam ordinare et temperare: quibus muneribus beneficiisque instructam et apparatam voluit Deus Ecclesiam, solam eam providentissime voluit. Ipsi uni tamquam in deposito esse iussit res omnes afflatu suo hominibus enuntiatas; eam denique unam statuit interpretem, vindicem, magistram veritatis et sapientissimam et certissimam, cuius praecepta aeque singuli aeque civitates debeant audire et sequi; similiter constat mandata ab ipso libera Ecclesiae data esse de rebus iudicandis et statuendis quaecumque melius ad consilia sua conducerent. — Qua de re, sine caussa civilia imperia suspicionem et offensionem capiunt de libertate Ecclesiae, quum demum vel civilis vel sacrae potestatis idem sit principium, unice a Deo. Ideoque non possunt inter se aut discrepare, aut impediri aut elidi, cum neque Deus constare sibi non possit, neque opera eius queant inter se pugnare; quin etiam miro commendantur caussarum rerumque concentu. Liquet praeterea Ecclesiam catholicam, dum latius liberiusque, Auctoris sui iussis obtemperans, sua signa infert in gentes, nequaquam in fines excurrere potestatis civilis, eiusque rationibus aliqua re obesse; sed tutari eas et munire; ad eius vere similitudinem quod contingit in fide christiana, quae tantum abest ut humanae rationis luminibus obstruat, ut potius ipsi addat splendorem, vel quod ab erroribus opinionum avertat, ad quos prolabi humanum est, vel quod in spatium rerum intelligendarum amplius et excelsius admittat.

14. Ad Bavariam quod attinet, rationes quaedam singulares huic Sedi Apostolicae cum ipsa intercedunt, eaeque pactis conventis ratae et sacratae. Eas quidem Apostolica Sedes, tametsi multa de iure suo paciscendo

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

remiserit, integre tamen religioseque, ut solet, semper servavit; nihilque unquam egit quod caussam querelarum ullam praeberet. Quapropter enixe optandum, ut utrinque stent utrobique conventa et rite observentur, cum ad verba, tum magis ad mentem eam qua scripta sunt. — Fuit quidem aliquando, quum perturbatio aliqua concordiae et querelarum caussa enata est; eas tamen Maximilianus I, decreto facto, lenivit, iterumque Maximilianus II aequi bonique fecit, opportunis quibusdam temperamentis sancitis. Haec quidem ipsa recentioribus temporibus esse abrogata compertum est: Nobis tamen ex religione prudentiaque Principis, qui gubernacula tenet regni Bavarici, admodum est quod confidamus futurum, ut qui locum religionemque Maximilianorum praeclara haereditate excepit, velit ipse mature rei catholicae incolumitati prospicere, eiusque incrementa, amotis impedimentis, provehere. Ipsi profecto catholici homines, quae est pars civium maxima, eaque caritate patriae et observantia in gubernatores sine ulla dubitatione probabilis, si sibi in re tanti momenti responderi et satisfieri viderint, profecto excellent obsequio et fide adversus Principem suum, similitudine quadam filiorum in patrem, et singula eius consilia ad regni bonum ac decus summa voluntate subsequentur, summis viribus plene perficient.

15. Haec quidem, Venerabiles Fratres, vobis communicare Apostolici officii ratio impulit. Superest, ut Dei opem certatim omnes imploremus, precatoresque ad Eum adhibeamus gloriosissimam Virginem Mariam, Caelitesque regni Bavarici patronos, ut communibus votis benignus annuens, tranquilla Ecclesiam donet libertate, detque Bavariam maiori in dies gloria et prosperitate frui.

16. Auspicem autem caelestium munerum, praecipuaeque Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, clero populoque universo vigilantiae vestrae commisso, peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. VII, p. 219-243].

597.

Leo XIII, litt. ap. *Praeclaro*, 3 febr. 1888.

Praeclaro divinae gratiae munere effectum est, ut sacerdotalis Nostrae consecrationis diem quinquagesimo anno redeuntem frequenti Episcoporum venerabilium Fratrum Nostrorum corona septi, innumero fidelium coetu stipati quin et universo christiano orbe gestiente celebrare potuerimus. Cui tantae celebritati fastigium impositum est maioribus caelitum honoribus, quos divino spiritu adspirante, suprema auctoritate Nostra nonnullis eximiae sanctitatis viris solemni ritu attribuimus. Quae quidem omnia non uno Nobis nomine grata et periucunda fuerunt. Primo enim in spem adducimur fore ut fidelium precibus ac novensilium sanctorum intercessione propitiatus Deus, tot tantisque, quibus humana premitur societas, malis opportuna afferat remedia, optatamque mundo pacem ac tranquilli-

tatem largiatur. Deinde vero ex eo laetamur quod innumerabiles observantiae et obsequii significationes, quibus Nos toto orbe fideles unanimi consensione prosecuti sunt, tum ostendunt et antiquam pietatem et Apostolicae Sedis amorem christianis pectoribus alte manere defixum, tum in summam venerabilium Fratrum sacrorum Antistitum laudem cedunt, quorum opera ac virtute, in populis sibi commendatis et concreditis, in tanta temporum perversitate, ita viget ac floret catholicae religionis cultus et huic S. Sedi ac Romano Pontifici sunt animi addicti atque coniuncti. Nos ne fausti huius eventus memoria intercidat, atque ut publicum aliquod benevolentiae Nostrae testimonium venerabilibus Fratribus exhibeamus, externo honoris insigni universos terrarum orbis Antistites exornandos censuimus. Quare hisce litteris Apostolica auctoritate Nostra perpetuum in modum concedimus ut universi Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi birreto violacei coloris hoc futurisque temporibus uti libere et licite possint et valeant. Hoc ita illis proprium volumus ut alius qui episcopali dignitate non sit insignitus eiusmodi ornamento nullatenus potiri queat. Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis, ceterisque omnibus licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

[Leonis XIII Acta, vol. VIII, p. 120, 121].

598.

Leo XIII, ep. *In plurimis*, 5 maii 1888. [1]

In plurimis maximisque pietatis significationibus, quas universae fere gentes, ad gratulandum Nobis annum quinquagesimum sacerdotii feliciter plenum, exhibuerunt quotidieque exhibent, una quaedam singulariter movit, a Brasilia profecta, quod nimirum, ob eius eventus faustitatem, libero sint iure donati non pauci ex iis, qui per latissimos istius imperii fines sub iugo ingemunt servitutis. — Tale quidem opus, christianae plenum misericordiae, curantibus cum clero viris matronisque beneficis, auctori Deo et largitori bonorum omnium oblatum est, tamquam gratiarum testimonium de aucto tam benigne Nobis munere aetatis et incolumitatis. — Nobis autem fuit acceptum in primis et iucundum, eo vel magis, quod in hac Nos pergrata opinione confirmabat, omnino velle Brasilianos servitutis immanitatem tolli penitusque extirpari. Cui quidem voluntati populari obsecundatum est eximio studio ab Imperatore pariter et a Filia augusta, itemque ab eis qui rei publicae praesunt, certis quoque legibus in id latis et sancitis. Quantum Nobis haec res afferret solatii, nominatim, superiore mense Ianuario, augusti Imperatoris apud Nos Legato declaravimus: hoc amplius adiuncto, Nosmetipsos ad Episcopos Brasiliae, miserorum servorum caussa, litteras daturos. [2]

[1] Venerabilibus Fratribus Episcopis Brasiliae.

[2] «A l'occasion de notre Jubilé..., Nous désirons donner au Brésil un témoignage tout particulier de Notre paternelle affection, au sujet de l'émancipation des esclaves» (*Réponse à l'Adresse du Ministre du Brésil, de Souza Correa*).

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Nos quidem ad omnes homines vice fungimur Christi, Filii Dei, qui humanum genus amore tanto complexus est, ut non modo non recusarit, natura nostra suscepta, versari nobiscum, sed et nomen adamarit Filii hominis, palam testatus, se ad consuetudinem nostram propterea accessisse *ut praedicaret captivis remissionem*, [1] atque a pessima, quae peccati est, servitute humano genere vindicato, *omnia quae in caelis et quae in terra sunt in se instauraret*, [2] itemque universam Adami progeniem ex alta communis noxae ruina in gradum pristinum dignitatis restitueret. Aptissime ad rem S. Gregorius Magnus: *Quum Redemptor noster totius conditor creaturae, ad hoc propitiatus humanam voluerit carnem assumere, ut divinitatis suae gratia, dirupto, quo tenebamur captivi, vinculo servitutis, pristinae nos restitueret libertati, salubriter agitur, si homines quos ab initio natura liberos protulit, et ius gentium iugo substituit servitutis, in ea qua nati fuerant, manumittentis beneficio, libertate reddantur.* [3] — Addecet igitur, et est plane muneris Apostolici, ea omnia foveri a Nobis impenseque provehi, unde homines tum singuli tum iure sociati habere queant praesidia ad multiplices miserias levandas, quae, tamquam corruptae arboris fructus, ex culpa primi parentis profluxere: ea quippe praesidia, quocumque in genere sunt, non modo ad cultum et humanitatem valde possunt, sed etiam apte conducunt ad eam rerum ex integro renovationem, quam Redemptor hominum Iesus Christus spectavit et voluit.

Iamvero tot inter miserias, graviter deplorandum videtur de servitute, cui pars non exigua humanae familiae abhinc multis saeculis est obnoxia, in squalore iacens et sordibus, idque omnino contra quam a Deo et natura erat primitus institutum. — Sic enim ille rerum conditor summus decreverat, ut homo in bestiis et agrestibus et natantibus et volucribus regium quemdam dominatum teneret, non item ut in similes sui homines dominaretur: *Rationalem factum*, ex Augustini sententia, *ad imaginem suam, noluit nisi irrationabilibus dominari: non hominem homini, sed hominem pecori.* [4] Quo fit ut *conditio servitutis iure intelligatur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura.* [5]

Ex primi contagione peccati et cetera mala omnia et ista erupit monstrosa perversitas, ut homines fuerint, qui, memoria fraternae ab origine coniunctionis reiecta, non iam duce natura mutuam inter se benevolentiam mutuamque observantiam colerent, sed cupiditatibus obedientes suis, homines alios infra se putare coeperint, et perinde habere ac nata iugo iumenta. Hoc modo, nulla ratione habita neque communis naturae, neque dignitatis humanae, neque divinae expressae similitudinis, consecutum est ut, per certationes et bella quae deinde exarserunt, qui vi existerent superiores, ii victos sibi subiicerent, atque ita multitudo eiusdem generis indi-

[1] Is., LXI, 1; IV, 19.
[2] Ephes., I, 10.
[3] Lib. VI, ep. 12.
[4] Gen., I, 26.
[5] Gen., I, 25, Noe, c. XXX.

vidua sensim in duas abscesserit partes, sub victoribus dominis victa mancipia. — Cuius rei luctuosum quasi theatrum memoria priscorum temporum explicat, ad tempora usque Domini Servatoris, quum calamitas servitutis populos omnes late pervaserat, rariorque erat numerus ingenuorum, ut Caesarem poeta ille atrociter dicentem induxerit; *Humanum paucis vivit genus.* [1] Idque apud eas etiam nationes viguit, quae omni cultu expolitae eminebant, apud Graecos, apud Romanos, quum paucorum dominatio esset in plurimos; eaque cum improbitate et superbia tanta exercebatur, ut servorum turbae nihil supra censerentur quam bona, non personae sed res, omnis expertes iuris, ipsa adempta facultate retinendae fruendaeque vitae. *In potestate dominorum sunt servi, quae quidem potestas iuris gentium est: nam apud omnes peraeque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitae necisque potestatem esse, et quodcumque per servum acquiritur id dominis acquiritur.* [2] — Ex hac rerum perturbatione licuit dominis servos permutare, venumdare, hereditate tradere, caedere, morti dare, iisque abuti ad licentiam diramque superstitionem: impune et in luce licuit. — Quin etiam ethnicorum qui prudentissimi ferebantur, philosophi insignes, consultissimi iuris, hoc sibi aliisque, per summam communis iudicii iniuriam, suadere conati sunt, esse servitutem nihil aliud quam necessariam naturae conditionem: nec enim sunt veriti profiteri, quia servorum genus generi liberorum longe multumque et virtute intelligendi et praestantia corporum cederet, oportere idcirco, servos, veluti carentia ratione et consilio instrumenta, dominorum usquequaque voluntatibus temere indigneque servire. Eiusmodi detestanda maxime tum inhumanitas tum iniquitas; qua semel accepta, nulla iam sit oppressio hominum barbara et nefanda, quae non sese in legis quadam iurisve specie impudentissime tueatur. — Inde vero quale flagitiorum seminarium, quae pestis et pernicies in civitates manarit, exemplorum pleni sunt libri: in animis servorum exacui odia, teneri dominos suspicione metuque perpetuo; alios ad explendas iras parare faces, cervicibus alios instare crudelius; aliorum numero, aliorum vi civitates commoveri, levi momento dissolvi: tumultus et seditiones, direptiones et incendia, proelia caedesque misceri.

In eo deiectionis profundo mortalium plurimi laborabant, multoque miserius ut mersi erant superstitionum caligine; quum, maturis divino consilio temporibus, lux e caelo admirabilis oborta est, et gratia redimentis Christi ad hominum universitatem se copiose profudit; cuius beneficio illi erecti sunt e caeno et aerumna servitutis, omnesque omnino a deterrimo peccati servitio ad praestantissimam dignitatem filiorum Dei sunt revocati et adducti. — Apostoli enimvero inde ab initio Ecclesiae, praeter alia praecepta vitae sanctissima, hoc etiam tradidere et inculcavere, quod est non semel scriptum a Paulo ad renatos e lavacro Baptismatis: *Omnes filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu: quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque*

[1] Lucan. Phars., V, 343.
[2] Iustinian., *Instit.*, I, 1, tit. 8, n. 1.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu. [1] *Non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus.* [2] *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive Gentiles, sive servi sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus.* [3] — Aurea sane, honestissima, saluberrima documenta, quorum efficacitate non modo hominum generi decus redditur suum atque augetur, sed etiam, cuiuscumque ipsi sunt loci vel linguae vel gradus, inter se consociantur et vinculis fraternae necessitudinis arctissime continentur. Ea vere beatissimus Paulus, qua Christi urgebatur caritate, ex ipso Eius corde hauserat, qui se fratrem singulis cunctisque hominibus perbenigne dedidit, quique de se omnes, ne uno quidem dempto aut posthabito, ita nobilitavit ut consortes adsdsceret naturae divinae. Ea ipsa non secus fuere ac divinitus insertae propagines, quae mirum in modum provenientes effloruerunt ad spem felicitatemque publicam; quum, decursu rerum et temporum, perseverante opera Ecclesiae, societas civitatum ad similitudinem familiae renovata coaluerit, christiana et libera.

Principio enim solertissima cura Ecclesiae in eo versata est, ut populus christianus de hac etiam magni ponderis re sinceram Christi et Apostolorum doctrinam acciperet probeque teneret. Iam nunc per Adamum novum, qui est Christus, communionem fraternam et hominis cum homine et gentis cum gente intercedere: ipsis, sicut unam eamdemque, intra naturae fines, originem, sic, supra naturam, originem unam eamdemque esse salutis et fidei: omnes aequabiliter in adoptionem unius Dei et Patris accitos, quippe quos eodem ipse pretio magno una redemerit: eiusdem corporis membra omnes, omnesque eiusdem participes mensae divinae: omnibus gratiae munera, omnibus item munera vitae immortalis patere. — Hisce positis, tamquam initiis et fundamentis, contendit Ecclesia ut servilis vitae oneribus et ignominiae mitigationem aliquam bona mater afferret; eius rei causa iura atque officia dominos inter servosque necessaria, prout affirmata sunt in Apostolorum epistolis, definivit valideque commendavit. — Apostolorum enim Principes ita servos quos adiunxerant Christo commonebant: *Subditi estote in omni timore, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* [4] *Obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus; scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus sive liber.* [5] Idem Paulus Timotheo suo: *Quicumque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur; qui autem fideles habeant dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Haec doce et*

[1] Gal., III, 26-28.
[2] Coloss., III, 11.
[3] I Cor., XII, 13.
[4] I Petr., II, 18.
[5] Eph., VI, 5-8.

exhortare. [1] Tito pariter mandavit, doceret servos *dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.* [2] — Illi vero fidei christianae prisci discipuli optime intellexerunt, ex tali hominum fraterna in Christo aequalitate nihil admodum de obsequio, de honore, de fidelitate, de ceteris officiis, quibus ad dominos tenerentur, neque minui neque remitti; inde autem non unum consequi bonum, ut eadem nimirum officia et certiora essent, et leviora fierent atque suavia ad exercendum, et fructuosiora ad gloriam promerendam caelestem. Sic enim dominis reverentiam et honorem habebant tamquam iis hominibus qui auctoritate Dei, a quo omnis potestas derivatur, pollerent; non apud ipsos poenarum metus aut consiliorum astutia et incitamenta utilitatum valebant, sed conscientia officii, vis caritatis. Vicissim ad dominos iusta ab Apostolo spectabat cohortatio, ut bene factis servorum gratiam ipsi bonam rependerent: *Et vos, domini eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in caelis, et personarum acceptio non est apud eum:* [3] considerarent, sicut servo haud aequum sortem dolere suam, quum *libertus sit Domini*, neque item homini libero, quum *Christi sit servus*, [4] licere usquam spiritus tollere superbeque imperare. In quo erat dominis praeceptum, ut suis ipsi in servis hominem agnoscerent convenienterque colerent, neque alios a se natura, et secum pares religione conservosque ad communis Domini maiestatem. — Istis tam rectis legibus, maximeque factis ad partes conformandas societatis domesticae, re ipsa paruerunt Apostoli. Insigne Pauli exemplum, ut fecit ille scripsitque benevole pro Onesimo, servo Philemonis fugitivo: quem ad eum remittit hac peramanti commendatione: *Tu autem illum ut mea viscera suscipe... iam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem et in carne et in Domino; si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa.* [5]

Utramque agendi rationem in servos, ethnicam et christianam, qui conferre velit, facile dabit, fuisse alteram inclementem et flagitiosam, alteram mitissimam plenamque honestatis, neque erit commissurus, ut Ecclesiam, tantae indulgentiae ministram, merita laude fraudare videatur. — Id eo vel magis, quum quis diligenter advertat qua Ecclesia lenitate et prudentia foedissimam servitutis pestem exsecuit depulitque. — Illa enim ad manumissionem libertatemque curandam servorum noluit properare, quod, nisi tumultuose et cum suo ipsorum damno reique publicae detrimento fieri profecto non poterat; sed praecipuo consilio prospexit ut animi servorum in disciplina sua erudirentur ad veritatem christianam, et consentaneos mores cum baptismo induerent. Quamobrem, in servorum multitudine quos sibi filios adnumerabat, si qui, spe aliqua illecti libertatis, vim et seditionem essent moliti, ea vitiosa studia improbavit semper Ecclesia

[1] I Tim., VI, 1, 2.
[2] Tit., II, 9, 10.
[3] Ephes., VI, 9.
[4] I Cor., VII, 22.
[5] Ad Phil., 12-18.

et compressit, adhibuitque per suos ministros remedia patientiae. Habe-
rent scilicet persuasum, se quidem, propter sanctae fidei lumen atque
insigne a Christo acceptum, ethnicis dominis multum dignitate antecellere,
ab ipso tamen fidei Auctore et Parente religiosius adstringi, ne quid adver-
sus eos in se admitterent, neu minimum a reverentia eis debita et obedien-
tia discederent; se autem quum nossent regno Dei adlectos, libertate filio-
rum eius potitos, ad bona non peritura vocatos, laborare ne vellent de
abiectione incommodisque vitae caducae, sed oculis animisque ad caelum
sublatis, se ipsi consolarentur sanctoque in proposito confirmarent. Servos
in primis allocutus est Petrus Apostolus quum scripsit: *Haec est gratia,
si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. In hoc enim
vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum,
ut sequamini vestigia eius.* [1] — Laus tanta sollicitudinis cum moderatione
coniunctae, quae divinam Ecclesiae virtutem praeclarius exornat, augetur
etiam a fortitudine animi supra quam credibile sit invicta et excelsa, quam
bene multis de servis infimis potuit ipsa indere et sustinere. Permira res,
qui dominis suis erant in exemplum morigeri eorumque gratia omnium
erant laborum patientissimi, nullo ipsos pacto potuisse adduci, ut domi-
norum iniqua mandata mandatis Domini sanctis anteferrent, atque adeo
vitam acerbissimis cruciatibus, securis animis, securo vultu, obiecisse. No-
men *Patamianae* virginis ad memoriam invictae constantiae ab Eusebio
celebratur: quae scilicet potius quam impudici heri indulgeret libidini,
mortem non timida oppetiit, et profuso sanguine fidem Iesu Christo ser-
vavit. Similia admirari licet servorum exempla, qui, dominis libertatem
sibi animorum, fidemque Deo obligatam oppugnantibus, firmissime ad
necem repugnaverunt: qui vero, christiani servi, aliis de causis restiterint
dominis, vel coniurationes turbasve civitatibus exitiosas concitarint, histo-
ria prodidit nullos.

Pacatis exinde rebus quietisque Ecclesiae temporibus, apostolica docu-
menta de fraterna inter Christianos coniunctione animorum sancti Patres
admirabili exposuere sapientia, et caritate pari ad servorum utilitatem trans-
tulerunt, hoc enisi convincere, ut iura quidem dominis in operis servo-
rum ex honesto constarent, nequaquam vero liceret imperiosa illa pote-
stas in capita et immanis saevitia. In Graecis praestat Chrysostomus, qui
habet hunc locum saepe tractatum, quique perlaeto animo et lingua affir-
mavit, servitutem, ad veterem verbi notionem, iam per id tempus, magno
christianae fidei beneficio esse sublatam, ut sine re nomen inter Domini
discipulos et videretur et esset. Etenim Christus (sic ille summatim dispu-
tat), quum culpam origine contractam summa in nos miseratione detersit,
sanavit idem consecutam multiplicem ad ordines societatis humanae corrup-
tionem; proptereaque, quemadmodum mors per ipsum, terroribus positis,
placida est ad beatam vitam migratio, ita sublatam esse servitutem. Chri-
stianum hominem, nisi rursus peccatis serviat, servum ne dixeris: fratres
omnino, quotquot sunt in Christo Iesu renati et suscepti: a nova ista pro-

[1] I Petr., II, 19-21.

creatione atque in Dei familiam cooptatione, non a claritate generis, orna-
menta proficisci; a veritatis, non a sanguinis laude dignitatem parari; quo
vero species ipsa evangelicae *fraternitatis* ampliorem habeat fructum, opus
admodum esse, vel in externa vitae consuetudine, vicissitudinem quam-
dam elucere studiorum et officiorum libentissimam, ita ut servi eodem
ferme loco ducantur quo domestici et familiares, iisque a patrefamilias
non solum ea suppetant quae sunt vitae victusque, sed omnia etiam reli-
giosae institutionis praesidia. E singulari denique salutatione Pauli ad Phi-
lemonem, gratiam adprecantis et pacem *Ecclesiae quae in domo tua est,* [1]
documentum aeque dominis servisque christianis optime haberi statutum,
quos inter communio sit fidei, inter eos communionem esse debere cari-
tatis. [2] — De Latinis merito et iure commemoramus Ambrosium; qui tam
studiose in eadem causa omnes necessitudinum rationes est persecutus,
tamque definite ad christianas leges utrique hominum generi propria attri-
buit, nemo ut aptius fecerit: cuius sententiae nihil attinet dicere quam
plene cum sententiis Chrysostomi perfecteque conveniant. [3]

Erant haec rectissime, ut patet, utiliterque praescripta; sed et iam,
quod caput est, integre sancteque a priscis temporibus sunt custodita ubi-
cumque floruit christiana professio. — Quod nisi esset, non ita Lactantius,
defensor ille religionis eximius, confidenter quasi testis instaret: *Dicet ali-
quis: Nonne sunt apud vos alii pauperes, alii divites, alii servi, alii domini?
nonne aliquid inter singulos interest? Nihil: nec alia caussa est cur nobis invi-
cem fratrum nomen impertiamur, nisi quia pares esse nos credimus: nam quum
omnia humana, non corpore sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diversa
conditio, nobis tamen servi non sunt, sed eos et habemus et dicimus spiritu
fratres, religione conservos.* [4]

Procedebant Ecclesiae curae in patrocinio servorum, et, nulla missa
opportunitate, eo usque caute pertinebant, si tandem ii possent in liber-
tatem dari: quod profuturum valde erat ad salutem etiam sempiternam. —
Bene respondisse eventus, annales sacrae antiquitatis afferunt testimonia.
Nobiles ipsae matronae, Hieronymi laudibus spectatissimae, huic rei iuvan-
dae singularem operam contulerunt: referente autem Salviano, in chri-
stianis familiis, iisque non ita locupletibus, fiebat saepenumero, ut servi
manumissione munifica liberi abirent. Quin etiam eo praeclarius specimen
caritatis S. Clemens multo ante laudavit; quemadmodum Christiani non-
nulli sese servituti, conversis personis, subiecerint, quod servos quosdam
alio pacto liberare nequissent. [5] — Quare, praeter quam quod servorum
manumissio in templis haberi, item ut actio pietatis, coepta est, eam Eccle-
sia instituit christifidelibus testamenta facientibus commendare, tamquam
opus pergratum Deo magnique apud ipsum meriti et praemii: ex quo

[1] Ad Philem., V, 2.
[2] Hom. XXIX in Gen., or. in Lazar., Hom. XIX in ep. I ad Cor., Hom. I, in ep. ad Phil.
[3] De Abr. de Iacob, et vita beata, c. III, de Patr. Ioseph., c. IV, Exhort. virgin., c. I.
[4] Divin. Instit., l. V, c. 16.
[5] I Ep. ad Cor., c. 55.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

illa manumissionis heredi mandandae concepta verba *pro amore Dei, pro remedio* vel *mercede animae meae.* Neque rei ulli, in pretium captivorum, temperatum est: donata Deo bona, divendita; aurum et argentum sacrum, conflata; basilicarum ornamenta et donaria, alienata: id quod Ambrosius, Augustinus, Hilarius, Eligius, Patritius, alii multi et sanctissimi viri fecerunt non semel. — Vel maxime fecerunt pro servis Pontifices romani, illi vere in omni memoria et infirmiorum tutores et vindices oppressorum. S. Gregorius M. quam plurimos potuit ipse in libertatem asseruit, et in concilio romano an. DXCVII iis libertatem concessam voluit qui monasticam vitam agere constituissent: posse servos, invitis dominis, matrimonia libere inire Hadrianus I defendit: ab Alexandro III, an. MCLXVII, apertissime edictum est mauro Valentiae regi, ne quem christianum hominem servitio addiceret, quod nemo natura servus, a Deo liberi omnes facti. Innocentius autem III, an. MCIIC, Ordinem *Sanctissimae Trinitatis Christianis redimendis* qui Turcarum in potestatem incidissent, rogatu auctorum, Ioannis a Matha, Felicis Valesii, probatum ratumque habuit. Similem huic Ordinem *Mariae sanctae a Mercede* Honorius III posteaque Gregorius IX rite probavere; quem Petrus Nolascus ea ardua lege condiderat, ut religiosi illi homines se ipsi pro Christianis in tyrannide captivis captivos devoverent, opus si esset ad redimendos. Idem Gregorius magis amplum libertatis subsidium decrevit, ut Ecclesiae servos nefas esset permutari: idem exhortationem ad Christifideles addidit, ut pro admissorum poenis servos suos Deo Sanctisque piaculi causa donarent. — Accedunt multa in hac re benefacta Ecclesiae. Ipsa etenim servos ab asperis dominorum iris damnosisque iniuriis, adhibita severitate poenarum, defendere consuevit; quos violenta manus vexaret, iis perfugia pandere aedes sacras; manumissos accipere in fidem, atque eos animadversione continere, qui ausi malis artibus liberum hominem in servitutem redigere. Eo ipsa propensius libertati favit servorum, quos quoquo modo, pro temporibus locisque, haberet suos; vel quum statuit ut omni servitutis vinculo ab episcopis solverentur, qui se laudabili vitae honestate aliquamdiu probassent, vel quum episcopis facile permisit, ut sibi addictos suprema voluntate liberos dicerent. Dandum item miserationi et virtuti Ecclesiae, quod servis remissum aliquid sit de gravitate legis civilis, quoad est impetratum, ut proposita Gregorii Magni temperamenta, in scriptum ius civitatum recepta, valerent: id autem factum, Carolo Magno praesertim agente, qui ea in *Capitularia* sua, quemadmodum postea Gratianus in *Decretum,* induxit. Monumenta denique, leges, instituta, continuo aetatum ordine, docent et declarant magnifice summam Ecclesiae caritatem in servos, quorum conditionem afflictam nullo tempore vacuam tutela reliquit, omni semper ope allevavit. — Itaque Ecclesiae catholicae, amplissimo Christi Redemptoris beneficio, expultrici servitutis, veraeque inter homines libertatis, fraternitatis, aequalitatis effectrici, satis numquam, proinde ac de prosperitate gentium merita est, haberi potest vel laudis vel gratiae.

Saeculo inclinante quinto decimo, quo tempore, funesta servitutis labe apud gentes christianas prope deleta, sese civitates in libertate evangelica

stabilire atque etiam latius proferre imperium studebant, haec Apostolica Sedes diligentissime cavit, necubi mala eiusdem pravitatis germina reviviscerent. Ad regiones igitur nove repertas Africae, Asiae, Americae, vigilem providentiam intendit: fama enim manaverat, earum duces expeditionum, homines christianos, armis ingenioque minus recte uti, ad struendam imponendamque innoxiis nationibus servitutem. Cruda scilicet natura soli, quod erat subigendum, neque minus metallorum opes explorandae effodiendae, quum operas bene validas postularent, iniusta plane suscepta sunt atque inhumana consilia. Fieri enim coepta est quaedam mercatura, servis ad id opus ex Aethiopia deportandis, quae, nominata deinceps *la tratta dei Negri,* nimium quantum eas occupavit colonias. Secuta quoque est, non absimili iniuria, indigenarum hominum (qui universe *Indi* appellati) ad modum servitutis oppressio. His de rebus ubi Pius II certior est factus, mora nulla interposita, die VII octobris an. MCCCCLXII, epistolam dedit ad episcopum Rubicensem, qua tantam improbitatem redarguit et damnavit. Aliquo post tempore, Leo X quantum potuit officiorum et auctoritatis apud reges et Lusitaniae et Hispaniarum adhibuit, qui eam licentiam, religioni pariter atque humanitati iustitiaeque probrosam, radicitus excidendam curarent. Nihilo minus ea calamitas confirmata haerebat, manente impura causa, inexplebili habendi cupiditate. Tum Paulus III, de conditione Indorum servorumque maurorum paterna caritate anxius, ad hoc venit extremum consilii, ut solemni decreto, in luce quasi conspectuque omnium gentium, pronuntiaret, triplicis modi potestatem illis deberi universis iustam et propriam; posse nimirum sui quemque esse iuris, posse consociatos suis legibus vivere, posse rem sibi facere et habere. Hoc amplius, litteris missis ad Card. Archiepiscopum Toletanum, qui fecissent contra idem decretum, in eos statuit interdictionem sacrorum, integra romano Pontifici reconciliandi facultate.[1] Eadem providentia eademque constantia, Indis atque Mauris, iisque vel nondum christiana fide instructis, alii subinde Pontifices sese assertores libertatis acerrimos praestitere, Urbanus VIII,[2] Benedictus XIV,[3] Pius VII; qui praeterea in principum Europae foederatorum Vindobonensi conventu, communia consilia huc etiam advertit, ut ea Nigritarum distractio, quam diximus, multis iam desueta locis, funditus convelleretur. Etiam Gregorius XVI negligentes humanitatis et legum gravissime admonuit, idemque Apostolicae Sedis decreta statutasque poenas revocavit, et rationem nullam praetermisit ut externae quoque nationes, europaearum secutae mansuetudinem, a dedecore et feritate servitutis abstinerent, abhorrerent.[4] Opportunissime vero Nobis accidit, ut sua summos principes rerumque publicarum moderatores gratulatione prosequamur, quibus perseveranter instantibus, querimoniis diuturnis aequissimisque naturae et religionis iam satis est factum.

[1] *Veritas ipsa,* 28 maii 1537.
[2] Litt. *Commissum Nobis,* 22 apr. 1639. — Cf. Bull. Rom., tom. 6, II, p. 183, 184.
[3] Cf. N. 321.
[4] *In supremo Apostolatus fastigio,* 3 dec. 1839 — Cf. N. 494.

In re tamen persimili residet Nobis in animo alia quaedam cura quae non mediocriter angit, et Nostram urget sollicitudinem. Quippe tam turpis hominum mercatura ea quidem mari fieri desiit, terra vero nimis multum nimisque barbare exercetur; idque maxime in nonnullis Africae partibus. Hoc enim perverse a Mahometanis posito, hominem Aethiopem adsimilisve nationis vix aliquo numero supra esse beluam, videre licet et horrere perfidiam hominum atque immanitatem. Ex improviso in Aethiopum tribus tale nihil metuentes more irruunt impetuque praedonum; in pagos, in villas, in mapalia incursant, omnia vastant, populantur, diripiunt; viros perinde et feminas et pueros, facile captos vinctosque abducunt, ut per vim ad nundinas trahant flagitiosissimas. Ex Aegypto, ex Zanzibar, partim quoque ex Sudan, quasi e stationibus, illae detestabiles expeditiones deduci solent; per longa itinera pergere viri constricti catenis, tenuissimo victu, sub crebra verberum caede; ad haec ferenda imbecilliores necari; qui satis salvi, gregatim cum reliqua turba ire venum, atque emptori prostare moroso et impudenti. Cui vero quisque venditus et permissus sit, discidio miserabili qua uxorum, qua liberorum, qua parentum, illius in potestate ad servitutem adigitur maxime duram et fere nefandam, neque ipsa recusare potest sacra Mahometi. Haec Nos, summa animi aegritudine, a quibusdam non ita ante accepimus, qui coram nec sine lacrimis eiusmodi infamiam et deformitatem spectaverunt: cum iis autem plane cohaerent quae a nuperis Africae aequinoctialis exploratoribus sunt narrata. Quin etiam istorum ex testimonio et fide compertum apparet, ad quater centena millia sic homines afros vendi solitos, pecorum instar, quotannis; quorum dimidiam circiter partem de viis asperrimis languidos concidere ibique interire; ut, sane ad dicendum quam triste, velut factam ex residuis ossibus semitam ea loca peragrantes dispiciant. — Quis non tantarum miseriarum cogitatione moveatur? Nos equidem qui personam gerimus Christi amantissimi omnium gentium sospitatoris et Redemptoris, quique adeo laetamur de plurimis gloriosisque Ecclesiae promeritis in omne genus aerumnosos, vix possumus eloqui quanta miseratione erga illas afficimur infelicissimas gentes, quanta caritatis amplitudine ad eas pandimus brachia, quam vehementer cupimus omnia ipsis posse allevamenta et subsidia impertire, eo proposito ut, simul cum servitute hominum servitute superstitionis excussa, uni veroque Deo, sub Christi suavissimo iugo, possint tandem servire, divinae hereditatis nobiscum participes. Utinam omnes, quicumque imperio et potestate antecedunt, vel iura gentium et humanitatis sancta esse volunt, vel religionis catholicae incrementis ex animo student, ubique omnes, hortantibus rogantibus Nobis, ad eiusmodi mercaturam, qua nulla inhonesta magis et scelerata, comprimendam, prohibendam, extinguendam enixe conspirent. — Interea, dum acriore ingeniorum et operum cursu nova itinera ad africas terras, nova commercia instruuntur, contendant viri apostolici, ut, quoad melius fieri possit, sit saluti servorum libertatique consultum. Huc ipsi alio praesidio nullo reapse proficient, nisi, divina gratia roborati, toti sint in disseminanda fide nostra sanctissima eaque laboriosius in dies alenda; cuius est fructus insignis

ut libertatem mire conciliet ac pariat *qua Christus nos liberavit.*[1] Itaque, tamquam in speculum virtutis apostolicae, inspiciant monemus in vitam et facta *Petri Claver*, cui recentem gloriae lauream addidimus: in eum inspiciant, qui, summa laborum constantia, annos continenter quadraginta, maurorum gregibus servorum miserrimis sese totum impendit, vere ipsorum Apostolus praedicandus quibus se perpetuum servum et profitebatur et dabat. Caritatem viri, patientiam si curae habeant sumere sibi et referre, ii profecto digni exsistent administri salutis, auctores consolationis, nuntii pacis, qui solitudinem, incultum, feritatem in ubertatem possint religionis cultusque laetissimam, Deo iuvante, convertere.

Iamque in vobis, Venerabiles Fratres, cogitatio et litterae Nostrae gestiunt conquiescere, ut vobis iterum significemus iterumque vobiscum sociemus singulare quod capimus gaudium, ob ea quae isto in Imperio publice inita sunt de servitute consilia. Siquidem per leges quum provisum cautumque sit, ut, quotquot sunt adhuc de conditione servili, in ordinem et iura liberorum debeant admitti, id Nobis ut bonum et faustum et salutare per se videtur, sic etiam spem firmat fovetque ad auctus rei civilis reique sacrae in futurum laetandos. Ita Brasilici nomen Imperii apud humanissimas quasque gentes erit merito in commemoratione et in laudibus, nomenque simul florebit Imperatoris augusti; cuius ea fertur praeclara vox, nihil se habere optatius, quam ut omne in finibus suis servitutis vestigium celeriter deleatur. — At vero, dum ea ipsa legum iussa perficiuntur, incumbite alacres, omni ope rogamus, et operam providentissime date praesenti rei, quam difficultates impediunt profecto non leves. Omnino per vos efficiendum, ut domini et servi optimis inter se animis congruant optimaque fide, neu quidquam de clementia aut de iustitia decedant, sed, quaecumque transigenda sunt, omnia legitime, sedate, christiano modo transigant: quod enim exoptabant omnes, tolli et deleri servitutem, hoc prospere cedat optandum maxime est, nullo divini vel humani iuris incommodo, nulla civitatis perturbatione, atque adeo cum solida ipsorum, quorum agitur causa, utilitate servorum. — Quibus singulatim, sive qui iam facti liberi sunt, sive qui fient propediem, monita nonnulla salutis, e sententiis delibata magni gentium Apostoli, pastorali cum studio animoque paterno commendamus. Ergo illi memoriam et voluntatem gratam pie ad eos servare diligenterque profiteri studeant, quorum consilio operaque in libertatem vindicati sunt. Tanto se munere numquam praebeant indignos, nec umquam libertatem cum licentia cupiditatum permisceant; ea vero utantur quo modo cives decet bene moratos, ad industriam vitae actuosae, ad commoda et ornamenta quum familiae tum civitatis. Vereri et colere maiestatem principum, parere magistratibus, legibus obtemperare, haec officia et similia, non tam metu adducti quam religione, assidue exsequantur: etiam cohibeant arceantque alienae copiae et praestantiae invidiam, quae dolendum quam multos ex tenuioribus quotidie torqueat et quam multa ministret nequitiae plena instrumenta adversus ordinum secu-

[1] Galat., IV, 31.

ritatem et pacem. Re sua et statu contenti, nihil carius cogitent, nihil appetant cupidius quam bona regni caelestis, quorum gratia in lucem editi sunt et a Christo redempti: de Deo eodemque Domino ac Liberatore suo cum pietate sentiant, eum totis viribus diligant, eius mandata omni cura custodiant. Sponsae eius, Ecclesiae sanctae, se filios esse gaudeant, esse optimos laborent, et quam possint amoris vicem sedulo reddant.

Haec eadem documenta vos item, Venerabiles Fratres, ipsis suadere et persuadere libertis insistite; ut, quod summum est Nobis votum idemque vobis bonisque omnibus esse debet, partae libertatis fructus religio in primis, quacumque istud patet Imperium, amplissimos habeat, ad perpetuitatem persentiat.

Id autem quo succedat felicius, cumulatissimam a Deo gratiam opemque maternam Immaculatae Virginis imploramus et exposcimus. Caelestium munerum auspicem paternaeque Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque universo Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. VIII, p. 169-192].

599.

Leo XIII, allocut. *Mirandum sane,* 1 iun. 1888.

1. Mirandum sane fidei pietatisque publicae exemplum toto hoc anno, sacerdotii Nostri quinquagesimo, singulari munere providentissimoque Dei consilio, ubique gentium intueri licuit. Stipati sumus peregre convenientium quotidiana frequentia: obsequia accepimus ab omnibus civitatum ordinibus, eaque variis, nec opinatis testata modis. Ad plura hominum millia ex omni Europa, non paucos ex remotioribus Americae partibus, novissimeque ex Africa his in tectis venerabundos complexi sumus.

2. In hoc pietatis pulcherrimo honestissimoque certamine, perspicere potuistis, Venerabiles Fratres, qualem sibi locum Italicae gentes vindicarint: quae scilicet suum illum veterem ac perennem in Apostolicam Sedem animum luculenta et multiplici significatione confirmarunt. — Consentaneum videbatur, idque prudentia atque humanitas ipsa postulabant, gratulantium vocibus nihil admisceri dissonum. Non defuere tamen domi qui dissentirent; quin immo his ipsis honoribus Pontifici romano magnificentius habitis recruduisse eorum videtur offensio, qui Ecclesiam implacabilius oderunt: quorum infensus atque inimicus animus, toto hoc intervallo, insolentius quam alias, mixtis ad probra minis, erupit. Iidem vero, quoniam plurimum possunt, nunc quidem prae se consilia sua confidentius ferunt: multiplicatisque passim impedimentis, maioribus in dies adstringere vinculis Ecclesiam moliuntur. Cuiusmodi propositi, si cetera deessent, Codex delictorum et poenarum, de quo in coetu legumlatorum sententiae dicuntur, novum praebet ac lamentabile testimonium: in iis intelligimus legum capitibus, quae recta Clerum catholicum, oblique vero Sedis Apo-

stolicae iura attingunt. Cumque res agatur permagni momenti, de ea ipsa vobiscum, Venerabiles Fratres, animum Nostrum breviter communicare decrevimus.

3. Harum legum haec summa est: quaedam delicta finguntur, quibus patria dicitur violari, eaque poenis sanciuntur valde gravibus, nec tamen qualia illa sint explicando definitur. Similiter per speciem prohibendorum discriminum, quae maxime a potentia cleri imminere dicuntur, severissime in sacerdotes animadvertitur, si quid contra leges, contra instituta civilia, vel publicae potestatis acta, vel etiam contra tranquillitatem domesticam, remve cuiusquam familiarem fecisse vel suasisse convincantur. — Istiusmodi leges, Venerabiles Fratres, non est dubium quo reapse pertineant, praesertim si coniuncte accipiantur cum ceteris in genere non dissimili, maxime vero cum satis aliunde sint auctorum consilia cognita. Primum scilicet vindicandorum romani Pontificatus iurium volunt poenarum metu eripere facultatem. Verum vix attinet dicere quam id sit iniquum, iura sanctissima, cum legitima Ecclesiae libertate apta et connexa, aliis pro arbitrio oppugnare, aliis ne defendere quidem impunite licere. Quoniam vero ea incolumia esse iura, catholicorum omnium magnopere interest, dubitandum non est, extituros toto orbe qui patrocinium Sedis Apostolicae libere suscipiant, solis ex Italia catholicis, qui maxime omnium deberent, lege prohibitis. — Sed quod magis refert, prout saepe diximus, ea Romanorum Pontificum conditio, quae ipsorum est tuendae libertati necessaria, nihil obest rebus italicis, immo plurimum verissimeque prodest, ita ut quicumque eam vindicant libertatem, non hostes patriae, sed optimi sint fidelissimique cives habendi.

4. Deinde istae ipsae leges simulacro tutandae reipublicae reipsa servitutem Ecclesiae tegunt. Cum enim munus officiumque Ecclesiae sanctissimum sit, omnia constanter praecipere, omniaque, vel invitis hominibus, tueri, quaecumque sibi ad praecipiendum tuendumque Iesus Christus iniunxit, propterea in legibus institutisque civitatum si quid a christianis fidei morumque praeceptis dissideat, probare clerus vel silentio dissimulare non potest, proposito sibi Apostolorum exemplo, qui de Iesu Christo eiusque doctrina silere a magistratibus iussi, impavido pectore respondebant: *si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate.*[1] Qualis erat christiani nominis fortuna futura, si quibuslibet populorum institutis, si magistratuum iussis nullo discrimine, vera iniquane forent, Ecclesia paruisset? Mansisset sancita legibus superstitio vetus, nec ullo modo humanum genus ad Evangelii lumen emersisset.

5. Sed illud in primis iniuriosum, defensionis caussa, apparari arma contra Ecclesiam oportere. Itane vero? Omnis est iustitiae magistra et custos Ecclesia, iniurias pati nata, non facere. — Valde etiam a veritate est iustitiaque alienum, universum clericorum ordinem in suspiciones tam graves sine iusta caussa vocari. Neque enim ulla ratione apparet quid caussae sit, cur nova in eos decreta sciscantur. Quo tempore clerus itali-

[1] Act., IV, 19.

BIBLIOTHECA

cus, quove loco, male de salute vel tranquillitate publica meruit? — Sed si
altius rei momenta repetantur, apparet, quantopere ista legum capita san-
ctissimis Ecclesiae institutis repugnent. Ecclesia enim, Dei voluntate, per-
fecta societas est, et quemadmodum leges suas, ita suos habet magistratus,
potestatis gradu rite distinctos, quorum est princeps omnium Pontifex
romanus, universae Ecclesiae divino iure praepositus, idemque Dei solius
potestati iudicioque subiectus. In hoc igitur quod in Ecclesiae instituta in-
vadunt, inferunt potius, quam propulsant iniurias. Idque faciunt lege sin-
gulari, meditata severitate, nec definitis certisque sententiis, sed vagis latis-
simeque patentibus, nihil ut non audere interpretandi libido queat. Mirum
igitur non est, si indignitas rei tot iam improbantium vel expostulantium
voces expressit.

6. Novimus latas etiam alibi contra clerum leges. Verum non fiunt
exemplis haec, de quibus loquimur, probabiliora: et quod maius est, huius
generis legibus Ecclesia quidem nuspiam nulloque modo acquievit, sed,
quantum potuit, perpetuo restitit. Neque est praetereundum, latas eas
esse, cum studia partium contra catholicum nomen vehementius exarsis-
sent, et una simul aequitas mentibus, tranquillitas rebus abesset. Pacatis
animis, meliora consilia non uno loco ineuntur, legumque illarum odio-
sam vim cernimus partim desuetudine hebescere, partim contrariis legibus
deleri.

7. His de caussis Nostrum est Apostolicam vocem tollere, aperteque,
uti facimus, testari, leges, de quibus agitur, iuri potestatique Ecclesiae
esse contrarias, libertati sacrorum munerum obesse, de Episcoporum, de
cleri universi, in primisque de Sedis Apostolicae dignitate plurimum detra-
here, ita quidem ut eas constituere, probare, sancire minime liceat.

8. Atque haec non ob eam caussam conquerimur, quod acrioris belli
advenientes impetus metuamus. Alias vidit Ecclesia procellas, de quibus
tamen omnibus non modo victrix, sed pulchrior et fortior evasit. Divina
virtus tutam ab hominibus facit. — Novimus Episcopos; non ignoramus
ceterum Italiae clerum: si in eos casus inciderint, ut alterutrum necesse
sit, displicere hominibus, aut in officiis sanctissimis delinquere, non dubi-
tamus quid acturi sint. Sed illud Nos vehementer excruciat, Ecclesiam
et Pontificatum pervicacius in Italia oppugnari, cum tamen itali homines
numero longe maximo Pontificatum et Ecclesiam religiosissime observent
et colant constantia mirabili, et ab Ecclesia et a Pontificatu infinita vis
beneficiorum in italicum nomen semper influxerit. Illud Nos pariter angit,
cunctis opibus viribusque secundum vota *sectarum* elaborari ut ab Eccle-
siae complexu hic abstrahatur populus, in materno ipsius sinu altus atque
educatus: nec minus dolemus, quod consilio fiat asperius, longiusque duca-
tur istud cum Ecclesia dissidium, quod Nos, et Ecclesiae ipsius caussa
et caritate patriae, maxime velimus, ut saepe diximus, quo modo iustitia,
Sedisque Apostolicae iura postulant, omnino sublatum. Velle, imperia per-
petuo cum Ecclesia confligere, stultum consilium est, perniciosissimum
rebus publicis: nulli tamen quam Italorum generi perniciosius. — Quamob-
rem, quoniam plura non possumus, etiam atque etiam Deum obsecra-

mus, huc propitius respiciat, meliorum temporum auctor: nominatimque
Italiae populis largiatur, ut fidem catholicam integram, cum amore Sedis
Apostolicae coniunctam, perpetuo custodiant, atque horum bonorum caussa
quidvis pati et perpeti ne recusent.

[Leonis XIII Acta, vol. VIII, p. 199-204].

600.

Leo XIII, litt. encycl. *Libertas*, 20 iun. 1888.

1. Libertas, praestantissimum naturae bonum, idemque intelligentia
aut ratione utentium naturarum unice proprium, hanc tribuit homini digni-
tatem ut sit *in manu consilii sui*, obtineatque actionum suarum potestatem.
— Verumtamen eiusmodi dignitas plurimum interest qua ratione geratur,
quia sicut summa bona, ita et summa mala ex libertatis usu gignuntur.
Sane integrum est homini parere rationi, morale bonum sequi, ad summum
finem suum recta contendere. Sed idem potest ad omnia alia deflectere,
fallacesque bonorum imagines persecutus, ordinem debitum perturbare, et
in interitum ruere voluntarium. — Liberator humani generis Iesus Christus,
restituta atque aucta naturae dignitate pristina, plurimum ipsam iuvit homi-
nis voluntatem; eamque hinc adiunctis gratiae suae praesidiis, illinc sempi-
terna in caelis felicitate proposita, ad meliora erexit. Similique ratione de
hoc tam excellenti naturae bono et merita est et constanter merebitur Ec-
clesia catholica, propterea quod eius est, parta nobis per Iesum Christum
beneficia in omnem saeculorum aetatem propagare. — Nihilominus com-
plures numerantur, qui obesse Ecclesiam humanae libertati putent. Cuius
rei caussa in perverso quodam praeposteroque residet de ipsa libertate
iudicio. Hanc enim vel in ipsa sui intelligentia adulterant, vel plus aequo
opinione dilatant, ita ut pertinere ad res sane multas contendant, in quibus,
si recte diiudicari velit, liber esse homo non potest.

2. Alias Nos, nominatimque in litteris Encyclicis *Immortale Dei*, [1] de
modernis, uti loquuntur, *libertatibus* verba fecimus, id quod honestum
est secernentes ab eo quod contra: simul demonstravimus, quidquid iis
libertatibus continetur boni, id tam esse vetus, quam est veritas: illudque
semper Ecclesiam libentissime probare et re usuque recipere solitam. Id
quod accessit novi, si verum quaeritur, in parte quadam inquinatiore con-
sistit, quam turbulenta tempora ac rerum novarum libido nimia pepe-
rere. — Sed quoniam sunt plures in hac opinione pertinaces, ut eas liber-
tates, in eo etiam quod continent vitii, summum aetatis nostrae decus et
constituendarum civitatum fundamentum necessarium putent, ita ut, sub-
latis iis, perfectam gubernationem reipublicae cogitari posse negent, idcirco
videtur, publica Nobismetipsis utilitate proposita, eiusmodi argumentum
pertractari separatim oportere.

[1] Cf. N. 592.

BIBLIOTHECA

3. Libertatem *moralem* recta persequimur, sive in personis ea singulis, sive in civitate spectetur. — Principio tamen iuvat aliquid de libertate naturali breviter dicere, quia quamquam a morali omnino distinguitur, fons tamen atque principium est, unde genus omne libertatis sua vi suaque sponte nascitur. Hanc quidem omnium iudicium sensusque communis, quae certissima naturae vox est, in iis solum agnoscit, qui sint intelligentiae vel rationis compotes, in eaque ipsa caussam inesse apparet, cur auctor eorum, quae ab eo aguntur, verissime habeatur homo. Et recte quidem: nam quando ceteri animantes solis ducuntur sensibus, soloque naturae impulsu anquirunt quae sibi prosint, fugiuntque contraria, homo quidem in singulis vitae factis rationem habet ducem. Ratio autem, quaecumque habentur in terris bona, omnia et singula posse iudicat esse, et aeque posse non esse: et hoc ipso nullum eorum decernens esse necessario sumendum, potestatem optionemque voluntati facit ut eligat, quod lubeat. — Sed de *contingentia*, ut appellant, eorum bonorum, quae diximus, ob hanc caussam iudicare homo potest, quod animum habet natura simplicem, spiritualem cogitationisque participem: qui idcirco quod est eiusmodi, non a rebus corporeis ducit originem, neque pendet ex eis in conservatione sui; sed, nulla re intercedente, ingeneratus a Deo, communemque corporum conditionem longo intervallo transgrediens, suum et proprium habet vivendi genus, suum agendi: quo fit ut, immutabilibus ac necessariis veri bonique rationibus iudicio comprehensis, bona illa singularia nequaquam esse necessaria videat. Itaque cum animos hominum segregatos esse statuitur ab omni concretione mortali eosdemque facultate cogitandi pollere, simul naturalis libertas in fundamento suo firmissime constituitur.

4. Iamvero sicut animi humani naturam simplicem, spiritualem atque immortalem, sic et libertatem nemo nec altius praedicat, nec constantius asserit Ecclesia catholica, quae scilicet utrumque omni tempore docuit, sicque tuetur ut dogma. Neque id solum: sed contra dicentibus haereticis novarumque opinionum fautoribus, patrocinium libertatis Ecclesia suscepit, hominisque tam grande bonum ab interitu vindicavit. In quo genere, litterarum monumenta testantur, insanos Manichaeorum aliorumque conatus quanta contentione repulerit; recentiori autem aetate nemo est nescius quanto studio quantaque vi tum in Concilio Tridentino,[1] tum postea adversus Iansenii sectatores,[2] pro libero hominis arbitrio dimicaverit, nullo tempore nulloque loco *fatalismum* passa consistere.

5. Libertas itaque, ut diximus, eorum est, qui rationis aut intelligentiae sunt participes, propria: eademque, si natura eius consideretur, nihil est aliud nisi facultas eligendi res ad id, quod propositum est, idoneas, quatenus qui facultatem habet unum aliquod eligendi e pluribus, is est

[1] Sess. VI, *de iustificatione*, c. 1, can. 4-6, 9, 32.

[2] Innocentius X, const. *Cum occasione*, 31 maii 1653 (cf. Bull. Rom., tom. 6, III, p. 248, 249); Alexander VII, const. *Ad Sanctam*, 16 oct. 1656 (cf. Bull. Rom., tom. 6, IV, p. 150, 151); const. *Regiminis Apostolici*, 15 febr. 1664 (cf. Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 52, 53); Clemens XI, const. *Unigenitus*, 8 sept. 1713 (cf. Bull. Rom., tom. 10, p. 340-344).

factorum suorum dominus. — Iamvero quia omne, quod rei cuiuspiam adipiscendae caussa assumitur, rationem habet boni, quod utile dicitur: bonum autem hoc habet natura, ut proprie appetitionem moveat, idcirco liberum arbitrium est voluntatis proprium, seu potius ipsa voluntas est, quatenus in agendo habet delectus facultatem. Sed nequaquam voluntas movetur, nisi mentis cognitio velut fax quaedam praeluxerit: videlicet bonum, voluntati concupitum, est necessario bonum quatenus rationi cognitum. Eo vel magis quod in omnibus voluntatibus delectum semper iudicatio praeit de veritate bonorum, et quodnam sit anteponendum ceteris. Atqui iudicare, rationis esse, non voluntatis, nemo sapiens dubitat. Libertas igitur si in voluntate inest, quae natura sua appetitus est rationi obediens, consequitur ut et ipsa, sicut voluntas, in bono versetur rationi consentaneo. — Nihilominus quoniam utraque facultas a perfecto abest, fieri potest ac saepe fit, ut mens voluntati proponat quod nequaquam sit reapse bonum, sed habeat adumbratam speciem boni, atque in id sese voluntas applicet. Verum sicut errare posse reque ipsa errare vitium est, quod mentem non omni parte perfectam arguit, eodem modo arripere fallax fictumque bonum, esto indicium liberi arbitrii, sicut aegritudo vitae, est tamen vitium quoddam libertatis. Ita pariter voluntas, hoc ipso quod a ratione pendet, quando quidquam appetat quod a recta ratione dissideat, vitio quodam funditus inquinat libertatem, eademque perverse utitur. Ob eamque caussam Deus infinite perfectus, qui cum sit summe intelligens et per essentiam bonitas, est etiam summe liber, malum culpae velle nulla ratione potest; nec possunt, propter contemplationem summi boni, beati caelites. Scite Augustinus aliique adversus Pelagianos hoc animadvertebant, si posse deficere a bono secundum naturam esset perfectionemque libertatis, iam Deus, Iesus Christus, Angeli, beati, in quibus omnibus ea potestas non est, aut non essent liberi, aut certe minus perfecte essent, quam homo viator atque imperfectus. De qua re Doctor Angelicus multa saepe disputat, ex quibus effici cogique potest, facultatem peccandi non libertatem esse, sed servitutem. Subtilissime illud in verba Christi Domini,[1] « Qui facit peccatum, servus est peccati »: *Unumquodque est illud, quod convenit ei secundum naturam. Quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur secundum se, sed ab impressione alterius, quod est servile. Homo autem secundum suam naturam est rationalis. Quando ergo movetur secundum rationem, proprio motu movetur et secundum se operatur: quod est libertatis; quando vero peccat, operatur praeter rationem, et tunc movetur quasi ab alio, retentus terminis alienis: et ideo* « qui facit peccatum, servus est peccati ». — Quod satis perspicue ipsa viderat philosophia veterum, atque ii praecipue quorum est doctrina, nisi sapientem, liberum esse neminem: sapientem vero, uti exploratum est, nominabant, qui constanter secundum naturam, hoc est honeste et cum virtute vivere didicisset.

6. Quoniam igitur talis est in homine conditio libertatis, aptis erat adiumentis praesidiisque munienda, quae cunctos eius motus ad bonum

[1] Ioan., VIII, 34.

dirigerent, a malo retraherent: secus multum homini libertas nocuisset arbitrii. — Ac primo quidem *lex*, hoc est agendorum atque omittendorum norma, fuit necessaria; quae quidem proprie nulla esse in animantibus potest, qui necessitate agunt, propterea quod quidquid agant, naturae agunt impulsu, nec alium ullum sequi ex se possunt in agendo modum. Verum eorum, qui libertate fruuntur, ideo in potestate est agere, non agere, ita vel secus agere, quia tum, quod volunt, eligunt, cum antecessit illud quod diximus rationis iudicium. Quo quidem iudicio non modo statuitur quid honestum natura sit, quid turpe, sed etiam quid bonum sit reque ipsa faciendum, quid malum reque ipsa vitandum: ratio nimirum voluntati praescribit quid petere, et a quo debeat declinare, ut homo tenere summum finem suum aliquando possit, cuius caussa sunt omnia facienda. Iamvero haec *ordinatio rationis* lex nominatur. — Quamobrem cur homini lex necessaria sit, in ipso eius libero arbitrio, scilicet in hoc, nostrae ut voluntates a recta ratione ne discrepent, prima est caussa, tamquam in radice, quaerenda. Nihilque tam perversum praeposterumque dici cogitarive posset quam illud, hominem, quia natura liber est, idcirco esse oportere legis expertem: quod si ita esset, hoc profecto consequeretur, necesse ad libertatem esse non cohaerere cum ratione: cum contra longe verissimum sit, idcirco legi oportere subesse, quia est natura liber. Isto modo dux homini in agendo lex est, eumdemque praemiis poenisque propositis ad recte faciendum allicit, a peccando deterret. — Talis est princeps omnium *lex naturalis*, quae scripta est et insculpta in hominum animis singulorum, quia ipsa est humana ratio recte facere iubens et peccare vetans. Ista vero humanae rationis praescriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subiectam esse oporteat. Vis enim legis cum ea sit, officia imponere et iura tribuere, tota in auctoritate nititur, hoc est in vera potestate statuendi officia describendique iura, item poenis praemiisque imperata sanciendi: quae quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus ipse suis summus sibi legislator daret. Ergo consequitur, ut naturae lex sit ipsa *lex aeterna*, insita in iis qui ratione utuntur, eosque inclinans *ad debitum actum et finem*, eaque est ipsa aeterna ratio creatoris universumque mundum gubernantis Dei. — Ad hanc agendi regulam peccandique frenos singularia quaedam praesidia, Dei beneficio, adiuncta sunt, ad confirmandam hominis regendamque voluntatem aptissima. In quibus princeps est atque excellit divinae virtus *gratiae;* quae cum mentem illustret, voluntatemque salutari constantia roboratam ad morale bonum semper impellat, expeditiorem efficit simulque tutiorem nativae libertatis usum, Ac longe est a veritate alienum, interveniente Deo, minus esse liberos motus voluntarios: nam intima in homine et cum naturali propensione congruens est divinae vis gratiae, quia ab ipso et animi et voluntatis nostrae auctore manat, a quo res omnes convenienter naturae suae moventur. Immo gratia divina, ut monet angelicus Doctor, ob hanc caussam quod a naturae opifice proficiscitur, mire nata atque apta est ad tuendas quasque naturas, conservandosque mores, vim, efficientiam singularum.

7. Quae vero de libertate singulorum dicta sunt, ea ad homines civili inter se societate coniunctos facile transferuntur. Nam quod ratio lexque naturalis in hominibus singulis, idem efficit in consociatis *lex humana* ad bonum commune civium promulgata. — Ex hominum legibus aliae in eo versantur quod est bonum malumve natura, atque alterum sequi praecipiunt, alterum fugere, adiuncta sanctione debita. Sed istiusmodi decreta nequaquam ducunt ab hominum societate principium, quia societas sicut humanam naturam non ipsa genuit, ita pariter nec bonum procreat naturae conveniens, nec malum naturae dissentaneum: sed potius ipsi hominum societati antecedunt, omninoque sunt a lege naturali ac propterea a lege aeterna repetenda. Iuris igitur naturalis praecepta, hominum comprehensa legibus, non vim solum habent legis humanae, sed praecipue illud multo altius multoque augustius complectuntur imperium, quod ab ipsa lege naturae et a lege aeterna proficiscitur. Et in isto genere legum hoc fere civilis legumlatoris munus est, obedientes facere cives, communi disciplina adhibita, pravos et in vitia promptos coercendo, ut a malo deterriti, id quod rectum est consectentur, aut saltem offensioni noxaeque ne sint civitati. — Alia vero civilis potestatis praescripta non ex naturali iure statim et proxime, sed longius et oblique consequuntur, resque varias definiunt, de quibus non est nisi generatim atque universe natura cautum. Sic suam conferre operam cives ad tranquillitatem prosperitatemque publicam natura iubet: quantum operae, quo pacto, quibus in rebus, non natura sed hominum sapientia constituitur. Iamvero peculiaribus hisce vivendi regulis prudenti ratione inventis, legitimaque potestate propositis, lex humana proprii nominis continetur. Quae quidem lex ad finem communitati propositum cives universos conspirare iubet, deflectere prohibet: eademque quatenus pedissequa et consentiens est praescriptionibus naturae, ducit ad ea quae honesta sunt, a contrariis deterret. Ex quo intelligitur, omnino in aeterna Dei lege normam et regulam positam esse libertatis, nec singulorum dumtaxat hominum, sed etiam communitatis et coniunctionis humanae. — Igitur in hominum societate libertas veri nominis non est in eo posita ut agas quod lubet, ex quo vel maxima existeret turba et confusio in oppressionem civitatis evasura, sed in hoc, ut per leges civiles expeditius possis secundum legis aeternae praescripta vivere. Eorum vero qui praesunt non in eo sita libertas est, ut imperare temere et ad libidinem queant, quod pariter flagitiosum esset et cum summa etiam reipublicae pernicie coniunctum, sed humanarum vis legum haec debet esse, ut ab aeterna lege manare intelligantur, nec quidquam sancire quod non in ea, veluti in principio universi iuris, contineatur. Sapientissime Augustinus:[1] *Simul etiam te videre arbitror, in illa temporali* (*lege*) *nihil esse iustum atque legitimum quod non ex hac aeterna* (*lege*) *sibi homines derivarint*. Si quid igitur ab aliqua potestate sanciatur, quod a principiis rectae rationis dissideat, sitque reipublicae perniciosum, vim legis nullam haberet, quia nec regula iustitiae esset, et homines a bono, cui nata societas est, abduceret.

[1] De lib. arb., lib. I, cap. 6, n. 15.

8. Natura igitur libertatis humanae, quocumque in genere conside-
retur, tam in personis singulis quam in consociatis, nec minus in iis qui
imperant quam in iis qui parent, necessitatem complectitur obtemperandi
summae cuidam aeternaeque rationi, quae nihil est aliud nisi auctoritas
iubentis, vetantis Dei. Atque hoc iustissimum in homines imperium Dei
tantum abest ut libertatem tollat aut ullo modo diminuat, ut potius tueatur
ac perficiat. Suum quippe finem consectari et assequi, omnium naturarum
est vera perfectio: supremus autem finis, quo libertas aspirare debet humana,
Deus est.

9. Haec verissimae altissimaeque praecepta doctrinae, vel solo nobis
lumine rationis cognita, Ecclesia quidem exemplis doctrinaque divini Aucto-
ris sui erudita passim propagavit, asseruit: quibus ipsis et munus suum
metiri, et christianas informare gentes nunquam destitit. In genere morum
leges evangelicae non solum omni ethnicorum sapientiae longissime prae-
stant, sed plane vocant hominem atque instituunt ad inauditam veteribus
sanctitatem, effectumque propriorem Deo simul efficiunt perfectioris com-
potem libertatis. — Ita semper permagna vis Ecclesiae apparuit in custo-
dienda tuendaque civili et politica libertate populorum. Eius in hoc genere
enumerare merita nihil attinet. Satis est commemorare, servitutem, vetus
illud ethnicarum gentium dedecus, opera maxime beneficioque Ecclesiae
deletam.[1] Aequabilitatem iuris, veramque inter homines germanitatem pri-
mus omnium Iesus Christus asseruit: cui Apostolorum suorum resonuit
vox, non esse Iudaeum, neque Graecum, neque barbarum, neque Scy-
tham, sed omnes in Christo fratres. Tanta est in hac parte tamque cognita
Ecclesiae virtus, ut quibuscumque in oris vestigium ponat, exploratum sit,
agrestes mores permanere diu non posse; sed immanitati mansuetudinem,
barbariae tenebris lumen veritatis brevi successurum. Item populos civili
urbanitate excultos magnis afficere beneficiis nullo tempore Ecclesia desiit,
vel resistendo iniquorum arbitrio, vel propulsandis a capite innocentium
et tenuiorum iniuriis, vel demum opera danda ut rerum publicarum ea
constitutio valeret, quam cives propter aequitatem adamarent, externi prop-
ter potentiam metuerunt.

10. Praeterea verissimum officium est vereri auctoritatem, iustisque
legibus obedienter subesse: quo fit ut virtute vigilantiaque legum ab iniu-
ria improborum cives vindicentur. Potestas legitima a Deo est, et *qui pote-
stati resistit, Dei ordinationi resistit:* quo modo multum obedientia adipi-
scitur nobilitatis, cum iustissimae altissimaeque auctoritati adhibeatur. —
Verum ubi imperandi ius abest, vel si quidquam praecipiatur rationi, legi
aeternae, imperio Dei contrarium, rectum est non parere, scilicet homi-
nibus, ut Deo pareatur. Sic praecluso ad tyrannidem aditu, non omnia
pertrahet ad se principatus: sua sunt salva iura singulis civibus, sua socie-
tati domesticae, cunctisque reipublicae membris, data omnibus verae copia
libertatis, quae in eo est, quemadmodum demonstravimus, ut quisque pos-
sit secundum leges rectamque rationem vivere.

[1] Cf. N. 598.

11. Quod si, cum de libertate vulgo disputant, legitimam honestamque
intelligerent, qualem modo ratio oratioque descripsit, exagitare Ecclesiam
nemo auderet propter illud quod per summam iniuriam ferunt, vel singu-
lorum libertati, vel liberae reipublicae esse inimicam. — Sed iam permulti
Luciferum imitati, cuius est illa nefaria vox *non serviam*, libertatis nomine
absurdam quamdam consectantur et meracam licentiam. Cuiusmodi sunt
ex illa tam late fusa tamque pollenti disciplina homines, qui se, ducto a
libertate nomine, *Liberales* appellari volunt.

12. Revera quo spectant in philosophia *Naturalistae*, seu *Rationalistae*,
eodem in re morali ac civili spectant *Liberalismi* fautores, qui posita a *Natu-
ralistis* principia in mores actionemque vitae deducunt. — Iamvero totius
rationalismi humanae principatus rationis caput est: quae obedientiam divi-
nae aeternaeque rationi debitam recusans, suique se iuris esse decernens,
ipsa sibi sola efficitur summum principium et fons et iudex veritatis. Ita
illi, quos diximus, *Liberalismi* sectatores in actione vitae nullam contendunt
esse, cui parendum sit, divinam potestatem, sed sibi quemque esse legem:
unde ea philosophia morum gignitur, quam *independentem* vocant, quae
sub specie libertatis ab observantia divinorum praeceptorum voluntatem
removens, infinitam licentiam solet homini dare. — Quae omnia in homi-
num praesertim societate quo tandem evadant, facile est pervidere. Hoc
enim fixo et persuaso, homini antistare neminem, consequitur caussam
efficientem conciliationis civilis et societatis non in principio aliquo extra
aut supra hominem posito, sed in libera voluntate singulorum esse quae-
rendam: potestatem publicam a multitudine velut a primo fonte repeten-
dam, praetereaque, sicut ratio singulorum sola dux et norma agendi pri-
vatim est singulis, ita universorum esse oportere universis in rerum genere
publicarum. Hinc plurimum posse plurimos; partemque populi maiorem
universi iuris esse officiique effectricem. — Sed haec cum ratione pugnare,
ex eis quae dicta sunt apparet. Nullum siquidem velle homini aut socie-
tati civili cum Deo creatore ac proinde supremo omnium legislatore inter-
cedere vinclum, omnino naturae repugnat, nec naturae hominis tantum,
sed rerum omnium procreatarum: quia res omnes effectas cum caussa, a
qua effectae sunt, aliquo esse aptas nexu necesse est: omnibusque naturis
hoc convenit, hoc ad perfectionem singularum pertinet, eo se continere
loco et gradu, quem naturalis ordo postulat, scilicet ut ei quod superius
est, id quod est inferius subiiciatur et pareat. — Sed praeterea est huius-
modi doctrina tum privatis hominibus tum civitatibus maxime perniciosa.
Sane reiecto ad humanam rationem et solam et unam veri bonique arbi-
trio, proprium tollitur boni et mali discrimen; turpia ab honestis non re,
sed opinione iudicioque singulorum differunt: quod libeat, idem licebit;
constitutaque morum disciplina, cuius ad coercendos sedandosque motus
animi turbidos nulla fere vis est, sponte fiet ad omnem vitae corruptelam
aditus. In rebus autem publicis, potestas imperandi separatur a vero natu-
ralique principio, unde omnem haurit virtutem efficientem boni communis:
lex, de iis quae facienda fugiendave sunt statuens, maioris multitudinis
permittitur arbitrio, quod quidem est iter ad tyrannicam dominationem

proclive. Imperio Dei in hominem hominumque societatem repudiato, consentaneum est nullam esse publice religionem, rerumque omnium quae ad religionem referantur, incuria maxima consequetur. Similiter opinione principatus armata, facile ad seditionem turbasque labitur multitudo, frenisque officii et conscientiae sublatis, nihil praeter vim relinquitur; quae tamen vis tanti non est, ut populares cupiditates continere sola possit. Quod satis testatur dimicatio propemodum quotidiana contra *socialistas*, aliosque seditiosorum greges, qui funditus permovere civitates diu moliuntur. — Statuant igitur ac definiant rerum aequi aestimatores, tales doctrinae proficiantne ad veram dignamque homine libertatem, an potius ipsam pervertant totamque corrumpant.

13. Certe quidem opinionibus iis vel ipsa immanitate sua formidolosis, quas a veritate aperte abhorrere, easdemque malorum maximorum caussas esse vidimus, non omnes *Liberalismi* fautores assentiuntur. Quin compulsi veritatis viribus, plures eorum haud verentur fateri, immo etiam ultro affirmant, in vitio esse et plane in licentiam cadere libertatem, si gerere se intemperantius ausit, veritate iustitiaque posthabita: quocirca regendam gubernandamque recta ratione esse, et quod consequens est, iuri naturali sempiternaeque legi divinae subiectam esse oportere. Sed hic consistendum rati, liberum hominem subesse negant debere legibus, quas imponere Deus velit, alia praeter rationem naturalem via. — Id cum dicunt sibi minime cohaerent. Etenim si est, quod ipsi consentiunt nec dissentire potest iure quisquam, si est Dei legislatoris obediendum voluntati, quia totus homo in potestate est Dei et ad Deum tendit, consequitur posse neminem auctoritati eius legiferae fines modumve praescribere, quin hoc ipso faciat contra obedientiam debitam. Immo vero si tantum sibi mens arrogarit humana, ut, quae et quanta sint tum Deo iura, tum sibi officia, velit ipsa decernere, verecundiam legum divinarum plus retinebit specie quam re, et arbitrium eius valebit prae auctoritate ac providentia Dei. — Necesse est igitur, vivendi normam constanter religioseque, ut a lege aeterna, ita ab omnibus singulisque petere legibus, quas infinite sapiens, infinite potens Deus, qua sibi ratione visum est, tradidit, quasque nosse tuto possumus perspicuis nec ullo modo addubitandis notis. Eo vel magis quod istius generis leges, quoniam idem habent, quod lex aeterna, principium, eumdemque auctorem, omnino et cum ratione concordant et perfectionem adiungunt ad naturale ius: eaedemque magisterium Dei ipsius complectuntur, qui scilicet, nostra ne mens neu voluntas in errorem labatur, nutu ductuque suo utramque benigne regit. Sit igitur sancte inviolateque coniunctum, quod nec diiungi potest nec debet, omnibusque in rebus, quod ipsa naturalis ratio praecipit, obnoxie Deo obedienterque serviatur.

14. Mitiores aliquanto sunt, sed nihilo sibi magis constant, qui aiunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis: in rebus publicis fas esse a iussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium, civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere. — Sed haec quam absurde dicantur, haud difficulter intelligitur. Cum enim

clamet ipsa natura, oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste, scilicet secundum Dei leges, degendam, quia Deus est omnis honestatis iustitiaeque principium, profecto illud vehementer repugnat, posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem. — Deinde qui populo praesunt, hoc omnino rei publicae debent, ut non solum commodis et rebus externis, sed maxime animi bonis, legum sapientia, consulant. Atqui ad istorum incrementa bonorum ne cogitari quidem potest quidquam iis legibus aptius, quae Deum habeant auctorem: ob eamque rem qui in regendis civitatibus nolunt divinarum legum haberi rationem, aberrantem faciunt ab instituto suo et a praescriptione naturae politicam potestatem. Sed quod magis interest, quodque alias Nosmetipsi nec semel monuimus, [1] quamvis principatus civilis non eodem, quo sacer, proxime spectet, nec iisdem eat itineribus, in potestate tamen gerenda obviam esse interdum alteri alter necessario debet. Est enim utriusque in eosdem imperium, nec raro fit, ut iisdem de rebus uterque, etsi non eadem ratione, decernat. Id quotiescumque usuveniat, cum confligere absurdum sit, sapientissimaeque voluntati Dei aperte repugnet, quemdam esse modum atque ordinem necesse est, ex quo, caussis contentionum certationumque sublatis, ratio concors in agendis rebus existat. Et huiusmodi concordiam non inepte similem coniunctioni dixere, quae animum inter et corpus intercedit, idque commodo utriusque partis: quarum distractio nominatim est perniciosa corpori, quippe cuius vitam extinguit.

15. Quae quo melius appareant, varia libertatis incrementa, quae nostrae quaesita aetati feruntur, separatim considerari oportet. — Ac primo illud in singulis personis videamus, quod est tantopere virtuti religionis contrarium, scilicet de *libertate*, uti loquuntur, *cultus*. Quae hoc est veluti fundamento constituta, integrum cuique esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem. — Contra vero ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines iubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti, ad eum reverti debemus. — Huc accedit, virtutem veri nominis nullam esse sine religione posse: virtus enim moralis est, cuius officia versantur in iis, quae ducunt ad Deum, quatenus homini est summum atque ultimum bonorum; ideoque religio quae *operatur ea, quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum*, [2] cunctarum princeps est moderatrixque virtutum. Ac si quaeratur, cum plures et inter se dissidentes usurpentur religiones, quam sequi unam ex omnibus necesse sit, eam certe ratio et natura respondent, quam Deus iusserit, quam ipsam facile homines queant notis quibusdam exterioribus agnoscere, quibus eam distinxisse divina providentia voluit, quia in re tanti momenti summae errorem ruinae essent consecuturae. Quapropter oblata illa, de qua loquimur, libertate, haec homini potestas tribuitur, ut officium sanctissimum impune per-

[1] Cf. N. 592.
[2] S. Th., II-II, qu. LXXXI, a. 6.

vertat vel deserat, ideoque ut aversus ab incommutabili bono sese ad malum convertat: quod, sicut diximus, non libertas sed depravatio libertatis est, et abiecti in peccatum animi servitus.

16. Eadem libertas si consideretur in civitatibus, hoc sane vult, nihil esse quod ullum Deo cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit: nullum anteferri alteri, sed aequo iure omnes haberi oportere, nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen. Quae ut recta essent, verum esse oporteret, civilis hominum communitatis officia adversus Deum aut nulla esse, aut impune solvi posse: quod est utrumque aperte falsum. Etenim dubitari non potest quin sit Dei voluntate inter homines coniuncta societas, sive partes, sive forma eius spectetur quae est auctoritas, sive caussa, sive earum, quas homini parit, magnarum utilitatum copia. Deus est, qui hominem ad congregationem genuit atque in coetu sui similium collocavit, ut quod natura eius desideraret, nec ipse assequi solitarius potuisset, in consociatione reperiret. Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur iustitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis iura promiscue largiri. — Cum igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est, quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis, agnoscitur, cum in ea tamquam insignitae notae veritatis appareant. Itaque hanc, qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere. Publica enim potestas propter eorum qui reguntur utilitatem constituta est: et quamquam hoc proxime spectat, deducere cives ad huius, quae in terris degitur, vitae prosperitatem, tamen non minuere, sed augere homini debet facultatem adipiscendi summum illud atque extremum bonorum, in quo felicitas hominum sempiterna consistit: quo perveniri non potest religione neglecta.

17. Sed haec alias uberius exposuimus: in praesentia id animadverti tantum volumus, istiusmodi libertatem valde obesse verae cum eorum qui regunt, tum qui reguntur, libertati. Prodest autem mirifice religio, quippe quae primum ortum potestatis a Deo ipso repetit, gravissimeque principes iubet, officiorum suorum esse memores, nihil iniuste acerbeve imperare, benigne ac fere cum caritate paterna populo praeesse. Eadem potestati legitimae cives vult esse subiectos, ut Dei ministris; eosque cum rectoribus reipublicae non obedientia solum, sed verecundia et amore coniungit, interdictis seditionibus, cunctisque incaeptis quae ordinem tranquillitatemque publicam perturbare queant, quaeque tandem caussam afferunt cur maioribus frenis libertas civium constringatur. Praetermittimus quantum religio bonis moribus conducat, et quantum libertati mores boni. Nam ratio ostendit, et historia confirmat, quo sint melius moratae, eo plus libertate et opibus et imperio valere civitates.

18. Iam aliquid consideretur de *libertate loquendi*, formisque litterarum quodcumque libeat exprimendi. Huius profecto non modice temperatae sed

modum et finem transeuntis libertatis ius esse non posse, vix attinet dicere. Est enim ius facultas moralis, quam, ut diximus saepiusque est dicendum, absurdum est existimare, veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datam. Quae vera, quae honesta sunt, ea libere prudenterque in civitate propagari ius est, ut ad quamplures pertineant; opinionum mendacia, quibus nulla menti capitalior pestis, item vitia quae animum moresque corrumpunt, aequum est auctoritate publica diligenter coerceri, ne serpere ad perniciem reipublicae queant. Peccata licentis ingenii, quae sane in oppressionem cadunt multitudinis imperitae, rectum est auctoritate legum non minus coerceri, quam illatas per vim imbecillioribus iniurias. Eo magis quod civium pars longe maxima praestigias cavere captionesque dialecticas, praesertim quae blandiantur cupiditatibus, aut non possunt omnino, aut sine summa difficultate non possunt. Permissa cuilibet loquendi scribendique infinita licentia, nihil est sanctum inviolatumque permansurum: ne illis quidem parcetur maximis verissimisque naturae iudiciis, quae habenda sunt velut commune idemque nobilissimum humani generis patrimonium. Sic sensim obducta tenebris veritate, id quod saepe contingit, facile dominabitur opinionum error perniciosus et multiplex. Qua ex re tantum capiet licentia commodi, quantum detrimenti libertas: eo enim est maior futura libertas ac tutior, quo frena licentiae maiora. — At vero de rebus opinabilibus disputationi hominum a Deo permissis, utique quod placeat sentire, quodque sentiatur, libere eloqui concessum est, non repugnante natura: talis enim libertas nunquam homines ad opprimendam veritatem, saepe ad indagandam ac patefaciendam deducit.

19. De ea, quam *docendi libertatem* nominant, oportet non dissimili ratione iudicare. — Cum dubium esse non possit quin imbuere animos sola veritas debeat, quod in ipsa intelligentium naturarum bonum est et finis et perfectio sita, propterea non debet doctrina nisi vera praecipere, idque tum iis qui nesciant, tum qui sciant, scilicet ut cognitionem veri alteris afferat, in alteris tueatur. Ob eamque caussam eorum, qui praecipiunt, plane officium est eripere ex animis errorem, et ad opinionum fallacias obsepire certis praesidiis viam. Igitur apparet, magnopere cum ratione pugnare, ac natam esse pervertendis funditus mentibus illam, de qua institutus est sermo, libertatem, quatenus sibi vult quidlibet pro arbitratu docendi licentiam: quam quidem licentiam civitati dare publica potestas, salvo officio, non potest. Eo vel magis quod magistrorum apud auditores multum valet auctoritas, et verane sint, quae a doctore traduntur, raro admodum diiudicare per se ipse discipulus potest.

20. Quamobrem hanc quoque libertatem, ut honesta sit, certis finibus circumscriptam teneri necesse est: nimirum ne fieri impune possit, ut ars docendi in instrumentum corruptelae vertantur. — Veri autem, in quo unice versari praecipientium doctrina debet, unum est naturale genus, supernaturale alterum. Ex veritatibus naturalibus, cuiusmodi sunt principia naturae, et ea quae ex illis proxime ratione ducuntur, existit humani generis velut commune patrimonium: in quo, tamquam fundamento fir-

missimo, cum mores et iustitia et religio, atque ipsa coniunctio societatis humanae nitatur, nihil tam impium esset tamque stolide inhumanum, quam illud violari ac diripi impune sinere. — Nec minore conservandus religione maximus sanctissimusque thesaurus earum rerum, quas Deo auctore cognoscimus. Argumentis multis et illustribus, quod saepe Apologetae consueverunt, praecipua quaedam capita constituuntur, cuiusmodi illa sunt; quaedam esse a Deo divinitus tradita: Unigenitum Dei Filium carnem factum, ut testimonium perhiberet veritati: perfectam quamdam ab eo conditam societatem, nempe Ecclesiam, cuius ipsemet caput est, et quacum usque ad consummationem saeculi se futurum esse promisit. Huic societati commendatas omnes, quas ille docuisset, veritates voluit, hac lege, ut eas ipsa custodiret, tueretur, legitima cum auctoritate explicaret: unaque simul iussit, omnes gentes Ecclesiae suae, perinde ac sibimetipsi, dicto audientes esse: qui secus facerent, interitu perditum iri sempiterno. Qua ratione plane constat, optimum homini esse certissimumque magistrum Deum, omnis fontem ac principium veritatis, item Unigenitum, qui est in sinu Patris, viam, veritatem, vitam, lucem veram, quae illuminat omnem hominem, et ad cuius disciplinam dociles esse omnes homines oportet: *Et erunt omnes docibiles Dei.* [1] — Sed in fide atque in institutione morum, divini magisterii Ecclesiam fecit Deus ipse participem, eamdemque divino eius beneficio falli nesciam: quare magistra mortalium est maxima ac tutissima, in eaque inest non violabile ius ad magisterii libertatem. Revera doctrinis divinitus acceptis se ipsa Ecclesia sustentans, nihil habuit antiquius, quam ut munus sibi demandatum a Deo sancte expleret: eademque circumfusis undique difficultatibus fortior, pro libertate magisterii sui propugnare nullo tempore destitit. Hac via orbis terrarum, miserrima superstitione depulsa, ad christianam sapientiam renovatus est. — Quoniam vero ratio ipsa perspicue docet, veritates divinitus traditas et veritates naturales inter se oppositas esse revera non posse, ita ut quodcumque cum illis dissentiat, hoc ipso falsum esse necesse sit, idcirco divinum Ecclesiae magisterium tantum abest ut studia discendi atque incrementa scientiarum intercipiat, aut cultioris humanitatis progressionem ullo modo retardet, ut potius plurimum afferat luminis securamque tutelam. Eademque causa non parum proficit ad ipsam libertatis humanae perfectionem, cum Iesu Christi servatoris sit illa sententia, fieri hominem veritate liberum. *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* [2] — Quare non est caussa, cur germana libertas indignetur, aut veri nominis scientia moleste ferat leges iustas ac debitas, quibus hominum doctrinam contineri Ecclesia simul et ratio consentientes postulant. Quin imo Ecclesia, quod re ipsa passim testatum est, hoc agens praecipue et maxime ut fidem christianam tueatur, humanarum quoque doctrinarum omne genus fovere et in maius provehere studet. Bona enim per se est et laudabilis atque expetenda elegantia doctrinae; praetereaque omnis eruditio, quam sana ratio pepererit, quaeque rerum veritati respon-

[1] Ioan., VI, 45.
[2] Ioan., VIII, 32.

deat, non mediocriter ad ea ipsa illustranda valet, quae Deo auctore credimus. Revera Ecclesiae haec beneficia debentur sane magna, quod praeclare monumenta sapientiae veteris conservarit: quod scientiarum domicilia passim aperuerit; quod ingeniorum cursum semper incitaverit, studiosissime has ipsas artes alendo, quibus maxime urbanitas aetatis nostrae coloratur. — Denique praetereundum non est, immensum patere campum, in quo hominum excurrere industria, seseque exercere ingenia libere queant: res scilicet quae cum doctrina fidei morumque christianorum non habent necessariam cognationem, vel de quibus Ecclesia, nulla adhibita sua auctoritate, iudicium eruditorum relinquit integrum ac liberum. — His ex rebus intelligitur, quae et qualis illa sit in hoc genere libertas, quam pari studio volunt et praedicant *liberalismi* sectatores. Ex una parte sibi quidem ac reipublicae licentiam adserunt tantam, ut cuilibet opinionum perversitati non dubitent aditum ianuamque patefacere: ex altera Ecclesiam plurifariam impediunt, eiusque libertatem in fines quantum possunt maxime angustos compellunt, quamquam ex Ecclesiae doctrina non modo nullum incommodum pertimescendum sit, sed magnae omnino utilitates expectandae.

21. Illa quoque magnopere praedicatur, quam *conscientiae libertatem* nominant: quae si ita accipiatur, ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere, non colere, argumentis quae supra allata sunt, satis convincitur. — Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii, Dei voluntatem sequi et iussa fecere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior: eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara. Huius generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli, sanxere scriptis Apologetae, Martyres ingenti numero sanguine suo consecravere. Et merito quidem: propterea quod maximam iustissimamque Dei in homines potestatem, vicissimque hominum adversus Deum princeps maximumque officium, libertas haec christiana testatur. Nihil habet ipsa cum animo seditioso nec obediente commune: neque ullo pacto putanda est, velle ab obsequio publicae potestatis desciscere, propterea quod imperare atque imperata exigere, eatenus potestati humanae ius est, quatenus cum potestate Dei nihil dissentiat, constitutoque divinitus modo se contineat. At vero cum quidquam praecipitur quod cum divina voluntate aperte discrepet, tum longe ab illo modo disceditur, simulque cum auctoritate divina confligitur: ergo rectum est non parere.

22. Contra *Liberalismi* fautores, qui herilem atque infinite potentem faciunt principatum, vitamque nullo ad Deum respectu degendam praedicant, hanc de qua loquimur coniunctam cum honestate religioneque libertatem minime agnoscunt: cuius conservandae caussa si quid fiat, iniuria et contra rempublicam factum criminantur. Quod si vere dicerent, nullum esset tam immanis dominatus, cui subesse et quem ferre non oporteret.

23. Vehementer quidem vellet Ecclesia, in omnes reipublicae ordines haec, quae summatim attigimus, christiana documenta re usuque pene-

trarent. In iis enim summa efficacitas inest ad sananda horum temporum mala, non sane pauca nec levia, eaque magnam partem iis ipsis nata libertatibus, quae tanta praedicatione efferuntur, et in quibus salutis gloriaeque inclusa semina videbantur. Spem fefellit exitus. Pro iucundis et salubribus acerbi et inquinati provenere fructus. Si remedium quaeritur, sanarum doctrinarum revocatione quaeratur, a quibus solis conservatio ordinis, adeoque verae tutela libertatis fidenter expectari potest. — Nihilominus materno iudicio Ecclesia aestimat grave pondus infirmitatis humanae: et qualis hic sit, quo nostra vehitur aetas, animorum rerumque cursus, non ignorat. His de caussis, nihil quidem impertiens iuris nisi iis quae vera quaeque honesta sint, non recusat quominus quidpiam a veritate iustitiaque alienum ferat tamen publica potestas, scilicet maius aliquod vel vitandi caussa malum, vel adipiscendi aut conservandi bonum. Ipse providentissimus Deus cum infinitae sit bonitatis, idemque omnia possit, sinit tamen esse in mundo mala, partim ne ampliora impediantur bona, partim ne maiora mala consequantur. In regendis civitatibus rectorem mundi par est imitari: quin etiam cum singula mala prohibere auctoritas hominum non possit, debet *multa concedere atque impunita relinquere, quae per divinam tamen providentiam vindicantur, et recte.*[1] Verumtamen in eiusmodi rerum adiunctis, si communis boni caussa et hac tantum caussa, potest vel etiam debet lex hominum ferre toleranter malum, tamen nec potest nec debet id probare aut velle per se: quia malum per se, cum sit boni privatio, repugnat bono communi, quod legislator, quoad optime potest, velle ac tueri debet. Et hac quoque in re ad imitandum sibi lex humana proponat Deum necesse est, qui in eo quod mala esse in mundo sinit, *neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri, et hoc est bonum.*[2] Quae doctoris Angelici sententia brevissime totam continet de malorum tolerantia doctrinam. — Sed confitendum est, si vere iudicari velit, quanto plus in civitate mali tolerari pernecesse est, tanto magis distare id genus civitatis ab optimo: itemque tolerantiam rerum malarum, cum pertineat ad politicae praecepta prudentiae, omnino circumscribi iis finibus oportere, quos caussa, idest salus publica postulat. Quare si saluti publicae detrimentum afferat et mala civitati maiora pariat, consequens est eam adhiberi non licere, quia in his rerum adiunctis abest ratio boni. Si vero ob singularia reipublicae tempora usuveniat, ut modernis quibusdam libertatibus Ecclesia acquiescat, non quod ipsas per se malit, sed quia permissas esse iudicat expedire, versis in meliora temporibus, adhibitura sane esset libertatem suam, et suadendo, hortando, obsecrando studeret, uti debet, munus efficere sibi assignatum a Deo, videlicet sempiternae hominum saluti consulere. Illud tamen perpetuo verum est, istam omnium et ad omnia libertatem non esse, quemadmodum pluries diximus, expetendam per se, quia falsum eodem iure esse ac verum, rationi repugnat. Et quod ad *tolerantiam* pertinet, mirum quantum ab aequitate prudentiaque Ecclesiae

[1] S. August., *de lib. arb.*, lib. I. cap. 6, num. 14.
[2] S. Th., p. I, qu. XIX, a. 9, ad 3.

distant, qui *Liberalismum* profitentur. Etenim permittenda civibus omnium earum rerum, quas diximus, infinita licentia, omnino modum transiliunt, atque illuc evadunt, ut nihilo plus honestati veritatique tribuere, quam falsitati ac turpitudini videantur. Ecclesiam vero, columnam et firmamentum veritatis, eamdemque incorruptam morum magistram, quia tam dissolutum flagitiosumque *tolerantiae* genus constanter, ut debet, repudiat, idemque adhiberi fas esse negat, criminantur esse a patientia et lenitate alienam; quod cum faciunt, minime sentiunt, se quidem, quod laudis est, in vitio ponere. Sed in tanta ostentatione *tolerantiae*, re persaepe contingit, ut restricti ac tenaces in rem catholicam sint: et qui vulgo libertatem effuse largiuntur, iidem liberam sinere Ecclesiam passim recusant.

24. Et ut omnis oratio una cum consectariis suis capitulatim breviterque, perspicuitatis gratia, colligatur, summa est, necessitate fieri, ut totus homo in verissima perpetuaque potestate Dei sit: proinde libertatem hominis, nisi obnoxiam Deo eiusque voluntati subiectam, intelligi minime posse. Quem quidem in Deo principatum aut esse negare, aut ferre nolle, non liberi hominis est, sed abutentis ad perduellionem libertate: proprieque ex animi tali affectione conflatur et efficitur *Liberalismi* capitale vitium. Cuius tamen distinguitur forma multiplex: potest enim voluntas non uno modo, neque uno gradu ex obtemperatione discedere, quae vel Deo, vel iis, qui potestatem divinam participant, debetur.

25. Profecto imperium summi Dei funditus recusare atque omnem obedientiam prorsus exuere in publicis, vel etiam in privatis domesticisque rebus, sicut maxima libertatis perversitas, ita pessimum *Liberalismi* est genus: omninoque de hoc intelligi debent quae hactenus contra diximus.

26. Proxima est eorum disciplina, qui utique consentiunt, subesse mundi opifici ac principi Deo oportere, quippe cuius ex numine tota est apta natura: sed iidem leges fidei et morum, quas natura non capiat, ipsa Dei auctoritate traditas, audacter repudiant, vel saltem nihil esse aiunt, cur earum habeatur, praesertim publice in civitate, ratio. Qui pariter quanto in errore versentur, et quam sibimetipsis parum cohaereant, supra vidimus. Et ab hac doctrina, tamquam a capite principioque suo, illa manat perniciosa sententia de rationibus Ecclesiae a republica disparandis: cum contra liqueat, geminas potestates, in munere dissimili et gradu dispari, oportere tamen esse inter se actionum concordia et mutatione officiorum consentientes.

27. Huic tamquam generi subiecta est opinio duplex. — Plures enim rempublicam volunt ab Ecclesia seiunctam et penitus et totam, ita ut in omni iure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione iuventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla: permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam. Contra quos plane vis argumentorum omnium valet, quibus ipsam de distrahendis Ecclesiae reique civilis rationibus sententiam convicimus: hoc praeterea adiuncto, quod est perabsurdum, ut Ecclesiam civis vereatur, civitas contemnat.

28. Alii, quominus Ecclesia sit, non repugnant, neque enim possent: ei tamen naturam iuraque propria societatis perfectae eripiunt, nec eius esse, contendunt, facere leges, iudicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte et voluntate subiectos. Itaque divinae huiusce societatis naturam opinione adulterant, auctoritatem, magisterium, omnem eius efficientiam extenuant et coangustant, vim simul potestatemque civilis principatus usque eo exaggerantes, ut sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, ita Ecclesiam Dei sub imperium ditionemque reipublicae subiungant. — Ad hos plane refellendos argumenta valent Apologetis usitata, nec praetermissa Nobis, nominatim in Epistola encyclica *Immortale Dei*, [1] ex quibus efficitur, divinitus esse constitutum, ut omnia in Ecclesia insint, quae ad naturam ac iura pertineant legitimae, summae, et omnibus partibus perfectae societatis.

29. Multi denique rei sacrae a re civili distractionem non probant; sed tamen faciendum censent, ut Ecclesia obsequatur tempori, et flectat se atque accommodet ad ea, quae in administrandis imperiis hodierna prudentia desiderat. Quorum est honesta sententia, si de quadam intelligatur aequa ratione, quae consistere cum veritate iustitiaque possit: nimirum ut, explorata spe magni alicuius boni, indulgentem Ecclesia sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod salva officii sanctitate potest. — Verum secus est de rebus ac doctrinis, quas demutatio morum ac fallax iudicium contra fas invexerint. Nullum tempus vacare religione, veritate, iustitia potest: quas res maximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiae esse iusserit, nihil est tam alienum quam velle, ut ipsa quod vel falsum est vel iniustum dissimulanter ferat, aut in iis quae sunt religioni noxia conniveat.

30. Itaque ex dictis consequitur, nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti iura totidem, quae homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari ius esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset. — Similiter consequitur, ista genera libertatis posse quidem, si iustae caussae sint, tolerari, definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent. — Ubi vero harum libertatum viget consuetudo, eas ad facultatem recte faciendi cives transferant, quodque sentit de illis Ecclesia, idem ipsi sentiant. Omnis enim libertas legitima putanda, quatenus rerum honestarum maiorem facultatem afferat, praeterea numquam.

31. Ubi dominatus premat aut impendeat eiusmodi, qui oppressam iniusta vi teneat civitatem, vel carere Ecclesiam cogat libertate debita, fas est aliam quaerere temperationem reipublicae, in qua agere cum libertate concessum sit: tunc enim non illa expetitur immodica et vitiosa libertas, sed sublevatio aliqua, salutis omnium caussa, quaeritur, et hoc unice agitur ut, ubi rerum malarum licentia tribuitur, ibi potestas honeste faciendi ne impediatur.

[1] Cf. N. 592.

32. Atque etiam malle reipublicae statum populari temperatum genere, non est per se contra officium, salva tamen doctrina catholica de ortu atque administratione publicae potestatis. Ex variis reipublicae generibus, modo sint ad consulendum utilitati civium per se idonea, nullum quidem Ecclesia respuit: singula tamen vult, quod plane idem natura iubet, sine iniuria cuiusquam, maximeque integris Ecclesiae iuribus, esse constituta.

33. Ad res publicas gerendas accedere, nisi alicubi ob singularem rerum temporumque conditionem aliter caveatur, honestum est: immo vero probat Ecclesia, singulos operam suam in communem afferre fructum, et quantum quisque industria potest, tueri, conservare, augere rempublicam.

34. Neque illud Ecclesia damnat, velle gentem suam nemini servire nec externo, nec domino, si modo fieri, incolumi iustitia, queat. Denique nec eos reprehendit qui efficere volunt, ut civitates suis legibus vivant, civesque quam maxima augendorum commodorum facultate donentur. Civicarum sine intemperantia libertatum semper esse Ecclesia fautrix fidelissima consuevit: quod testantur potissimum civitates italicae, scilicet prosperitatem, opes, gloriam nominis municipali iure adeptae, quo tempore salutaris Ecclesiae virtus in omnes reipublicae partes, nemine repugnante, pervaserat.

35. Haec quidem, Venerabiles Fratres, quae fide simul et ratione duce, pro officio Nostro apostolico tradidimus, fructuosa plurimis futura, vobis maxime Nobiscum adnitentibus, confidimus. — Nos quidem in humilitate cordis Nostri supplices ad Deum oculos tollimus, vehementerque petimus, ut sapientiae consiliique sui lumen largiri hominibus benigne velit, scilicet ut his aucti virtutibus possint in rebus tanti momenti vera cernere, et quod consequens est, convenienter veritati, privatim, publice, omnibus temporibus immotaque constantia vivere. — Horum caelestium munerum auspicem et Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque, cui singuli praeestis, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. VIII, p. 212-246].

601.

Leo XIII, ep. *Est sane molestum*, 17 dec. 1888. [1]

Est sane molestum et grave, adhibere severius eos, qui loco filiorum diligantur: id tamen vel inviti quandoque faciant oportet, qui aliorum salutem procurare ac tueri sancte debent. Multoque severitatis tunc est necessitas maior, cum non sine causa metuitur ne et graviora fiant incommoda productione temporis, et latius ad offensionem bonorum fluant. — Tales te causae videntur, Venerabilis Frater, nuper impulisse, ut pro potestate in scriptum quoddam animadverteres, sane reprehendendum, quod

[1] Venerabili Fratri Archiepiscopo Turonensi.

esset in sacram Episcoporum auctoritatem iniuriosum, neque unum aliquem
ex eis carperet, sed plurimos: quorum agendi regendique ratio sic erat
acri descripta stilo et prope in iudicium vocata, quasi maximis sanctisque
muneribus defuissent. — Profecto non est ullo modo ferendum, laicos homi-
nes, professione catholicos, palam in diariorum paginis tantum sibi arro-
gare, ut licere putent et contendant, de personis quibuslibet, non excep-
tis episcopis, liberrime, prout visum fuerit iudicare et eloqui: in rebus
omnibus, nisi quae fidem divinam attingant, ita sentire uti libeat, et suo
quemque arbitratu agere. — In hac causa nihil esse potest, Venerabilis Fra-
ter, cur de assensione et approbatione Nostra dubites. Muneris enim Nostri
maxime est vigilare et conniti, ut divina Episcoporum potestas omnino
incolumis atque inviolata consistat. Nostrum est pariter imperare et effi-
cere, ut ea ubique honore vigeat suo, neve quidquam a catholicis iustae
obtemperationis et reverentiae ulla in parte desideret. Divinum quippe
aedificium, quod est Ecclesia, verissime nititur, tamquam in fundamento
conspicuo, primum quidem in Petro et successoribus eius, proxime in
Apostolis et successoribus Apostolorum Episcopis: quos qui audit vel sper-
nit, is perinde facit ac si audiat vel spernat Christum Dominum. Ex Epi-
scopis constat pars Ecclesiae longe augustissima, quae nimirum docet ac
regit homines iure divino: ob eamque rem quicumque eis resistat, vel
dicto audiens esse pertinaciter recuset, ille ab Ecclesia longius recedit. [1] —
Neque vero continenda obtemperatio est, quasi finibus, in rebus ad fidem
christianam pertinentibus, sed multo amplius proferenda, videlicet ad res
omnes, quascumque episcopalis potestas complectitur. Sunt illi quidem
in populo christiano fidei sanctae magistri, at praesunt etiam tamquam
rectores et duces, atque ita praesunt, ut de hominum salute, quos habent
a Deo creditos, ipsi Deo ratio sit ab illis aliquando reddenda. Unde exi-
stit illa Pauli Apostoli ad christianos hortatio: *obedite praepositis vestris
et subiacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris
redditturi.* [2] — Liquet enimvero et perspicuum est, duplicem hominum esse
in Ecclesia ordinem, alterum ab altero natura sua distinctum, pastores et
gregem, id est rectores et multitudinem. Prioris ordinis munus est docere,
gubernare, moderari vitae disciplinam, praecepta dare: alterius vero officium
subesse, obsequi, praecepta sequi, honorem adhibere. Quod si, qui subesse
debent, partes eorum qui sunt superioris ordinis sumant, illi non modo
temere et iniuria faciunt, sed, quantum in ipsis est, ordinem ab auctore
Ecclesiae Deo providentissime constitutum funditus pervertunt — Si vero
forte quisquam in ipso Episcoporum ordine reperiatur non suae satis me-
mor dignitatis, qui religionem officii aliqua ex parte videatur deseruisse,
nihil ipsi ob eam causam de potestate sua decederet; et quamdiu com-
munionem cum romano Pontifice retinuerit, profecto ex eius ditione liceret
nemini observantiam in eum atque obedientiam minuere. Contra inquirere
in acta Episcoporum, eaque redarguere, nullo modo attinet ad privatos:

[1] Matth., XVIII, 17.
[2] Hebr., XIII, 17.

verum ad eos dumtaxat attinet, qui sacro in ordine illis potestate antecedunt, praecipue ad Pontificem maximum, quippe cui Christus non agnos modo, sed oves, quotquot ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum, in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem romanum deferre; id tamen caute moderateque, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut obiurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignuntur, aut certe augentur.

Ita rerum capita, quae potissima sunt, nec convelli queunt, quin Ecclesiae regimen in magnam confusionem perturbationemque compellatur, non semel Nos commemorare habuimus et inculcare. Satis loquuntur et epistola ad legatum Nostrum in Gallia a te iterum commode evulgata, et aliae subinde ad Archiepiscopum Parisiensem, [1] ad Episcopos Belgii, [2] ad nonnullos ex Italia, binaeque litterae Encyclicae ad Episcopos tum Galliae, [3] tum Hispaniae. [4] Nunc ea ipsa documenta rursus commemoramus, rursus inculcamus, spe magna freti, fore quidem ex admonitione et auctoritate Nostra ut animorum motus apud vos per hos dies excitati resideant, confirmentur omnes et conquiescant in fide, in obsequio, in iusta debitaque eorum verecundia, qui sunt sacrae potestatis in Ecclesia compotes. — A quibus profecto officiis non ii solum putandi sunt declinare, qui rectorum auctoritatem aperta fronte repudient, sed ii non minus, qui adversentur et repugnent callide tergiversando et obliquis dissimulatisque consiliis. Obedientiae vera et non fucata virtus non est contenta verbis, sed in animo potissimum et voluntate consistit. — Quoniam vero culpa agitur certe cuiusdam ephemeridis, facere nequaquam possumus quin auctoribus ephemeridum catholicis iterum praecipiamus, ut documenta et praescripta, quorum supra est facta mentio, uti leges sanctas vereantur, neque ab eis ullo pacto discedant. Iidem praeterea hoc in animis persuasum habeant et defixum, se nimirum, si usquam praeterire illud propositum et iudicio suo indulgere non dubitent, sive praeiudicando quod Apostolica Sedes nondum censuerit, sive auctoritatem Episcoporum laedendo, sibique eam arrogando quam habere non possunt, frustra omnino confidere, germanam catholici nominis laudem retinere, aut ullo modo prodesse causae sanctissimae nobilissimaeque posse, quam tuendam ornandamque susceperunt. — Iam vero hoc Nos summopere optantes, ut ad sanitatem redeant quicumque erraverint, et obsequium sacrorum Antistitum in omnium animis penitus inhaereat, Apostolicam benedictionem, tibi, Venerabilis Frater, cunctoque Clero et populo tuo, paternae benevolentiae et caritatis testem, in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. VIII, p. 385-389].

[1] Ep. *Perlectae*, 22 oct. 1880. - Cf. Leonis XIII Acta, vol. II, p. 144-151.
[2] Ep. *Licet multa*, 3 aug. 1881. - Cf. Leonis XIII Acta, vol. II, p. 322-326.
[3] Cf. N. 590.
[4] Cf. N. 587.

602.

Leo XIII, ep. *Exeunte iam anno*, 25 dec. 1888.[1]

1. Exeunte iam anno, cum natalem sacerdotii quinquagesimum, singulari munere beneficioque divino, incolumes egimus, sponte respicit mens Nostra spatium praeteritorum mensium, plurimumque totius huius intervalli recordatione delectatur. — Nec sane sine caussa: eventus enim, qui ad Nos privatim attinebat, idemque nec per se magnus, nec novitate mirabilis, studia tamen hominum inusitato modo commovit, tam perspicuis laetitiae signis, tot gratulationibus celebratus, ut nihil optari maius potuisset. — Quae res certe pergrata Nobis perque iucunda cecidit: sed quod in ea plurimi aestimamus, significatio voluntatum est, religionisque liberrime testata constantia. Ille enim Nos undique salutantium concentus id aperte loquebatur, ex omnibus locis mentes atque animos in Iesu Christi Vicarium esse intentos: tot passim prementibus malis, in Apostolicam Sedem, velut in salutis perennem incorruptumque fontem, fidenter homines intueri: et quibuscumque in oris catholicum viget nomen, Ecclesiam romanam, omnium ecclesiarum matrem et magistram, coli observarique, ita ut aequum est, ardenti studio ac summa concordia. — His de caussis per superiores menses non semel in caelum suspeximus, Deo optimo atque immortali gratias acturi, quod et hanc Nobis vivendi usuram, et ea, quae commemorata sunt, curarum solatia benignissime tribuisset: per idemque tempus, cum sese occasio dedit, gratam voluntatem Nostram, in quos oportebat, declaravimus. Nunc vero extrema anni ac celebritatis renovare admonent accepti beneficii memoriam: atque illud peroptato contingit, ut Nobiscum in iterandis Deo gratiis Ecclesia tota consentiat. Simul vero expetit animus per has litteras publice testari, id quod facimus, quemadmodum tot obsequii, humanitatis, et amoris testimonia ad leniendas curas molestiasque Nostras consolatione non mediocri valuerunt, ita eorum et memoriam in Nobis et gratiam semper esse victuram. — Sed maius ac sanctius restat officium. In hac enim affectione animorum, romanum Pontificem alacritate insueta colere atque honorare gestientium, numen videmur nutumque Eius agnoscere, qui saepe solet atque unus potest magnorum principia bonorum ex minimis momentis elicere. Nimirum providentissimus Deus voluisse videtur, in tanto opinionum errore, excitare fidem, opportunitatemque praebere studiis vitae potioris in populo christiano revocandis. — Quamobrem hoc est reliqui, dare operam ut, bene positis initiis, bene cetera consequantur: enitendumque, ut et intelligantur consilia divina, et re ipsa perficiantur. Tunc denique obsequium in Apostolicam Sedem plene erit cumulateque perfectum, si cum virtutum christianarum laude

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et Dilectis Filiis Christifidelibus universis pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

coniunctum ad salutem conducat animorum: qui fructus est unice expetendus perpetuoque mansurus.

2. Ex hoc summo Apostolici muneris gradu, in quo Nos Dei benignitas locavit, patrocinium veritatis saepenumero, ut oportuit, suscepimus, conatique sumus ea potissimum doctrinae capita exponere, quae maxime opportuna eque re publica viderentur esse, ut quisque, veritate perspecta, pestiferos errorum afflatus, vigilando cavendoque, defugeret. Nunc vero, uti liberos suos amantissimus parens, sic Nos alloqui christianos universos volumus, familiarique sermone hortari singulos ad vitam sancte instituendam. Nam omnino ad christianum nomen, praeter fidei professionem, necessariae sunt christianarum artes exercitationesque virtutum; ex quibus non modo pendet sempiterna salus animorum, sed etiam germana prosperitas et firma tranquillitas convictus humani et societatis. — Iamvero si quaeritur qua passim ratione vita degatur, nemo est quin videat, valde ab evangelicis praeceptis publicos mores privatosque discrepare. Nimis apte cadere in hanc aetatem videtur illa Ioannis Apostoli sententia, *omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.*[1] Videlicet plerique, unde orti, quo vocentur, obliti, curas habent cogitationesque omnes in haec imbecilla et fluxa bona defixas: invita natura, perturbatoque ordine, iis rebus sua voluntate serviunt, in quas dominari hominem ratio ipsa clamat oportere. — Appetentiae commodorum et deliciarum comitari proclive est cupiditatem rerum ad illa adipiscenda idonearum. Hinc effrenata pecuniae aviditas, quae efficit caecos quos complexa est, et ad explendum quod exoptat inflammata rapitur, nullo saepe aequi iniqui discrimine, nec raro cum alienae inopiae insolenti fastidio. Ita plurimi, quorum circumfluit vita divitiis, fraternitatis nomen cum multitudine usurpant, quam intimis sensibus superbe contemnunt. Similique modo elatus superbia animus non legi subesse ulli, nec ullam vereri potestatem conatur: merum amorem sui libertatem appellat. *Tamquam pullum onagri se liberum natum putat.*[2] — Accedunt vitiorum illecebrae ac perniciosa invitamenta peccandi: ludos scenicos intelligimus impie ac licenter apparatos: volumina atque ephemeridas ludificandae virtuti, honestandae turpidini composita; artes ipsas, ad usum vitae honestamque oblectationem animi inventas, lenocinia cupiditatum ministrare iussas. Nec licet sine metu futura prospicere, quia nova malorum semina continenter velut in sinum congeruntur adolescentis aetatis. Nostis morem scholarum publicarum: nihil in eis relinquitur ecclesiasticae auctoritati loci: et quo tempore maxime oporteret tenerrimos animos ad officia christiana sedulo studioseque fingere, tum religionis praecepta plerumque silent. Grandiores natu periculum adeunt etiam maius, scilicet a vitio doctrinae: quae saepe est eiusmodi, ut non ad imbuendam cognitione veri, sed potius ad infatuandam valeat fallacia sententiarum iuventutem. In disciplinis enim tradendis permulti philosophari malunt solo rationis magisterio, omnino fide divina postha-

[1] I Ep., II, 16.
[2] Iob., XI, 12.

bita: quo firmamento maximo uberrimoque lumine remoto, in multis labuntur, nec vera cernunt. Eorum illa sunt, omnia, quae in hoc mundo sint, esse corporea: hominum et pecudum easdem esse origines similemque naturam: nec desunt qui de ipso summo dominatore rerum, ac mundi opifice Deo dubitent, sit necne sit, vel in eius natura errent, ethnicorum more, deterrime. Hinc demutari necesse est ipsam speciem formamque virtutis, iuris, officii. Ita quidem, ut dum rationis principatum gloriose praedicant, ingeniique subtilitatem magnificentius efferunt, quam par est, debitas superbiae poenas rerum maximarum ignoratione luant. — Corrupto opinionibus animo, simul insidet tamquam in venis medullisque corruptela morum; eaque sanari in hoc genere hominum sine summa difficultate non potest, propterea quod ex una parte opiniones vitiosae adulterant iudicium honestatis, ex altera lumen abest fidei christianae, quae omnis est principium ac fundamentum iustitiae.

3. Ex eiusmodi caussis quantas hominum societas calamitates contraxerit, quotidie oculis quodammodo contemplamur. Venena doctrinarum proclivi cursu in rationem vitae resque publicas pervasere: *rationalismus*, *materialismus*, *atheismus* peperere *socialismum*, *communismum*, *nihilismum*: tetras quidem funestasque pestes, sed quas ex iis principiis ingenerari non modo consentaneum erat, sed prope necessarium. — Sane, si religio catholica impune reiicitur, cuius origo divina tam illustribus est perspicua signis, quidni quaelibet religionis forma reiiciatur, quibus tales assentiendi notas abesse liquet? Si animus non est a corpore natura distinctus, proptereaque si, intereunte corpore, spes aevi beati aeternique nulla superest, quid erit caussae quamobrem labores molestiaeque, in eo suscipiantur, ut appetitus obedientes fiant rationi? Summum hominis erit positum bonum in fruendis vitae commodis potiundisque voluptatibus. Cumque nemo unus sit, quin ad beate vivendum ipsius naturae admonitu impulsuque feratur, iure quisque detraxerit quod cuique possit, ut aliorum spoliis facultatem quaerat beate vivendi. Nec potestas ulla frenos est habitura tantos, ut satis cohibere incitatas cupiditates queat; consequens enim est, ut vis frangatur legum et omnis debilitetur auctoritas, si summa atque aeterna ratio iubentis vetantis Dei repudietur. Ita perturbari funditus necesse est civilem hominum societatem, inexplebili cupiditate ad perenne certamen impellente singulos, contendentibus aliis quaesita tueri, aliis concupita adipisci.

4. Huc ferme nostra inclinat aetas. — Est tamen quo consolari conspectum praesentium malorum, animosque erigere spe meliore possimus. Deus enim *creavit ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum.*[1] Sed sicut omnis hic mundus non aliter conservari nisi numine providentiaque eius potest, cuius est nutu conditus, ita pariter sanari homines sola eius virtute queunt, cuius beneficio sunt ab interitu ad vitam revocati. Nam humanum genus semel quidem Iesus Christus profuso sanguine redemit, sed perennis ac perpetua est virtus tanti operis tantique muneris: et non

[1] Sap., I, 14.

est in alio aliquo salus.[1] Quare qui cupiditatum popularium crescentem flammam nituntur oppositu legum extinguere, ii quidem pro iustitia contendunt: sed intelligant, nullo se fructu aut certe perexiguo laborem consumpturos, quamdiu obstinaverint animo respuere virtutem Evangelii, Ecclesiaeque nolle advocatam operam. In hoc posita malorum sanatio est, ut, mutatis consiliis, et privatim et publice remigretur ad Iesum Christum, christianamque vivendi viam.

5. Iamvero totius vitae christianae summa et caput est, non indulgere corruptis saeculi moribus, sed repugnare ac resistere constanter oportere. Id *auctoris fidei et consummatoris* Iesu omnia dicta et facta, leges et instituta, vita et mors declarant. Igitur quantumvis pravitate naturae et morum longe trahamur alio, curramus oportet *ad propositum nobis certamen* armati et parati eodem animo eisdemque armis, quibus Ille, qui *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.*[2] Proptereaque hoc primum videant homines atque intelligant quam sit a professione christiani nominis alienum persequi, uti mos est, cuiusquemodi voluptates, horrere comites virtutis labores, nihilque recusare sibi, quod sensibus naviter delicateque blandiatur. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis:*[3] ita ut consequens sit, Christi non esse, in quibus non exercitatio sit consuetudoque patiendi cum aspernatione mollium et delicatarum voluptatum. Revixit enim homo infinita Dei bonitate in spem bonorum immortalium, unde exciderat, sed ea consequi non potest, nisi ipsis Christi vestigiis ingredi conetur, et cogitatione exemplorum eius mentem suam moresque conformet. Itaque non consilium, sed officium, neque eorum dumtaxat qui perfectius vitae optaverit genus, sed plane omnium est, *mortificationem Iesu in corpore circumferre.*[4] — Ipsa naturae lex, quae iubet hominem cum virtute vivere, qui secus posset salva consistere? Deletur enim sacro baptismate peccatum, quod est nascendo contractum, sed stirpes distortae ac pravae, quas peccatum insevit, nequaquam tolluntur. Pars hominis ea quae expers rationis est, etsi resistentibus viriliterque per Iesu Christi gratiam repugnantibus nocere non possit, tamen cum ratione de imperio pugnat, omnem animi statum perturbat, voluntatemque tyrannice a virtute detorquet tanta vi, ut nec vitia fugere nec officia servata sine quotidiana dimicatione possimus. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta synodus fatetur ac sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, non valet; quinimo qui legitime certaverit coronabitur.*[5] — Est in hoc certamine gradus fortitudinis, quo virtus non perveniat nisi excellens, eorum videlicet, qui in profligandis motibus a ratione aversis eo usque profecerunt, ut caelestem in terris vitam agere propemodum videantur. Esto, paucorum sit tanta praestantia: sed, quod ipsa philosophia veterum praecipiebat, domitas habere cupiditates nemo

[1] Act., IV, 12.
[2] Hebr., XII, 1, 2.
[3] Galat., V, 24.
[4] II Cor., IV, 10.
[5] Conc. Trid., Sess. V, can. 5.

non debet: idque ii maiore etiam studio, quibus rerum mortalium quotidianus usus irritamenta maiora suppeditat: nisi qui stulte putet, minus esse vigilandum ubi praesentius imminet discrimen, aut, qui gravius aegrotant, eos minus egere medicina. — Is vero, qui in eiusmodi conflictu suscipitur, labor magnis compensatur, praeter caelestia atque immortalia, bonis: in primis quod isto modo, sedata perturbatione partium, plurimum restituitur naturae de dignitate pristina. Hac enim lege est atque hoc ordine generatus homo, ut animus imperaret corpori, appetitus mente consilioque regerentur: eoque fit, non dedere se pessimis dominis cupiditatibus, praestantissima sit maximeque optanda libertas. — Praeterea in ipsa humani generis societate non apparet quid expectari ab homine sine hac animi affectione possit. Utrumne futurus est ad bene merendum propensus, qui facienda, fugienda, metiri amore sui consueverit? Non magnanimus quisquam esse potest, non beneficus, non misericors, non abstinens, qui non se ipse vincere didicerit, atque humana omnia prae virtute contemnere. — Nec silebimus, id omnino videri divino provisum consilio, ut nulla afferri salus hominibus, nisi cum contentione et dolore queat. Revera si Deus liberationem culpae et errati veniam hominum generi dedit, hac lege dedit, ut Unigenitus suus poenas sibi debitas iustasque persolveret, Iustitiaeque divinae cum Iesus Christus satisfacere alia atque alia ratione potuisset, maluit tamen per summos cruciatus profusa vita satisfacere. Atque ita alumnis ac sectatoribus suis hanc legem imposuit suo cruore sancitam, ut eorum esset vita cum morum ac temporum vitiis perpetua certatio. Quid Apostolos ad imbuendum veritate mundum fecit invictos, quid martyres innumerabiles in fidei christianae cruento testimonio roboravit, nisi affectio animi illi legi obtemperans sine timore? Nec alia via ire perrexerunt, quotquot curae fuit vivere more christiano, sibique virtute consulere: neque igitur alia nobis eundum, si consultum saluti volumus vel nostrae singulorum, vel communi. Itaque, dominante procacitate libidinum, tueri se quemque viriliter necesse est a blandimentis luxuriae: cumque passim sit in fruendis opibus et copiis tam insolens ostentatio, muniendus animus est contra divitiarum sumptuosas illecebras, ne his inhians animus, quae appellantur bona, quae nec satiare eum possunt, ac brevi sunt dilapsura, thesaurum amittat non deficientem in caelis. Denique illud etiam dolendum, quod opiniones atque exempla perniciosa tanto opere ad molliendos animos valuerunt ut plurimos iam prope pudeat nominis vitaeque christianae: quod quidem aut perditae nequitiae est, aut segnitiae inertissimae. Utrumque detestabile, utrumque tale, ut nullum homini malum maius. Quaenam enim reliqua salus esset, aut qua spe niterentur homines, si gloriari in nomine Iesu Christi desierint, si vitam ex praeceptis evangelicis constanter aperteque agere recusarint? Vulgo queruntur viris fortibus sterile saeculum. Revocentur christiani mores: simul erit gravitas et constantia ingeniis restituta.

6. Sed tantorum magnitudini varietatique officiorum virtus hominum par esse sola non potest. Quo modo corpori, ut alatur, panem quotidianum, sic animae, ut ad virtutem confirmetur, nervos atque robur impetrare divinitus necesse est. Quare communis illa conditio lexque vitae, quam in per-

petua quadam diximus dimicatione consistere, obsecrandi Deum habet adiunctam necessitatem. Etenim, quod est vere ab Augustino venusteque dictum, transcendit pia precatio intervalla mundi divinamque devocat e caelo misericordiam. Contra cupiditatum turbidos motus, contra malorum daemonum insidias, ne circumventi in fraudem inducamur, adiumenta petere atque auxilia caelestia iubemur oraculo divino, *orate ut non intretis in tentationem.* [1] Quanto id necessarium magis, si utilem dare operam alienae quoque saluti volumus? Christus Dominus, unigenitus Filius Dei, fons omnis gratiae et virtutis, quod verbis praecepit, ipse prior demonstravit exemplo: *erat pernoctans in oratione Dei:* [2] sacrificioque proximus *prolixius orabat.* [3] — Profecto longe minus esset naturae extimescenda fragilitas, nec languore mores desidiaque diffluerent, si divinum istud praeceptum minus iaceret incuria ac prope fastidio intermissum. Est enim exorabilis Deus, gratificari vult hominibus, aperte pollicitus, sua se munera large copioseque petentibus daturum. Quin etiam invitat ipsemet petere, ac fere lacessit amantissimis verbis: *ego dico vobis, petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.* [4] Quod ut confidenter ac familiariter facere ne vereamur, maiestatem numinis sui similitudine atque imagine temperat parentis suavissimi cui nihil potius, quam caritas liberorum. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se?* [5] — Quae qui cogitaverit, non nimium mirabitur si efficientia precum humanarum Ioanni quidem Chrysostomo videatur tanta, ut cum ipsa potentia Dei comparari illam putet posse. Propterea quod sicut Deus universitatem rerum verbo creavit, sic homo impetrat, orando, quae velit. Nihil est rite adhibitis precibus impetrabilius, quia insunt in eis quaedam velut moventia, quibus placari se Deus atque exorari facile patiatur. Nam inter orandum sevocamus ab rebus mortalibus animum, atque unius Dei cogitatione suspensi, conscientia tenemur infirmitatis humanae: ob eamque rem in bonitate et amplexu parentis nostri acquiescimus, in virtute conditoris perfugium quaerimus. Adire insistimus auctorem omnium bonorum, tamquam spectari ab eo velimus aegrum animum, imbecillas vires, inopiam nostram: plenique spe, tutelam atque opem eius imploramus, qui aegrotationum medicinam, infirmitatis miseriaeque solatia praebere solus potest. Tali habitu animi modeste de se, ut oportet, submisseque iudicantis, mire flectitur Deus ad clementiam, quia quemadmodum superbis resistit, ita humilibus *dat gratiam.* [6] — Sancta igitur sit apud omnes consuetudo precandi: mens, animus, vox precentur: unaque simul ratio vivendi consentiat, ut videlicet per legum divinarum custodiam perennis ad Deum ascensus vita nostra videatur.

[1] Matth., XXVI, 41.
[2] Luc., VI, 12.
[3] Luc., XXII, 43.
[4] Luc., XI, 9.
[5] Matth., VII, 11.
[6] I Petr., V, 5.

7. Quemadmodum virtutes ceterae, ita haec etiam, de qua loquimur,
gignitur et sustentatur fide divina. Deus enim auctor est, quae sint homini
vera atque unice per se expetenda bona: itemque infinitam Dei bonitatem,
et Iesu redemptoris merita eodem auctore cognovimus. Sed vicissim pia
precandi consuetudine nihil est ad alendam augendamque fidem aptius.
Cuius quidem virtutis, in plerisque debilitatae, in multis extinctae, appa-
ret quanta sit hoc tempore necessitas. Illa enim est maxime, unde non
modo vitae privatorum petenda correctio est, sed etiam earum rerum iudi-
cium expectandum, quarum conflictio quietas et securas esse civitates non
sinit. Si aestuat multitudo immodicae libertatis siti, si erumpunt undique
proletariorum minaces fremitus, si inhumana beatiorum cupiditas numquam
se satis consecutam putat, et si quae sunt alia generis eiusdem incom-
moda, his profecto, quod alias uberius exposuimus, nihil subvenire melius
aut certius, quam fides christiana, potest.

8. Locus admonet, ad vos cogitationem orationemque convertere, quot-
quot Deus ad sua dispensanda mysteria, collata divinitus potestate, adiu-
tores adscivit. Si caussae indagantur privatae publicaeque salutis, dubi-
tandum non est, vitam moresque clericorum posse plurimum in utramque
partem. — Meminerint, igitur, se *lucem mundi* a Iesu Christo appellatos,
quod *luminis instar universum orbem illustrantis, sacerdotis animam splende-
scere oportet.* [1] Lumen doctrinae, neque illud vulgare, in sacerdote requi-
ritur, quia muneris eius est implere sapientia ceteros, evellere errores,
ducem esse multitudini per itinera vitae ancipitia et lubrica. In primis
autem vitae innocentiam comitem doctrina desiderat, praesertim quod in
emendatione hominum longe plus exemplo, quam peroratione proficitur.
Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. [2] Cuius
divinae sententiae ea profecto vis est, talem esse in sacerdotibus perfe-
ctionem oportere absolutionemque virtutis, ut se tamquam speculum prae-
bere intuentibus queant. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei
cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministe-
rio dedicarunt: cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspician-
tur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex eisque sumunt,
quod imitentur.* [3] Quare si omnes caveant vigilanter oportet, ne ad vitiorum
scopulos adhaerescant, neu consectentur res caducas appetitione nimia,
apparet quando id efficere sacerdotes religiosius et constantius debeant. —
Nisi quod nec satis est non servire cupiditatibus: illud etiam sanctitudo
dignitatis postulat ut sibimetipsis acriter imperare assuescant, itemque omnes
animi vires, praesertim intelligentiam ac voluntatem, quae summum in
homine obtinent locum, in obsequium Christi cogere. *Qui relinquere uni-
versa disponis, te quoque inter reliquenda connumerare memento imo maxime et
principaliter abnega temetipsum.* [4] Soluto ac libero ab omni cupidine animo,

[1] S. Io. Chrysost., *De Sac.*, l. 3, c. 1.
[2] Matth., V, 16.
[3] Conc. Trid., Sess. XXII, c. 1, *de ref.*
[4] S. Bernard., *Declam.*, c. 1.

tum denique alacre et generosum studium concipient salutis alienae, sine
quo nec satis consulerent suae. *Unus erit de subditis quaestus, una pompa,
unaque voluptas, si quomodo possent parare plebem perfectam. Id omnibus sata-
gent etiam multa contritione cordis et corporis, in labore et aerumna, in fame
et siti, in frigore et nuditate.* [1] Cuiusmodi virtutem semper experrectam et
ad ardua quaelibet, proximorum gratia, impavidam mire fovet et corrobo-
rat bonorum caelestium contemplatio frequens. In qua sane quanto plus
posuerint operae, tanto liquidius magnitudinem munerum sacerdotalium
et excellentiam et sanctitatem intelligent. Iudicabunt illud quam sit mise-
rum, tot homines per Iesum Christum redemptos, ruere tamen in interi-
tum sempiternum: divinaeque cogitatione naturae in amorem Dei et inten-
dent sese vehementius et ceteros excitabunt.

9. Est eiusmodi cursus ad salutem communem certissimus. In quo
tamen magnopere cavendum, ne qui magnitudine difficultatum terreatur,
aut propter diuturnitatem malorum de sanatione desperet. Dei aequissima
immutabilisque iustitia et recte factis praemia reservat et supplicia pec-
catis. Gentes vero et nationes, quoniam ultra mortalis aevi spatium propa-
gari non possunt, debitam factis mercedem ferant in terris necesse est.
Utique non est novum, successus prosperos peccanti civitati contingere:
idque iusto Dei consilio, qui actiones laudabiles, neque enim est ulla gens
omni laude vacans, eiusmodi beneficiorum genere interdum remuneratur:
quod in populo romano iudicat Augustinus contigisse. Rata tamen lex est,
ad prosperam fortunam omnino plurimum interesse quemadmodum publice
virtus, ac nominatim ea, quae parens est ceterarum, iustitia colatur. *Iusti-
tia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum.* [2] — Nihil attinet con-
siderationem hoc loco intendere in victricia facinora: nec exquirere, ullane
imperia, salvis rebus suis et ad voluntatem fluentibus, gerant tamen velut
in imis visceribus inclusum semen miseriarum. Unam rem intelligi volu-
mus, cuius rei plena est exemplorum historia, iniuste facta aliquando esse
luenda, eoque gravius, quo fuerint diuturniora delicta. Nos quidem magno-
pere illa Pauli Apostoli sententia consolatur, *Omnia enim vestra sunt: vos
autem Christi, Christus autem Dei.* [3] Videlicet arcano divinae providentiae
nutu sic rerum mortalium regitur gubernaturque cursus, ut, quaecumque
hominibus accidunt, omnia Dei ipsius gloriae asserviant, itemque sint eorum
saluti, qui Iesum Christum vere et ex animo sequuntur, conducibilia. Ho-
rum vero mater et altrix, dux et custos est Ecclesia: quae idcirco cum Chri-
sto sponso suo sicut intima atque incommutabili caritate copulatur, ita
coniungitur societate certaminum et communione victoriae. Nihil igitur
anxii Ecclesiae caussa sumus, nec esse possumus: sed valde pertimescimus
de salute plurimorum, qui, Ecclesia superbe posthabita, errore vario in
interitum aguntur: angimur earum caussa civitatum, quas spectare cogi-
mur aversas a Deo, et summo rerum omnium discrimini stolida securi-
tate indormientes. *Nihil Ecclesiae par est... Quot Ecclesiam oppugnarunt,*

[1] S. Bernard., lib. IV, *de Consid.*, c. 2.
[2] Prov., XIV, 34.
[3] I Cor., III, 22, 23.

ipsique perierunt? Ecclesia vero caelos transcendit. Talis est Ecclesiae magnitudo: vincit impugnata, insidiis appetita superat... luctatur nec prosternitur, pugilatu certat, nec vincitur. [1] Neque solum non vincitur, sed illam, quam perenni haustu a Deo ipso derivat, emendatricem naturae et efficientem salutis virtutem conservat integram, nec ulla temporum permutatione mutabilem. Quae virtus si senescentem vitiis et perditum superstitione mundum divinitus liberavit, quidni devium revocabit? Conticescant aliquando suspiciones ac simultates: amotisque impedimentis, esto iurium suorum ubique compos Ecclesia, cuius est tueri ac propagare parta per Iesum Christum beneficia. Tunc enimvero licebit experiendo cognoscere, quo lux Evangelii pertineat, quid virtus Christi redemptoris possit. — Hic annus, qui est in exitu, non pauca, ut initio diximus, reviviscentis fidei indicia praetulit. Utinam istiusmodi velut scintilla crescat in vehementem flammam, quae, absumptis vitiorum radicibus, viam celeriter expediat ad renovandos mores et salutaria capessenda. Nos quidem mystico Ecclesiae navigio tam adversa tempestate praepositi, mentem animumque in divinum gubernatorem defigimus, qui clavum tenens sedet non visus in puppi. Vides, Domine, ut undique eruperint venti, ut mare inhorrescat, magna vi excitatis fluctibus. Impera, quaesumus, qui solus potes, et ventis et mari. Redde hominum generi pacem veri nominis, quam mundus dare non potest, tranquillitatem ordinis. Scilicet munere impulsuque tuo referant sese homines ad ordinem debitum, restituta, ut oportet, pietate in Deum, iustitia et caritate in proximos, temperantia in semetipsos, domitis ratione cupiditatibus. Adveniat regnum tuum, tibique subesse ac servire ii quoque intelligant oportere, qui veritatem et salutem, te procul, vano labore exquirunt. Inest in legibus tuis aequitas ac lenitudo paterna: ad easque servandas ultro nobis ipse suppeditas expeditam virtute tua facultatem. Militia est vita hominis super terram, sed ipse *certamen inspectas, et adiuvas hominem ut vincat, et deficientem sublevas, et vincentem coronas.* [2]

10. Atque his sensibus erecto in spem laetam firmamque animo, munerum caelestium auspicem et benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque catholico universo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. VIII, p. 393-411].

603.

Leo XIII, ep. *Sicut acceptum*, 29 apr. 1889. [3]

Sicut acceptum studium habuimus quo Nos certiores fecisti mense novembri superioris anni de postulatis tuis aliorumque Bavariae Antistitum ad Regiam Celsitudinem Luitpoldum regnum istud regentem, ut gra-

[1] S. Io. Chrys., *Or. post. Eutrop. captum habita*, n. 1.
[2] Cf. S. Aug., *in Ps.* 32.
[3] Venerabili Fratri Antonio Archiepiscopo Monachiensi et Frisingensi.

via removeantur incommoda quibus istic Ecclesia afficitur, ita et curam probavimus a te nuper adhibitam ut Nobis exemplar afferretur rescripti, quo Regius Administer negotiis ecclesiasticis et scholasticis praefectus, nomine Principis Serenissimi, respondit petitionibus vestris ad Eum delatis. — At vero dolendum et responsionem illam Nostris vestrisque optatis neutiquam congruere. Nam licet Regius Administer in scriptione sua perhumaniter vobiscum egerit, vobisque in quibusdam assensus morem ultro gesturum spoponderit, quoad eius fieri poterit, in pluribus tamen, iisque gravissimis, quae petita fuerunt, vel adsensionem cohibuit, vel animum prorsus ab iis alienum ostendit. Imo in eo documento quaedam proferuntur quae cum catholica doctrina componi nequeunt, vel principia oppugnant sanctissima, quae rata semper habuit Ecclesia de mutuis sacrae et civilis potestatis iuribus et officiis. Non est enim ambigendum quin decreta Apostolicae Sedis vel Oecumenicae Synodi, in iis maxime quae ad fidem spectant, suapte natura et vi omnes ad obsequium adstringant qui christiano nomine censentur, nec quidquam detrahi de eorum potestate si regio placito fuerint destituta. — Divinum enim magisterium, quod a Christo Domino traditum fuit Ecclesiae, sanctiones eius de fide et moribus immunes facit a censura et potestate eorum qui rei publicae praesunt administrandae. Si secus esset, ea fidei dogmata vel praecepta morum, quae perpetuo vera et iusta sunt, mutabilia fierent ex diverso imperantium ingenio pro temporum et locorum varietate. Praeterea ad tuenda Ecclesiae iura in Bavarico regno illud summopere valere debet, quod solemnis conventio inita fuerit inter Decessorem Nostrum Pium VII et Maximilianum I Bavariae Regem, [1] semper ab Apostolica Sede religiose servata, cui ab altero e paciscentibus derogari vel abrogari nequit, altero ignaro vel abnuente. — Quapropter minime arbitramur vestri postulatus aequitatem ex eo infirmari quod civiles prostent leges quibus diversum ius constituatur. — Neque praeterire possumus acerbum illud Nobis accidisse quod omnis fere spes adimatur reversionis religiosis sodalibus, quorum salutare civibus ministerium est, ac legis favore, quo iamdiu usae fuerant, indignae habeantur virgines Deo devotae, quae in puellis instituendis utile magisterium exercent. Plena quidem aequitatis est facta vobis sponsio, abfuturos esse ab electione Moderatorum regularium Ordinum et votorum nuncupatione viros delegatos a civili potestate; at huius promissionis vis ex eo minuitur quod adhuc aditus illis patere dicatur, si res ac tempus videatur postulare. — Ceterum dum damna deflemus, quae ex reiectis precibus vestris Bavaricae Ecclesiae sunt oritura, nondum spem abiicimus fore ut Deus misericors praesentem leniat asperitatem rerum et tempora vobis concedat laetiora. Id citius fiet si cum zelo Antistitum connitantur certatim fidelium studia ut errores Ecclesiae infensos, quos alia tulit aetas, profliget veritatis vis et iuris auctoritas.

Tu vero, Venerabilis Frater, una cum aliis Episcopis Bavarici regni, perge constanter Ecclesiae iura tueri, tuoque ministerio impigre defungi. —

[1] Die 5 iun. 1817. – Cf. Raccolta di Concordati, p. 591-597.

Ampla vobis a Deo tribuetur merces, et a bonis omnibus laus si per vos veritatis vox nunquam obruta conticescat. Curate ut crediti vobis greges fide, innocentia, officiorum custodia, caritate omnibus exemplo sint: ostendite paratiores vos esse ut bene de patria mereamini quam contemptores religionis parati sint ad nocendum. Id eo valebit ut omnibus demum persuasum sit nullum firmius praesidium esse quo civilis fulciatur auctoritas, quam sacrum ministerium vestrum cunctis nexibus expeditum. — Nos interim Deum adprecati ut fructus laborum vestrorum multiplicet secundum divitias suas, vosque ope sua potenti sustentet ac protegat, Apostolicam benedictionem tibi, aliis Bavariae Episcopis, itemque Clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. IX, p. 91-94].

604.

Leo XIII, ep. *Litteris ad te*, 1 iun. 1889.[1]

Litteris ad te, Venerabilis Frater, et ad Archiepiscopos Taurinensem et Vercellensem itemque ad Episcopos provinciarum istarum, datis die XXV Ianuarii an. MDCCCLXXXII,[2] officii Nostri duximus vobiscum agere de quibusdam dissensionum initiis deque periculis, quae imminere videbamus ob graves istis ipsis in provinciis exortas, praesertim inter ephemeridum auctores, de philosophico-theologis Antonii Rosmini doctrinis disceptationes. — Providentiae curaeque vestrae esse diximus, nihil omittere quod ad modum aliquem animorum ardori imponendum magis aptum videretur ne veritatis inquirendae studium in detrimentum evaderet caritatis et iustitiae. — Illud etiam addebamus, satius esse ut catholici praesertim ephemeridum scriptores ab huiusmodi quaestionibus tractandis abstinerent: et hanc Sedem Apostolicam de gravioribus negotiis, potissimum quae ad sanctitatem atque integritatem catholicae veritatis pertinent, pro sui officii ratione sollicitam evigilare, ea adhibita consilii maturitate, in qua quemlibet catholicum virum par est conquiescere.

Propositum quidem Nobis erat, iteratis quamplurium doctorum virorum, etiam ex ordine Episcoporum, votis satisfacere, qui nempe enixis precibus postularant, ut placeret Nobis de Antonii Rosmini scriptis cognoscere ac decernere. — Enimvero Nos istiusmodi curam demandavimus consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Cardinalium S. R. et U. Inquisitioni praepositorum: norunt autem omnes huius Praefecturam Consilii ab ipso geri Pontifice maximo. Illi autem voluntati praeceptisque Nostris obsequuti sunt, ea, quam negotii gravitas desiderabat, prudentia et iudicii maturitate adhibita: nimirum pluribus conventibus habitis, sententias omnes, quotquot ipsis erant ad examinandum propositae, cura fuit cognoscere penitus et multa deliberatione perpendere. De iis vero quae singulis

[1] Venerabili Fratri Aloisio Archiepiscopo Mediolanensi.
[2] Cf. Leonis XIII Acta, vol. III, p. 6-10.

conventibus acta ac deliberata, continuo Nos, uti iusseramus, eiusdem sacri Consilii Assessor accurate fidelissimeque edocebat. Demum, die XIV Decembris anni MDCCCLXXXVII fieri placuit decretum « Post obitum » quo nimirum « propositiones » quadraginta ex Antonii Rosmini operibus posthumis magnam partem depromptae, eidemque decreto adiectae, damnantur.[1] — Hoc decretum, profecto ad doctrinam pertinens, prout est una cum « propositionibus » supra dictis editum, plane approbavimus et Nostra confirmavimus auctoritate: illud tamen, certis de caussis, non ante evulgari iussimus, quam quo evulgatum est die, scilicet VII Martii anno MDCCCLXXXVIII.[2]

Haec tibi, Venerabilis Frater, per has litteras significanda censuimus: neque enim desunt qui tueri ac persuadere verbo scriptove contendant, quum de decreto « Post obitum » agitur, de decreto agi, cui refragari impune liceat: illud prope inscientibus Nobis factum itemque latum promulgatumque sine approbatione Nostra esse.

Praeterea hac ipsa in re sacrum Inquisitionis Consilium a Pontifice maximo seiungunt ac separant; in quo sane apparet callidior quaedam tergiversatio cum suspicionibus non aequis temere coniuncta. — Nos quidem propensi ad clementiam natura et officio sumus: consuevimus etiam benevole atque amanter complecti quotquot esse prompta ad obediendum voluntate vidimus; nec facile patiemur talem in Nobis consuetudinem lenitatis exsolescere; sed tamen eam, quam diximus, nonnullorum agendi rationem Nobismetipsis et Apostolicae Sedi iniuriosam, non possumus non improbare vehementer. — Probe cognitum Nobis est, Venerabilis Frater, haud exiguas a te curas susceptas, ut decretum illud sincero ac prompto, uti catholicae Ecclesiae filios decet, mentis et voluntatis obsequio ab omnibus e Clero populoque tuo exciperetur: dolendum tamen, hisce curis tuis non eum, quem velimus, respondisse exitum. — Maiorem itaque in modum te hortamur, ut coeptis alacriter insistas, ac modis omnibus studeas quamlibet in hoc genere caussam offensionis removere. Divini autem favoris auspicem, paternaeque benevolentiae Nostrae tamquam pignus, Apostolicam benedictionem, tibi, Venerabilis Frater, universaeque archidioecesi tuae peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. IX, p. 111-114].

605.

Leo XIII, litt. encycl. *Sapientiae*, 10 ian. 1890.

1. Sapientiae christianae revocari praecepta, eisque vitam, mores, instituta populorum penitus conformari, quotidie magis apparet oportere. Illis enim posthabitis, tanta vis est malorum consecuta, ut nemo sapiens nec ferre sine ancipiti cura praesentia queat, nec in posterum sine metu pro-

[1] Cf. N. 1105.
[2] Cf. N. 1111.

spicere. — Facta quidem non mediocris est ad ea bona, quae sunt corporis et externa, progressio: sed omnis natura, quae hominis percellit sensus, opumque et virium et copiarum possessio, si commoditates gignere suavitatesque augere vivendi potest, natum ad maiora ac magnificentiora animum explere non potest. Deum spectare, atque ad ipsum contendere, suprema lex est vitae hominum: qui ad imaginem conditi similitudinemque divinam, natura ipsa ad auctorem suum potiundum vehementer incitantur. Atqui non motu aliquo cursuque corporis tenditur ad Deum, sed iis quae sunt animi, cognitione atque affectu. Est enim Deus prima ac suprema veritas, nec nisi mens veritate alitur: est idem perfecta sanctitas summumque bonorum, quo sola voluntas aspirare et accedere, duce virtute, potest.

2. Quod autem de singulis hominibus, idem de societate tum domestica tum etiam civili intelligendum. Non enim ob hanc caussam genuit natura societatem ut ipsam homo sequeretur tamquam finem, sed ut in ea et per eam adiumenta ad perfectionem sui apta reperiret. Si qua igitur civitas nihil praeter commoditates externas vitaeque cultum cum elegantia et copia persequatur, si Deum in administranda republica negligere, nec leges curare morales consueverit, deterrime aberrat ab instituto suo et praescriptione naturae, neque tam est ea societas hominum et communitas putanda quam fallax imitatio simulatioque societatis. — Iamvero ea, quae diximus, animi bona, quae in verae religionis cultu constantique praeceptorum christianorum custodia maxime reperiuntur, quotidie obscurari hominum oblivione aut fastidio cernimus, ita fere ut, quanto sunt earum rerum incrementa maiora, quae corpus attingunt, tanto earum, quae animum, maior videatur occasus. Imminutae plurimumque debilitatae fidei christianae magna significatio est in iis ipsis iniuriis, quae catholico nomini in luce atque in oculis hominum nimis saepe inferuntur: quas quidem cultrix religionis aetas nullo pacto tulisset. — His de caussis incredibile dictu est, quanta hominum multitudo in aeternae salutis discrimine versetur: sed civitates ipsae atque imperia diu incolumia esse non possunt, quia labentibus institutis moribusque christianis, maxima societatis humanae fundamenta ruere necesse est. Tranquillitati publicae atque ordini tuendo sola vis relinquitur: vis autem valde est infirma, praesidio religionis destituta: eademque servituti pariendae quam obedientiae aptior, gerit in se ipsa magnarum perturbationum inclusa semina. Graves memoratu casus saeculum tulit: nec satis liquet num non sint pertimescendi pares. — Itaque tempus ipsum monet remedia, unde oportet, quaerere: videlicet christianam sentiendi agendique rationem in vita privata, in omnibus reipublicae partibus, restituere: quod est unum ad pellenda mala, quae premunt, ad prohibenda pericula, quae impendent, aptissimum. In id nos, Venerabiles Fratres, incumbere opus est, id maxima qua possumus contentione industriaque conari: eiusque rei caussa, quamquam aliis locis, ut sese dedit opportunitas, similia tradidimus, utile tamen arbitramur esse in his Litteris magis enucleate officia describere catholicorum: quae officia, si accurate serventur, mirabiliter ad rerum communium salutem va-

lent. Incidimus in vehementem eamque prope quotidianam de rebus maximis dimicationem: in qua difficillimum est non decipi aliquando, non errare, non animo multos succumbere. Nostrum est, Venerabiles Fratres, admonere quemque, docere, adhortari convenienter tempori, ut *viam veritatis nemo deserat.*

3. Esse in usu vitae plura ac maiora catholicorum officia, quam eorum qui sint fidei catholicae aut perperam compotes, aut omnino expertes, dubitari non potest. Cum, parta iam hominum generi salute, Iesus Christus praedicare Evangelium Apostolos iussit omni creaturae, hoc pariter officium hominibus universis imposuit, ut perdiscerent et crederent, quae docerentur: cui quidem officio sempiternae salutis omnino est adeptio coniuncta. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* [1] Sed christianam fidem homo, ut debet, complexus, hoc ipso Ecclesiae ut ex ea natus subiicitur, eiusque fit societatis maximae sanctissimaeque particeps, quam summa cum potestate regere, sub invisibili capite Christo Iesu, romani Pontificis proprium est munus. — Nunc vero si civitatem, in qua editi susceptique in hanc lucem sumus, praecipue diligere tuerique iubemur lege naturae usque eo, ut civis bonus vel mortem pro patria oppetere non dubitet, officium est christianorum longe maius simili modo esse in Ecclesiam semper affectos. Est enim Ecclesia civitas sancta Dei viventis, Deo ipso nata, eodemque auctore constituta: quae peregrinatur quidem in terris, sed vocans homines et erudiens atque deducens ad sempiternam in caelis felicitatem. Adamanda igitur patria est, unde vitae mortalis usuram accepimus: sed necesse est caritate Ecclesiam praestare, cui vitam animae debemus perpetuo mansuram: quia bona animi corporis bonis rectum est anteponere, multoque, quam erga homines, sunt erga Deum officia sanctiora. — Ceterum, vere si iudicare volumus, supernaturalis amor Ecclesiae patriaeque caritas naturalis, geminae sunt ab eodem sempiterno principio profectae caritates, cum ipse sit utriusque auctor et caussa Deus: ex quo consequitur, non posse alterum officium pugnare cum altero. Utique utrumque possumus et debemus, diligere nosmetipsos, benevolentes esse cum proximis, amare rempublicam potestatemque quae reipublicae praesit: eodemque tempore Ecclesiam colere uti parentem, et maxima, qua fieri potest, caritate complecti Deum. — Nihilominus horum officiorum ordo, vel calamitate temporum vel iniquiore hominum voluntate, aliquando pervertitur. Nimirum incidunt caussae, cum aliud videtur a civibus respublica, aliud a christianis religio postulare: idque non alia sane de caussa, quam quod rectores reipublicae sacram Ecclesiae potestatem aut nihil pensi habent, aut sibi volunt esse subiectam. Hinc et certamen existit, et periclitandae virtuti in certamine locus. Urget enim potestas duplex: quibus contraria iubentibus obtemperari simul utrisque non potest: *Nemo potest duobus dominis servire,* [2] ita ut omnino, si mos geritur alteri, alterum posthaberi necesse sit. Uter vero sit anteponendus, dubi-

[1] Marc., XVI, 16.
[2] Matth., VI, 24.

tare nemo debet. — Videlicet scelus est ab obsequio Dei, satisfaciendi hominibus caussa, discedere: nefas Iesu Christi leges, ut pareatur magistratibus, perrumpere, aut, per speciem civilis conservandi iuris, iura Ecclesiae migrare. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* [1] Quodque olim magistratibus non honesta imperantibus Petrus ceterique Apostoli respondere consueverunt, idem semper est in caussa simili sine haesitatione respondendum. Nemo civis pace bellove melior, quam christianus sui memor officii: sed perpeti omnia potius, et ipsam malle mortem debet, quam Dei Ecclesiaeve caussam deserere. — Quapropter non habent vim naturamque legum probe perspectam, qui istam in delectu officii constantiam reprehendunt, et ad seditionem aiunt pertinere. Vulgo cognita et a Nobis ipsis aliquoties explicata loquimur. Non est lex, nisi iussio rectae rationis a potestate legitima in bonum commune perlata. Sed vera ac legitima potestas nulla est, nisi a Deo summo principe dominoque omnium proficiscatur, qui mandare homini in homines imperium solus ipse potest: neque est recta ratio putanda, quae cum veritate dissentiat et ratione divina; neque verum bonum, quod summo atque incommutabili bono repugnet, vel a caritate Dei torqueat hominum atque abducat voluntates. — Sanctum igitur christianis est publicae potestatis nomen, in qua divinae maiestatis speciem et imaginem quamdam tum etiam agnoscunt, cum geritur ab indigno: iusta et debita legum verecundia, non propter vim et minas, sed propter conscientiam officii: *non enim dedit nobis Deus spiritum timoris.* [2] Verum si reipublicae leges aperte discrepent cum iure divino, si quam Ecclesiae imponant iniuriam, aut iis, quae sunt de religione, officiis contradicant, vel auctoritatem Iesu Christi in pontifice maximo violent, tum vero resistere officium est, parere scelus: idque cum ipsius reipublicae iniuria coniunctum, quia peccatur in rempublicam quidquid in religione delinquitur. — Rursus autem apparet quam sit illa seditionis iniusta criminatio: non enim abiicitur principi legumque latoribus obedientia debita: sed ab eorum voluntate in iis dumtaxat praeceptis disceditur, quorum ferendorum nulla potestas est, quia cum Dei iniuria feruntur, ideoque vacant iustitia, et quidvis potius sunt quam leges. — Nostis, Venerabiles Fratres, hanc esse ipsissimam beati Pauli Apostoli doctrinam: qui cum scripsisset ad Titum, monendos christianos *principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire,* illud statim adiungit, *ad omne opus bonum paratos esse:* [3] quo palam fieret, si leges hominum contra sempiternam legem Dei quicquam statuant, rectum esse non parere. Similique ratione princeps Apostolorum iis, qui libertatem praedicandi Evangelii sibi vellent eripere, forti atque excelso animo respondebat, *si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate: non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui.* [4]

[1] Act., V, 29.
[2] II Timoth., I, 7.
[3] Tit., III, 1.
[4] Act., IV, 19, 20.

4. Ambas itaque patrias unumquemque diligere, alteram naturae, alteram civitatis caelestis, ita tamen ut huius, quam illius habeatur caritas antiquior, nec unquam Dei iuribus iura humana anteponantur, maximum est christianorum officium, itemque velut fons quidam, unde alia officia nascuntur. Sane liberator generis humani de se ipse, *Ego,* inquit, *in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* [1] Similiter, *ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* [2] In huius cognitione veritatis, quae mentis est summa perfectio, in caritate divina, quae perficit pari modo voluntatem, omnis christianorum est vita ac libertas posita. Quarum rerum, veritatis scilicet et caritatis, nobilissimum patrimonium, sibi a Iesu Christo commendatum, perpetuo studio vigilantiaque conservat ac tuetur Ecclesia.

5. Sed quam acre adversus Ecclesiam bellum deflagraverit quamque multiplex, vix attinet hoc loco dicere. Quod enim rationi contigit complures res occultas et a natura involutas scientiae pervestigatione reperire, easque in vitae usus apte convertere, tantos sibi spiritus sumpsere homines, ut iam se putent numen posse imperiumque divinum a communi vita depellere. — Quo errore decepti, transferunt in naturam humanam ereptum Deo principatum: a natura petendum omnis veri principium et normam praedicant: ab ea manare, ad eamque esse cuncta religionis officia referenda. Quocirca nihil esse divinitus traditum: non disciplinae morum christianae, non Ecclesiae parendum: nullam huic esse legum ferendarum potestatem nulla iura; imo nec ullum Ecclesiae dari in reipublicae institutis locum oportere. Expetunt vero atque omni ope contendunt capessere res publicas et ad gubernacula sedere civitatum, quo sibi facilius liceat ad has doctrinas dirigere leges moresque fingere populorum. Ita passim catholicum nomen vel aperte petitur, vel occulte oppugnatur: magnaque cuilibet errorum perversitati permissa licentia, multis saepe vinculis publica veritatis christianae professio constringitur.

6. His igitur tam iniquis rebus, primum omnium respicere se quisque debet, vehementerque curare, ut alte comprehensam animo fidem intenta custodia tueatur, cavendo pericula, nominatimque contra varias sophismatum fallacias semper armatus. Ad cuius incolumitatem virtutis illud etiam perutile, et magnopere consentaneum temporibus iudicamus, studium diligens, ut est facultas et captus singulorum, in christiana doctrina ponere, earumque rerum, quae religionem continent, quasque assequi ratione licet, maiore qua potest notitia mentem imbuere. Cumque fidem non modo vigere in animis incorruptam, sed assiduis etiam incrementis oporteat augescere, iteranda persaepe ad Deum est supplex atque humilis Apostolorum flagitatio, *adauge nobis fidem.* [3]

7. Verum in hoc eodem genere, quod fidem christianam attingit, alia sunt officia, quae observari accurate religioseque si salutis semper interfuit, hac

[1] Ioan., XVIII, 37.
[2] Luc., XII, 49.
[3] Luc., XVIII, 5.

tempestate nostra interest maxime. — Nimirum in hac, quam diximus, tanta ac tam late fusa opinionum insania, profecto patrocinium suscipere veritatis, erroresque ex animis evellere, Ecclesiae munus est, idque omni tempore sancteque servandum, quia honor Dei, ac salus hominum in eius sunt tutela. At vero, cum necessitas cogit, incolumitatem fidei tueri non ii solum debent qui praesunt, sed *quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem.* [1] Cedere hosti, vel vocem premere, cum tantus undique opprimendae veritati tollitur clamor, aut inertis hominis est, aut de iis, quae profitetur, utrum vera sint, dubitantis. Utrumque turpe, atque iniuriosum Deo: utrumque cum singulorum tum communi saluti repugnans: solis fidei inimicis fructuosum, quia valde auget remissior proborum opera audaciam improborum. — Eoque magis christianorum vituperanda segnities, quia falsa crimina dilui, opinionesque pravae confutari levi negotio, ut plurimum, possunt: maiore aliquo cum labore semper possunt. Ad extremum, nemo unus prohibetur eam adhibere ac prae se ferre fortitudinem, quae propria est christianorum: qua ipsa non raro animi adversariorum et consilia franguntur. Sunt praeterea christiani ad dimicationem nati: cuius quo maior est vis, eo certior, Deo opitulante, victoria. *Confidite: ego vici mundum.* [2] Neque est quod opponat quisquam, Ecclesiae conservatorem ac vindicem Iesum Christum nequaquam opera hominum indigere. Non enim inopia virium, sed magnitudine bonitatis vult ille ut aliquid a nobis conferatur operae ad salutis, quam ipse peperit, obtinendos adipiscendosque fructus.

8. Huiusce partes officii primae sunt, catholicam doctrinam profiteri aperte et constanter, eamque, quoad quisque potest, propagare. Nam, quod saepius est verissimeque dictum, christianae quidem sapientiae nihil tam obest, quam non esse cognitam. Valet enim per se ipsa ad depellendos errores probe percepta: quam si mens arripuerit simplex praeiudicatisque non adstricta opinionibus, assentiendum esse ratio pronuntiat. Nunc vero fidei virtus grande munus est gratiae bonitatisque divinae: res tamen ipsae, quibus adhibenda fides, non alio fere modo quam audiendo noscuntur. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* [3] Quoniam igitur fides est ad salutem necessaria, omnino praedicari verbum Christi consequitur oportere. Profecto praedicandi, hoc est docendi, munus iure divino penes magistros est, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,* [4] maximeque penes Pontificem romanum, Iesu Christi vicarium, Ecclesiae universae summa cum potestate praepositum, credendorum, agendorum magistrum. Nihilominus nemo putet, industriam nonnullam eadem in re ponere privatos prohiberi, eos nominatim, quibus ingenii facultatem Deus cum studio bene merendi dedit: qui, quoties res exigat, commode possunt

[1] S. Thom., II-II, quaest. III, art. II, ad 2.
[2] Ioan., XVI, 33.
[3] Rom., X, 14, 17.
[4] Act., XX, 28.

non sane doctoris sibi partes assumere, sed ea, quae ipsi acceperint, impertire ceteris, magistrorum voci resonantes tamquam imago. Quin imo privatorum opera visa est Patribus Concilii Vaticani usque adeo opportuna ac frugifera, ut prorsus deposcendam iudicarint. *Omnes christifideles, maxime vero eos, qui praesunt, vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.* [1] — Ceterum serere fidem catholicam auctoritate exempli, professionisque constantia praedicare, quisque se posse ac debere meminerit. — In officiis igitur quae nos iungunt Deo atque Ecclesiae, hoc est numerandum maxime, ut in veritate christiana propaganda propulsandisque erroribus elaboret singulorum, quoad potest, industria.

9. Quibus tamen officiis non ita, ut oportet, cumulate et utiliter satisfacturi sunt, si alii seorsum ab aliis in certamen descenderint. — Futurum sane Iesus Christus significavit, ut quam ipse offensionem hominum invidiamque prior excepit, in eamdem pari modo opus a se institutum incurreret; ita plane ut ad salutem pervenire, ipsius beneficio partam, multi reapse prohiberentur. Quare voluit non alumnos dumtaxat instituere disciplinae suae, sed hos ipsos societate coniungere, et in unum corpus, *quod est Ecclesia,* [2] cuius esset ipse caput, apte coagmentare. Permeat itaque vita Christi Iesu per totam compagem corporis, alit ac sustentat singula membra, eaque copulata tenet inter se et ad eumdem composita finem, quamvis non eadem sit actio singulorum. [3] His de caussis non modo perfecta societas Ecclesia est, et alia qualibet societate longe praestantior, sed hoc ei est inditum ab Auctore suo ut debeat pro salute generis humani contendere *ut castrorum acies ordinata.* [4] Ista rei christianae compositio conformatioque mutari nullo modo potest: nec magis vivere arbitratu suo cuiquam licet, aut eam, quae sibi libeat, decertandi rationem consectari: propterea quod dissipat, non colligit, qui cum Ecclesia et Iesu Christo non colligit, verissimeque contra Deum contendunt, quicumque non cum ipso Ecclesiaque contendunt. [5]

10. Ad hanc vero coniunctionem animorum similitudinemque agendi, inimicis catholici nominis non sine caussa formidolosam, primum omnium concordia est necessaria sententiarum: ad quam ipsam videmus Paulum Apostolum Corinthios cohortantem vehementi studio et singulari gravitate verborum: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.* [6] — Cuius praecepti facile sapientia perspicitur. Est enim principium agendi mens: ideoque nec congruere voluntates,

[1] Const. *Dei Filius*, sub fin.
[2] Coloss., I, 24.
[3] *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* (Rom., XII, 4, 5).
[4] Cantic., VI, 9.
[5] *Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit* (Luc. XI, 23).
[6] I Cor., I, 10.

nec similes esse actiones queunt, si mentes diversa opinentur. Qui solam
rationem sequuntur ducem, vix in eis aut ne vix quidem una esse doctrina
potest: est enim ars rerum cognoscendarum perdifficilis: mens vero et infirma
est natura, et varietate distrahitur opinionum, et impulsione rerum oblata
extrinsecus non raro fallitur; accedunt cupiditates, quae veri videndi nimium
saepe tollunt aut certe minuunt facultatem. Hac de caussa in moderandis
civitatibus saepe datur opera ut coniuncti teneantur vi, quorum animi
discordant. — Longe aliter christiani: quid credere oporteat, ab Ecclesia
accipiunt, cuius auctoritate ductuque se certo sciunt verum attingere.
Propterea sicut una est Ecclesia, quia unus Iesus Christus, ita cunctorum
toto orbe christianorum una est atque esse debet doctrina. *Unus Dominus,
una fides.* [1] *Habentes autem eumdem spiritum fidei,* [2] salutare principium
obtinent, unde eadem in omnibus voluntas eademque in agendo ratio sponte
gignuntur.

11. Sed quod Paulus Apostolus iubet, unanimitatem oportet esse per-
fectam. — Cum christiana fides non humanae, sed divinae rationis auctori-
tate nitatur, quae enim a Deo accepimus, *vera esse credimus non propter
intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter
auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest,* [3] consequens
est ut, quascumque res constet esse a Deo traditas, omnino excipere singulas
pari similique assensu necesse sit: quarum rerum abnuere fidem uni huc
ferme recidit, repudiare universas. Evertunt enim ipsum fundamentum
fidei, qui aut elocutum hominibus Deum negent, aut de infinita eius veritate
sapientiave dubitent. — Statuere vero quae sint doctrinae divinitus traditae,
Ecclesiae docentis est, cui custodiam interpretationemque Deus eloquiorum
suorum commisit. Summus autem est magister in Ecclesia Pontifex romanus.
Concordia igitur animorum sicut perfectum in una fide consensum requirit,
ita voluntates postulat Ecclesiae romanoque Pontifici perfecte subiectas
atque obtemperantes, ut Deo. — Perfecta autem esse obedientia debet, quia
ab ipsa fide praecipitur, et habet hoc commune cum fide, ut dividua esse
non possit: imo vero si absoluta non fuerit et numeros omnes habens,
obedientiae quidem simulacrum relinquitur, natura tollitur. Cuiusmodi
perfectioni tantum christiana consuetudo tribuit, ut illa tamquam nota
internoscendi catholicos et habita semper sit et habeatur. Mire explicatur
hic locus a Thoma Aquinate iis verbis: *Formale ... obiectum fidei est veri-
tas prima secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, et doctrina Eccle-
siae, quae procedit ex veritate prima. Unde quicumque non inhaeret, sicut
infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate
prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei; sed ea,
quae sunt fidei, alio modo tenet quam per fidem ... Manifestum est autem,
quod ille, qui inhaeret doctrinis Ecclesiae tamquam infallibili regulae, omnibus
assentit, quae Ecclesia docet: alioquin si de his, quae Ecclesia docet, quae*

[1] Ephes., IV, 5.
[2] II Cor., IV, 13.
[3] Conc. Vat., Const. *Dei Filius*, cap. 3.

*vult, tenet, et quae non vult, non tenet, non iam inhaeret Ecclesiae doctrinae
sicut infallibili regulae, sed propriae voluntati.* [1] *Una fides debet esse totius
Ecclesiae, secundum illud* (I Corinth., I): *Idipsum dicatis omnes et non sint
in vobis schismata: quod servari non posset nisi quaestio fidei exorta deter-
minetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sententia a tota Eccle-
sia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet
nova editio Symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam.* [2]

12. In constituendis obedientiae finibus, nemo arbitretur, sacrorum
Pastorum maximeque romani Pontificis auctoritati parendum in eo dum-
taxat esse, quod ad dogmata pertinet, quorum repudiatio pertinax diungi
ab haereseos flagitio non potest. Quin etiam neque satis est sincere et fir-
miter assentiri doctrinis, quae ab Ecclesia, etsi solemni non definitae iudi-
cio, ordinario tamen et universali magisterio tamquam divinitus revelatae
credendae proponuntur: quas *fide catholica et divina* credendas Concilium
Vaticanum decrevit. Sed hoc est praeterea in officiis christianorum ponen-
dum, ut potestate ductuque Episcoporum imprimisque Sedis Apostolicae
regi se gubernarique patiantur. Quod quidem quam sit consentaneum,
perfacile apparet. Nam quae divinis oraculis continentur, ea Deum partim
attingunt, partim ipsum hominem itemque res ad sempiternam hominis salu-
tem necessarias. Iamvero de utroque genere, nimirum et quid credere opor-
teat et quid agere, ab Ecclesia iure divino praecipitur, uti diximus, atque in
Ecclesia a Pontifice maximo. Quamobrem iudicare posse Pontifex pro aucto-
ritate debet quid eloquia divina contineant, quae cum eis doctrinae con-
cordent, quae discrepent: eademque ratione ostendere quae honesta sint,
quae turpia: quid agere, quid fugere, salutis adipiscendae caussa, necesse
sit: aliter enim nec eloquiorum Dei certus interpres, nec dux ad vivendum
tutus ille esse homini posset.

13. Altius praeterea intrandum in Ecclesiae naturam: quippe quae non
est christianorum, ut fors tulit, nexa communio, sed excellenti tempera-
tione divinitus constituta societas, quae illuc recta prox meque spectat,
ut pacem animis ac sanctitatem afferat: cumque res ad id necessarias divino
munere sola possideat, certas habet leges, certa officia, atque in populis
christianis moderandis rationem viamque sequitur naturae suae consenta-
neam. — Sed istiusmodi regiminis difficilis est et cum frequenti offensione
cursus. Gentes enim Ecclesia regit per cunctos terrarum tractus dissemi-
natas, genere differentes moribusque, quas, cum in sua quaeque republica
suis legibus vivant, civili simul ac sacrae potestati officium est subesse.
Quae officia in eisdem personis coniuncta reperiuntur, non vero pugnan-
tia, uti diximus, neque confusa, quia alterum genus ad prosperitatem per-
tinet civitatis, alterum ad commune Ecclesiae bonum, utrumque pariendae
hominum perfectioni natum.

14. Qua posita iurium et officiorum terminatione, omnino liquet esse
liberos ad res suas gerendas rectores civitatum: idque non modo non invita,

[1] II-II, quaest. V, art. 3.
[2] II-II, quaest. I, art. 10.

sed plane adiuvante Ecclesia: quae quoniam maxime praecipit ut colatur pietas, quae est iustitia adversus Deum, hoc ipso ad iustitiam vocat erga principes. Verum longe nobiliore instituto potestas sacra eo spectat, ut regat hominum animos tuendo *regnum Dei et iustitiam eius*,[1] atque in hoc tota versatur. Dubitari vero salva fide non potest, istiusmodi regimen animorum Ecclesiae esse assignatum uni, nihil ut in eo sit politicae potestati loci: non enim Caesari, sed Petro claves regni caelorum Iesus Christus commendavit. — Cum hac de rebus politicis deque religiosis doctrina quaedam alia coniunguntur non exigui momenti, de quibus silere hoc loco nolumus.

15. Ab omni politico genere imperii distat christiana respublica plurimum. Quod si similitudinem habet conformationemque regni, profecto originem, caussam, naturam mortalibus regnis habet longe disparem. — Ius est igitur, vivere Ecclesiam tuerique se consentaneis naturae suae institutis ac legibus. Eademque cum non modo societas perfecta sit, sed etiam humana quavis societate superior, sectari partium studia et mutabilibus rerum civilium fluxibus servire iure officioque suo valde recusat. Similique ratione custos iuris sui, observantissima alieni, non ad se putat Ecclesia pertinere, quae maxime forma civitatis placeat, quibus institutis res christianarum gentium civilis geratur: ex variisque reipublicae generibus nullum non probat, dum religio morumque disciplina salva sit. — Ad hoc exemplum cogitationes actionesque dirigi singulorum christianorum oportet. Non dubium est, quin quaedam sit in genere politico honesta contentio, cum scilicet incolumi veritate iustitiaque certatur, ut opiniones re usuque valeant, quae ad commune bonum prae ceteris conducibiles videantur. Sed Ecclesiam trahere ad partes, aut omnino adiutricem velle ad eos, quibuscum contenditur, superandos, hominum est religione intemperanter abutentium. Ex adverso sancta atque inviolata apud omnes debet esse religio: imo in ipsa disciplina civitatum, quae a legibus morum officiisque religionis separari non potest, hoc est potissimum perpetuoque spectandum, quid maxime expediat christiano nomini: quod ipsum sicubi in periculo esse adversariorum opera videatur, cessandum ab omni dissidio, et concordibus animis et consiliis propugnatio ac defensio suscipienda religionis, quod est commune bonum maximum, quo sunt omnia referenda. — Idque opus esse ducimus aliquanto exponere accuratius.

16. Profecto et Ecclesia et civitas suum habet utraque principatum: proptereaque in gerendis rebus suis neutra paret alteri, utique intra terminos a proxima cuiusque caussa constitutos. Ex quo tamen nulla ratione disiunctas esse sequitur, multoque minus pugnantes. — Sane non tantum nobis ut essemus natura dedit, sed ut morati essemus. Quare a tranquillitate ordinis publici, quam proxime habet civilis coniunctio propositam, hoc petit homo, ut bene sibi esse liceat, ac multo magis ut satis praesidii ad perficiendos mores suppeditet: quae perfectio nusquam nisi in cognitione consistit atque exercitatione virtutis. Simul vero vult, id quod debet,

[1] Matth., VI, 33.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

adiumenta in Ecclesia reperire, quorum ope pietatis perfectae perfecto fungatur munere: quod in cognitione usuque positum est verae religionis, quae princeps est virtutum, propterea quod, revocando ad Deum, explet et cumulat universas. — In institutis igitur legibusque sanciendis spectanda hominis indoles est moralis eadem ac religiosa, eiusdemque curanda perfectio, sed recte atque ordine: nec imperandum vetandumve quidquam nisi ratione habita quid civili hominum societati sit, quid religiosae propositum. Hac ipsa de caussa non potest Ecclesiae non interesse quales in civitatibus valeant leges, non quatenus ad rempublicam pertinent, sed quia fines debitos aliquando praetergressae in ius Ecclesiae invadunt. Quin imo resistere, si quando officiat religioni disciplina reipublicae, studioseque conari, ut in leges et instituta populorum virtus pervadat Evangelii, munus est Ecclesiae assignatum a Deo. Quoniamque fortuna reipublicae potissimum ex eorum pendet ingenio qui populo praesunt, idcirco Ecclesia patrocinium iis hominibus gratiamve praebere non potest, a quibus oppugnari sese intelligat, qui iura ipsius vereri aperte recusent, qui rem sacram remque civilem natura consociatas divellere contendant. Contra fautrix, uti debet, eorum est qui, cum de civili deque christiana republica quod sentire rectum est, ipsi sentiant, ambas in communi bono concordes elaborare volunt. — His praeceptis norma continetur, quam in publica actione vitae catholicum quemque necesse est sequi. Nimirum, ubicumque in negotiis publicis versari per Ecclesiam licet, favendum viris est spectatae probitatis, eisdemque de christiano nomine merituris: neque caussa esse ulla potest cur male erga religionem animatos liceat anteponere.

17. Ex quo apparet quam sit magnum officium tueri consensum animorum, praesertim cum per hoc tempus tanta consiliorum calliditate christianum oppugnetur nomen. Quotquot diligenter studuerint Ecclesiae adhaerescere, quae est *columna et firmamentum veritatis*,[1] facile cavebunt magistros *mendaces ... libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis:*[2] quin imo ipsius Ecclesiae virtutis participes futuri, insidias sapientia vincent, vim fortitudine. — Non est huius loci exquirere, num quid, et quantum ad novas res contulerit opera segnior atque intestina discordia catholicorum: sed certe erant homines nequam minus habituri audaciae, nec tantas edituri ruinas, si robustior in plurimorum animis viguisset fides, quae *per caritatem operatur*,[3] neque tam late morum christianorum tradita nobis divinitus disciplina concidisset. Utinam praeteritae res hoc pariant, recordando, commodi, rectius sapere in posterum.

18. Verum ad negotia publica accessuris duo sunt magnopere vitia fugienda, quorum alterum prudentiae nomen usurpat, alterum in temeritate versatur. — Quidam enim potenti pollentique improbitati aperte resistere negant oportere, ne forte hostiles animos certamen exasperet. Isti quidem pro Ecclesia stent, an contra, incertum: quandoquidem profiteri

[1] I Timoth., III, 15.
[2] II Petr., II, 1, 19.
[3] Galat., V, 6.

BIBLIOTHECA

se doctrinam catholicam affirmant, sed tamen vellent, certas ab ea discre-
pantes opiniones impune propagari posse Ecclesia sineret. Ferunt dolenter
interitum fidei demutationemque morum: nihil tamen de remedio labo-
rant, vel etiam nimia indulgentia aut perniciosa quadam simulatione non
raro malum augent. Iidem de sua in apostolicam Sedem voluntate nemini
volunt esse dubium: sed habent semper aliquid, quod pontifici succen-
seant. Istiusmodi hominum prudentia ex eo est genere, quod a Paulo
Apostolo *sapientia carnis* et *mors* animi appellatur, quia nec subest legi
divinae, nec potest subesse. [1] Nihil autem minus est ad mala minuenda
providum. Inimicis enim, quod praedicare et in quo gloriari multi eorum
non dubitant, hoc est omnino propositum, religionem catholicam, quae
vera sola est, funditus, si fieri posset, extinguere. Tali autem consilio nihil
non audent: sentiunt enim, quo magis fuerit aliorum tremefacta virtus,
eo sibi expeditiorem fore malarum rerum facultatem. Itaque qui adamant
prudentiam carnis, ac nescire se simulant, christianum quemque debere
bonum militem Christi esse: qui debita victoribus praemia consequi mol-
lissima via atque intacti a certamine volunt, ii tantum abest ut iter malo-
rum intercipiant, ut potius expediant.

19. Contra non pauci fallaci studio permoti, aut, quod magis esset
vitio, aliud agentes, aliud simulantes, non suas sibi partes assumunt.
Res in Ecclesia geri suo ipsorum iudicio atque arbitratu vellent usque
eo, ut omne quod secus agitur, moleste ferant, aut repugnanter accipiant.
Hi quidem inani contentione laborant, nihilo minus, quam alteri, repre-
hendendi. Hoc enim est non sequi potestatem legitimam, sed praevertere,
simulque magistratuum munia ad privatos rapere, magna cum perturba-
tione ordinis, quem Deus in Ecclesia sua perpetuo servandum constituit,
nec sinit a quoquam impune violari. — Illi optime, qui descendere in cer-
tamen, quotiescumque est opus, non recusant, hoc rato persuasoque, inter-
ituram vim iniustam, sanctitatisque iuris et religionis aliquando cessuram.
Qui videntur sane dignum aliquid antiqua virtute suscipere, cum tueri
religionem connituntur maxime adversus factionem audacissimam, chri-
stiano nomini exagitando natam, quae Pontificem maximum in suam reda-
ctum potestatem consectari hostiliter non desistit: sed obedientiae studium
diligenter retinent, nihil aggredi iniussu soliti. Iamvero quoniam similis
obtemperandi voluntas, robusto animo constantiaeque coniuncta, christia-
nis universis est necessaria, ut, quoscumque casus tempus invexerit, *in
nullo* sint *deficientes*, [2] magnopere velimus in singulorum animis alte insi-
dere eam, quam Paulus [3] *prudentiam spiritus* nominat. Haec enim in mode-
randis actionibus humanis sequitur optimam mediocritatis regulam, illud
in homine efficiens, ne aut timide desperet propter ignaviam, aut nimis
confidat propter temeritatem. — Est autem quod differat inter prudentiam

[1] *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest*
(Rom., VIII, 6. 7).

[2] Iac., I, 4.

[3] Rom., VIII, 6.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

politicam, quae ad bonum commune, et eam quae ad bonum cuiusque
privatim pertinet. Haec enim cernitur in hominibus privatis, qui consilio
rectaeque rationi obediunt in gubernatione sui: illa vero in praepositis,
maximeque in principibus, quorum muneris est cum potestate praeesse:
15. Si ponga invece, che rotta ogni solidarietà e connivenza colle sètte, sia lasciata alla religione e alla Chiesa, come alla più gran forza sociale, vera libertà e il pieno esercizio dei suoi diritti. — Qual felice cambiamento non avverrebbe nelle sorti d'Italia! I danni e i pericoli che lamentavamo qui sopra come frutto della guerra alla religione e alla Chiesa, cesserebbero al cessar della lotta: non solo, ma tornerebbero altresì a fiorire sull'eletto suolo dell'Italia cattolica le grandezze e le glorie, di cui la religione e la Chiesa fu sempre altrice feconda. Dalla loro divina virtù germoglierebbe spontanea la riforma de' pubblici e de' privati costumi; si rafforzerebbero i vincoli della famiglia; e in ogni ordine di cittadini sotto l'influsso religioso si desterebbe più vivo il sentimento del dovere e della fedeltà nell'adempierlo. — Le questioni sociali, che ora tengono tanto preoccupati gli animi, si avvierebbero verso la migliore e la più completa soluzione, mercè la pratica applicazione dei precetti di carità e di giustizia evangelica; le pubbliche libertà, impedite di degenerare in licenza, servirebbero unicamente al bene e addiverrebbero veramente degne dell'uomo: le scienze, per la verità di cui la Chiesa è maestra, e le arti, per l'ispirazione potente, che la religione deriva dall'alto, e che ha il segreto di trasfondere negli animi, salirebbero presto a nuova eccellenza. — Fatta la pace colla Chiesa, sarebbe vie più cementata la unità religiosa e la concordia civile; cesserebbe la divisione fra i cattolici fedeli alla Chiesa e l'Italia, la quale acquisterebbe così un elemento potente di ordine e di conservazione. Fatta ragione alle giuste domande del romano Pontefice, riconosciuti i sovrani suoi diritti, e ripostolo in condizione di vera ed effettiva indipendenza, i cattolici delle altre parti del mondo non avrebbero più motivo di considerare l'Italia come nemica del loro Padre comune: essi che non per alieno impulso, nè inconsapevoli di quel che vogliono, ma sì per sentimento di fede e dettame di dovere, alzano ora concordemente la voce a rivendicare la dignità e libertà del Pastore supremo delle anime loro. — Che anzi crescerebbe all'Italia rispetto e considerazione presso gli altri popoli dal vivere in armonia colla Sede Apostolica; la quale, come fece sperimentare in particolar modo

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

agl'italiani i benefici della sua presenza in mezzo a loro; così coi tesori della fede che si diffusero sempre da questo centro di benedizione e di salute, fece che si diffondesse presso tutte le genti grande e rispettato il nome italiano. L'Italia riconciliata col Pontefice e fedele alla sua religione, sarebbe avviata ad emular degnamente le avite glorie; e da tutto ciò che è vero progresso dell'età nostra non potrebbe che ricevere novello incitamento ad avvantaggiarsi nel suo glorioso cammino. — E Roma, città cattolica per eccellenza, preordinata da Dio a centro della religione di Cristo e Sede del suo Vicario, il che fu cagione della sua stabilità e grandezza a traverso di tante età e di sì svariate vicende, riposta sotto il pacifico e paterno scettro del romano Pontefice, tornerebbe ad essere ciò che la fecero la Provvidenza e i secoli, non rimpicciolita alla condizione di capitale di un regno particolare, nè divisa tra due diversi e sovrani poteri, dualismo contrario alla sua storia; ma capitale degna del mondo cattolico, grande di tutta la maestà della religione e del sommo sacerdozio, maestra ed esempio di moralità e di civiltà ai popoli.

16. Non sono queste, Venerabili Fratelli, vane illusioni, ma speranze poggiate sul più solido e verace fondamento. — L'asserzione che si va da tempo divulgando, essere i cattolici ed il Pontefice i nemici d'Italia, e quasi altrettanti alleati de' partiti sovversivi, non è che gratuita ingiuria e spudorata calunnia, sparsa ad arte dalle sètte per palliare i loro rei disegni e non incontrare intoppo nell'opera esecranda di scattolicizzare l'Italia. La verità che discende chiarissima da quanto abbiamo detto finora, è che i cattolici sono i migliori amici del proprio paese: e che dànno prova di forte e verace amore non solamente verso la religione avita, ma anche verso la patria loro distaccandosi interamente dalle sètte, avversandone lo spirito e le opere, facendo ogni sforzo acciocchè l'Italia non perda, ma conservi vigorosa la fede; non combatta la Chiesa, ma le sia fedele qual figlia, non osteggi il Pontificato, ma si riconcili con lui. — Adoperatevi a tutt'uomo, o Venerabili Fratelli, affinchè la luce della verità si faccia strada in mezzo alle moltitudini, sicchè queste abbiano finalmente a comprendere dove si trova il loro bene e il loro verace interesse, ed a persuadersi che solo dalla fedeltà alla religione, dalla pace con la Chiesa e col romano Pontefice si può sperar per l'Italia un avvenire degno del suo glorioso passato. — Alla qual cosa vorremmo che ponessero mente, non diremo gli affigliati alle sètte, i quali di proposito deliberato s'argomentano di assodare sulle rovine della religione cattolica il nuovo assetto della Penisola, ma gli altri, che senza accogliere sì biechi intendimenti, aiutano l'opera di quelli col sostenerne la politica: e particolarmente i giovani, sì facili ad errare per effetto d'inesperienza e predominio di sentimento. Ognuno vorremmo si persuadesse come la via che si sta percorrendo, non possa essere che fatale all'Italia: e se noi denunziamo ancora una volta il pericolo, non altro Ci muove che coscienza di dovere e carità di patria.

17. Ma ad illuminare le menti e rendere efficaci i nostri sforzi, è duopo d'invocare soprattutto gli aiuti del cielo. E però alla nostra comune azione, Venerabili Fratelli, vada unita la preghiera, e sia una preghiera generale,

BIBLIOTHECA

costante, fervorosa, che faccia dolce violenza al cuore di Dio, lo renda propizio a questa nostra Italia, sì che allontani da essa ogni sciagura, quella in specie che sarebbe la più terribile di tutte, la perdita della fede. — Mettiamo per mediatrice appresso Dio la gloriosissima Vergine MARIA, l'invitta Regina del Rosario, che tanta potenza ha sopra le forze d'inferno e tante volte ha fatto sentire all'Italia gli effetti della sua materna dilezione. — Facciamo altresì fiducioso ricorso ai santi Apostoli PIETRO e PAOLO che questa terra benedetta conquistarono alla fede, santificarono colle loro fatiche, bagnarono del loro sangue.

18. Auspice intanto degli aiuti che domandiamo, e pegno del Nostro specialissimo affetto vi sia l'Apostolica benedizione, che dall'intimo del cuore impartiamo a Voi, Venerabili Fratelli, al vostro clero e al popolo italiano.

[Leonis XIII Acta, vol. X, p. 247-267].

610.

Leo XIII, litt. ap. *Quod erat maxime*, 3 mar. 1891.

Quod erat maxime optandum, ut nimirum apud omnes quibus continetur Italia regiones dies sacer Sancto Iosepho immaculato Deiparae Sponso tanta cultus observantia ageretur, quanto apud eas omnes studio in eumdem Sanctum pietas colitur, id optima opportunitate per hos ipsos dies Nobis datum esse laetamur. Supplices enim a Venerabilibus Fratribus Pedemontis, Liguriae et Sardiniae Episcopis perlatae sunt ad Nos litterae, quibus ipsi votorum etiam cleri populique interpretes petunt a Nobis, ut dies undevigesimus mensis Martii memoriae Sancti Patriarchae recolendae addictus, quemadmodum in aliis Italiae regionibus, ita in suis dioecesibus sub duplici praecepto celebretur. Laeto quidem animo lubentique excepimus ea vota, quae cum digna sunt pietate rogantium, tum diutino desiderio Nostro apprime respondent. Siquidem vestigia sequuti decessoris Nostri sanctae memoriae Pii Pp. IX, qui singulari studio cultum Sancti Dei Genitricis Sponsi provexit, illumque caelestem totius Ecclesiae Patronum designavit, [1] Nos die VIII kalendas Septembres anno MDCCCLXXXIX, datis ad universum orbem Apostolicis litteris, [2] christianos omnes ad fovendum in se augendumque erga castissimum Deiparae Sponsum piae mentis affectum, eiusque cultum ubique magis dilatandum efficacibus verbis cohortati sumus. Iis vero hortatibus praeceptisque Nostris tanta animorum alacritate ubique locorum obtemperatum est, ut luculenter apparuerit quanta et quam penitus insideat in christianorum animis erga Sanctum Patriarcham pietas, et quantam in caelesti illius patrocinio spem universi reponant. Excitatis ita ubique pietatis studiis auctoque fervore, sibi quidem deesse non pote-

[1] S. R. C., decr. 8 dec. 1870. – Cf. Acta Pii IX, vol. V, p. 282, 283.
[2] Cf. Leonis XIII Acta, vol. IX, p. 175-183.

rant Itali, apud quos non minus certe quam apud ullam ex gentibus ceteris in Sanctum Iosephum pietas viget et floret. Ex hoc evenit ut, nulla habita ratione regionum, nunc per Italiam totam ex ipsa populorum voluntate pari Sancti Iosephi cultui instituendo solerter detur opera. Certe nulla pietatis, nulla christiani cuiuslibet officii debet esse laus, quam sibi prae ceteris gentibus adipisci non contendant regiones Italiae, in qua Deus singulari beneficio et sedem sui in terris vicarii, et divinae veritatis cathedram, et catholicae unitatis centrum collocavit. Nos, qui dum populos universos et singulos paterna benevolentia pariter complectimur, singulari caritatis sensu ad Italos respicimus, spem bonam fovemus fore ut novum hoc pietatis pignus, quod in supra dictis regionibus Beato Mariae Virginis Sponso tribuendum est, acceptum illi sit, cui defertur, iis vero qui deferunt fructuosum. Nihil enim est difficillimis hisce temporibus ad servandum patrimonium fidei, et ad vitam christiane agendam efficacius, quam patrocinium Sancti Iosephi demereri, atque adeo gratiam Mariae Dei Matris castissimi sui sponsi clientibus conciliare. Quare admotis ad Nos precibus votisque benigne obsecundare volentes, moti suffragiis sacrorum Antistitum, qui supra memoratis dioecesibus praesunt, Apostolica auctoritate Nostra, harum litterarum vi, praecipimus, decernimus ut dies undevigesimus mensis Martii memoriae Beatissimi Patriarchae Iosephi recolendae sacer in omnibus et singulis Pedemontis, Liguriae, Sardiniae nec non Longobardiae regionibus in dierum festorum numero rite censeatur. Propterea christiani omnes quum sancto Missae sacrificio adesse, tum ab iis operibus, quae servilia dici solent, abstinere praecepto debent. Non obstantibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

[Leonis XIII Acta, vol. XI, p. 43-45].

611.

Leo XIII, litt. encycl. *Rerum novarum*, 15 maii 1891.

1. Rerum novarum semel excitata cupidine, quae diu quidem commovet civitates, illud erat consecuturum ut commutationum studia a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus aliquando defluerent. — Revera nova industriae incrementa novisque euntes itineribus artes: mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae: divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia: opificum cum de se confidentia maior, tum inter se necessitudo coniunctior, praeterea versi in deteriora mores, effecere, ut certamen erumperet. In quo quanta rerum momenta vertantur, ex hoc apparet, quod animos habet acri expectatione suspensos:

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI
BIBLIOTHECA

idemque ingenia exercet doctorum, concilia prudentum, conciones populi, legumlatorum iudicium, consilia principum, ut iam caussa nulla reperiatur tanta, quae teneat hominum studia vehementius. — Itaque, proposita Nobis Ecclesiae caussa et salute communi, quod alias consuevimus, Venerabiles Fratres, datis ad vos litteris de imperio politico, de libertate humana, de civitatum constitutione christiana, aliisque non dissimili genere, quae ad refutandas opinionum fallacias opportuna videbantur, idem nunc faciendum *de conditione opificum* iisdem de caussis duximus. — Genus hoc argumenti non semel iam per occasionem attigimus: in his tamen litteris totam data opera tractare quaestionem apostolici muneris conscientia monet, ut principia emineant, quorum ope, uti veritas atque aequitas postulant, dimicatio dirimatur. Caussa est ad expediendum difficilis, nec vacua periculo. Arduum siquidem metiri iura et officia, quibus locupletes et proletarios, eos qui rem, et eos qui operam conferant, inter se oportet contineri. Periculosa vero contentio, quippe quae ab hominibus turbulentis et callidis ad pervertendum iudicium veri concitandamque seditiose multitudinem passim detorquetur. Utcumque sit, plane videmus, quod consentiunt universi, infimae sortis hominibus celeriter esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna indigne versentur. Nam veteribus artificum collegiis superiore saeculo deletis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderit. — Malum auxit usura vorax, quae non semel Ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem: huc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulenti ac praedivites perpauci prope servile iugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint.

2. Ad huius sanationem mali *Socialistae* quidem, sollicitata egentium in locupletes invidia, evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio praesint, aut totam rempublicam gerant. Eiusmodi tralatione bonorum a privatis ad commune, mederi se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter cives aequabiliter partiendo. Sed est adeo eorum ratio ad contentionem dirimendam inepta, ut ipsum opificum genus afficiat incommodo: eademque praeterea est valde iniusta, quia vim possessoribus legitimis affert, pervertit officia reipublicae, penitusque permiscet civitates.

3. Sane quod facile est pervidere, ipsius operae, quam suscipiunt qui in arte aliqua quaestuosa versantur, haec per se caussa est, atque hic finis quo proxime spectat artifex, rem sibi quaerere privatoque iure possidere uti suam ac propriam. Is enim si vires, si industriam suam alteri commodat, hanc ob caussam commodat ut res adipiscatur ad victum cultumque necessarias: ideoque ex opera data ius verum perfectumque sibi quaerit non modo exigendae mercedis, sed et collocandae uti velit. Ergo si tenui-

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructumque parsimoniae suae, quo tutior esse custodia possit, in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud, quam merces ipsa aliam induta speciem: propterea que coemptus sic opifici fundus tam est in eius potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane, ut facile intelligitur, rerum dominium vel moventium vel solidarum consistit. In eo igitur quod bona privatorum transferre *Socialistae* ad commune nituntur, omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriorem, qu ppe quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiaris utilitatumque sibi comparandarum spe et facultate despoliant.

4. Verum, quod maius est, remedium proponunt cum iustitia aperte pugnans, quia possidere res privatim ut suas, ius est homini a natura datum. — Revera hac etiam in re maxime inter hominem et genus interest animantium ceterorum. Non enim se ipsae regunt belluae, sed reguntur gubernanturque duplici naturae instinctu: qui tum custodiunt experrectam in eis facultatem agendi, viresque opportune evolvunt, tum etiam singulos earum motus exsuscitant iidem et determinant. Altero instinctu ad se vitamque tuendam, altero ad conservationem generis ducuntur sui. Utrumque vero commode assequuntur earum rerum usu quae adsunt, quaeque praesentes sunt: nec sane progredi longius possent, quia solo sensu moventur rebusque singularibus sensu perceptis. — Longe alia hominis natura. Inest in eo tota simul ac perfecta vis naturae animantis, ideoque tributum ex hac parte homini est, certe non minus quam generi animantium omni, ut rerum corporearum fruatur bonis. Sed natura animans quantumvis cumulate possessa, tantum abest ut naturam circumscribat humanam, ut multo sit humana natura inferior, et ad parendum huic obediendumque nata. Quod eminet atque excellit in nobis, quod homini tribuit ut homo sit, et a belluis differat genere toto, mens seu ratio est. Et ob hanc caussam quod solum hoc animal est rationis particeps, bona homini tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque iure possidenda, neque ea dumtaxat quae usu consumuntur, sed etiam quae, nobis utentibus, permanent.

5. Quod magis etiam apparet, si hominum in se natura altius spectetur. — Homo enim cum innumerabilia ratione comprehendat, rebusque praesentibus adiungat atque annectat futuras, cumque actionum suarum sit ipse dominus, propterea sub lege aeterna, sub potestate omnia providentissime gubernantis Dei, se ipse gubernat providentia consilii sui: quamobrem in eius est potestate res eligere quas ad consulendum sibi non modo in praesens, sed etiam in reliquum tempus, maxime iudicet idoneas. Ex quo consequitur, ut in homine esse non modo terrenorum fructuum, sed ipsius terrae dominatum oporteat, quia e terrae fetu sibi res suppeditari videt ad futurum tempus necessarias. Habent cuiusque hominis necessitates velut perpetuos reditus, ita ut hodie expletae, in crastinum nova imperent. Igitur rem quamdam debet homini natura dedisse stabilem perpetuoque mansuram, unde perennitas subsidii expectari posset. Atqui istiusmodi perennitatem nulla res praestare, nisi cum ubertatibus suis terra, potest.

BIBLIOTHECA

6. Neque est, cur providentia introducatur reipublicae: est enim homo, quam respublica, senior: quocirca ius ille suum ad vitam corpusque tuendum habere natura ante debuit quam civitas ulla coisset. — Quod vero terram Deus universo generi hominum utendam, fruendam dederit, id quidem non potest ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum donavisse terram in commune dicitur, non quod eius promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione. — Ceterum utcumque inter privatos distributa, inservire communi omnium utilitati terra non cessat, quoniam nemo est mortalium, quin alatur eo, quod agri efferunt. Qui re carent, supplent opera: ita ut vere affirmari possit, universam comparandi victus cultusque rationem in labore consistere, quem quis vel in fundo insumat suo, vel in arte aliqua operosa, cuius merces tandem non aliunde, quam a multiplici terrae fetu ducitur, cum eoque permutatur.

7. Qua ex re rursus efficitur, privatas possessiones plane esse secundum naturam. Res enim eas, quae ad conservandam vitam maximeque ad perficiendam requiruntur, terra quidem cum magna largitate fundit, sed fundere ex se sine hominum cultu et curatione non posset. Iamvero cum in parandis naturae bonis industriam mentis viresque corporis homo insumat, hoc ipso applicat ad sese eam naturae corporeae partem, quam ipse percoluit, in qua velut formam quamdam personae suae impressam reliquit; ut omnino rectum esse oporteat, eam partem ab eo possideri uti suam, nec ullo modo ius ipsius violare cuiquam licere.

8. Horum tam perspicua vis est argumentorum, ut mirabile videatur, dissentire quosdam exoletarum opinionum restitutores: qui usum quidem soli, variosque praediorum fructus homini privato concedunt: at possideri ab eo ut domino vel solum, in quo aedificavit, vel praedium quod excoluit, plane ius esse negant. Quod cum negant, fraudatum iri partis suo labore rebus hominem, non vident. Ager quippe cultoris manu atque arte subactus habitum longe mutat: e silvestri frugifer, ex infecundo ferax efficitur. Quibus autem rebus est melior factus, illae sic solo inhaerent miscenturque penitus, ut maximam partem nullo pacto sint separabiles a solo. Atqui id quemquam potiri illoque perfrui, in quo alius desudavit, utrumne iustitia patiatur? Quo modo effectae res caussam sequuntur a qua effectae sunt, sic operae fructum ad eos ipsos qui operam dederint, rectum est pertinere. Merito igitur universitas generis humani, dissentientibus paucorum opinionibus nihil admodum mota, studioseque naturam intuens, in ipsius lege naturae fundamentum reperit partitionis bonorum, possessionesque privatas, ut quae cum hominum natura pacatoque et tranquillo convictu maxime congruant, omnium saeculorum usu consecravit. — Leges autem civiles, quae, cum iustae sunt, virtutem suam ab ipsa naturali lege ducunt, id ius, de quo loquimur, confirmant ac vi etiam adhibenda tuentur. — Idem divinarum legum sanxit auctoritas, quae vel appetere alienum gravissime vetant. *Non concupisces uxorem proximi tui:*

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

non domum, non agrum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quae illius sunt. [1]

9. Iura vero istiusmodi, quae in hominibus insunt singulis, multo validiora intelliguntur esse si cum officiis hominum in convictu domestico apta et connexa spectentur. — In deligendo genere vitae non est dubium, quin in potestate sit arbitrioque singulorum alterutrum malle, aut Iesu Christi sectari de virginitate consilium, aut maritali se vinclo obligare. Ius coniugii naturale ac primigenum homini adimere, caussamve nuptiarum praecipuam, Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo circumscribere lex hominum nulla potest. *Crescite et multiplicamini.* [2] En igitur familia, seu societas domestica, perparva illa quidem, sed vera societas, eademque omni civitate antiquior; cui propterea sua quaedam iura officiaque esse necesse est, quae minime pendeant a republica. Quod igitur demonstravimus, ius dominii personis singularibus natura tributum, id transferri in hominem, qua caput est familiae, oportet: immo tanto ius est illud validius, quanto persona humana in convictu domestico plura complectitur. Sanctissima naturae lex est, ut victu omnique cultu paterfamilias tueatur, quos ipse procrearit: idemque illuc a natura ipsa deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodam modo producunt personam, anquirere et parare, unde se honeste possint in ancipiti vitae cursu a misera fortuna defendere. Id vero efficere non alia ratione potest, nisi fructuosarum possessione rerum, quas ad liberos hereditate transmittat. — Quemadmodum civitas, eodem modo familia, ut memoravimus, veri nominis societas est, quae potestate propria, hoc est paterna, regitur. Quamobrem, servatis utique finibus quos proxima eius caussa praescripserit, in deligendis adhibendisque rebus incolumitati ac iustae libertati suae necessariis, familia quidem paria saltem cum societate civili iura obtinet. Paria saltem diximus, quia cum convictus domesticus et cogitatione sit et re prior, quam civilis coniunctio, priora quoque esse magisque naturalia iura eius officiaque consequitur. Quod si cives, si familiae, convictus humani societatisque participes factae, pro adiumento offensionem, pro tutela deminutionem iuris sui in republica reperirent, fastidienda citius, quam optanda societas esset.

10. Velle igitur ut pervadat civile imperium arbitratu suo usque ad intima domorum, magnus ac perniciosus est error. — Certe si qua forte familia in summa rerum difficultate consiliique inopia versetur, ut inde se ipsa expedire nullo pacto possit, rectum est subveniri publice rebus extremis: sunt enim familiae singulae pars quaedam civitatis. Ac pari modo sicubi intra domesticos parietes gravis extiterit perturbatio iurium mutuorum, suum cuique ius potestas publica vindicato: neque enim hoc est ad se rapere iura civium, sed munire atque firmare iusta debitaque tutela. Hic tamen consistant necesse est, qui praesint rebus publicis: hos excedere fines natura non patitur. Patria potestas est eiusmodi, ut nec extin-

[1] Deut., V, 21.
[2] Gen., I, 28.

BIBLIOTHECA

gui, neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium. *Filii sunt aliquid patris*, et velut paternae amplificatio quaedam personae: proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem. Atque hac ipsa de caussa, quod filii sunt *naturaliter aliquid patris,... antequam usum liberi arbitrii habeant, continentur sub parentum cura.*[1] Quod igitur *Socialistae*, posthabita providentia parentum, introducunt providentiam reipublicae, faciunt *contra iustitiam naturalem*, ac domorum compaginem dissolvunt.

11. Ac praeter iniustitiam, nimis etiam apparet qualis esset omnium ordinum commutatio perturbatioque, quam dura et odiosa servitus civium consecutura. Aditus ad invidentiam mutuam, ad obtrectationes et discordias patefieret: ademptis ingenio singulorum sollertiaeque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent: eaque, quam fingunt cogitatione, aequabilitas, aliud revera non esset nisi omnium hominum aeque misera atque ignobilis, nullo discrimine, conditio. — Ex quibus omnibus perspicitur, illud *Socialismi* placitum de possessionibus in commune redigendis omnino repudiari oportere, quia iis ipsis, quibus est opitulandum, nocet; naturalibus singulorum iuribus repugnat, officia reipublicae tranquillitatemque communem perturbat. Maneat ergo, cum plebi sublevatio quaeritur, hoc in primis haberi fundamenti instar oportere, privatas possessiones inviolate servandas. Quo posito, remedium, quod exquiritur, unde petendum sit, explicabimus.

12. Confidenter ad argumentum aggredimur ac plane iure Nostro, propterea quod caussa agitur ea, cuius exitus probabilis quidem nullus, nisi advocata religione Ecclesiaque, reperietur. Cum vero et religionis custodia, et earum rerum, quae in Ecclesiae potestate sunt, penes Nos potissimum dispensatio sit, neglexisse officium taciturnitate videremur. — Profecto aliorum quoque operam et contentionem tanta haec caussa desiderat: principum reipublicae intelligimus, dominorum ac locupletium, denique ipsorum, pro quibus contentio est, proletariorum: illud tamen sine dubitatione affirmamus, inania conata hominum futura, Ecclesia posthabita. Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius: eademque est, quae non instruere mentem tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum praeceptis suis contendit: quae statum ipsum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilissime institutis: quae vult atque expetit omnium ordinum consilia viresque in id consociari, ut opificum rationibus, quam commodissime potest, consulatur: ad eamque rem adhiberi leges ipsas auctoritatemque reipublicae, utique ratione ac modo, putat oportere.

13. Illud itaque statuatur primo loco, ferendam esse conditionem humanam: ima summis paria fieri in civili societate non posse. Agitant id quidem *Socialistae:* sed omnis est contra rerum naturam vana contentio. Sunt enim

[1] S. Thom., II-II, quaest. 10, art. 12.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

in hominibus maximae plurimaeque natura dissimilitudines: non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatorum tum communitatis accommodate; indiget enim varia ad res gerendas facultate diversisque muneribus vita communis; ad quae fungenda munera potissimum impelluntur homines differentia rei cuiusque familiaris. — Et ad corporis laborem quod attinet, in ipso *statu innocentiae* non iners omnino erat homo futurus: at vero quod ad animi delectationem tunc libere optavisset voluntas, idem postea in expiationem culpae subire non sine molestiae sensu coegit necessitas. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae.*[1] — Similique modo finis acerbitatum reliquarum in terris nullus est futurus, quia mala peccati consectaria aspera ad tolerandum sunt, dura, difficilia: eaque homini usque ad ultimum vitae comitari est necesse. Itaque pati et perpeti humanum est, et ut homines experiantur ac tentent omnia, istiusmodi incommoda evellere ab humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Siqui id se profiteantur posse, si miserae plebi vitam polliceantur omni dolore molestiaque vacantem, et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, nae illi populo imponunt, fraudemque struunt, in mala aliquando eruptura maiora praesentibus. Optimum factu res humanas, ut se habent, ita contueri, simulque opportunum incommodis levamentum, uti diximus, aliunde petere.

14. Est illud in caussa, de qua dicimus, capitale malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensum alteri, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter se pertinaci duello natura comparaverit. Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut contra verissimum sit, quo modo in corpore diversa inter se membra conveniunt, unde illud existit temperamentum habitudinis, quam symmetriam recte dixeris, eodem modo naturam in civitate praecepisse ut geminae illae classes congruant inter se concorditer, sibique convenienter ad aequilibritatem respondeant. Omnino altera alterius indiget: non res sine opera, nec sine re potest opera consistere. Concordia gignit pulcritudinem rerum atque ordinem: contra ex perpetuitate certaminis oriatur necesse est cum agresti immanitate confusio. Nunc vero ad dirimendum certamen, ipsasque eius radices amputandas, mira vis est institutorum christianorum, eaque multiplex. — Ac primum tota disciplina religionis, cuius est interpres et custos Ecclesia, magnopere potest locupletes et proletarios componere invicem et coniungere, scilicet utroque ordine ad officia mutua revocando, in primisque ad ea quae a iustitia ducuntur. Quibus ex officiis illa proletarium atque opificem attingunt: quod libere et cum aequitate pactum operae sit, id integre et fideliter reddere; non rei ullo modo nocere, non personam violare dominorum; in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere unquam; nec commisceri cum hominibus flagitiosis, immodicas spes et promissa ingentia artificiose iactantibus, quod fere habet poenitentiam

[1] Gen., III, 17.

BIBLIOTHECA

inutilem et fortunarum ruinas consequentes. — Ista vero ad divites spe-
ctant ac dominos: non habendos mancipiorum loco opifices; vereri in eis
aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character chri-
stianus qui dicitur. Quaestuosas artes, si naturae ratio, si christiana philo-
sophia audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae susten-
tandae praebent honestam potestatem. Illud vere turpe et inhumanum,
abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris, quam quan-
tum nervis polleant viribusque. Similiter praecipitur, religionis et bonorum
animi haberi rationem in proletariis oportere. Quare dominorum partes
esse, efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex: non hominem
dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi: neque ullo
pacto a cura domestica parsimoniaeque studio abducere. Item non plus
imponere operis, quam vires ferre queant, nec id genus, quod cum aetate
sexuque dissideat. In maximis autem officiis dominorum illud eminet, iusta
unicuique praebere. Profecto ut mercedis statuatur ex aequitate modus, caus-
sae sunt considerandae plures: sed generatim locupletes atque heri memi-
nerint, premere emolumenti sui caussa indigentes ac miseros, alienaque
ex inopia captare quaestum, non divina, non humana iura sinere. Frau-
dare vero quemquam mercede debita grande piaculum est, quod iras e
caelo ultrices clamore devocat. *Ecce merces operariorum... quae fraudata
est a vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*[1]
Postremo religiose cavendum locupletibus ne proletariorum compendiis
quicquam noceant nec vi, nec dolo, nec fenebribus artibus: idque eo vel
magis quod non satis illi sunt contra iniurias atque impotentiam muniti,
eorumque res, quo exilior, hoc sanctior habenda.

15. His obtemperatio legibus nonne posset vim caussasque dissidii vel
sola restinguere? — Sed Ecclesia tamen, Iesu Christo magistro et duce, per-
sequitur maiora: videlicet perfectius quiddam praecipiendo, illuc spectat,
ut alterum ordinem vicinitate proxima amicitiaque alteri coniungat. —
Intelligere atque aestimare mortalia ex veritate non possumus, nisi dispe-
xerit animus vitam alteram eamque immortalem: qua quidem dempta,
continuo forma ac vera notio honesti interiret: immo tota haec rerum uni-
versitas in arcanum abiret nulli hominum investigationi pervium. Igitur,
quod natura ipsa admonente didicimus, idem dogma est christianum, quo
ratio et constitutio tota religionis tamquam fundamento principe nititur,
cum ex hac vita excesserimus, tum vere nos esse victuros. Neque enim
Deus hominem ad haec fragilia et caduca, sed ad caelestia atque aeterna
generavit, terramque nobis ut exulandi locum, non ut sedem habitandi
dedit. Divitiis ceterisque rebus, quae appellantur bona, affluas, careas, ad
aeternam beatitudinem nihil interest: quemadmodum utare, id vero maxime
interest. Acerbitates varias, quibus vita mortalis fere contexitur, Iesus Chri-
stus *copiosa redemptione* sua nequaquam sustulit, sed in virtutum incita-
menta, materiamque bene merendi traduxit: ita plane ut nemo mortalium
queat praemia sempiterna capessere, nisi cruentis Iesu Christi vestigiis

[1] Iac., V, 4.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

ingrediatur. *Si sustinebimus, et conregnabimus.*[1] Laboribus ille et cruciatibus sponte susceptis, cruciatuum et laborum mirifice vim delenivit: nec solum exemplo, sed gratia sua perpetuaeque mercedis spe proposita, perpessionem dolorum effecit faciliorem: *id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*[2]

16. Itaque fortunati monentur, non vacuitatem doloris afferre, nec ad felicitatem aevi sempiterni quicquam prodesse divitias, sed potius obesse:[3] terrori locupletibus esse debere Iesu Christi insuetas minas:[4] rationem de usu fortunarum Deo iudici severissime aliquando reddendam. De ipsis opibus utendis excellens ac maximi momenti doctrina est, quam si philosophia inchoatam, at Ecclesia tradidit perfectam plane, eademque efficit ut non cognitione tantum, sed moribus teneatur. Cuius doctrinae in eo est fundamentum positum, quod iusta possessio pecuniarum a iusto pecuniarum usu distinguitur. Bona privatim possidere, quod paulo ante vidimus, ius est homini naturale: eoque uti iure, maxime in societate vitae, non fas modo est, sed plane necessarium. *Licitum est, quod homo propria possideat. Et est etiam necessarium ad humanam vitam.*[5] At vero si illud quaeratur, qualem esse usum bonorum necesse sit, Ecclesia quidem sine ulla dubitatione respondet: *quantum ad hoc, non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus dicit: divitibus huius saeculi praecipe... facile tribuere, communicare.*[6] Nemo certe opitulari aliis de eo iubetur, quod ad usus pertineat cum suos tum suorum necessarios: immo nec tradere aliis quo ipse egeat ad id servandum quod personae conveniat, quodque deceat: *nullus enim inconvenienter vivere debet.*[7] Sed ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus. *Quod superest, date eleemosinam.*[8] Non iustitiae, excepto in rebus extremis, officia ista sunt, sed caritatis christianae, quam profecto lege agendo petere ius non est. Sed legibus iudiciisque hominum lex antecedit iudiciumque Christi Dei, qui multis modis suadet consuetudinem largiendi; *beatius est magis dare, quam accipere:*[9] et collatam negatamve pauperibus beneficentiam perinde est ac sibi collatam negatamve iudicaturus. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*[10] — Quarum rerum haec summa est; quicumque maiorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc caussam accepisse, ut ad perfe-

[1] II ad Tim., II, 12.
[2] II Cor., IV, 17.
[3] Matth., XIX, 23, 24.
[4] Luc., VI, 24, 25.
[5] II-II, quaest. 66, a. 2.
[6] II-II, quaest. 65, a. 2.
[7] II-II, quaest. 32, a. 6.
[8] Luc., IX, 41.
[9] Act., XX, 35.
[10] Matth., XXV, 40.

BIBLIOTHECA

ctionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. *Habens ergo talentum, curet omnino ne taceat; habens rerum affluentiam, vigilet ne a misericordiae largitate torpescat: habens artem qua regitur, magnopere studeat ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiatur.* [1]

17. Bonis autem fortunae qui careant, ii ab Ecclesia perdocentur, non probro haberi, Deo iudice, paupertatem, nec eo pudendum, quod victus labore quaeratur. Idque confirmavit re et facto Christus Dominus, qui pro salute hominum *egenus factus est, cum esset dives:* [2] cumque esset filius Dei ac Deus ipsemet, videri tamen ac putari fabri filius voluit: quin etiam magnam vitae partem in opere fabrili consumere non recusavit. *Nonne hic est faber, filius Mariae?* [3] Huius divinitatem exempli intuentibus, ea facilius intelliguntur: veram hominis dignitatem atque excellentiam in moribus esse, hoc est in virtute, positam: virtutem vero commune mortalibus patrimonium, imis et summis, divitibus et proletariis aeque parabile: nec aliud quippiam quam virtutes et merita, in quocumque reperiantur, mercedem beatitudinis aeternae sequuturam. Immo vero in calamitosorum genus propensior Dei ipsius videtur voluntas: beatos enim Iesus Christus nuncupat pauperes: [4] invitat peramanter ad se, solatii caussa, quicumque in labore sint ac luctu: [5] infimos et iniuria vexatos complectitur caritate praecipua. Quarum cognitione rerum facile in fortunatis deprimitur tumens animus, in aerumnosis demissus extollitur: alteri ad facilitatem, alteri ad modestiam flectuntur. Sic cupitum superbiae intervallum efficitur brevius, nec difficulter impetrabitur ut ordinis utriusque, iunctis amice dextris, copulentur voluntates.

18. Quos tamen, si christianis praeceptis paruerint, parum est amicitia, amor etiam fraternus inter se coniugabit. Sentient enim et intelligent, omnes plane homines a communi parente Deo procreatos: omnes ad eumdem finem bonorum tendere, qui Deus est ipse, qui afficere beatitudine perfecta atque absoluta et homines et Angelos unus potest: singulos item pariter esse Iesu Christi beneficio redemptos et in dignitatem filiorum Dei vindicatos, ut plane necessitudine fraterna cum inter se tum etiam cum Christo Domino, *primogenito in multis fratribus*, contineantur. Item naturae bona, munera gratiae divinae pertinere communiter et promiscue ad genus hominum universum, nec quemquam, nisi indignum, bonorum caelestium fieri exheredem. *Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* [6]

19. Talis est forma officiorum ac iurium, quam christiana philosophia profitetur. Nonne quieturum perbrevi tempore certamen omne videatur, ubi illa in civili convictu valeret?

[1] S. Greg. Magn., *in Evang.*, Hom. IX, n. 7.
[2] II Cor., VIII, 9.
[3] Marc., VI, 3.
[4] Matth., V, 3: *Beati pauperes spiritu.*
[5] Matth., XI, 28: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*
[6] Rom., VIII, 17.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

20. Denique nec satis habet Ecclesia viam inveniendae curationis ostendere, sed admovet sua manu medicinam. Nam tota in eo est ut ad disciplinam doctrinamque suam excolat homines atque instituat: cuius doctrinae saluberrimos rivos, Episcoporum et cleri opera, quam latissime potest, curat deducendos. Deinde pervadere in animos nititur flectereque voluntates, ut divinorum disciplina praeceptorum regi se gubernarique patiantur. Atque in hac parte, quae princeps est ac permagni momenti, quia summa utilitatum caussaque tota in ipsa consistit, Ecclesia quidem una potest maxime. Quibus enim instrumentis ad permovendos animos utitur, ea sibi hanc ipsam ob caussam tradita a Iesu Christo sunt, virtutemque habent divinitus insitam. Istiusmodi instrumenta sola sunt, quae cordis attingere penetrales sinus apte queant, hominemque adducere ut obedientem se praebeat officio, motus animi appetentis regat, Deum et proximos caritate diligat singulari ac summa, omniaque animose perrumpat, quae virtutis impediunt cursum. — Satis est in hoc genere exempla veterum paulisper cogitatione repetere. Res et facta commemoramus, quae dubitationem nullam habent: scilicet civilem hominum communitatem funditus esse institutis christianis renovatam: huiusce virtute renovationis ad meliora promotum genus humanum, immo revocatum ab interitu ad vitam, auctumque perfectione tanta, ut nec extiterit ulla antea, nec sit in omnes consequentes aetates futura maior. Denique Iesum Christum horum esse beneficiorum principium eumdem et finem: ut ab eo profecta, sic ad eum omnia referenda. Nimirum accepta Evangelii luce, cum incarnationis Verbi hominumque redemptionis grande mysterium orbis terrarum didicisset, vita Iesu Christi Dei et hominis pervasit civitates, eiusque fide et praeceptis et legibus totas imbuit. Quare si societati generis humani medendum est, revocatio vitae institutorumque christianorum sola medebitur. De societatibus enim dilabentibus illud rectissime praecipitur, revocari ad origines suas, cum restitui volunt, oportere. Haec enim omnium consociationum perfectio est, de eo laborare idque assequi, cuius gratia institutae sunt: ita ut motus actusque sociales eadem caussa pariat, quae peperit societatem. Quamobrem declinare ab instituto, corruptio est: ad institutum redire, sanatio. Verissimeque id quemadmodum de toto reipublicae corpore, eodem modo de illo ordine civium dicimus, qui vitam sustentant opere, quae est longe maxima multitudo.

21. Nec tamen putandum, in colendis animis totas esse Ecclesiae curas ita defixas, ut ea negligat quae ad vitam pertinent mortalem ac terrenam. — De proletariis nominatim vult et contendit ut emergant e miserrimo statu fortunamque meliorem adipiscantur. Atque in id confert hoc ipso operam non mediocrem, quod vocat et instituit homines ad virtutem. Mores enim christiani, ubi serventur integri, partem aliquam prosperitatis sua sponte pariunt rebus externis, quia conciliant principium ac fontem omnium bonorum Deum; coercent geminas vitae pestes, quae nimium saepe hominem efficiunt in ipsa opum abundantia miserum, rerum appetentiam nimiam et voluptatum sitim: [1] contenti denique cultu victuque frugi, vectigal par-

[1] *Radix omnium malorum est cupiditas* (I Tim., VI, 10).

BIBLIOTHECA

simonia supplent, procul a vitiis, quae non modo exiguas pecunias, sed
maximas etiam copias exhauriunt, et lauta patrimonia dissipant. Sed prae-
terea, ut bene habeant proletarii, recta providet, instituendis fovendisque
rebus, quas ad sublevandam eorum inopiam intelligat conducibiles. Quin
in hoc etiam genere beneficiorum ita semper excelluit, ut ab ipsis inimi-
cis praedicatione efferatur. Ea vis erat apud vetustissimos christianos cari-
tatis mutuae, ut persaepe sua se re privarent, opitulandi caussa, divitiores:
quamobrem *neque... quisquam egens erat inter illos.* [1] Diaconis, in id nomi-
natim ordine instituto, datum ab Apostolis negotium, ut quotidianae bene-
ficentiae exercerent munia: ac Paulus Apostolus, etsi sollicitudine distri-
ctus omnium Ecclesiarum, nihilominus dare se in laboriosa itinera non
dubitavit, quo ad tenuiores christianos stipem praesens afferret. Cuius gene-
ris pecunias, a christianis in unoquoque conventu ultro collatas, *deposita*
pietatis nuncupat Tertullianus, quod scilicet insumerentur *egenis alendis*
humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, inque domesticis
senibus, item naufragis. [2] — Hinc sensim illud extitit patrimonium, quod reli-
giosa cura tamquam rem familiarem indigentium Ecclesia custodivit. Immo
vero subsidia miserae plebi, remissa, rogandi verecundia, comparavit. Nam
et locupletium et indigentium communis parens, excitata ubique ad excel-
lentem magnitudinem caritate, collegia condidit sodalium religiosorum,
aliaque utiliter permulta instituit, quibus opem ferentibus, genus miseria-
rum prope nullum esset, quod solatio careret. Hodie quidem multi, quod
eodem modo fecere olim ethnici, ad arguendam transgrediuntur Ecclesiam
huius etiam tam egregiae caritatis: cuius in locum subrogare visum est
constitutam legibus publicis beneficientiam. Sed quae christianam carita-
tem suppleant, totam se ad alienas porrigentem utilitates, artes humanae
nullae reperientur. Ecclesiae solius est illa virtus, quia nisi a sacratissimo
Iesu Christi corde ducitur, nulla est uspiam: vagatur autem a Christo lon-
gius, quicumque ab Ecclesia discesserit.

22. At vero non potest esse dubium quin, ad id quod est propositum,
ea quoque, quae in hominum potestate sunt, adiumenta requirantur. Omnino
omnes, ad quos caussa pertinet, eodem intendant idemque laborent pro
rata parte necesse est. Quod habeat quamdam cum moderatrice mundi
providentia similitudinem: fere enim videmus rerum exitus a quibus caus-
sis pendent, ex earum omnium conspiratione procedere.

23. Iamvero quota pars remedii a republica expectanda sit, praestat exqui-
rere. — Rempublicam hoc loco intelligimus non quali populus utitur unus vel
alter, sed qualem et vult recta ratio naturae congruens, et probant divinae do-
cumenta sapientiae, quae Nos ipsi nominatim in litteris Encyclicis de civita-
tum constitutione christiana explicavimus. [3] Itaque per quos civitas regitur,
primum conferre operam generatim atque universe debent tota ratione
legum atque institutorum, scilicet efficiendo ut ex ipsa conformatione atque

[1] Act., IV, 34.
[2] Apol., II, 39.
[3] Cf. N. 592.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

administratione reipublicae ultro prosperitas tam communitatis quam privatorum efflorescat. Id est enim civilis prudentiae munus, propriumque eorum, qui praesunt, officium. Nunc vero illa maxime efficiunt prosperas civitates, morum probitas, recte atque ordine constitutae familiae, custodia religionis ac iustitiae, onerum publicorum cum moderata irrogatio, tum aequa partitio, incrementa artium et mercaturae, florens agrorum cultura, et si qua alia generis eiusdem, quae quo maiore studio provehuntur, eo melius sunt victuri cives et beatius. — Harum igitur virtute rerum in potestate rectorum civitatis est, ut ceteris prodesse ordinibus, sic et proletariorum conditionem iuvare plurimum: idque iure suo optimo, neque ulla cum importunitatis suspicione: debet enim respublica ex lege muneris sui in commune consulere. Quo autem commodorum copia provenerit ex hac generali providentia maior, eo minus oportebit alias ad opificum salutem experiri vias.

24. Sed illud praeterea considerandum, quod rem altius attingit, unam civitatis esse rationem, communem summorum atque infirmorum. Sunt nimirum proletarii pari iure cum locupletibus natura cives, hoc est partes verae vitamque viventes, unde constat, interiectis familiis, corpus reipublicae: ut ne illud adiungatur, in omni urbe eos esse numero longe maximo. Cum igitur illud sit perabsurdum, parti civium consulere, partem negligere, consequitur, in salute commodisque ordinis proletariorum tuendis curas debitas collocari publice oportere: ni fiat, violatum iri iustitiam, suum cuique tribuere praecipientem. Qua de re sapienter S. Thomas: *sicut pars et totum quodammodo sunt idem, ita id, quod est totius, quodammodo est partis.* [1] Proinde in officiis non paucis neque levibus populo bene consulentium principum, illud in primis eminet, ut unumquemque civium ordinem aequabiliter tueantur, ea nimirum, quae *distributiva* appellatur, iustitia inviolate servanda.

25. Quamvis autem cives universos, nemine excepto, conferre aliquid in summam bonorum communium necesse sit, quorum aliqua pars virilis sponte recidit in singulos, tamen idem et ex aequo conferre nequaquam possunt. Qualescumque sint in imperii generibus vicissitudines, perpetua futura sunt ea in civium statu discrimina, sine quibus nec esse, nec cogitari societas ulla posset. Omnino necesse est quosdam reperiri, qui se reipublicae dedant, qui leges condant, qui ius dicant, denique quorum consilio atque auctoritate negotia urbana, res bellicae administrentur. Quorum virorum priores esse partes, eosque habendos in omni populo primarios, nemo non videt, propterea quod communi bono dant operam proxime atque excellenti ratione. Contra vero qui in arte aliqua exercentur, non ea, qua illi, ratione nec iisdem muneribus prosunt civitati: sed tamen plurimum et ipsi, quamquam minus directe, utilitati publicae inserviunt. Sane sociale bonum cum debeat esse eiusmodi, ut homines eius fiant adeptione meliores, est profecto in virtute praecipue collocandum. Nihilominus ad bene constitutam civitatem suppeditatio quoque pertinet bonorum corporis atque externorum,

[1] II-II, quaest. LXI, a. 1, ad 2.

BIBLIOTHECA

quorum usus est necessarius ad actum virtutis.[1] Iamvero his pariendis bonis est proletariorum maxime efficax ac necessarius labor, sive in agris artem atque manum, sive in officinis exerceant. Immo eorum in hoc genere vis est atque efficientia tanta, ut illud verissimum sit, non aliunde quam ex opificum labore gigni divitias civitatum. Iubet igitur aequitas, curam de proletario publice geri, ut ex eo, quod in communem affert utilitatem, percipiat ipse aliquid, ut tectus, ut vestitus, ut salvus vitam tolerare minus aegre possit. Unde consequitur, favendum rebus omnibus esse quae conditioni opificum quoquo modo videantur profuturae. Quae cura tantum abest ut noceat cuiquam, ut potius profutura sit universis, quia non esse omnibus modis eos miseros, a quibus tam necessaria bona proficiscuntur, prorsus interest reipublicae.

26. Non civem, ut diximus, non familiam absorberi a republica rectum est: suam utrique facultatem agendi cum libertate permittere aequum est, quantum incolumi bono communi et sine cuiusquam iniuria potest. Nihilominus eis, qui imperant, videndum ut communitatem eiusque partes tueantur. Communitatem quidem, quippe quam summae potestati conservandam natura commisit usque eo, ut publicae custodia salutis non modo suprema lex sed tota caussa sit ratioque principatus: partes vero, quia procurationem reipublicae non ad utilitatem eorum, quibus commissa est, sed ad eorum, qui commissi sunt, natura pertinere, philosophia pariter et fides christiana consentiunt. Cumque imperandi facultas proficiscatur a Deo, eiusque sit communicatio quaedam summi principatus, gerenda ad exemplar est potestatis divinae, non minus rebus singulis quam universis cura paterna consulentis. Si quid igitur detrimenti allatum sit aut impendeat rebus communibus, aut singulorum ordinum rationibus, quod sanari aut prohiberi alia ratione non possit, obviam iri auctoritate publica necesse est. — Atqui interest salutis cum publicae, tum privatae pacatas esse res et compositas: item dirigi ad Dei iussa naturaeque principia omnem convictus domestici disciplinam: observari et coli religionem: florere privatim ac publice mores integros: sanctam retineri iustitiam, nec alteros ab alteris impune violari: validos adolescere cives, iuvandae tutandaeque, si res postulet, civitati idoneos. Quamobrem si quando fiat, ut quippiam turbarum impendeat ob secessionem opificum, aut intermissas ex composito operas: ut naturalia familiae nexa apud proletarios relaxentur: ut religio in opificibus violetur non satis impertiendo commodi ad officia pietatis: si periculum in officinis integritati morum ingruat a sexu promiscuo, aliisve perniciosis invitamentis peccandi: aut opificum ordinem herilis ordo iniquis premat oneribus, vel alienis a persona ac dignitate humana conditionibus affligat: si valetudini noceatur opere immodico, nec ad sexum aetatemve accommodato; his in caussis plane adhibenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum. Quos fines eadem quae legum poscit opem, caussa determinat: videlicet non plura suscipienda legibus nec ultra progrediendum, quam incommodorum sanatio, vel periculi depulsio requirat.

[1] S. Thom., *De reg. Princip.*, I, c. XV.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

27. Iura quidem, in quocumque sint, sancte servanda sunt: atque ut suum singuli teneant, debet potestas publica providere, propulsandis atque ulciscendis iniuriis. Nisi quod in ipsis protegendis privatorum iuribus, praecipue est infimorum atque inopum habenda ratio. Siquidem natio divitum, suis septa praesidiis, minus eget tutela publica: miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime nititur. Quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiaque singulari complecti respublica.

28. Sed quaedam maioris momenti praestat nominatim perstringere. — Caput autem est, imperio ac munimento legum tutari privatas possessiones oportere. Potissimumque, in tanto iam cupiditatum ardore, continenda in officio plebs: nam si ad meliora contendere concessum est non repugnante iustitia, at alteri, quod suum est, detrahere, ac per speciem absurdae cuiusdam aequabilitatis in fortunas alienas involare, iustitia vetat, nec ipsa communis utilitatis ratio sinit. Utique pars opificum longe maxima res meliores honesto labore comparare sine cuiusquam iniuria malunt: verumtamen non pauci numerantur pravis imbuti opinionibus rerumque novarum cupidi, qui id agunt omni ratione ut turbas moveant, ac ceteros ad vim impellant. Intersit igitur reipublicae auctoritas, iniectoque concitatoribus freno, ab opificum moribus corruptrices artes, a legitimis dominis periculum rapinarum coerceat.

29. Longinquior vel operosior labor, atque opinatio curtae mercedis caussam non raro dant artificibus quamobrem opere se solvant ex composito, otioque dedant voluntario. Cui quidem incommodo usitato et gravi medendum publice, quia genus istud cessationis non heros dumtaxat, atque opifices ipsos afficit damno, sed mercaturis obest reique publicae utilitatibus: cumque haud procul esse a vi turbisque soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen adducit. Qua in re illud magis efficax ac salubre, antevertere auctoritate legum, malumque ne erumpere possit prohibere, amotis mature caussis, unde dominorum atque operariorum conflictus videatur exstiturus.

30. Similique modo plura sunt in opifice, praesidio munienda reipublicae: ac primum animi bona. Siquidem vita mortalis quantumvis bona et optabilis, non ipsa tamen illud est ultimum, ad quod nati sumus: sed via tantummodo atque instrumentum ad animi vitam perspicientia veri et amore boni complendam. Animus est, qui expressam gerit imaginem similitudinemque divinam, et in quo principatus ille residet, per quem dominari iussus est homo in inferiores naturas, atque efficere utilitati suae terras omnes et maria parentia. *Replete terram et subiicite eam: et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus, quae moventur super terram.*[1] Sunt omnes homines hac in re pares, nec quippiam est quod inter divites atque inopes, inter dominos et famulos, inter principes privatosque differat: *nam idem dominus omnium.*[2] Nemini licet hominis di-

[1] Gen., I, 28.
[2] Rom., X, 12.

BIBLIOTHECA

gnitatem, de qua Deus ipse disponit *cum magna reverentia*, impune violare,
neque ad eam perfectionem impedire cursum, quae sit vitae in caelis sem-
piternae consentanea. Quin etiam in hoc genere tractari se non convenien-
ter naturae suae, animique servitutem servire velle, ne sua quidem sponte
homo potest: neque enim de iuribus agitur, de quibus sit integrum homini,
verum de officiis adversus Deum, quae necesse est sancte servari. — Hinc
consequitur requies operum et laborum per festos dies necessaria. Id tamen
nemo intelligat de maiore quadam inertis otii usura, multoque minus
de cessatione, qualem multi expetunt, fautrice vitiorum et ad effusiones
pecuniarum adiutrice, sed omnino de requiete operum per religionem
consecrata. Coniuncta cum religione quies sevocat hominem a laboribus
negotiisque vitae quotidianae ut ad cogitanda revocet bona caelestia,
tribuendumque cultum numini aeterno iustum ac debitum. Haec maxime
natura atque haec caussa quietis est in dies festos capiendae: quod Deus
et in Testamento veteri praecipua lege sanxit: *memento ut diem sabbati
sanctifices;*[1] et facto ipse suo docuit, arcana requiete, statim posteaquam
fabricatus hominem erat, sumpta: *requievit die septimo ab universo opere
quod patrarat.*[2]

31. Quod ad tutelam bonorum corporis et externorum, primum omnium
eripere miseros opifices e saevitia oportet hominum cupidorum, personis
pro rebus ad quaestum intemperanter abutentium. Scilicet tantum exigi
operis, ut hebescat animus labore nimio, unaque corpus defatigationi suc-
cumbat, non iustitia, non humanitas patitur. In homine, sicut omnis natura
sua, ita et vis efficiens certis est circumscripta finibus, extra quos egredi
non potest. Acuitur illa quidem exercitatione atque usu, sed hac tamen
lege ut agere intermittat identidem et acquiescat. De quotidiano igitur
opere videndum ne in plures extrahatur horas, quam vires sinant. Inter-
valla vero quiescendi quanta esse oporteat, ex vario genere operis, ex adiun-
ctis temporum et locorum, ex ipsa opificum valetudine iudicandum. Quo-
rum est opus lapidem e terra excindere, aut ferrum, aes, aliaque id genus
effodere penitus abdita, eorum labor, quia multo maior est idemque vale-
tudini gravis, cum brevitate temporis est compensandus. Anni quoque
dispicienda tempora: quia non raro idem operae genus alio tempore facile
est ad tolerandum, alio aut tolerari nulla ratione potest, aut sine summa
difficultate non potest. — Denique quod facere enitique vir adulta aetate
beneque validus potest, id a femina puerove non est aequum postulare.
Immo de pueris valde cavendum, ne prius officina capiat, quam corpus,
ingenium, animum satis firmaverit aetas. Erumpentes enim in pueritia
vires, velut herbescentem viriditatem, agitatio praecox elidit: qua ex re
omnis est institutio puerilis interitura. Sic certa quaedam artificia minus
conveniunt in feminas ad opera domestica natas: quae quidem opera et
tuentur magnopere in muliebri genere decus, et liberorum institutioni pro-
speritatique familiae natura respondent. Universe autem statuatur, tantum

[1] Exod., XX, 8.
[2] Gen., II, 2.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

esse opificibus tribuendum otii, quantum cum viribus compensetur labore
consumptis; quia detritas usu vires debet cessatio restituere. In omni obli-
gatione, quae dominis atque artificibus invicem contrahatur, haec semper
aut adscripta aut tacita conditio inest, utrique generi quiescendi ut cau-
tum sit: neque enim honestum esset convenire secus, quia nec postulare
cuiquam fas est nec spondere neglectum officiorum, quae vel Deo vel sibi-
metipsi hominem obstringunt.

32. Rem hoc loco attingimus sat magni momenti: quae recte intelliga-
tur necesse est, in alterutram partem ne peccetur. Videlicet salarii defini-
tur libero consensu modus: itaque dominus rei, pacta mercede persoluta,
liberavisse fidem, nec ultra debere quidquam videatur. Tunc solum fieri
iniuste, si vel pretium dominus solidum, vel obligatas artifex operas red-
dere totas recusaret: his caussis rectum esse potestatem politicam interce-
dere, ut suum cuique ius incolume sit, sed praeterea nullis. — Cui argu-
mentationi aequus rerum iudex non facile, neque in totum assentiatur,
quia non est absoluta omnibus partibus: momentum quoddam rationis
abest maximi ponderis. Hoc est enim operari, exercere se rerum compa-
randarum caussa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tui-
tionem sui necessariae. *In sudore vultus tui vesceris pane.*[1] Itaque duas
velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut *personalis*
sit, quia vis agens adhaeret personae, atque eius omnino est propria, a quo
exercetur, et cuius est utilitati nata: deinde ut sit *necessarius*, ob hanc caus-
sam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam: vitam autem
tueri ipsa rerum, cui maxime parendum, natura iubet. Iamvero si ex ea
dumtaxat parte spectetur quod personalis est, non est dubium quin inte-
grum opifici sit pactae mercedis angustius finire modum: quemadmodum
enim operas dat ille voluntate, sic et operarum mercede vel tenui vel plane
nulla contentus esse voluntate potest. Sed longe aliter iudicandum si cum
ratione *personalitatis* ratio coniungitur *necessitatis*, cogitatione quidem non
re ab illa separabilis. Reapse manere in vita, commune singulis officium
est, cui scelus est deesse. Hinc ius reperiendarum rerum, quibus vita susten-
tatur, necessario nascitur: quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi
quaesita labore merces suppeditat. Esto igitur, ut opifex atque herus libere
in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant: subest tamen
semper aliquid ex iustitia naturali, idque libera paciscentium voluntate
maius et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene morato,
haud imparem esse mercedem oportere. Quod si necessitate opifex coa-
ctus, aut mali peioris metu permotus duriorem conditionem accipiat, quae,
etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum
imponitur, istud quidem est subire vim, cui iustitia reclamat. — Verumta-
men in his similibusque caussis, quales illae sunt in unoquoque genere
artificii quota sit elaborandum hora, quibus praesidiis valetudini maxime
in officinis cavendum, ne magistratus inferat sese importunius, praesertim
cum adiuncta tam varia sint rerum, temporum, locorum, satius erit eas

[1] Gen., III, 19.

BIBLIOTHECA

res iudicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam, qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint, accedente, si res postulaverit, tutela praesidioque reipublicae.

33. Mercedem si ferat opifex satis amplam ut ea se uxoremque et liberos tueri commodum queat, facile studebit parsimoniae, si sapit, efficietque, quod ipsa videtur natura monere, ut detractis sumptibus, aliquid etiam redundet, quo sibi liceat ad modicum censum pervenire. Neque enim efficaci ratione dirimi caussam, de qua agitur, posse vidimus, nisi hoc sumpto et constituto, ius privatorum bonorum sanctum esse oportere. Quamobrem favere huic iuri leges debent, et, quoad potest, providere ut quamplurimi ex multitudine rem habere malint. Quo facto, praeclarae utilitates consecuturae sunt: ac primum certe aequior partitio bonorum. Vis enim commutationum civilium in duas civium classes divisit urbes, immenso inter utramque discrimine interiecto. Ex una parte factio praepotens, quia praedives: quae cum operum et mercaturae universum genus sola potiatur, facultatem omnem copiarum effectricem ad sua commoda ac rationes trahit, atque in ipsa administratione reipublicae non parum potest. Ex altera inops atque infirma multitudo, exulcerato animo et ad turbas semper parato. Iamvero si plebis excitetur industria in spem adipiscendi quippiam, quod solo contineatur, sensim fiet ut alter ordo evadat finitimus alteri, sublato inter summas divitias summamque egestatem discrimine. — Praeterea rerum, quas terra gignit, maior est abundantia futura. Homines enim, cum se elaborare sciunt in suo, alacritatem adhibent studiumque longe maius: immo prorsus adamare terram instituunt sua manu percultam, unde non alimenta tantum, sed etiam quamdam copiam et sibi et suis expectant. Ista voluntatis alacritas, nemo non videt quam valde conferat ad ubertatem fructuum, augendasque divitias civitatis. — Ex quo illud tertio loco manabit commodi, ut qua in civitate homines editi susceptique in lucem sint, ad eam facile retineantur: neque enim patriam cum externa regione commutarent, si vitae degendae tolerabilem daret patria facultatem. Non tamen ad haec commoda perveniri nisi ea conditione potest, ut privatus census ne exhauriatur immanitate tributorum et vectigalium. Ius enim possidendi privatim bona cum non sit lege hominum sed natura datum, non ipsum abolere, sed tantummodo ipsius usum temperare et cum communi bono componere, auctoritas publica potest. Faciat igitur iniuste atque inhumane, si de bonis privatorum plus aequo, tributorum nomine, detraxerit.

34. Postremo domini ipsique opifices multum hac in caussa possunt, iis videlicet institutis, quorum ope et opportune subveniatur indigentibus, et ordo alter propius accedat ad alterum. Numeranda in hoc genere sodalitia ad suppetias mutuo ferendas; res varias, privatorum providentia constitutas, ad cavendum opifici, itemque orbitati uxoris et liberorum, si quid subitum ingruat, si debilitas afflixerit, si quid humanitus accidat: instituti patronatus pueris, puellis, adolescentibus natuque maioribus tutandis. Sed principem locum obtinent sodalitia artificum, quorum complexu fere cetera continentur. Fabrum corporatorum apud maiores nostros diu bene facta

constitere. Revera non modo utilitates praeclaras artificibus, sed artibus ipsis, quod perplura monumenta testantur, decus atque incrementum peperere. Eruditiore nunc aetate, moribus novis, auctis etiam rebus quas vita quotidiana desiderat, profecto sodalitia opificum flecti ad praesentem usum necesse est. Vulgo coiri eius generis societates, sive totas ex opificibus conflatas, sive ex utroque ordine mixtas, gratum est: optandum vero ut numero et actuosa virtute crescant. Etsi vero de iis non semel verba fecimus, placet tamen hoc loco ostendere, eas esse valde opportunas, et iure suo coalescere: item qua illas disciplina uti, et quid agere oporteat.

35. Virium suarum explorata exiguitas impellit hominem atque hortatur, ut opem sibi alienam velit adiungere. Sacrarum litterarum est illa sententia: *melius est duos esse simul, quam unum: habet enim emolumentum societatis suae. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli: quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.*[1] Atque illa quoque: *frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma.*[2] Hac homo propensione naturali sicut ad coniunctionem ducitur congregationemque civilem, sic et alias cum civibus inire societates expetit, exiguas illas quidem nec perfectas, sed societates tamen. Inter has et magnam illam societatem ob differentes caussas proximas interest plurimum. Finis enim societati civili propositus pertinet ad universos, quoniam communi continetur bono: cuius omnes et singulos pro portione compotes esse ius est. Quare appellatur *publica* quia per eam *homines sibi invicem communicant in una republica constituenda.*[3] Contra vero, quae in eius velut sinu iunguntur societates, privatae habentur et sunt, quia videlicet illud, quo proxime spectant, privata utilitas est, ad solos pertinens consociatos. *Privata autem societas est, quae ad aliquod negotium privatum exercendum coniungitur, sicut quod duo vel tres societatem ineunt, ut simul negotientur.*[4] Nunc vero quamquam societates privatae existunt in civitate, eiusque sunt velut partes totidem, tamen universe ac per se non est in potestate reipublicae ne existant prohibere. Privatas enim societates inire concessum est homini iure naturae: est autem ad praesidium iuris naturalis instituta civitas, non ad interitum: eaque si civium coetus sociari vetuerit, plane secum pugnantia agat, propterea quod tam ipsa quam coetus privati uno hoc e principio nascuntur, quod homines sunt natura congregabiles. — Incidunt aliquando tempora cum ei generi communitatum rectum sit leges obsistere: scilicet si quidquam ex instituto persequantur, quod cum probitate, cum iustitia, cum reipublicae salute aperte dissideat. Quibus in caussis iure quidem potestas publica, quo minus illae coalescant, impediet: iure etiam dissolvet coalitas: summam tamen adhibeat cautionem necesse est, ne iura civium migrare videatur, neu quidquam per speciem utilitatis publicae statuat, quod ratio non probet. Eate-

[1] Eccl., IV, 9-12.
[2] Prov., XVIII, 19.
[3] S. Thom., *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, cap. II.
[4] Ibid.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI
BIBLIOTHECA

nus enim obtemperandum legibus, quoad cum recta ratione adeoque cum lege Dei sempiterna consentiant.[1]

36. Sodalitates varias hic reputamus animo et collegia et ordines religiosos, quos Ecclesiae auctoritas et pia christianorum voluntas genuerant: quanta vero cum salute gentis humanae, usque ad nostram memoriam historia loquitur. Societates eiusmodi, si ratio sola diiudicet, cum initae honesta caussa sint, iure naturali initas apparet fuisse. Qua vero parte religionem attingunt, sola est Ecclesia cui iuste pareant. Non igitur in eas quicquam sibi arrogare iuris, nec earum ad se traducere administrationem recte possunt qui praesint civitati: eas potius officium est reipublicae vereri, conservare, et, ubi res postulaverint, iniuria prohibere. Quod tamen longe aliter fieri hoc praesertim tempore vidimus. Multis locis communitates huius generis respublica violavit, ac multiplici quidem iniuria: cum et civilium legum nexo devinxerit, et legitimo iure personae moralis exuerit, et fortunis suis despoliarit. Quibus in fortunis suum habebat Ecclesia ius, suum singuli sodales, item qui eas certae cuidam caussae addixerant, et quorum essent commodo ac solatio addictae. Quamobrem temperare animo non possumus quin spoliationes eiusmodi tam iniustas ac perniciosas conqueramur, eo vel magis quod societatibus catholicorum virorum, pacatis iis quidem et in omnes partes utilibus, iter praecludi videmus, quo tempore edicitur, utique coire in societatem per leges licere; eaque facultas large revera hominibus permittitur consilia agitantibus religioni simul ac reipublicae perniciosa.

37. Profecto consociationum diversissimarum, maxime ex opificibus longe nunc maior, quam alias frequentia. Plures unde ortum ducant, quid velint, qua grassentur via, non est huius loci quaerere. Opinio tamen est, multis confirmata rebus, praeesse ut plurimum occultiores auctores, eosdemque disciplinam adhibere non christiano nomini, non saluti civitatum consentaneam: occupataque efficiendorum operum universitate, id agere ut qui secum consociari recusarint, luere poenas egestate cogantur. — Hoc rerum statu, alterutrum malint artifices christiani oportet, aut nomen collegiis dare, unde periculum religioni extimescendum: aut sua inter se sodalitia condere, viresque hoc pacto coniungere, quo se animose queant ab illa iniusta ac non ferenda oppressione redimere. Omnino optari hoc alterum necesse esse, quam potest dubitationem apud eos habere, qui nolint summum hominis bonum in praesentissimum discrimen coniicere?

38. Valde quidem laudandi complures ex nostris, qui probe perspecto quid a se tempora postulent, experiuntur ac tentant qua ratione proletarios ad meliora adducere honestis artibus possint. Quorum patrocinio suscepto, prosperitatem augere cum domesticam tum singulorum student: item moderari cum aequitate vincula, quibus invicem artifices et domini conti-

[1] *Lex humana in tantum habet rationem legis, in quantum est secundum rationem rectam, et secundum hoc manifestum est quod a lege aeterna derivatur. In quantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua, et sic non habet rationem legis, sed magis violentiae cuiusdam.* (S. Thom., *Summ. Theol.*, I-II, quaest. XIII, a. III).

nentur: alere et confirmare in utriusque memoriam officii atque evangelicorum custodiam praeceptorum; quae quidem praecepta, hominem ab intemperantia revocando, excedere modum vetant, personarumque et rerum dissimillimo statu harmoniam in civitate tuentur. Hac de caussa unum in locum saepe convenire videmus viros egregios, quo communicent consilia invicem, viresque iungant, et quid maxime expedire videatur, consultent. Alii varium genus artificum opportuna copulare societate student; consilio ac re iuvant, opus ne desit honestum ac fructuosum, provident. Alacritatem addunt ac patrocinium impertiunt Episcopi: quorum auctoritate auspiciisque plures ex utroque ordine cleri, quae ad excolendum animum pertinent, in consociatis sedulo curant. Denique catholici non desunt copiosis divitiis, sed mercenariorum velut consortes voluntarii, qui constituere lateque fundere grandi pecunia consociationes adnitantur: quibus adiuvantibus facile opifici liceat non modo commoda praesentia, sed etiam honestae quietis futurae fiduciam sibi labore quaerere. Tam multiplex tamque alacris industria quantum attulerit rebus communibus boni plus est cognitum, quam ut attineat dicere. Hinc iam bene de reliquo tempore sperandi auspicia sumimus, modo societates istiusmodi constanter incrementa capiant, ac prudenti temperatione constituantur. Tutetur hos respublica civium coetus iure sociatos: ne trudat tamen sese in eorum intimam rationem ordinemque vitae: vitalis enim motus cietur ab interiore principio, ac facillime sane pulsu eliditur externo.

39. Est profecto temperatio ac disciplina prudens ad eam rem necessaria ut consensus in agendo fiat conspiratioque voluntatum. Proinde si libera civibus coeundi facultas est, ut profecto est, ius quoque esse oportet eam libere optare disciplinam easque leges, quae maxime conducere ad id, quod propositum est, iudicentur. Eam, quae memorata est, temperationem disciplinamque collegiorum qualem esse in partibus suis singulis oporteat, decerni certis definitisque regulis non censemus posse, cum id potius statuendum sit ex ingenio cuiusque gentis, ex periclitatione et usu, ex genere atque efficientia operum, ex amplitudine commerciorum, aliisque rerum ac temporum adiunctis, quae sunt prudenter ponderanda. Ad summam rem quod spectat, haec tamquam lex generalis ac perpetua sanciatur, ita constitui itaque gubernari opificum collegia oportere, ut instrumenta suppeditent aptissima maximeque expedita ad id, quod est propositum, quodque in eo consistit ut singuli e societate incrementum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur. Perspicuum vero est, ad perfectionem pietatis et morum tamquam ad caussam praecipuam spectari oportere: eaque potissimum caussa disciplinam socialem penitus dirigendam. Secus enim degenerarent in aliam formam, eique generi collegiorum, in quibus nulla ratio religionis haberi solet, haud sane multum praestarent. Ceterum quid prosit opifici rerum copiam societate quaesisse, si ob inopiam cibi sui de salute periclitetur anima? *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*[1] Hanc

[1] Matth., XVI, 26.

quidem docet Christus Dominus velut notam habendam, qua ab ethnico distinguatur homo christianus: *haec omnia gentes inquirunt... quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.*[1] Sumptis igitur a Deo principiis, plurimum eruditioni religiosae tribuatur loci, ut sua singuli adversus Deum officia cognoscant: quid credere oporteat, quid sperare atque agere salutis sempiternae caussa, probe sciant: curaque praecipua adversus opinionum errores variasque corruptelas muniantur. Ad Dei cultum studiumque pietatis excitetur opifex, nominatim ad religionem dierum festorum colendam. Vereri diligereque communem omnium parentem Ecclesiam condiscat: itemque eius et obtemperare praeceptis et sacramenta frequentare, quae sunt ad expiandas animi labes sanctitatemque comparandam instrumenta divina.

40. Socialium legum posito in religione fundamento, pronum est iter ad stabiliendas sociorum rationes mutuas, ut convictus quietus ac res florentes consequantur. Munia sodalitatum dispartienda sunt ad communes rationes accommodate, atque ita quidem ut consensum ne minuat dissimilitudo. Officia partiri intelligenter, perspicueque definiri, plurimum ob hanc caussam interest, ne cui fiat iniuria. Commune administretur integre, ut ex indigentia singulorum praefiniatur opitulandi modus: iura officiaque dominorum cum iuribus officiisque opificum apte conveniant. Si qui ex alterutro ordine violatum se ulla re putarit, nihil optandum magis, quam adesse eiusdem corporis viros prudentes atque integros, quorum arbitrio litem dirimi leges ipsae sociales iubeant. Illud quoque magnopere providendum ut copia operis nullo tempore deficiat opificem, utque vectigal suppeditet, unde necessitati singulorum subveniatur nec solum in subitis ac fortuitis industriae casibus, sed etiam cum valetudo, aut senectus, aut infortunium quemquam oppressit. — His legibus, si modo voluntate accipiantur, satis erit tenuiorum commodis ac saluti consultum: consociationes autem catholicorum non minimum ad prosperitatem momenti in civitate sunt habiturae. Ex eventis praeteritis non temere providemus futura. Truditur enim aetas aetate, sed rerum gestarum mirae sunt similitudines, quia reguntur providentia Dei, qui continuationem seriemque rerum ad eam caussam moderatur ac flectit, quam sibi in procreatione generis humani praestituit. — Christianis in prisca Ecclesiae adolescentis aetate probro datum accepimus, quod maxima pars stipe precaria aut opere faciendo victitarent. Sed destituti ab opibus potentiaque, pervicere tamen ut gratiam sibi locupletium ac patrocinium potentium adiungerent. Cernere licebat impigros, laboriosos, pacificos, iustitiae maximeque caritatis in exemplum retinentes. Ad eiusmodi vitae morumque spectaculum, evanuit omnis praeiudicata opinio, obtrectatio obmutuit malevolorum, atque inveteratae superstitionis commenta veritati christianae paullatim cessere. — De statu opificum certatur in praesens: quae certatio ratione dirimatur an secus, plurimum interest reipublicae in utramque partem. Ratione autem facile dirimetur ab artificibus christianis, si societate coniuncti ac prudentibus auctoribus usi,

[1] Matth., VI, 32, 33.

viam inierint eamdem, quam patres ac maiores singulari cum salute et sua et publica tenuerunt. Etenim quantumvis magna in homine vis opinionum praeiudicatarum cupiditatumque sit, tamen nisi sensum honesti prava voluntas obstupefecerit, futura est benevolentia civium in eos sponte propensior, quos industrios ac modestos cognoverint, quos aequitatem lucro, religionem officii rebus omnibus constiterit anteponere. Ex quo illud etiam consequetur commodi, quod spes et facultas sanitatis non minima suppeditabitur opificibus iis, qui vel omnino despecta fide christiana, vel alienis a professione moribus vivant. Isti quidem se plerumque intelligunt falsa spe simulataque rerum specie deceptos. Sentiunt enim, sese apud cupidos dominos valde inhumane tractari, nec fieri fere pluris quam quantum pariant operando lucri: quibus autem sodalitatibus implicati sunt, in iis pro caritate atque amore intestinas discordias existere, petulantis atque incredulae paupertatis perpetuas comites. Fracto animo, extenuato corpore, quam valde se multi vellent e servitute tam humili vindicare: nec tamen audent, seu quod hominum pudor, seu metus inopiae prohibeat. Iamvero his omnibus mirum quantum prodesse ad salutem collegia catholicorum possunt, si haesitantes ad sinum suum, expediendis difficultatibus, invitarint, si resipiscentes in fidem tutelamque suam acceperint.

41. Habetis, Venerabiles Fratres, quos et qua ratione elaborare in caussa perdifficili necesse sit. — Accingendum ad suas cuique partes, et maturr me quidem, ne tantae iam molis incommodum fiat insanabilius cunctatione medicinae. Adhibeant legum institutorumque providentiam, qui gerunt respublicas: sua meminerint officia locupletes et domini: enitantur ratione, quorum res agitur, proletarii: cumque religio, ut initio diximus, malum pellere funditus sola possit, illud reputent universi, in primis instaurari mores christianos oportere, sine quibus ea ipsa arma prudentiae, quae maxime putantur idonea, parum sunt ad salutem valitura. — Ad Ecclesiam quod spectat, desiderari operam suam nullo tempore nulloque modo sinet, tanto plus allatura adiumenti, quanto sibi maior in agendo libertas contigerit: idque nominatim intelligant, quorum munus est saluti publicae consulere. Intendat omnes animi industriaeque vires ministri sacrorum: vobisque, Venerabiles Fratres, auctoritate praeeuntibus et exemplo, sumpta ex evangelio documenta vitae hominibus ex omni ordine inculcare ne desinant: omni qua possunt ope pro salute populorum contendant, potissimumque studeant et tueri in se, et excitare in aliis, summis iuxta atque infimis, omnium dominam ac reginam virtutum, caritatem. Optata quippe salus expectanda praecipue est ex magna effusione caritatis: christianae caritatis intelligimus, quae totius Evangelii compendiaria lex est, quaeque semetipsam pro aliorum commodis semper devovere parata, contra saeculi insolentiam atque immoderatum amorem sui certissima est homini antidotus: cuius virtutis partes ac lineamenta divina Paulus Apostolus iis verbis expressit: *Caritas patiens est, benigna est: non quaerit quae sua sunt: omnia suffert: omnia sustinet.*[1]

[1] I Cor., XIII, 4-7.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI
BIBLIOTHECA

42. Divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem vobis singulis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XI, p. 97-144].

612.

Leo XIII, ep. *Pastoralis officii*, 12 sept. 1891.[1]

Pastoralis officii conscientia et proximorum caritate permoti, datis ad Nos superiore anno litteris, referendum censuistis de singularium certaminum, quae *duella* vocant, in populo vestro frequentia. Genus istud dimicandi, velut ius moribus constitutum, non sine dolore significabatis etiam inter catholicos versari: rogabatis pariter, ut deterrere homines ab istiusmodi errore vox quoque Nostra conaretur. — Est profecto error iste admodum perniciosus, nec sane finibus circumscribitur civitatum vestrarum, sed excurrit multo latius, ita ut huius expers contagione mali vix ulla gens reperiatur. Quamobrem collaudamus studium vestrum, et quamvis cognitum perspectumque sit quid hac in re philosophia christiana, utique consentiente ratione naturali, praescribat, tamen, cum prava duellorum consuetudo christianorum praeceptorum oblivione maxime alatur, expediet atque utile erit id ipsum per Nos paucis revocari.

Scilicet utraque divina lex, tum ea quae naturalis rationis lumine, tum quae litteris divino afflatu perscriptis promulgata est, districte vetant ne quis extra causam publicam hominem interimat aut vulneret, nisi salutis suae defendendae causa, necessitate coactus. At qui ad privatum certamen provocant, vel oblatum suscipiunt, hoc agunt, huc animum viresque intendunt, nulla necessitate adstricti, ut vitam eripiant aut saltem vulnus inferant adversario. Utraque porro divina lex interdicit ne quis temere vitam proiiciat suam, gravi et manifesto obiiciens discrimini, quum id nulla officii aut caritatis magnanimae ratio suadeat; haec autem caeca temeritas, vitae contemptrix, plane inest in natura duelli. — Quare obscurum nemini aut dubium esse potest, in eos, qui privatim praelium conserunt singulare, utrumque cadere et scelus alienae cladis, et vitae propriae discrimen voluntarium. Demum vix ulla pestis est, quae a civilis vitae disciplina magis abhorreat et iustum civitatis ordinem pervertat, quam permissa civibus licentia ut sui quisque adsertor iuris privata vi manuque, et honoris, quem violatum putet, ultor existat.

Ob eas res Ecclesia Dei, quae custos et vindex est cum veritatis, tum iustitiae et honestatis, quarum complexu publica pax et ordo continetur, nunquam non improbavit vehementer, et gravioribus quibus potuit poenis reos privati certaminis coercendos curavit. — Constitutiones Alexandri III

[1] Dilecto Filio Nostro Francisco de Paula S. R. E. Cardinali Schönborn Archiepiscopo Pragensi, Venerabili Fratri Philippo Archiepiscopo Coloniensi ceterisque Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis aliisque locorum Ordinariis in Imperio Germanico et Austro-Hungarico.

decessoris Nostri libris insertae canonici iuris[1] privatas hasce concertationes damnant et exsecrantur. In omnes qui illas ineunt, aut quoquo modo participant, singulari poenarum severitate animadvertit Tridentina Synodus,[2] quippe quae praeter alia, etiam ignominiae notam iis inussit, eiectosque Ecclesiae gremio, honore indignos censuit, si in certamine occumberent, ecclesiasticae sepulturae. — Tridentinas sanctiones ampliavit explicavitque decessor Noster Benedictus XIV in Constitutione data die x Novembris anno MDCCLII, cuius initium *Detestabilem*.[3] Novissimo autem tempore f. r. Pius IX in litteris Apostolicis, quarum est initium *Apostolicae Sedis*,[4] per quas censurae latae sententiae limitantur, aperte declaravit, ecclesiasticas poenas committere non modo qui duello confligant, sed eos etiam quos patrinos vocant, itemque et testes et conscios. — Quarum legum sapientia eo luculentius emicat quo ineptiora ea esse liquet quae ad immanem duelli morem tuendum vel excusandum solent proferri. Nam quod in vulgus seritur, certamina id genus natura sua comparata esse ad maculas eluendas, quas civium honori alterius calumnia aut convicium induxerit, id est eiusmodi ut neminem possit nisi vecordem fallere. Quamvis enim e certamine victor decedat qui, iniuria accepta, illud indixit, omnium cordatorum hominum hoc erit iudicium, tali certaminis exitu viribus quidem ad luctandum, aut tractandis armis meliorem lacessentem probari, non ideo tamen honestate potiorem. Quod si idem ipse ceciderit, cui rursus non inconsulta, non plane absona haec honoris tuendi ratio videatur? Equidem paucos esse remur, qui hoc obeant facinus, opinionis errore decepti. Omnino cupiditas ultionis est, quae viros superbos et acres ad poenam petendam impellit: qui si elatum animum moderari, Deoque obtemperare velint qui homines iubet diligere inter se amore fraterno, et quemquam violari vetat, qui ulciscendi libidinem in privatis hominibus gravissime damnat, ac poenarum repetendarum sibi unice reservat potestatem, ab immani consuetudine duellorum facile discederent.

Neque illis qui oblatum suscipiunt iusta suppetit excusatio metus, quod timeant se vulgo segnes haberi, si pugnam detrectent. Nam si officia hominum ex falsis vulgi opinionibus dimetienda essent, non ex aeterna recti iustique norma, nullum esset naturale ac verum inter honestas actiones et flagitiose facta discrimen. Ipsi sapientes ethnici et norunt et tradiderunt, fallacia vulgi iudicia spernenda esse a forti et constanti viro. Iustus potius et sanctus timor est, qui avertit hominem ab iniqua caede, eumque facit de propria et fratrum salute sollicitum. Immo qui inania vulgi aspernatur iudicia, qui contumeliarum verbera subire mavult, quam ulla in re officium deserere, hunc longe maiore atque excelsiore animo esse perspicitur, quam qui ad arma procurrit, lacessitus iniuria. Quin etiam, si recte diiudicari velit, ille est unus, in quo solida fortitudo eluceat, illa, inquam, fortitudo, quae virtus vere nominatur, et cui gloria comes est non fucata, non fallax.

[1] C. 1, 2, X, *de torneamentis*, V, 13.
[2] Sess. XXV, *de ref.*, c. 19.
[3] Cf. N. 422.
[4] Cf. N. 552.

Virtus enim in bono consistit rationi consentaneo, et nisi quae in iudicio nitatur approbantis Dei, stulta omnis est gloria.

Denique tam perspicua duelli turpitudo est, ut illud nostrae etiam aetatis legumlatores, tametsi multorum suffragio patrocinioque fultum, auctoritate publica poenisque propositis coercendum duxerint. Illud hac in re praeposterum maximeque perniciosum, quod scriptae leges re factisque fere eludantur: idque non raro scientibus et silentibus iis, quorum est punire sontes, et, ut legibus pareatur, providere. Ita fit ut passim ad singularia certamina descendere, spreta maiestate legum, impune liceat.

Inepta etiam atque indigna sapienti viro eorum est opinio, qui utut togatos cives ab hoc genere certaminum arcendos putent, ea tamen permittenda censent militibus, quod tali exercitatione acui dicant militarem virtutem. Primum quidem honesta et turpia natura differunt, nec in contraria mutari ob diversum personarum statum ullo pacto possunt. Omnino homines, in quacumque conditione vitae, divina ac naturali lege omnes pari modo tenentur. Praeterea ratio huiusce indulgentiae erga milites ab utilitate publica petenda foret, quae numquam tanta esse potest, ut eius obtentu naturalis divinique iuris vox conticescat. Quid, quod ipsa utilitatis ratio manifesto deficit? Nam militaris virtutis incitamenta eo spectant ut civitas sit adversus hostes instructior. Idne vero effici poterit ope illius consuetudinis, quae suapte natura eo spectat ut suborto inter milites dissidio, cuius causae haud rarae sunt, e singulis partibus defensorum patriae necetur alteruter?

Postremo recens aetas, quae se iactat humaniore cultu morumque elegantia longe superioribus saeculis antecellere, parvi pendere vetustiora instituta consuevit ac nimium saepe respuere quidquid cum colore discrepet recentioris urbanitatis. Quid est igitur quod has tantummodo rudioris aevi ac peregrinae barbariae ignobiles reliquias, duelli morem intelligimus, in tanto humanitatis studio non repudiat?

Vestrum erit, Venerabiles Fratres, haec, quae breviter attigimus, inculcare diligenter populorum vestrorum animis, ne falsas hac de re opiniones temere excipiant, neu ferri se leviorum hominum iudicio patiantur. Date operam nominatim ut iuvenes mature assuescant id de duello sentire et iudicare quod, consentiente naturali philosophia, iudicat ac sentit Ecclesia; ab eoque iudicio normam agendi constanter sumant. Immo quo modo alicubi receptum consuetudine est ut catholici praesertim florentis aetatis sibi sponte perpetuoque interdicant nomen dare societatibus non honestis, pari modo opportunum ducimus ac valde salutare, eosdem velut foedus inter se facere, data fide nullo se tempore nullaque de caussa duello dimicaturos.

Supplices a Deo petimus ut communia conata nostra virtute caelesti corroboret, quodque pro salute publica, pro integritate morum vitaeque christianae volumus, id benigne largiatur. Divinorum vero munerum auspicem itemque benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XI, p. 283-289].

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

613.

Leo XIII, decr. *Consensus mutuus*, 15 febr. 1892.

Consensus mutuus, unde matrimonia iusta nascuntur, non verbis dumtaxat, sed aliis quoque signis exterioribus patefieri ac declarari potest. Quamobrem Alexander III,[1] Innocentius III,[2] et Gregorius IX,[3] decessores Nostri, merito decreverunt ut carnalis copula, si sponsalia de futuro certa ac valida praecessissent, cum in iudicio tum extra iudicium pro vero coniugio haberetur, nisi impedimentum canonicum obstitisset. Et in hac iuris praesumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque ius, nec probationem contrariam ullam admitteret. Deinde vero matrimonia clandestina, id est non praesente Parocho et duobus tribusve testibus inita, quum Concilium Tridentinum[4] irrita infectaque esse iussisset, ius illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex. Quibus autem illa locis non viget, in iis semper Apostolicae Sedis iudicium fuit, canones, quos indicavimus, ratos atque firmos permansisse. Sed aetatum decursu, ex conscientia et cognitione christianorum sensim effluxere. Plures enim Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida iudicantur, haud ita pridem rogati quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt, canonicam de coniugiis praesumptis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam: propterea vix aut ne vix quidem contingere ut copula inter sponsos affectu maritali nec fornicario habeatur: eamque non matrimonii legitimi usum sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari: imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per coniunctionem carnalem in matrimonium transire.

His igitur rebus et causis, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in rebus fidei Inquisitorum generalium, supra memoratos canones et alias quascumque iuris canonici ea de re dispositiones, etiam speciali mentione dignas, per hoc Decretum Nostrum abrogamus et abolemus, et pro abolitis et abrogatis, ac si nunquam prodiissent, haberi volumus.

Simul per has litteras Nostras decernimus ac mandamus, ut deinceps illis in locis in quibus coniugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis iudicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas eiusmodi matrimoniales agitari et iudicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis contractus censeatur, nec

[1] Cap. *Veniens*, de Sponsal.
[2] Cap. *Tua nos*, eodem tit.
[3] Cap. *Is qui fidem*, eodem tit.
[4] Sess. XXIV, cap. 1, *de ref. matrim.*

BIBLIOTHECA

pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur. Huius tamen auctoritate Decreti induci nolumus necessitatem formae Tridentinae servandae ad matrimonii validitatem ubi illa forma modo non viget.

[Leonis XIII Acta, vol. XII, p. 16-18].

614.

Leo XIII, ep. *Quae coniunctim*, 23 maii 1892.[1]

Quae coniunctim a vobis perscriptae sunt litterae ex aede Archiepiscopali Neo-Eboracensi, quo coivistis consecrationi Brooklyniensis Episcopi adfuturi, duplici Nos voluptate affecerunt. Patebat enim ex iis animus vester cum de religiosa puerorum institutione sollicitus, tum effundendi cupidus dubitationes et anxietates suas in gremium Nostrum, semper ad eas benigne excipiendas paratum. Ne quid itaque vestris haereret mentibus quod anxias illas et incertas efficeret, datis vicissim litteris vos adire decrevimus: hasce autem non modo nuncias esse volumus paternae erga vos caritatis Nostrae, sed etiam testes sollicitudinis quam gerimus de fidelibus amplissimam incolentibus regionem foederatarum civitatum Americae Septentrionalis, quae propter incrementa, quibus se istic explicat catholica religio, et praesens Nobis gaudium affert, et rerum laetiorum in posterum expectationem. Plane haec sollicitudo Nos curae expertes esse non sivit inter controversias et disputationes nuper istic ortas et animis incalescentibus actas propter conventionem initam inter Venerabilem Fratrem Archiepiscopum S. Pauli et civiles magistratus circa duas e pluribus scholis paroecialibus, quas ille considerat multo cum studio in credita sibi dioecesi. In huius miserae concertationis aestu mirum non est si falsa nonnunquam nunciarentur pro veris et quae suspiciose cogitata fuerant vulgi rumore percrebrescerent. Haec equidem graviter molesteque tulimus; nisi enim tempestive eo cura Nostra conversa fuisset, verendum erat ne intercideret vel magna ex parte deficeret perfecta animorum consensio studiorumque communium in unum conspiratio, quam sedulo retineant oportet sacrorum Antistites et Nos fovere adnitimur quavis ratione et ope. Propterea memores officii Nostri quod postulat ut in disceptatione causarum, quarum notio et iudicatio ad Nostrum pertinent ministerium, cuncta sedate expendamus et procul omni partium studio, animum ita comparatum causae cognoscendae applicuimus, quam praelaudatus Archiepiscopus Nobis definiendam attulit, profitens se prompte et omnino pariturum sententiae Nostrae, quaecumque demum ea foret, quae sane protestatio in ipsius laudem cedit et a Nobis non poterat vehementer non probari. Quum porro naviter dederimus operam ut plenissime Nobis factorum veritas fieret explorata, recteque aestimaretur rationum pondus quae utrinque afferebantur, constituto peculiari coetu Patrum Cardinalium ex iis delecto quibus sacrum Consilium

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo et Episcopis Provinciae Ecclesiasticae Neo-Eboracensis.

constat christiano nomini propagando, qui sese huic studio addixit diligentia singulari, propositam quaestionem eo responso dirimendam censuimus quod dilectus filius Noster Cardinalis eidem sacro Consilio praefectus iussu Nostro patefieri curavit ecclesiarum Praesulibus quae in civitatibus foederatis sunt Americae Septentrionalis. Quo pressius autem illud urgeamus quod animos vestros angebat, vosque ad scribendum permovit, certiores vos fieri volumus, neminem in hoc iudicio suspicionem Nobis iniecisse timendum fore ne infesta aliqua vexatio catholicis impenderet si ea quae gesta fuerant ab Archiepiscopo S. Pauli circa scholas in oppido sitas *Faribault* et *Stillwater* a Nobis essent improbata. Quum neque idem Venerabilis Frater, nec alius quilibet huius periculi mentionem fecerit, liquet ex mendaci vulgi rumore famam esse obortam quae vos in inanem prorsus et falsam opinionem adduxit. Nos enimvero ad huiusce causae cognitionem iudiciumque animum attulimus probe memores studiosumque decretorum quae, praemonente hac Apostolica Sede, in Synodis Baltimorensibus super scholis paroecialibus conscita sunt. Haec quidem constanter servari volumus; quoniam vero hoc cunctis inest legibus generalibus ut, siquid singulare eveniat nec opinatum, factum tolerari queat, suadente aequitate, quod nonnihil a verbo legis recedat, facile comperimus casum hunc incidisse; proinde moderatione ac prudentia duce, potiusquam legis rigore, rem de qua agebatur iudicandam esse rati sumus. Ceterum inter sacros vestrae regionis Antistites, quos huius Sanctae Sedis observantissimos novimus et experti sumus quum ad Nos accederent, quispiam numquam, nemine prorsus excepto, visus est ambigere de doctrina ab ea tradita circa scholas in quibus catholicos pueros institui oportet. Una scilicet omnium sententia est negantium scholas probari posse *neutras*, nempe religionis expertes, sed unanimiter *confessionales* adserunt, prout in regionibus evenit quas acatholicis permixti fideles incolunt; scholas nimirum in quibus pueri religionem rite docentur ab iis quos huic magisterio pares Episcopi agnoverint. Praestat itaque, Venerabiles Fratres, ut una cum ceteris dioecesium Praesulibus regionis istius connitamini consiliis studiisque paribus ne pueri catholici eos celebrent litterarios ludos in quibus religiosa eorum institutio praetermittitur, apertumque imminet mores pervertendi discrimen. Quare vehementer optamus, prout vobis significatum est per sacrum Consilium christiano nomini propagando, ut in proximis Episcoporum conventibus sedulo deliberetis de rationibus ineundis quae huic fini assequendo potissime conferant. Cupimus praeterea vos enixe contendere ut qui summae rei praesunt in civitatibus singulis, probe agnoscentes nihil esse ad salutem rei publicae religione praestantius, sapientium legum latione prospiciant, ut docendi ministerium, quod publicis sumptibus adeoque collatis etiam catholicorum opibus exercetur, nihil habeat quod eorum conscientiae officiat aut religionem offendat. Nobis enim persuasum est cives quoque vestros qui a Nobis dissident, pro ea qua praestant ingenii vi et prudentia, facile abiecturos suspiciones opinionesque Ecclesiae catholicae infensas, ultroque agnituros eius merita quae, ethnica barbarie per evangelii lumen depulsa, novam progenuit societatem, christianarum virtutum

3. Sed tamen res est una reliqua, unde Indiarum salus magnopere pendet; ad quam rem vos, Venerabiles Fratres, et quotquot humanitatem diligunt nomenque christianum, volumus maiorem in modum attendere. Scilicet fidei catholicae apud Indos intuta incolumitas est et incerta propagatio tamdiu futura, quoad Clerus desiderabitur lectus ex *indigenis* ad munera sacerdotalia probe institutis, qui non solum adiumento esse sacerdotibus peregrinis, sed ipsimet in civitatibus suis rem christianam administrare recte queant. Proditum est memoriae, hanc ipsam insedisse sententiam Francisco Xaverio, quem negare aiunt solitum, rem christianam constare in India posse firmiter, nisi assidue incumbentibus piis strenuisque sacerdotibus India natis. Eaque ille in re quam acute viderit, facile apparet. Nam apostolicorum virorum operam, qui ex Europa advehuntur, multa praepediunt, maxime vero vernaculi inscientia sermonis, cuius perdifficile est arripere cognitionem; itemque insolentia institutorum atque morum, quibus ne longo quidem tempore assuescitur: ita ut necesse sit, europaeos Clericos illic ut in alieno loco versari. Quapropter cum aegre se multitudo credat peregrinis, perspicuum est, sacerdotum indigenarum longe futuram fru-

[1] Cf. Raccolta di Concordati, p. 1029-1048.
[2] Cf. Leonis XIII Acta, vol. VI, p. 164-179.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI
BIBLIOTHECA

ctuosiorem operam. Explorata enim habent studia, ingenium, mores gentis suae: norunt loquendi, norunt tacendi tempora: denique Indi inter Indos sine suspicione versantur: quod vix attinet dicere quanti sit, maxime in rebus trepidis.

4. Deinde oportet animadvertere, Missionarios peregre advectos multo pauciores esse, quam ut excolendis iis, quae nunc sunt, christianorum communitatibus sufficiant. Id plane eminet ex tabulis Missionum: ex eoque confirmatur quod Missiones Indicae a sacro Consilio christiano nomini propagando alios atque alios Evangelii praecones implorare et flagitare non desinunt. Iamvero si culturae animorum ne in praesens quidem sunt pares sacerdotes externi, quid in posterum, aucto christianorum numero? neque enim spes est fore ut eorum, quos Europa mittit, crescat pro portione copia. Igitur si placet Indorum saluti consulere, nomenque christianum in spem diuturnitatis fundare in illa infinitate regionum, legere ex indigenis opus est, qui muneribus officiisque sacerdotalibus, diligenti praeparatione adhibita, perfungantur.

5. Tertio loco illud non est praetereundum, quod abest quidem a veri similitudine plurimum, sed tamen fieri aliquando posse nemo negaverit: nimirum talia posse in Europa Asiave incidere tempora, ut vi ac necessitate cogantur Indias destituere sacerdotes advenae. Quo facto si Clerus indigena desit, quî posset religio salva consistere, nullo nec administro sacrorum nec magistro disciplinae? Satis aperte hac de re historia loquitur Sinensium, Iaponiorum, Aethiopum. Scilicet plus semel apud Iaponios, apud Sinenses, incumbentibus nomini christiano odiis cladibusque, inimica vis, necatis vel in exilium actis sacerdotibus externis, pepercit nativis: qui linguam moresque patrios apprime docti, et propinquitatibus amicitiisque subnixi, non modo impune manere in patria, sed rem sacram administrare, et officia quae ad regendos animos pertinent, libere exequi in omnibus provinciis potuerunt. Contra in Aethiopia, ubi iam christiani ad biscentum millia numerabantur, cum Clerus indigena nullus esset, caesis vel pulsis Missionariis europaeis, diuturni laboris fructum subitaria insectationis procella funditus sustulit.

6. Denique respicienda antiquitas est, quodque olim salubriter institutum videmus, id religiose servandum. Iamvero in apostolici perfunctione muneris, primum quidem imbuere christianis praeceptionibus multitudinem: mox lectos ex popularibus nonnullos initiare sacris, et ad ipsum episcopatum evehere, fuit in more positum institutoque Apostolorum. Quorum postea secuti exemplum romani Pontifices, in mandatis dare apostolicis viris perpetuo consueverunt, ut ubi christianorum communitas satis ampla coaluisset, ibi Clerum ex indigenis deligere omni ope contenderent. Ut igitur incolumitati et propagationi catholici nominis apud Indos consultum sit, Indos instituere ad sacerdotium oportet, qui videlicet procurare sacra et popularibus suis christianis praeesse, qualiacumque tempora incubuerint commode possint.

7. Hac quidem de caussa, Praefecti Missionum Indicarum, consilio hortatuque Sedis Apostolicae, collegia Clericorum, ubicumque facultas fuit, condidere. Immo vero in Synodis Columbensi, Bangalorensi, Allahabadensi, ineunte anno MDCCCLXXXVII habitis, decretum est, ut Dioeceses singulae suum habeant Clericis indigenis instituendis Seminarium: si qui ex Episcopis suffraganeis suum habere inopia prohibeatur, in metropolitano Clericos dioecesanos alat suis sumptibus. Ista quidem salubriter decreta efficere Episcopi pro viribus nituntur: sed in eorum egregiam voluntatem transversa incurrit angustia rei familiaris, et penuria sacerdotum idoneorum, qui studiis praesint sapienterque regant di ciplinam. Quare vix aut ne vix quidem Seminarium est ullum, in quo institutio alumnorum expleta cumulataque habeatur: idque hoc tempore, cum rerum civilium Gubernatores et Protestantes non exiguo numero nullis parcunt nec impendiis nec laboribus, ut omnis erudiatur subtiliter ac polite iuventus.

8. Illud igitur perspicitur, quam sit opportunum, quam saluti publicae consentaneum, constituere in Indiis Orientalibus Collegia quaedam, ubi iuvenes incolae in spem Ecclesiae adolescentes erudiantur ad omnem elegantiam doctrinae ad easque virtutes, sine quibus nec sancte nec utiliter exerceri sacra munera queunt. Amotis dissensionum caussis per pacta conventa, ordinataque administratione Dioeceseon per Hierarchiam ecclesiasticam, si licuerit Nobis, quod propositum est, institutioni Clericorum apte consulere, quasi fastigium operi videbimur imposuisse. Nam conditis semel, uti diximus, Clericorum seminariis, certa spes esset, sacerdotes magna copia inde extituros, qui pietatis doctrinaeque lumen late funderent, quique in disseminanda Evangelii veritate praecipuas industriae suae partes scienter insumerent. — In opus tam nobile, idemque infinitae mortalium multitudini saluti futurum, dignum est, aliquam Europaeos conferre operam; praesertim quod pares esse magnitudini sumptuum soli non possumus. Christianorum est homines universos, ubicumque degant, in fratrum habere loco, et alienum a caritate sua putare neminem: idque in iis rebus maxime, in quibus proximorum vertitur sempiterna salus. Quamobrem petimus a vobis magnopere, Venerabiles Fratres, ut consilium et conata Nostra re adiuvare, quantum in vobis est, velitis. Date operam ut in comperto sit rei catholicae in tam remotis regionibus conditio: efficite ut vulgo intelligant, conari aliquid pro Indiis oportere: idque maxime sentiant ii, qui posse beneficentia uti, optimum putant pecuniae fructum.

9. Munificam populorum vestrorum voluntatem haud frustra Nos imploravisse, certo scimus. Si maior liberalitas fuerit, quam sumptus in Collegia supra dicta necessarii, quidquid erit ex aere collato reliqui in alia utiliter pieque coepta curabimus erogandum.

10. Caelestium munerum auspicem ac paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XIII, p. 190-197].

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

BIBLIOTHECA

619.

Leo XIII, litt. ap. *Summum semper*, 12 iul. 1893.

Summum semper Nos tenuit studium Ordinis incliti S. Benedicti, qui vitae sanctimonia omnisque humanitatis cultu maximis Ecclesiae et rei publicae temporibus utrique eximio fuit praesidio et ornamento. Quare haud omisimus pro re nata plura huius studii et manantis ex eo sollicitudinis argumenta praebere; certa enim fiducia nitimur praesentes huius Ordinis alumnos, aemulos industriae maiorum suorum in utraque, quam diximus, laude, effecturos ut perinde ille floreat atque ea floruit aetate qua summum attigit solidae gloriae fastigium, *et extendat palmites suos usque ad mare.*[1] Eo spectantibus Nobis, adfuit tempestive operamque contulit adiutricem dilectus Filius Noster Ioseph Benedictus S. R. E. Cardinalis Dusmet, qui desideriis Nostris religiose obsequutus, nuper, arcessentibus Nobis, ad Urbem venit ut primum deponeret lapidem Collegii S. Anselmi in Aventino monte extruendi, et conventui praeesset Abbatum virorumque delegatorum a variis Benedictinorum, quos atratos vocant, familiis. Cuius conventus indicendi ea ratio fuerat, ut collatis consiliis de iis rebus ageretur quae ad communes pertinerent universi Ordinis rationes et utilitates, praesertim vero ut fraterna fieret consociatio, quasi icto foedere, quae Familias omnes, quibus idem Ordo constat, nexu suavi caritatis mutuae contineret. Quum itaque praedicti Abbates ac delegati, pluries congressi in aedibus ad S. Callisti, de rebus propositis considerate et graviter deliberassent, nonnulla de quibus inter eos convenerat scita et placita conscripsere ad commune commodum Ordinis universi. Haec diligenter retulit Nobis idem dilectus Filius Noster Ioseph Benedictus Cardinalis Dusmet, quum Nos adiisset postridie Kalendas Maias hoc anno, postulans ut ea, si placuissent, a Nobis confirmarentur.

Igitur quaesita inspectaque sententia quorumdam S. R. E. Cardinalium, quibus nominatim recognoscendae oblatae scriptionis curam demandavimus, postulationi aequissimae censuimus annuendum, Nostraque auctoritate Apostolica probare et confirmare statuimus scita et placita praedictorum Abbatum et Delegatorum ita conceptis verbis expressa:

« I. Omnes Congregationes Benedictinorum, quos nigros vocant, veram fraternam Confoederationem ineunt, quae tamen Confoederatio nullam Congregationem alteri subiicit.

« Ut autem Confoederatio haec unitatem aliquam habeat, firmis manentibus omnium Benedictinorum, quos diximus, Congregationibus, earumque Constitutionibus vel Declarationibus; propriisque unicuique earum Archiabbate, vel Abbate generali, vel Abbate Praeside, nec non et Procuratore generali ac Visitatoribus servatis; item firmis manentibus iuribus atque privilegiis uniuscuiusque Monasterii, Abbas Primas omnium Congregationum creabitur, qui Romae degat pro negotiis totius Ordinis bonum directe respicientibus.

[1] Psalm. LXXIX, 12.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

« II. Abbas Primas assumatur ex universo corpore Congregationum, nullo facto nationum discrimine, nullaque servata earumdem Congregationum distinctione, sed sola virtutis, idoneitatis et meritorum contemplatione.

« III. Qui, modo quo praemittitur, Abbas Primas constitutus fuerit cum attributis a Sanctissimo Domino Nostro ipsi benigne concedendis, erit insimul Abbas Collegii S. Anselmi de Urbe cum ordinaria iurisdictione, ibique manebit. Ipsum autem Collegium non censeatur pertinere alicui ex dictis Congregationibus, sed familiam habeat ex omnibus Congregationibus conflatam, quam ipse Primas constituere curabit, audito Rectore Collegii. Omnes vero Superiores uniuscuiusque Congregationis morem gerant Primati ad formandam praedictam familiam Collegii, excepto casu specialis necessitatis.

« IV. Primatis Congregationum Benedictinarum et Abbatis S. Anselmi Officium per duodennium duret; ideoque duodecimo quoque anno Praesides omnium Congregationum, et, quoad eius fieri poterit, etiam omnes Abbates regiminis convenient Romam pro novo Primate eligendo, vel pro eodem ad aliud duodennium confirmando, nec non pro negotiis prout supra; nisi eidem Primati videbitur pro gravissima aliqua causa infra duodennium convocare Praesides et Abbates praedictos.

« Quod si vero Primas infra duodennium e vita migraverit, aut alias officium eius de iure et de facto vacare contigerit, regimen Collegii S. Anselmi pro tempore vacationis penes Rectorem eiusdem Collegii erit, qui tamen, nulla mora interiecta, post obitum Primatis de mandato Summi Pontificis convocet omnes Congregationum Praesides et Abbates, prout supra dictum fuit, ad electionem infra sex menses habendam.

« Valide autem in tantum censeatur electus Primas et Abbas S. Anselmi, cui duae tertiae partes votorum in electione suffragaverint. Hac autem prima vice Abbas S. Anselmi et Primas is sit, quem Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, Protector ac Patronus noster benignissimus, ad huius officii onus assumere dignabitur.

« V. Rector Collegii S. Anselmi de voluntate et consensu Abbatis gubernationem et disciplinam eiusdem Collegii tenens probe noverit, ea omnia quae relationes Collegii cum singulis Congregationibus respiciunt, ad Abbatem S. Anselmi, velut Primatem omnium Congregationum spectare. Teneatur vero Rector eidem Abbati omnimodam praestare operam ad idem Collegium fovendum, praesertim ad Professores eligendos, ad rationem studiorum necessitudinibus singularum Congregationum, quoad eius fieri poterit, accommodatam, instituendam, neque rem quamcumque novam alicuius momenti circa vivendi modum, disciplinam monasticam aut studia introducat absque consensu abbatis S. Anselmi ».

Haec itaque scita, statuta, decreta Familiarum Benedictinorum atratorum, universa et singula, uti supra scripta sunt, omni ex parte probamus et confirmamus auctoritate Nostra Apostolica, eaque vim legis obtinere

BIBLIOTHECA

iubemus, quam praedictae familiae omnes perpetuo servare teneantur, non obstantibus constitutionibus, decretis, privilegiis, consuetudine, ceterisque contrariis quibuscumque, licet speciali mentione dignis, quibus ad effectum praesentium perinde derogatum volumus ac si tenor eorum de verbo ad verbum huc esset insertus.

Praeterea cum iuxta statuta et decreta praedicta, quae confirmavimus, confoederationi Familiarum Benedictinorum atratorum praeficiendus sit Abbas Primas qui simul futurus sit Abbas Collegii S. Anselmi de Urbe, hac prima vice, motu proprio et auctoritate Nostra, Primatem, adeoque Abbatem S. Anselmi, eligimus et constituimus dilectum Filium Hildebrandum Hemptinne, Abbatem Maredsoliensem e Congregatione Beuronensi, cuius officium a Nobis collatum tamdiu sit duraturum, quamdiu Nobis et Nostris in hac Sancta Sede successoribus placuerit.

Ceterum per Congregationem Nostram negotiis Episcoporum et Regularium praepositam seorsum definientur enucleate peculiares quae sint partes muneris Abbatis Primatis, quaeque singularia eius iura et officia erga Ordinem universum, ut ea servetur Familiarum omnium coniunctio ad quam eius intendit institutio.

Interim quum simul vetus sapientia doceat res etiam tenues, nedum grandiores, concordia crescere, et divinis celebretur eloquiis *concordia fratrum*, utpote *probata coram Deo et hominibus*,[1] haud immerito fore confidimus ut haec coniunctio partium omnium Ordinis meritissimi non modo ad eius decus et amplitudinem conferat, sed etiam fructuum quos efferet ubertate commodis Ecclesiae et totius humanae societatis, adspirante Deo, benevertat.

[Leonis XIII Acta, vol. XIII, p. 207-212].

620.

Leo XIII, ep. encycl. *Constanti Hungarorum*, 2 sept. 1893.[2]

1. Constanti Hungarorum in hanc Apostolicam Sedem pietati observantiaeque paterna semper Pontificum romanorum benevolentia mutuo cumulateque respondit; Nosque ipsi praecipuae caritatis providentiaeque testimonia nunquam passi sumus a vobis, a gente vestra desiderari. Istiusmodi vero animum Nostrum singulari quadam ratione patefecimus, cum septem ante annos maximi faustissimique eventus memoriam Hungaria celebravit. Hanc siquidem opportunitatem nacti, epistolam ad vos dedimus,[3] Venerabiles Fratres, in eaque tum avitam Hungarorum fidem, virtutes et clare facta commemoravimus, tum etiam consilia vobiscum de rebus communicavimus, quae ad gentis istius salutem et prosperitatem,

[1] Eccli., XXV, 1, 2.
[2] Ad Episcopos Hungariae.
[3] Cf. N. 594.

per haec tam infensa catholico nomini tempora, pertinere viderentur. Eadem vero causa idemque propositum Nos modo impellunt ut iterum ad vos perscribamus. — Sane in eo genere rerum, quae omnium animos istic postremo hoc tempore permoverunt, Apostolici officii Nostri ratio postulat, ut vos clerumque vestrum ad animorum constantiam, ad concordiam, ad alacritatem in erudiendis monendisque opportune populis curae vestrae concreditis enixius cohortemur. — Sed alia praeterea sunt apud vos, quae novam sollicitudinis causam Nobis afferunt: pericula intelligimus, quae religioni graviora quotidie impendent. — Haec enimvero, uti praecipuas curas cogitationesque Nostras ad se convertunt, ita maxime operam vestram, Venerabiles Fratres, vehementius efflagitant; eamque valde confidimus consiliis expectationique Nostrae parem omnino futuram.

2. Quod generatim ad officia catholicorum attinet, tam acri praesertim insidiosaque institutorum christianorum oppugnatione, maiorem in modum oportet ut universi serio naviterque perpendant quanti referat in omni temporum rerumque varietate salvam incolumemque esse in civitate religionem, itemque quantopere intersit perfectam stabilemque hac in re animorum consensionem retineri. Causa nimirum agitur de summo maximoque omnium bonorum, quae est sempiterna hominum salus, neque minus de iis ipsis conservandis tuendisque rebus, quae in civili societate vel ad quietem vel ad veri nominis felicitatem impense expetuntur. — Ita plane excelsi illi viri, gratissimaque omnis posteritatis memoria digni, sensere, qui in eximium fortitudinis animi exemplum ubique gentium, quavis aetate, mirifice eluxerunt, seseque velut murum pro domo Dei impertierunt; non sua omnia solum, sed et vitam ipsam, religionis Ecclesiaeque causa, parati profundere. — In quo pariter habet Hungaria vestra domestica exempla, eaque, longo aetatum decursu, et multa et praeclara. Quin immo quod ipsa in catholica fide a Stephano rege et Apostolo suo accepta, fideliter constanterque permanserit, in hoc sane, praeter singulare Dei beneficium, agnoscendus est fructus firmissimi perpetuique gentis istius propositi; quod nempe mature intellexerit, quum de religione ageretur, de gloria nominis, de ipsa incolumitate generis sui causam agi. Mirum vero quam generosas et insignes istiusmodi animorum affectio virtutes aluerit: quarum ope vel in summis temporum difficultatibus magnitudini periculorum non dissimilem Hungari fortitudinis constantiaeque magnitudinem opposuerunt. Earum sane praesidio virtutum, quum iteratas Tartarorum incursiones, tum etiam diuturnos immanesque Mahumedanorum impetus invicti refutarunt: digni sane qui in hoc tam periculoso certamine ab exteris etiam gentibus, a principibus summis, maxime a romanis Pontificibus, omni adiuvarentur subsidio; neque enim de fide tantummodo imperioque Hungarorum, sed de ipsa religione catholica, de Occidentis salute dimicabatur. — Simili ratione recentiorum saeculorum procellas quae, tam graves apud finitimas gentes edidere ruinas, etsi earum violentiam ipsa quoque sensit Hungaria, iacturasque fecit non sane leves, sospes tamen effugit; effugietque in posterum, si modo suus religioni stet honos, omnesque pernoscant quae sua cuiusque sint quotidiana officia, eaque diligentissime colant.

3. Atque ut ad ea veniamus, quae propositum Nostrum propius attingunt, haud mediocri profecto animi dolore perspeximus, praeter ea quae in Hungariae legibus, uti alias conquesti sumus, « cum Ecclesiae iuribus discrepant et eius facultatem agendi minuunt ac professioni catholici nominis officiunt », [1] et alia fuisse postremis hisce annis vel publica auctoritate decreta vel acta, haud minus sane Ecclesiae ipsi reique catholicae perniciosa: eo autem qui nunc est communium rerum vestrarum cursu, valde pertimescendum, ne longe graviora eveniant religioni damna. — Iam vero, quod nominatim pertinet ad ea rerum capita, quae ferventius apud vos proximo hoc tempore agitata sunt, vestrum est, Venerabiles Fratres, studiose concorditerque dare operam, ut omnes tum sacerdotes tum laici apprime agnoscant quid sibi liceat et a quo cavere debeant, ne contra naturalis divinaeque legis offendant praescripta. Et quoniam plerique vestrum de iis ipsis rebus animarum curatores iusserunt Apostolicae Sedis iudicium, a vobismetipsis perrogatum, expectare, vestrum iam erit, Venerabiles Fratres, eosdem sacrorum administros sedulo admonere ut religioni habeant ne minimum quidem ab iis discedere quae Apostolica Sedes vel statuerit vel praeceperit: quod autem sacerdotibus non liceat, planum est ne laicis quidem hominibus illud licere. — Ceterum ad prohibendam plurimorum malorum vim, permagni ponderis est, ut animarum curatores nunquam desistant multitudinem commonere, ut ab ineundis cum alienis a catholico nomine coniugiis, quantum fieri possit, abstineant. Probe intelligant fideles, notatumque animis habeant, ab eiusmodi coniugiis, quae semper Ecclesia detestata est, ex eo maxime esse abhorrendum, uti Nos ipso alio loco ediximus, [2] « quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum; periculum religioni creant coniugis catholici; impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine ».

4. Sed avitae Hungarorum religioni maiora impendent, uti monuimus, damna. Quotquot istic sunt inimici catholici nominis non dissimulant profecto quid velint: nimirum, armis omnibus ad nocendum aptioribus, illud assequi ut Ecclesia resque catholica in deteriorem quotidie conditionem compellantur. Vos itaque, Venerabiles Fratres, vehementius quam unquam alias hortamur, nulli ut labori parcatis, quo tantum periculum a grege vobis commisso, a patria vestra propulsetis. — Illud imprimis curate atque efficite ut universi, exemplo et auctoritate vestra confirmati, religionis causam fortes et animosi suscipiant, firmiter tueantur. Profecto, haud raro accidit, neque enim reticebimus id quod est, ut nonnulli inter catholicos, quo tempore maxime deberent virtute constantiaque summa eniti in tuendis vindicandisque Ecclesiae iuribus, specie quadam humanae prudentiae ducti, vel in diversa abeant, vel nimis in actione timidos remissosque se praebeant. Atqui facile perspicitur, istiusmodi agendi rationem periculis sane gravissimis adi-

[1] Epist. Encycl. ad Episcopos Hung. die XXII aug. MDCCCLXXXVI. – Cf. N. 594.
[2] Litt. Encycl. *De matrimonio christiano*, an. MDCCCLXXX. – Cf. N. 580.

tum patefacere, praesertim si de iis agatur qui vel auctoritate polleant vel in opinionibus multitudinis plurimum possint. Praeter enim quam quod officium deseritur iustum ac debitum, haud levis plerumque offensionis affertur causa, et via intercluditur ad eam obtinendam servandamque concordiam, quae facit ut omnes idem sentiant, idem suo facto comprobent. Qua sane re, catholicorum scilicet vel desidia vel dissensione, nihil potest inimicis catholici nominis optatius contingere: haec nempe illuc, quo proclive est, crebrius evadunt, ut inimicis ipsis liberum expeditumque ad peiora audenda locum relinquant. Oportet sane omnibus in rebus consilii prudentiam temperantiamque habere comites; Ecclesia ipsa vult in defensione veritatis consultam adhiberi agendi rationem: nihil tamen a germanae prudentiae legibus tam alienum, quam committere ut religio impune vexetur, populi salus in discrimen adducatur.

5. Cum vero ad firmandam concordiam, eaque ac ad actuosam catholicorum hominum solertiam excitandam, mire efficacem salutaremque vim habeant, uti experiendo patet, annui eorumdem conventus, in quibus de re catholica, de piorum operum omnis generis incremento, Episcoporum ductu atque auspiciis, communia consilia conferuntur; ideo vehementer optamus ut ea naviter perficiantur, quae vosmet non multo ante, hac super re, opportune providisse cognovimus. Neque enim dubitamus, conventus eiusmodi, qui ut aliis quoque in locis haberentur valde Nos auctores fuimus, rationibus vestris magnopere profuturos. — In eo etiam sedulo vos prospicere decet, ut in legumlatorum coetus ii viri spectatae religionis probataeque virtutis cooptentur, qui animum gerant tenacem propositi, videlicet ad Ecclesiae reique catholicae iura vindicanda promptum semper atque alacrem. — Videtis praeterea, Venerabiles Fratres, tum ephemeridum tum librorum ope, in id acriter incumbere qui ab Ecclesia dissident, ut errorum perversarumque opinionum venena late spargant in vulgus, mores bonos corrumpant, atque ab actione vitae christianae multitudinem abducant. Intelligant igitur homines vestri, tempus iam esse conari aliquid maius in hoc genere, omnique ratione efficere ut scripta scriptis opponantur, quae magnitudini certaminis paria existant, atque idonea malis remedia suppeditent.

6. Maxime vero, Venerabiles Fratres, studia vestra in puerorum atque adolescentium institutione fixa et locata esse volumus. Mens Nobis non est ea iterare, quae iam in iisdem ad vos litteris, initio commemoratis, exposuimus: facere tamen non possumus quin nonnulla, quae gravioris momenti sunt, breviter attingamus. — De primordiorum scholis, instandum urgendumque est, Venerabiles Fratres, ut curiones ceterique animarum curatores summo in eas studio continenter evigilent, maximasque ponant officii sui partes in alumnis sacra doctrina erudiendis. Tale vero munus, nobile atque grave, ne alienae procurationi permittant, sed ipsi sibi assumant habeantque carissimum, cum certum sit a sana piaque puerilis aetatis institutione, non familiarum solum, sed rei ipsius publicae incolumitatem magnam partem pendere. Neque industriam solertiamque putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior ut scholae eiusmodi laeta quotidie incre-

menta capiant. Illud valde opportunum fuerit, in unaquaque Dioecesi *Inspectores* scholarum et *dioecesanum* et *decanales* constitui, quibuscum quotannis Episcopi de scholarum statu et conditione, immo et de ceteris rebus ad fidem, ad mores, ad animarum curam pertinentibus, consilia conferant. Quod si necesse sit ut vel novae instituantur, pro locorum ratione, scholae, vel ut iam conditae amplificentur, minime dubitamus quin vestra, Venerabiles Fratres, multi iam explorata argumentis, itemque catholicorum hominum ex omni ordine liberalitas prompta sit et generosa adfutura.

7. De mediis vero, ut aiunt, deque maiorum disciplinarum scholis, perstudiose cavendum ne bona illa velut semina in animos puerorum infusa, misere in adolescentibus pereant. Quantum igitur vel agendo vel rogando potestis, tantum contendite, Venerabiles Fratres, ut eiusmodi pericula vel amoveantur vel minuantur: imprimisque pastoralis solertia vestra in eo valeat, ut praelectionibus de religione tradendis probi deligantur doctique viri, utque eae removeantur causae, quae salutarem atque uberem earumdem fructum nimis saepe impediunt. — Ceterum, etsi Nobis bene cognitae sunt probataeque curae a vobismetipsis collatae ut istae studiorum optimorum sedes, quae ex auctorum mente in Ecclesiae atque Episcoporum potestate esse debent, tales perseverent, quales ab ipsis constitutae, maiorem tamen in modum vos hortamur, ut omni oblata opportunitate in idipsum pergatis communi consilio, uti vestrum ius est et officium, incumbere. Quod enim dissentientibus a catholico nomine concessum est, aequitati pariter iustitiaeque repugnat id catholicis denegari: publice autem refert, ut quae a maioribus tam pie sapienterque instituta sunt, non in Ecclesiae fideique catholicae detrimentum, sed in utriusque tutelam ac praesidium, atque adeo in ipsius rei publicae bonum, perpetuo adhibeantur.

8. Hoc denique officii Nostri ratio exposcit, ut ea vobis impensissime commendemus, quae de adolescentibus clericis, de presbyteris in eis ipsis litteris habuimus commendata. — Profecto si vestrum est, Venerabiles Fratres, plurimum consilii atque operae in recte instituenda omni iuventute ponere, multo vos magis in iis elaborare necesse est, qui in Ecclesiae spem adolescunt, ut nempe et sacerdotii honore digni sint et muneribus eius rite obeundis aptam pro temporibus virtutem praeseferant. In quo quum praecipuas vigilantiae vestrae partes iure sibi vindicent sacra Seminaria, alacriore in dies studio contendite ut optimis ea institutis floreant, abundentque adiumentis iis omnibus quae necessaria sunt; ita sane, ut delectorum moderatorum disciplina, ad mores, ad virtutes sui ordinis proprias, atque ad decus omne doctrinae, vel divinae vel humanae, sacrorum alumni mature optimeque excolantur.

9. Quod vero ad fructuosam Cleri vestri actionem pertinet, hoc huius maxime est temporis, ut vestra, Venerabiles Fratres, sive in eo dirigendo concordia, sive in hortando monendoque solertia et caritas, sive in tuenda ecclesiastica disciplina firmitas officii eluceat singularis. — Vicissim quotquot sunt ex ordine cleri necesse est ut Episcopis suis summa cum fide adhaerescant, eorum excipiant monita, consilia et coepta adiuvent; in perfunctione autem munerum sacrorum, in laboribus pro salute hominum

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

sempiterna suscipiendis promptos semper alacresque, caritate duce, sese impertiant. — Cum vero in omnes partes plurimum possint sacerdotum exempla, imprimis studeant, semetipsos vivam virtutis et continentiae formam oculis christiani populi constanter exhibere. Caute vero videant, ne civilium vel politicarum rerum studiis plus nimio se dedant; illudque saepe Pauli Apostoli meminerint: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus: ut ei placeat, cui se probavit.*[1] Certe, exteriorum providentiam, monente S. Gregorio Magno, in internorum sollicitudine rectum est non relinquere: nominatimque quum de religione tuenda aut de communi bono provehendo agitur, non sunt profecto ea negligenda praesidia atque adiumenta quae tempus vel locus afferat. Summa tamen prudentia vigilantiaque opus est, ne scilicet gravitatem modumque transiliant sacri ordinis viri, et minus ipsi caelestia quam humana curare videantur. Aptissime idem Gregorius M.: « Saecularia itaque negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam vero ex amore requirenda: ne cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de caelestibus mergant ».[2] — Illud etiam volumus, excitari a vobis qui curiis praesunt, ut ecclesiarum suarum *peculium* religiose custodiant diligentissimeque administrent: si qua vero et hoc in genere minus recta insederint, vos item aptam curationem pro munere admovete. — Praeterea valde opportunum censemus, studiosam a Clero conferri curam, ut quae istic sunt Sodalitates seu Confraternitates laicae in pristinum decus revirescant. Nempe de ea re agitur, quae non minus earumdem Sodalitatum, quam publicum spectet religionis bonum. Ut enim cetera omittamus, plurimum sane adiumenti vobis cleroque vestro talia Sodalitia afferre possunt quum in excolendo ad pietatem, ad christianam vitam populo, tum etiam in firmanda salutari illa, quam tantopere expetimus, animorum voluntatumque consensione.

10. Demum de iis omnibus, quae vel ad religionis fideique avitae tutelam, vel ad institutorum catholici nominis incrementum, vel etiam ad Cleri utriusque disciplinam pertinent, optimum sane saluberrimumque fore arbitramur, Venerabiles Fratres, si consilia identidem inter vos conferre consueveritis, ea communi iudicio decreturi, quae vel necessaria vel magis opportuna dignoveritis.

11. Futurum confidimus ut universi ex Hungaria catholici homines, tam plena periculi rerum suarum inclinatione perspecta, atque in his omnibus, quae diximus, paternae Nostrae sollicitudinis studiosissimaeque erga ipso voluntatis testimonium recognoscentes, animum viresque sumant; omnique, uti par est, religione consiliis monitisque Nostris obtemperent. Vobis autem, Venerabiles Fratres, itemque clero populoque catholico, una velut mente unoque animo pro religione strenue adlaborantibus, aderit propitius Deus, maximeque felicem coeptis vestris virtutem impertiet. Nen deerit profecto in causa sanctissima iustissimaque summi Principis

[1] II Tim., II, 4.
[2] Reg. pastor., p. II, c. VIII.

BIBLIOTHECA

benevolum ac propensum studium, Apostolici inquimus Regis vestri, cuius vel ab initiis principatus sui late perspecta sunt in gentem vestram promerita.

12. Quo autem omnia secundum vota ac prospere cedant, magnas ad Deum preces et ipsi Nobiscum adhibete Venerabiles Fratres: potissime patrocinium interponite augustae Dei Genitricis; tum etiam implorate fidem sancti Stephani Apostoli vestri, ut e caelo Hungariam suam benignus respiciat, in eaque divinae beneficia religionis sancte inviolateque conservet. — Caelestium vero munerum auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, clero populoque vestro universo, peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XIII, p. 268-280].

621.

Leo XIII, litt. encycl. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893.

1. Providentissimus Deus, qui humanum genus, admirabili caritatis consilio, ad consortium naturae divinae principio evexit, dein a communi labe exitioque eductum, in pristinam dignitatem restituit, hoc eidem propterea contulit singulare praesidium, ut arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefaceret. Licet enim in divina revelatione res quoque comprehendantur quae humanae rationi inaccessae non sunt, ideo hominibus revelatae, *ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint, non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem.* [1] Quae *supernaturalis revelatio*, secundum universalis Ecclesiae fidem, continetur tum *in sine scripto traditionibus*, tum etiam *in libris scriptis*, qui appellantur sacri et canonici, eo quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.* [2] Hoc sane de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia: eaque cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum, prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse, quae canonica nominatur, [3] eamdemque esse oracula et eloquia divina, [4] litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas. [5] Iam, tanta quum sit praestantia et dignitas Scripturarum, ut Deo ipso auctore confectae, altissima eiusdem mysteria, consilia, opera complectantur, illud consequitur, eam quoque

[1] Conc. Vat., sess. III, cap., II, *De revel.*
[2] Ibid.
[3] S. Aug., *De civ. Dei*, XI, 3.
[4] S. Clem. Rom., *I ad Cor.*, 45; S. Polycarp., *ad Phil.*, 7; S. Iren., *C. haer.*, II, 28, 2.
[5] S. Chrys. *in Gen.*, hom. 2, 2; S. Aug. in Ps. XXX, serm. 2; I; S. Greg. M., *ad Theod.*, ep. IV, 31.

partem sacrae theologiae, quae in eisdem divinis Libris tuendis interpretandisque versatur, excellentiae et utilitatis esse quam maximae. — Nos igitur, quemadmodum alia quaedam disciplinarum genera, quippe quae ad incrementa divinae gloriae humanaeque salutis valere plurimum posse viderentur, crebris epistolis et cohortationibus provehenda, non sine fructu, Deo adiutore, curavimus, ita nobilissimum hoc sacrarum Litterarum studium excitare et commendare, atque etiam ad temporum necessitates congruentius dirigere iamdiu apud Nos cogitamus. Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine Apostolici muneris, non modo ut hunc praeclarum catholicae revelationis fontem tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam ut eumdem ne patiamur ulla in parte violari, ab iis qui in Scripturam sanctam, sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterve moliuntur. — Non sumus equidem nescii, Venerabiles Fratres, haud paucos esse e catholicis, viros ingenio doctrinisque abundantes, qui ferantur alacres ad divinorum Librorum vel defensionem agendam vel cognitionem et intelligentiam parandam ampliorem. At vero, qui eorum operam atque fructus merito collaudamus, facere tamen non possumus quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas optime hac in re pollicentur, ad eamdem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant.

2. Hoc enimvero studium cur tantopere commendandum videatur, praeter ipsius praestantiam atque obsequium verbo Dei debitum, praecipua causa inest in multiplici utilitatum genere, quas inde novimus manaturas, sponsore certissimo Spiritu Sancto: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* [1] Tali sane consilio Scripturas a Deo esse datas hominibus, exempla ostendunt Christi Domini et Apostolorum. Ipse enim qui « miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem », [2] ad sacras Litteras, in divinae suae legationis munere, appellare consuevit: nam per occasionem ex ipsis etiam sese a Deo missum Deumque declarat; ex ipsis argumenta petit ad discipulos erudiendos, ad doctrinam confirmandam suam: earumdem testimonia et a calumniis vindicat obtrectantium, et Sadducaeis ac Pharisaeis ad coarguendum opponit, in ipsumque Satanam, impudentius sollicitatem, retorquet; easdemque sub ipsum vitae exitum usurpavit, explanavitque discipulis redivivus, usque dum ad Patris gloriam ascendit. — Eius autem voce praeceptisque Apostoli conformati, tametsi dabat ipse *signa et prodigia fieri per manus eorum*, [3] magnam tamen efficacitatem ex divinis

[1] II Tim., III, 16, 17.
[2] S. Aug., *De util. cred.*, XIV, 32.
[3] Act., XIV, 3.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI
BIBLIOTHECA

traxerunt Libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut Iudaeorum pervicaciam frangerent, ut haereses comprimerent erumpentes. Id apertum ex ipsorum concionibus, in primis Beati Petri, quas, in argumentum firmissimum praescriptionis novae, dictis veteris Testamenti fere contexuerunt; idque ipsum patet ex Matthaei et Ioannis Evangeliis atque ex Catholicis, quae vocantur, epistolis; luculentissime vero ex eius testimonio qui « ad pedes Gamalielis Legem Moysi et Prophetas se didicisse gloriatur, ut armatus spiritualibus telis postea diceret confidenter: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Dei* ». [1] — Per exempla igitur Christi Domini et Apostolorum omnes intelligant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint divinae Litterae, et quo ipsi studio qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant. Nam catholicae veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam, nulla uspiam de Deo, summo et perfectissimo bono, deque operibus gloriam caritatemque ipsius prodentibus, suppetet eis vel cumulatior copia vel amplior praedicatio. De Servatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea, quae in universo habentur Bibliorum contextu; recteque affirmavit Hieronymus, « ignorationem Scripturarum esse ignorationem Christi »: [2] ab illis nimirum extat, veluti viva et spirans, imago eius, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur. Ad Ecclesiam vero quod attinet, institutio, natura, munera, charismata eius tam crebra ibidem mentione occurrunt, tam multa pro ea tamque firma prompta sunt argumenta, idem ut Hieronymus verissime edixerit: « Qui sacrarum Scripturarum testimoniis roboratus est, is est propugnaculum Ecclesiae ». [3] Quod si de vitae morumque conformatione et disciplina quaeratur, larga indidem et optima subsidia habituri sunt viri apostolici: plena sanctitatis praescripta, suavitate et vi condita hortamenta, exempla in omni virtutum genere insignia; gravissima accedit, ipsius Dei nomine et verbis, praemiorum in aeternitatem promissio, denunciatio poenarum.

3. Atque haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille, *non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa.* [4] Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei, [5] eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et*

[1] S. Hier., *De studio Script.* ad Paulin., ep. LIII, 3.
[2] In Is., Prol.
[3] In Is., LIV, 12.
[4] I Thess., I, 5.
[5] Ierem., XXIII, 29.

penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus. [1] Quamquam, hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam: id quod Augustinus pervidit diserteque arguit, [2] atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo affirmarunt.

4. Quae omnia Ss. Patres cognitione et usu quum exploratissima haberent, nunquam cessarunt in divinis Litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum caelestium, [3] vel perennes fontes salutis, [4] vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur. [5] Apte cadunt illa S. Hieronymi ad Nepotianum clericum: « Divinas Scripturas saepius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas... sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit »; [6] convenitque sententia S. Gregorii Magni, quo nemo sapientius pastorum Ecclesiae descripsit munera: « Necesse est, inquit, ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant. [7] — Hic tamen libet Augustinum admonentem inducere, « Verbi Dei inanem esse forinsecus praedicatorem, qui non sit intus auditor », [7] eumque ipsum Gregorium sacris concionatoribus praecipientem, « ut in divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se deserant ». [9] Sed hoc iam, ab exemplo et documento Christi, qui *coepit facere et docere*, vox apostolica late praemonuerat, non unum Timotheum, sed omnem clericorum ordinem, eo mandato: *Attende tibi et doctrinae, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.* [10] Salutis profecto perfectionisque et propriae et alienae eximia in sacris Litteris praesto sunt adiumenta, copiosius in Psalmis celebrata; iis tamen, qui ad divina eloquia, non solum mentem afferant docilem atque attentam, sed integrae quoque piaeque habitum voluntatis. Neque enim eorum ratio librorum similis atque communium putanda est; sed, quoniam sunt ab ipso Spiritu Sancto dictati, resque gravissimas continent multisque partibus reconditas et difficiliores, ad illas propterea intelligendas exponendasque semper eiusdem Spiritus « indigemus adventus», [11] hoc est lumine et gratia eius: quae sane, ut divini Psaltae

[1] Hebr., IV, 12.
[2] De doctr. chr., IV, 6, 7.
[3] S. Chrys. *in Gen.*, hom. 21, 2; hom. 60, 3; S. Aug., *De discipl. chr.*, 2.
[4] S. Athan., ep. fest. 39.
[5] S. Aug., serm. 26, 24; S. Ambr., *in Ps. CXVIII*, serm. 19, 2.
[6] S. Hier., *De vit. cleric.* ad Nepot.
[7] S. Greg. M., *Regul. past. II*, 11 (al. 22); *Moral.*, XVIII, 26 (al. 14).
[8] S. Aug., Serm. 179, 1.
[9] S. Greg. M., *Regul. past. III*, 24 (al. 48).
[10] I Tim., IV, 16.
[11] S. Hier., *in Mich.*, 1, 10.

fraquenter instat auctoritas, humili sunt precatione imploranda, sanctimonia vitae custodienda.

5. Praeclare igitur ex his providentia excellit Ecclesiae, quae, *ne caelestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret,* [1] optimis semper et institutis et legibus cavit. Ipsa enim constituit, non solum magnam eorum partem ab omnibus suis ministris in quotidiano sacrae psalmodiae officio legendam esse et mente pia considerandam, sed eorumdem expositionem et interpretationem in ecclesiis cathedralibus, in monasteriis, in conventibus aliorum regularium in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros esse tradendam; diebus autem saltem dominicis et festis solemnibus fideles salutaribus Evangelii verbis pasci, restricte iussit. [2] Item prudentiae debetur diligentiaeque Ecclesiae cultus ille Scripturae sacrae per aetatem omnem vividus et plurimae ferax utilitatis. — In quo, etiam ad firmanda documenta hortationesque Nostras, iuvat commemorare quemadmodum a religionis christianae initiis, quotquot sanctitate vitae rerumque divinarum scientia floruerunt, ii sacris in Litteris multi semper assiduique fuerint. Proximos Apostolorum discipulos, in quibus Clementem Romanum, Ignatium Antiochenum, Polycarpum, tum Apologetas, nominatim Iustinum et Irenaeum, videmus epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent catholicorum dogmatum, e divinis maxime Litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessere. Scholis autem catecheticis ac theologicis in multis sedibus episcoporum exortis, Alexandrina et Antiochena celeberrimis, quae in eis habebatur institutio, non alia prope re, nisi lectione, explicatione, defensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter saecula ita abundarunt, ut aetas biblicae exegeseos aurea iure ea sit appellata. — Inter orientales principem locum tenet Origenes, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cuius ex plurimis scriptis et immenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt. Adnumerandi plures, qui huius disciplinae fines amplificarunt: ita, inter excellentiores tulit Alexandria Clementem, Cyrillum; Palaestina Eusebium, Cyrillum alterum: Cappadocia Basilium Magnum, utrumque Gregorium, Nazianzenum et Nyssenum; Antiochia Ioannem illum Chrysostomum, in quo huius peritia doctrinae cum summa eloquentia certavit. Neque id praeclare minus apud occidentales. In multis qui se admodum probavere, clara Tertulliani et Cypriani nomina, Hilarii et Ambrosii, Leonis et Gregorii Magnorum; clarissima Augustini et Hieronymi: quorum alter mire acutus extitit in perspicienda divini verbi sententia, uberrimusque in ea deducenda ad auxilia catholicae veritatis, alter a singulari Bibliorum scientia magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris maximi praeconio Ecclesiae est honestatus. — Ex eo tempore ad undecimum usque saeculum, quamquam huiusmodi contentio studiorum non pari atque antea

[1] Conc. Trid., sess. V, decret. *De ref.*, 1.
[2] Ibid., 1, 2.

ardore ac fructu viguit, viguit tamen, opera praesertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim, aut quae veteres in hac re fructuosiora reliquissent deligere, eaque apte digesta de suisque aucta pervulgare, ut ab Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino factum est in primis; aut sacros codices illustrare glossis, ut Valafridus Strabo et Anselmus Laudunensis, aut eorumdem integritati novis curis consulere, ut Petrus Damianus et Lanfrancus fecerunt. — Saeculo autem duodecimo allegoricam Scripturae enarrationem bona cum laude plerique tractarunt: in eo genere S. Bernardus ceteris facile antecessit, cuius etiam sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt. — Sed nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere *Scholasticorum*. Qui, etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis *Correctoria biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanat one collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti; cuiusque pondus in re theologica perpensum; definitae librorum partes, argumenta partium; investigata scriptorum proposita; explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio: quibus ex rebus nemo unus non videt quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de theologia libri, tum in easdem commentaria; quo etiam nomine Thomas Aquinas inter eos habuit palmam. — Postquam vero Clemens V decessor Noster Athenaeum in Urbe et celeberrimas quasque studiorum Universitates litterarum orientalium magisteriis auxit, exquisitius homines nostri in nativo Bibliorum codice et in exemplari latino elaborare coeperunt. Revecta deinde ad nos eruditione Graecorum, multoque magis arte nova libraria feliciter inventa, cultus Scripturae sanctae latissime accrevit. Mirandum est enim quam brevi aetatis spat o multiplicata praelo sacra exemplaria, *vulgata* praecipue, catholicum orbem quasi compleverint: adeo per id ipsum tempus, contra quam Ecclesiae hostes calumniantur, in honore et amore erant divina volumina. — Neque praetereundum est, quantus doctorum virorum numerus, maxime ex religiosis familiis, a Viennensi Concilio ad Tridentinum, in rei biblicae bonum provenerit: qui et novis usi subsidiis et variae eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas maiorum opes, sed quasi munierunt viam ad praestantiam subsecuti saeculi, quod ab eodem Tridentino effluxit, quum nobilissima Patrum aetas propemodum rediisse visa est. Nec enim quisquam ignorat, Nobisque est memoratu iucundum, decessores Nostros, a Pio IV ad Clementem VIII, auctores fuisse ut insignes illae editiones adornarentur versionum veterum, Vulgatae et Alexandrinae; quae deinde, Sixti V eiusdemque Clementis iussu et auctoritate, emissae, in communi usu versantur. Per eadem autem tempora, notum est, quum versiones alias Bibliorum antiquas, tum polyglottas Antuerpiensem et Parisiensem, diligentissime esse editas, sincerae investigandae sententiae peraptas: nec ullum esse utriusque Testamenti librum, qui non plus uno nactus sit bonum explanatorem, neque graviorem ullam de iisdem rebus quaestionem, quae non multorum ingenia fecundissime exercuerit: quos inter non pauci, iique stu-

diosiores Ss. Patrum, nomen sibi fecere eximium. Neque, ex illa demum aetate, desiderata est nostrorum sollertia: quum clari subinde viri de iisdem studiis bene sint meriti, sacrasque Litteras contra *rationalismi* commenta, ex philologia et finitimis disciplinis detorta, simili argumentorum genere vindicarint. — Haec omnia qui probe ut oportet considerent, dabunt profecto, Ecclesiam, nec ullo unquam providentiae modo defuisse, quo divinae Scripturae fontes in filios suos salutariter derivaret, atque illud praesidium, in quo divinitus ad eiusdem tutelam decusque locata est, retinuisse perpetuo omnique studiorum ope exornasse, ut nullis externorum hominum incitamentis eguerit, egeat.

6. Iam postulat a Nobis instituti consilii ratio, ut quae his de studiis recte ordinandis videantur optima, ea vobiscum communicemus, Venerabiles Fratres. Sed principio quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel artibus vel armis confidant, interest utique hoc loco recognoscere. — Scilicet, ut antea cum iis praecipue res fuit qui privato iudicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis, Scripturam statuerant unicum revelationis fontem supremumque iudicem fidei; ita nunc est cum Rationalistis, qui eorum quasi filii et heredes, item sententia innixi sua, vel has ipsas a patribus acceptas christianae fidei reliquias prorsus abiecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam sacram, omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta: illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea, non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones; ea, non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mythos quosdam: evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuenda. — Huiusmodi portenta errorum, quibus sacrosanctam divinorum Librorum veritatem putant convelli, tamquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam *scientiae liberae*, obtrudunt: quae tamen adeo incerta ipsimet habent, ut eisdem in rebus crebrius immutent et suppleant. Quum vero tam impie de Deo, de Christo, de Evangelio et reliqua Scriptura sentiant et praedicent, non desunt ex iis qui theologi et christiani et evangelici haberi velint, et honestissimo nomine obtendant insolentis ingenii temeritatem. His addunt sese consiliorum participes adiutoresque e ceteris disciplinis non pauci, quos eadem revelatarum rerum intolerantia ad oppugnationem Bibliorum similiter trahit. Satis autem deplorare non possumus, quam latius in dies acriusque haec oppugnatio geratur. Geritur in eruditos et graves homines, quamquam illi non ita difficulter sibi possunt cavere; at maxime contra indoctorum vulgus omni consilio et arte infensi hostes nituntur. Libris, libellis, diariis exitiale virus infundunt; id concionibus, id sermonibus insinuant; omnia iam pervasere, et multas tenent, abstractas ab Ecclesiae tutela, adolescentium scholas, ubi credulas mollesque mentes ad contemptionem Scripturae, per ludibrium etiam et scurriles iocos, depravant misere. — Ista sunt, Venerabiles Fratres, quae commune pastorale studium permoveant, incendant; ita ut huic

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

novae *falsi nominis scientiae* [1] antiqua illa et vera opponatur, quam a Christo per Apostolos accepit Ecclesia, atque in dimicatione tanta idonei defensores Scripturae exurgant.

7. Itaque ea prima sit cura, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent. Cuius rei causa, nihil profecto debet esse antiquius magistrorum delectione prudenti: ad hoc enim munus non homines quidem de multis, sed tales assumi oportet, quos magnus amor et diuturna consuetudo Bibliorum, atque opportunus doctrinae ornatus commendabiles faciat, pares officio. Neque minus prospiciendum mature est, horum postea locum qui sint excepturi. Iuverit idcirco, ubi commodum sit, ex alumnis optimae spei, theologiae spatium laudate emensis, nonnullos divinis Libris totos addici, facta eisdem plenioris cuiusdam studii aliquandiu facultate. Ita delecti institutique doctores, commissum munus adeant fidenter: in quo ut versentur optime et consentaneos fructus educant, aliqua ipsis documenta paulo explicatius impertire placet. — Ergo ingeniis tironum in ipso studii limine sic prospiciant, ut iudicium in eis, aptum pariter Libris divinis tuendis atque arripiendae ex ipsis sententiae, conforment sedulo et excolant. Huc pertinet tractatus de *introductione*, ut loquuntur, *biblica*, ex quo alumnus commodam habet opem ad integritatem auctoritatemque Bibliorum convincendam, ad legitimum in illis sensum investigandum et assequendum, ad occupanda captiosa et radicitus evellenda. Quae quanti momenti sit disposite scienterque, comite et adiutrice theologia, esse initio disputata, vix attinet dicere, quum tota continenter tractatio Scripturae reliqua hisce vel fundamentis nitatur vel luminibus clarescat. — Exinde in fructuosiorem huius doctrinae partem, quae de interpretatione est, perstudiose incumbet praeceptoris opera; unde sit auditoribus, quo dein modo divini verbi divitias in profectum religionis et pietatis convertant. Intelligimus equidem, enarrari in scholis Scripturas omnes, nec per amplitudinem rei, nec per tempus licere. Verumtamen, quoniam certa opus est via interpretationis utiliter expediendae, utrumque magister prudens devitet incommodum, vel eorum qui e singulis libris cursim delibandum praebent, vel eorum qui in certa unius parte immoderatius consistunt. Si enim in plerisque scholis adeo non poterit obtineri, quod in Academiis maioribus, ut unus aut alter liber continuatione quadam et ubertate exponatur, at magnopere efficiendum est, ut librorum partes ad interpretandum selectae tractationem habeant convenienter plenam: quo veluti specimine allecti discipuli et edocti, cetera ipsi perlegant adamentque in omni vita. Is porro, retinens instituta maiorum, exemplar in hoc sumet versionem vulgatam; quam Concilium Tridentinum *in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica* habendam decrevit, [2] atque etiam commendat quotidiana Ecclesiae consuetudo. Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum

[1] I Tim., VI, 20.
[2] Sess. IV, decr. *de edit. et usu sacr. libror.*

BIBLIOTECA

versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codi-
cum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex
dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen
si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, « inspectio prae-
cedentis linguae », suasore Augustino, proficiet.[1] Iamvero per se liquet,
quam multum navitatis ad haec adhiberi oporteat, quum demum sit « com-
mentatoris officium, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem inter-
pretetur, exponere ».[2] — Post expensam, ubi opus sit, omni industria lec-
tionem, tum locus erit scrutandae et proponendae sententiae. Primum
autem consilium est, ut probata communiter interpretandi praescripta tanto
experrectiore observentur cura, quanto morosior ab adversariis urget con-
tentio. Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid
consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa
quoque appositae eruditionis illustratio societur: cauto tamen, ne istius-
modi quaestionibus plus temporis tribuatur et operae quam pernoscendis
divinis Libris, neve corrogata multiplex rerum cognitio mentibus iuvenum
plus incommodi afferat quam adiumenti. — Ex hoc, tutus erit gradus ad
usum divinae Scripturae in re theologica. Quo in genere animadvertisse
oportet, ad ceteras difficultatis causas, quae in quibusvis antiquorum libris
intelligendis fere occurrunt, proprias aliquas in Libris sacris accedere. Eorum
enim verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subiiciuntur quae humanae
vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae
cum illis continentur alia multa; idque nonnunquam ampliore quadam et
reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae leges indi-
care videantur: alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad
commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit.
Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros Libros
involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit:[3] Deo quidem
sic providente (quae vulgata est opinio Ss. Patrum), ut homines maiore
cum desiderio et studio illos perscrutarentur, resque inde operose percep-
tas mentibus animisque altius infigerent; intelligerentque praecipue, Scrip-
turas Deum tradidisse Ecclesiae , quae scilicet duce et magistra in legendis
tractandisque eloquiis suis certissima uterentur. Ubi enim charismata Domini
posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit
successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi, iam sanctus
docuit Irenaeus:[4] cuius quidem ceterorumque Patrum doctrinam Synodus
Vaticana amplexa est, quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti
interpretatione renovans, *hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei
et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero
sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater
Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum san-*

[1] De doctr. chr., III, 4.
[2] S. Hier. ad Pammach.
[3] S. Hier. ad Paulin., *De studio Script.*, ep. LIII, 4.
[4] C. haer., IV, 26, 5.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

*ctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra una-
nimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.*[1] — Qua plena
sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae
retardat aut coercet; sed eam potius ab errore integram praestat, pluri-
mumque ad veram adiuvat progressionem. Nam privato cuique doctori
magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria
praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae
qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest,
ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium
Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque
prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud
doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis. Quapropter praeci-
puum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia,
quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu
Sancto afflante, uti multis in locis novi Testamenti, aut per Ecclesiam,
eodem Sancto adsistente Spiritu, *sive solemni iudicio, sive ordinario et uni-
versali magisterio*,[2] eadem ipse ratione interpretetur; atque ex adiumentis
disciplinae suae convincat, eam solam interpretationem, ad sanae herme-
neuticae leges, posse recte probari. In ceteris analogia fidei sequenda est,
et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam
summa norma est adhibenda: nam, quum et sacrorum Librorum et doctri-
nae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit,
ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpreta-
tione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam
reiiciendam, quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnan-
tes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur. — Huius igitur disciplinae
magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie
teneat, atque in commentariis versatus sit Ss. Patrum Doctorumque et
interpretum optimorum. Id sane inculcat Hieronymus,[3] multumque Augu-
stinus, qui, iusta cum querela, « Si unaquaeque disciplina, inquit, quam-
quam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit,
quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros
ab interpretibus suis nolle cognoscere! »[4] Id ipsum sensere et exemplo
confirmavere ceteri Patres, qui « divinarum Scripturarum intelligentiam,
non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate seque-
bantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam susce-
pisse constabat ».[5] — Iamvero Ss. Patrum, quibus « post Apostolos, sancta
Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus
crevit »,[6] summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod bibli-
cum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo expli-

[1] Sess. III, cap. II, *de revel.* Cf. Conc. Trid., sess. IV, decr. *de edit. et usu sacr. libror.*
[2] Conc. Vat., sess. III, cap. III, *de fide.*
[3] Ibid., 6, 7.
[4] Ad Honorat., *De utilit. cred.*, XVII, 35.
[5] Rufin., *Hist. eccl.*, II, 9.
[6] S. Aug., *C. Iulian.*, II, 10, 37.

BIBLIOTHECA

cant omnes: nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catho-
licam fidem traditum esse nitide eminet. Eorumdem vero Patrum sententia
tunc etiam magni aestimanda est, quum hisce de rebus munere doctorum
quasi privatim funguntur; quippe quos, non modo scientia revelatae doctri-
nae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium,
valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis
studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare inter-
pres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus,
frui intelligenti delectu. — Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam,
quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra pro-
cedat, modo praeceptioni illi, ab Augustino sapienter propositae, religiose
obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum,
nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere:[1]
quae praeceptio eo tenenda est firmius, quo magis, in tanta novitatum
cupidine et opinionum licentia, periculum imminet aberrandi. Caveat
idem ne illa negligat quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve
sententiam translata sunt, maxime quum ex litterali descendant et multo-
rum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis
Ecclesia accepit, quoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, compro-
bavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demon-
strare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti. —
Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, atta-
men, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ec-
clesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor,
ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad diffici-
liora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus,
quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum
libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non
raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catho-
lici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim
heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit inter-
pres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis,[2]
incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam repe-
riri, neque ab eis tradi posse, qui, verae fidei expertes, Scripturae, non
medullam attingunt, sed corticem rodunt.[3]

8. Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eiusdem divi-
nae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque
prope sit anima: ita nimirum omni aetate Patres atque praeclarissimi qui-
que theologi professi sunt et re praestiterunt. Nam quae obiectum sunt
fidei vel ab eo consequuntur, ex divinis potissime Litteris studuerunt asse-
rere et stabilire; atque ex ipsis, sicut pariter ex divina traditione, nova

[1] De Gen. ad litt., 1, VIII, c. 7, 13.
[2] Cf. Clem. Alex., *Strom.*, VII, 16; Orig., *De princ.*, IV, 8; *in Levit.*, hom. 4, 8; Tertull., *De praescr.*, 15, seqq.; S. Hilar. Pict. *in Matth.*, 13, 1.
[3] S. Greg. M., *Moral.*, XX, 9 (al. 11).

haereticorum commenta refutare, catholicorum dogmatum rationem, intel-
ligentiam, vincula exquirere. Neque id cuiquam fuerit mirum qui repu-
tet, tam insignem locum inter revelationis fontes divinis Libris deberi, ut,
nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro digni-
tate tractari. Tametsi enim rectum est iuvenes in Academiis et scholis ita
praecipue exerceri ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab
articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas
probatae solidaeque philosophiae, concludenda; gravi tamen eruditoque
theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum ex Bibliorum
auctoritatibus ducta: « Non enim accipit (theologia) sua principia ab aliis
scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab
aliis scientiis, tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferiori-
bus et ancillis ». Quae sacrae doctrinae tradendae ratio praeceptorem com-
mendatoremque habet theologorum principem, Aquinatem:[1] qui praeterea,
ex hac bene perspecta christianae theologiae indole, docuit quemadmodum
possit theologus sua ipsa principia, si qui ea forte impugnent, tueri: « Argu-
mentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divi-
nam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacrae Scripturae dispu-
tamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium.
Si vero adversarius nihil credat eorum quae divinitus revelantur, non rema-
net amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solven-
dum rationes, si quas inducit contra fidem ».[2] — Providendum igitur, ut
ad studia biblica convenienter instructi munitique aggrediantur iuvenes;
ne iustam frustrentur spem, neu, quod deterius est, erroris discrimen in-
caute subeant, Rationalistarum capti fallaciis apparataeque specie erudi-
tionis. Erunt autem optime comparati, si, qua Nosmetipsi monstravimus
et praescripsimus via, philosophiae et theologiae institutionem, eodem
S. Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte ince-
dent, quum in re biblica, tum in ea theologiae parte quam *positivam* nomi-
nant, in utraque laetissime progressuri.

9. Doctrinam catholicam legitima et sollerti sacrorum Bibliorum inter-
pretatione probasse, exposuisse, illustrasse, multum id quidem est: altera
tamen, eaque tam gravis momenti quam operis laboriosi, pars remanet,
ut ipsorum auctoritas integra quam validissime asseratur. Quod quidem
nullo alio pacto plene licebit universeque assequi, nisi ex vivo et proprio
magisterio Ecclesiae: quae *per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propaga-
tionem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem
ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et per-
petuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irre-
fragabile.*[3] Quoniam vero divinum et infallibile magisterium Ecclesiae, in
auctoritate etiam sacrae Scripturae consistit, huius propterea fides saltem
humana asserenda in primis vindicandaque est: quibus ex libris, tamquam

[1] Summ. theol., p. I, q. I, a. 5 ad 2.
[2] Ibid., a. 8.
[3] Conc. Vat., sess. III., c. III, *de fide*.

ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio,
Ecclesiae hierarchicae institutio, primatus Petro et successoribus eius col-
latus, in tuto apertoque collocentur. Ad hoc plurimum sane conducet, si
plures sint e sacro ordine paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimi-
cent et impetus hostiles propulsent, induti praecipue armatura Dei, quam
suadet Apostolus, [1] neque vero ad nova hostium arma et praelia insueti.
Quod pulcre in sacerdotum officiis sic recenset Chrysostomus: « Ingens
adhibendum est studium ut *Christi verbum habitet in nobis abundanter*; [2]
neque enim ad unum pugnae genus parati esse debemus, sed multiplex
est bellum et varii sunt hostes; neque iisdem omnes utuntur armis, neque
uno tantum modo nobiscum congredi moliuntur. Quare opus est, ut is
qui cum omnibus congressurus est, omnium machinas artesque cognitas
habeat, ut idem sit sagittarius et funditor, tribunus et manipuli ductor,
dux et miles, pedes et eques, navalis ac muralis pugnae peritus: nisi enim
omnes dimicandi artes noverit, novit diabolus per unam partem, si sola
negligatur, praedonibus suis immissis, oves diripere ». [3] Fallacias hostium
artesque in hac re ad impugnandum multiplices supra adumbravimus:
iam, quibus praesidiis ad defensionem nitendum, commoneamus. — Est
primum in studio linguarum veterum orientalium simulque in arte quam
vocant criticam. Utriusque rei scientia quum hodie in magno sit pretio
et laude, ea clerus, plus minusve pro locis et hominibus exquisita, orna-
tus, melius poterit decus et munus sustinere suum; nam ipse *omnia omni-
bus* [4] fieri debet, paratus semper *ad satisfactionem omni poscenti rationem de
ea quae in ipso est spe*. [5] Ergo sacrae Scripturae magistris necesse est atque
theologos addecet, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici sunt
primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant
alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant.
Atque etiam curandum ut omnibus in Academiis, quod iam in multis
receptum laudabiliter est, de ceteris item antiquis linguis, maxime semi-
ticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria, eorum in
primis usui qui ad sacras Litteras profitendas designantur. — Hos autem
ipsos, eiusdem rei gratia, doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera
artis criticae disciplina: perperam enim et cum religionis damno indu-
ctum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo, ex solis
internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, aucto-
ritas diiudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei histo-
ricae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere
prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda:
illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi
ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna pro-

[1] Eph., VI, 13, seqq.
[2] Cf. Col., III, 16.
[3] De sacerd., IV, 4.
[4] I Cor., IX, 22.
[5] I Petr., III, 15.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

fecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae
futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et discerpant
illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet,
ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando secten-
tur: inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae
oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et
dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae princi-
pes disciplinae: inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae
et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecumque natu-
rae ordinem superent, ex sacris Libris dimovere non verebuntur. — Con-
grediendum secundo loco cum iis, qui sua physicorum scientia abusi,
sacros Libros omnibus vestigiis indagant, unde auctoribus inscitiam rerum
talium opponant, scripta ipsa vituperent. Quae quidem insimulationes
quum res attingant sensibus obiectas, eo periculosiores accidunt, manantes
in vulgus, maxime in deditam litteris iuventutem; quae, semel reverentiam
divinae revelationis in uno aliquo capite exuerit, facile in omnibus omnem
eius fidem est dimissura. Nimium sane constat, de natura doctrinam,
quantum ad percipiendam summi Artificis gloriam in procreatis rebus
impressam aptissima est, modo sit convenienter proposita, tantum posse
ad elementa sanae philosophiae evellenda corrumpendosque mores, teneris
animis perverse infusam. Quapropter Scripturae sacrae doctori cognitio
naturalium rerum bono erit subsidio, quo huius quoque modi captiones
in divinos Libros instructas facilius detegat et refellat. — Nulla quidem theo-
logum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque
finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, « ne
aliquid temere et incognitum pro cognito asserant ». [1] Sin tamen dissenserint,
quemadmodum se gerat theologus, summatim est regula ab eodem oblata:
« Quidquid, inquit, ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare
potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium; quidquid
autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, idest catholicae
fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut
nulla dubitatione credamus esse falsissimum ». [2] De cuius aequitate regulae
in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei,
qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium
rerum constitutionem) docere homines nulli saluti profutura »; [3] quare eos,
potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando
describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis
sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana
vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea
primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scrip-
tor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quae sensibiliter
apparent », [4] seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum

[1] In Gen. op. imperf., IX, 30.
[2] De Gen. ad litt., I, 21, 41.
[3] S. Aug., ibid., II, 9, 20.
[4] Summa theol., p. I, q. LXX, a. 1, ad 3.

significavit humano more. — Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda
strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli
Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint; qui,
prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur,
fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint,
quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum
interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem
aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque
« in his quae de necessitate fidei non sunt licuit Sanctis diversimode opinari
sicut et nobis », ut est S. Thomae sententia. [1] Qui et alio loco prudentissime
habet: « Mihi videtur tutius esse, huiusmodi, quae philosophi communiter
senserunt, et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata
fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse
neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi occasio
contemnendi doctrinam fidei praebeatur ». [2] Sane, quamquam ea, quae spe-
culatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres
ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne
fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in
dubitationem adducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores
terminos disciplinae suae transgressi, in provinciam philosophorum perver-
sitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refu-
tandas. — Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim,
iuvabit transferri. Dolendum enim, multos esse qui antiquitatis monumenta,
gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia magnis ii quidem
laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris
labes in sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque
infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis
aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae,
perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero
Scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa,
vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codi-
cibus describendis minus recte exciderint; quod considerate iudicandum est,
nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum: fieri etiam
potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps; cui enodandae
multum afferent optimae interpretandi regulae: at nefas omnino fuerit,
aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare,
aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum
ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitan-
tes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere,
eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo
exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob
causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam
sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto

[1] In Sent., II, dist. II, q. I, a. 3.
[2] Opusc., X.

dictante, conscripti sunt: tantum vero abest ut divinae inspirationi error
ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem,
sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum,
summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. — Haec est anti-
qua et constans fides Ecclesiae, solemni etiam sententia in Conciliis definita
Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata
in Concilio Vaticano, a quo absolute edictum: *Veteris et novi Testamenti
libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii* (Tridentini)
*decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et
canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non
ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint appro-
bati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea
quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem.* [1] Quare
nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam
instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scrip-
toribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse
virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit,
ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fide-
liter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus, non
ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere
Ss. Patres: « Itaque, ait Augustinus, quum illi scripserunt quae ille ostendit
et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem
membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt »: [2] pronun-
ciatque S. Gregorius M.: « Quis haec scripserit, valde supervacanee quae-
ritur, quum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse
igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit: ipse scripsit qui et in illius opere
inspirator extitit ». [3] Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum
sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam
divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant
auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum
fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino
errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid
vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae
scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere
inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros
et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores
elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant
universe quae idem Augustinus ad Hieronymum scripsit: « Ego enim fateor
caritati tuae, solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur,
didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem
scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero
litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum

[1] Sess. III, c. II, *de revel.*
[2] De consensu Evangel., 1, I, c. 35.
[3] Praef. in Iob., n. 2.

esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me
minime intellexisse non ambigam ».[1]

10. At vero omni graviorum artium instrumento pro sanctitate Biblio-
rum plene perfecteque contendere, multo id maius est, quam ut a sola
interpretum et theologorum sollertia aequum sit expectari. Eodem optan-
dum est conspirent et connitantur illi etiam ex catholicis viris, qui ab
externis doctrinis aliquam sint nominis auctoritatem adepti. Horum sane
ingeniorum ornatus, si nunquam antea, ne nunc quidem, Dei beneficio,
Ecclesiae deest; atque utinam eo amplius in fidei subsidium augescat.
Nihil enim magis oportere ducimus, quam ut plures validioresque nanci-
scatur veritas propugnatores, quam sentiat adversarios; neque res ulla est
quae magis persuadere vulgo possit obsequium veritatis, quam si eam liber-
rime profiteantur qui in laudata aliqua praestent facultate. Quin facile
etiam cessura est obtrectatorum invidia, aut certe non ita petulanter iam
traducere illi audebunt inimicam scientiae, fidem, quum viderint a viris
scientiae laude nobilibus summum fidei honorem reverentiamque adhi-
beri. — Quoniam igitur tantum ii possunt religioni importare commodi,
quibus cum catholicae professionis gratia felicem indolem ingenii beni-
gnum Numen impertiit, ideo in hac acerrima agitatione studiorum quae
Scripturas quoquo modo attingunt, aptum sibi quisque eligant studii genus,
in quo aliquando excellentes, obiecta in illas improbae scientiae tela, non sine
gloria, repellant. — Quo loco gratum est illud pro merito comprobare non-
nullorum catholicorum consilium, qui ut viris doctioribus suppetere possit
unde huiusmodi studia omni adiumentorum copia pertractent et provehant,
coactis societatibus, largiter pecunias solent conferre. Optima sane et perop-
portuna temporibus pecuniae collocandae ratio. Quo enim catholicis minus
praesidii in sua studia sperare licet publice, eo promptiorem effusiorem-
que patere decet privatorum liberalitatem; ut quibus a Deo aucti sunt
divitiis, eas ad tutandum revelatae ipsius doctrinae thesaurum velint con-
vertere. — Tales autem labores ut ad rem biblicam vere proficiant, insi-
stant eruditi in iis tamquam principiis, quae supra a Nobis praefinita sunt;
fideliterque teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium,
eumdem esse Scripturarum auctorem: nihil propterea ex rerum natura,
nihil ex historiae monumentis colligi posse quod cum Scripturis revera
pugnet. Si quid ergo tale videatur, id sedulo submovendum, tum adhibito
prudenti theologorum et interpretum iudicio, quidnam verius verisimi-
liusve habeat Scripturae locus, de quo disceptetur, tum diligentius expensa
argumentorum vi, quae contra adducantur. Neque ideo cessandum, si
qua in contrarium species etiam tum resideat; nam, quoniam verum vero
adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpreta-
tionem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse:
neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia.
Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra
Scripturam iactata, quae nunc, utpote inania, penitus obsolevere: item

[1] Ep. 82, I, et crebrius alibi.

non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morum-
que pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in qui-
bus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum
commenta delet dies; sed « veritas manet et invalescit in aeternum ».[1]
Quare, sicut nemo sibi arrogaverit ut omnem recte intelligat Scripturam,
in qua se ipse plura nescire fassus est Augustinus,[2] ita, si quid inciderit
difficilius quam explicari possit, quisque eam sumet cautionem tempe-
rationemque eiusdem Doctoris: « Melius est vel premi incognitis sed uti-
libus signis, quam, inutiliter ea interpretando, a iugo servitutis eductam
cervicem laqueis erroris inserere ».[3] — Consilia et iussa Nostra si probe
verecundeque erunt secuti qui subsidiaria haec studia profitentur, si et
scribendo et docendo studiorum fructus dirigant ad hostes veritatis redar-
guendos, ad fidei damna in iuventute praecavenda, tum demum laetari
poterunt digna se opera sacris Litteris inservire, eamque rei catholicae
opem afferre, qualem de filiorum pietate et doctrinis iure sibi Ecclesia
pollicetur.

11. Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae de studiis Scripturae sacrae
pro opportunitate monenda et praecipienda, aspirante Deo, censuimus.
Iam sit vestrum curare, ut qua par est religione custodiantur et obser-
ventur: sic ut debita Deo gratia, de communicatis humano generi eloquiis
sapientiae suae, testatius eniteat, optataeque utilitates redundent, maxime
ad sacrae iuventutis institutionem, quae tanta est cura Nostra et spes Eccle-
siae. Auctoritate nimirum et hortatione date alacres operam, ut in Semina-
riis, atque in Academiis quae parent ditioni vestrae, haec studia iusto in
honore consistant vigeantque. Integre feliciterque vigeant, moderatrice
Ecclesia, secundum saluberrima documenta et exempla Ss. Patrum lauda-
tamque maiorum consuetudinem: atque talia ex temporum cursu incre-
menta accipiant quae vere sint in praesidium et gloriam catholicae veri-
tatis, natae divinitus ad perennem populorum salutem. — Omnes denique
alumnos et administros Ecclesiae paterna caritate admonemus, ut ad sacras
Litteras adeant summo semper affectu reverentiae et pietatis: nequaquam
enim ipsarum intelligentia salutariter ut opus est patere potest, nisi remota
scientiae *terrenae* arrogantia, studioque sancte excitato eius *quae desursum est*
sapientiae. Cuius in disciplinam semel admissa mens, atque inde illustrata
et roborata, mire valebit ut etiam humanae scientiae quae sunt fraudes
dignoscat et vitet, qui sunt solidi fructus percipiat et ad aeterna referat:
inde potissime exardescens animus, ad emolumenta virtutis et divini amo-
ris spiritu vehementiore contendet: *Beati qui scrutantur testimonia eius, in
toto corde exquirunt eum*.[4]

12. Iam divini auxilii spe freti et pastorali studio vestro confisi, Apo-
stolicam benedictionem, caelestium munerum auspicem Nostraeque sin-

[1] III Esdr., IV, 38.
[2] Ad Ianuar. ep. 55, 21.
[3] De doctr. chr., III, 9, 18.
[4] Ps. XVIII, 2.

gularis benevolentiae testem, vobis omnibus, universoque Clero et populo singulis concredito, peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XIII, p. 326-364].

622.

Leo XIII, litt. ap. *Illud est proprium*, 29 ian. 1894.

Illud est proprium humanarum institutionum et legum, ut nihil in eis sit tam bonum atque utile, quod vel consuetudo non mutet, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in militanti Ecclesia Dei, in qua cum absoluta ac perpetua immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit, ut, quae olim iure meritoque in honore et in pretio habebantur, aliquando obsolescant, et quae bona in instituto erant, ea labens aetas faciat deteriora. Sub prima Ecclesiae exordia, cum sensus Christi in hominum mente arctius insidebat, Episcopos, quibus summa rerum gerendarum commissa erat, delectos Sacerdotes sibi socios addidisse memoriae traditum est, quorum consilio et ministerio in gravioribus Ecclesiae negotiis uterentur. Hi Sacerdotes, Assessores et quasi Episcopi Senatus, Canonici dicti sunt, ex eo quia in observandis regulis ecclesiasticis cautiores et diligentiores erant ceteris, et eam vitam vivebant, ut mensuram nominis implerent. Quamobrem pro certo habendum est ad conservandam ecclesiasticam disciplinam, Canonicorum dignitates ab initio fuisse constitutas ita, ut qui eas obtineret, id haberet oneris, ut opera et officiis adiuvaret Episcopum, et in iis quae pertinent ad cultum et ad mores, sese tamquam exemplar clericis inferioribus impertiret. At temporibus nostris nonnulli sunt, qui pristinae institutionis immemores, Canonicorum collegia tamquam honoratorum ordines esse autumant, in quibus nullum onus, sed dignitatis tantum et honoris tituli inhaereant. Ex quo fit ut, cum humanum sit onus defugere, honores et dignitates appetere, non parvus sit numerus eorum, qui studeant, saltem honoris causa, inter Canonicos cooptari. Multae quidem ac plenae querelarum datae sunt ad Nos litterae ab Episcopis, qui aegre ferunt honoribus et dignitatibus inhiare eos, qui sacerdotio aucti, deberent « aemulari charismata meliora, terrena despicere, et nonnisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi gloriari ». Sacerdotes autem huiusmodi, plerique iuniores, qui parum vel nihil in Ecclesiae bonum contulerunt, tamquam tirones gloriosi veteranorum insignia atque ornamenta virtutis praemia appetentes, externos circumeunt Antistites, ut ab iis honoris insignia titulosque, a suis negatos, extorqueant. — Nos, qui dignitatis insignibus eos potissimum honestandos censuimus sacrorum administros, qui pietatis et doctrinae laudibus ceteros antecellunt, deque re christiana egregie sunt meriti, hanc super rem admonitiones Apostolicas atque instructiones, nominatim die decimo sexto mensis septembris anno MDCCCLXXXIV per Sacram Congregationem Tridentini Concilii

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

interpretem ac vindicem dedimus. [1] Quum vero hisce diebus complures Sacrorum Antistites gravius conquesti sint eiusmodi honores, qui merentibus praemio, ceteris incitamento virtutis esse debent, non raro ipsis Ordinariis insciis, atque interdum haud dignioribus conferri; Nos, quo in posterum quilibet in tali re abusus auferatur, rogata Sacrorum Rituum Congregationis sententia, suprema Auctoritate Nostra statuimus, decrevimus:

I. Episcopus, seu Ordinarius, ecclesiasticum quempiam virum alienae dioeceseos Canonicum ad honorem nominaturus, praeter Capituli sui consensum, Ordinarii, cui nominandus subiicitur, notitiam et votum obtineat, eumdemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia, quorum usus nominando tribueretur.

II. Canonici ad honorem, extra dioecesim in qua nominati sunt degentes, numero sint tertia parte minores cunctis Canonicis a Pontificiis Constitutionibus respectivae Basilicae, sive Ecclesiae Metropolitanae, aut Cathedrali, vel Collegiatae adsignatis.

III. Canonici ad honorem alicuius minoris Basilicae, vel Ecclesiae Collegiatae almae Urbis nominati, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra respectivae Basilicae vel Collegiatae, eiusque Filialium Ecclesiarum ambitum, ubi Canonici de numero iisdem fruuntur. Qui vero alicuius Metropolitanae, vel Cathedralis, aut Collegiatae Ecclesiae, seu Basilicae minoris extra Urbem Canonici sunt ad honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur in Dioecesi ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium.

IV. Haec omnia serventur quoque a Canonicis ad honorem usque ad hanc diem nominatis.

Ita volumus, edicimus, decernentes has litteras Nostras firmas sartasque, uti sunt, ita in posterum permanere: irritum vero et inane futurum decernentes si quid super his a quoquam contigerit attentari: non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, et quibusvis specialibus vel generalibus Apostolicis Constitutionibus ac privilegiis, gratiis et indultis, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, et Litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus ac formis, et cum quibusvis clausulis et decretis quibusvis Capitulis, Collegiis ac etiam peculiaribus personis quacumque ecclesiastica dignitate pollentibus, quocumque tempore, etiam per Nos concessis, nec non quibusvis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse de Apostolicae potestatis plenitudine derogando, ac derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus quibuscumque.

[Leonis XII Acta, vol. XIV, p. 22-25].

[1] Cf. Leonis XIII Acta, vol. IV, p. 141, 142.

BIBLIOTHECA

623.

Leo XIII, ep. encycl. *Caritatis providentiaeque*, 19 mart. 1894.[1]

1. Caritatis providentiaeque Nostrae peculiare testimonium quod aliis catholicis gentibus per intervalla exhibuimus, ut, datis ad earum Episcopos singularibus litteris, documenta Apostolicae exhortationis impertiremus, id similiter vobis ex opportunitate praestare posse, iamdiu Nos ingens desiderium tenebat. Equidem populum istum, genere, sermone, religioso ritu varium, uno Nos omnem, quod alias diximus, eodemque studio complectimur et fovemus; neque unquam nisi iucundissime de ipso cogitamus, cuius et praeclara spirat memoria gestarum rerum, et magnam erga Nos coniunctam cum fiducia pietatem constanter agnovimus. — In ceteris enim laudibus, laus merito manet eximia patribus illis vestris, qui, tremefacta Europa ad impetus hostium christiani nominis praepotentium, pectorum suorum praesidia inter primos, insignibus praeliis, opposuerunt, iidem religionis et civilis cultus vindices acerrimi fidissimique custodes. His de promeritis palam est a Nobis non multos ante menses cum gaudio commemoratum, tunc scilicet quum nonnulli vestrum, Venerabiles Fratres, pia fidelium agmina peregre ad Nos salutatum gratulatumque adduxistis; ex qua pulcherrima fidei testificatione, pergrata adfuit occasio ut avitae religionis decus, per multos rerum et difficiles casus integrum, vividum, Poloniae vicissim gratularemur. — Iamvero sacris eius rationibus si, quantum erat in Nobis, nihil antea prodesse destitimus, id posse vel amplius cupimus, atque in praesentia efficere consilium est: ea nimirum causa, ut sollicitudinis in vos Nostrae apertior extet coram Ecclesia declaratio, utque etiam vestrum omnium animi in catholicae professionis officiis, roborata virtute, subsidiis auctis, confirmentur et praestent. Hoc autem facere instituimus alacriore quidem cum spe, propterea quod cognitum perspectumque habemus qua vos, Venerabiles Fratres, sollertia interpretes voluntatis Nostrae et ministri esse consueveritis, et quo proposito in summis vestrorum gregum bonis tuendis augendisque elaboretis. Quos autem in ipsis praestabiles fructus expetimus, ita Deus, qui ad alloquendum movit, benignus idem secundet.

2. Beneficium divinae veritatis et gratiae, quod humano generi religione sua Christus Dominus attulit, tantae excellentiae utilitatisque est, cum quo aliud nullum in ullo genere ne conferri quidem possit, nedum possit aequari. Cuius virtus beneficii, multiplex, ut omnes norunt, et saluberrima, mirum in modum affluit ad singulos et ad universos, ad societatem domesticam et ad civilem, ad prosperitatem caducae vitae iuvandam et ad felicitatem adipiscendam vitae immortalis. Ex quo continuo apparet, gentes catholica religione donatas, sicut maximo bonorum omnium in ea

[1] Ad Episcopos Polonos.

potiuntur, ita officiorum omnium maximo adstringi eiusdem colendae et diligendae. Simul vero apparet, rem non esse eiusmodi, quam ad suum cuiusque arbitrium vel singuli vel civitates recte se praestare posse confidant, verum qua dumtaxat ratione, qua disciplina, quo ordine ipse definivit et iussit religionis divinus auctor: videlicet magisterio et ductu Ecclesiae, quae ab ipso tamquam *columna et firmamentum veritatis*[1] constituta est, eiusque singulari ope per omnes aetates viguit, vigebitque, rata promissione, perpetuo: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.*[2] — Iure igitur genti vestrae tam clarus religionis honor ab avis et maioribus ideo stetit, quod Ecclesiae matri summa semper adhaesit fide, parique in obsequio Pontificum romanorum et in obedientia sacrorum Antistitum, quos illi pro potestate designarent, immota perstitit semper. Inde quam multa ad vos commoda et ornamenta profluxerint, quam praesentia in trepidis rebus solatia ceperitis, quanta habeatis etiamnum adiumenta, vosmet gratis tenetis animis, grate profitemini. — Manifestum quotidie est, quaenam gravissimarum rerum in populis imperiisque consequantur momenta, Ecclesia catholica vel observata et digno loco habita vel per iniuriam contemptionemve laesa. Quum enim in doctrina et lege Evangelii ea contineantur quae ad salutem perfectionemque hominis, tum in fide et cognitione, tum in usu et actione vitae, usquequaque proficiant; quumque eam doctrinam et legem Ecclesia, divino a Christo iure, tradere possit et religione sancire; ipsa propterea, divino munere, vi magna pollet moderatrice humanae societatis, in qua et fautrix est generosae virtutis et lectissimorum bonorum effectrix. — At Ecclesia vero, cui divinitus romanus Pontifex praeest, tantum abest ut, ex auctoritatis tanta amplitudine, quidquam sibi de alieno arroget iure aut cuiusquam obliquis studiis conniveat, ut potius de iure suo saepe remittat, indulgendo; atque, summis et infimis sapienti consulens aequitate, sese omnibus gubernatricem et matrem exhibeat sollertissimam. Quapropter illi iniuste faciunt qui hac etiam in re veteres contra ipsam calumnias, iam toties refutatas planeque contritas, in lucem nituntur revehere, nova vituperationis specie confictas: neque ii minus reprehendendi, qui eadem de causa diffidunt Ecclesiae, eique suspicionem conflant apud rectores civitatum et in publicis legumlatorum coetibus, a quibus nempe laus plurima ipsi debetur et gratia. Nihil enim omnino ea docet aut praecipit quod maiestati principum, quod incolumitati et progredienti populorum vitae, ullo modo officiat vel adversetur, multa immo ex christiana sapientia assidue profert ad communem eorum utilitatem sane quam conducibilia. In quibus haec memoratu digna: principatum qui teneant, eos imaginem divinae in homines potestatis providentiaeque referre; eorum imperium debere iustum esse et imitari divinum, bonitate temperatum paterna, atque unice emolumenta spectare civitatis; ab ipsis rationem Deo iudici aliquando reddendam, eamque pro celsiore dignitatis loco graviorem: qui vero sint sub potestate, debere constanter reverentiam

[1] I Tim., III, 15.
[2] Matth., XXVIII, 20.

et fidem servare principibus, tamquam Deo regnum per homines exercenti, eisdem obtemperare, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* [1] pro ipsis adhibere *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones;* [2] debere sanctam custodire disciplinam civitatis; ab improborum machinationibus sectisque abstinere, nec quidquam facere seditiose, omnia conferre ad tranquillam in iustitia pacem tenendam. — Ista et similia praecepta institutaque evangelica, quae ab Ecclesia tantopere suadentur, ubi in pretio sunt et re ipsa valent, praestantissimos ibi fructus afferre non cessant, eosque afferunt in illis gentibus uberiores, in quibus Ecclesia liberiore utitur sui muneris facultate. Eisdem vero refragari praeceptis et Ecclesiae ductum recusare, idem est ac refragari voluntati divinae et insigne beneficium abiicere; nihil ut in civitate vere prosperum honestumque permaneat, permixta delabantur omnia, anxia calamitatum formidine et rectores et populi occupentur. — Habetis quidem, Venerabilis Fratres, de his rerum capitibus iam fusius a Nobis tradita per occasionem praescripta: eadem tamen visum est summatim revocare, quo navitas vestra, novo quasi auspicio freta auctoritatis Nostrae, impensius in idem feliciusque contendat. Illud certe optimum faustumque fuerit in gregibus vestris, si afflatus caveantur turbulentorum hominum, pessimis artibus nihil iam non scelestissime audientium ad evertenda delenda imperia; si nullae officiorum partes, quae civium sunt bonorum, desiderentur; si ex fide Deo debita et sacra, fides erga rem republicam et principes efflorescat.

3. De societate item domestica, de iuventutis et sacri ordinis institutione, de modis optimis christianae tractandae caritatis, diligentiam acuite. — Integritas et honestas domesticae convictionis, ex qua praecipue sanitas funditur in venas societatis civilis, repetenda est primum a sanctitate coniugii, quod secundum Dei et Ecclesiae praecepta initum sit, unum et individuum. Tum oportet iura et officia inter coniuges inviolata esse et quanta maxima fieri possit concordia et caritate expleri; prolis tuitione commodisque, potissimum educationi, parentes consulere; suo ipsos documento vitae, quo nihil praestantius est neque efficacius, antecedere. Institutioni tamen liberorum rectae probaeque nequaquam illi arbitrentur se posse, ut par est, prospicere, nisi summopere evigilando. Neque enim ab iis tantum scholis lyceisque defugiendum est, ubi doctrinis error de religione, dedita opera, admisceatur, vel ubi propemodum dominetur impietas, sed ab iis etiam in quibus de christianis institutis et moribus, perinde ac de importunis rebus, nulla sit praeceptio nec disciplina. Nam quorum ingenia litteris et artibus erudiuntur, eosdem profecto necesse est pariter cognitione cultuque erudiri divinarum rerum, utpote qui, admonente ipsa et iubente natura, non minus quam civitati, multoque amplius, debeant Deo, quique idcirco in lucem suscepti sint, ut civitati servientes, ad mansuram in caelo patriam iter dirigant suum studioseque conficiant. In hoc autem cessandum minime erit, procedente cum eorum aetate cultura civili; quin

[1] Rom., XIII, 5.
[2] I Tim., II, 1, 2.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

etiam eo insistendum enixius, tum quod iuventus cupiditate sciendi, ut nunc praesertim agitantur studia, vehementius quotidie urgetur, tum quod eidem maiora quotidie impendent de fide pericula, magnis iam deploratis tanta in re iacturis. Quod vero de ratione sacrae doctrinae tradendae, de magistrorum probitate et peritia, de librorum delectu, quasdam Ecclesia censet vindicare sibi cautiones, quosdam modos praefinire, id sane suopte iure facit; neque id potest non facere, pro eo quo tenetur gravissimo officio providendi ne quid usquam irrepat, ab integritate alienum fidei morumve, quod christiano populo noceat. — Sacram porro institutionem, quae impertiatur in scholis, ea confirmet et compleat quae certis temporibus praescriptisque habeatur in curiis ac templis, ubi eiusdem fidei caritatisque germina, quasi in solo suo, uberius nutriuntur et proveniunt.

4. Haec satis per se ipsa monent, singulari opus esse diligentia et opera ad informandum ordinem clericalem; qui, divino oraculo, talis succrescere debet atque sacrum ita tenere propositum, ut *sal terrae* et *lux mundi* habeatur et sit. Utraque laus, quae doctrina sana vitaeque sanctimonia praecipue continetur, in adolescente quidem clero potissime accuranda est, neque tamen minus est custodienda et provehenda in clero adulto, qui proxime incumbit *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* [1] — De sacris seminariis clericorum bene est Nobis cognitum, Venerabiles Fratres, minime partes deesse vestras; ut, potius quam admoveamus incitamenta, comprobationem testari deceat vobis eisque omnibus quorum ipsa laetantur procurandi et docendi labore assiduo. Sane, temporibus quae inciderunt tam Ecclesiae iniquis, quum hostes veritatis invalescunt, quum corruptelarum pestis iam non serpit occulta, sed impudens in omnia grassatur, si plura quam antea levamenta et remedia expectanda sunt a sacerdotali ordine, is nimirum maiore quam antea cura et exercitatione comparandus est ad bonum certamen fidei et ad parem virtutis omnis dignitatem. Quae de ratione dirigenda studiorum sunt a Nobis identidem normae praestitutae, in re praesertim philosophica, theologica, biblica, probe nostis: ad eas instate ut sese magistri perdiligenter componant, neve ullam praetermittant ex doctrinis ceteris, quae gravioribus illis ornamento sunt, et sacerdotalibus muniis addunt commendationem. Instantibus similiter vobis, moderatores disciplinae et pietatis (homines qui esse debent integritate et prudentia spectatissimi), sic rationem temperent vitae communis, sic alumnorum animos conforment exerceantque, ut virtutum congruentium quotidiani in ipsis progressus eluceant: atque huc illud etiam spectet, omnem ut addiscant matureque induant prudentiam in iis attingendis quae civilis sint potestatis. Hoc sane modo ex sacris illis veluti palaestris et castris nova continenter militia, eaque optime instructa, prodibit, quae suppetias veniat laborantibus in pulvere et sole, atque defessos emeritosque integra suppleat. Verum, in ipsa sacrorum munerum perfunctione, facile videtis quantum periculi virtus vel solida offendat, et quam sit humanum languescere in propositis ab eisque deficere. Itaque

[1] Eph., IV, 12.

eo simul pertineant curae vestrae ut sacerdotibus apposite praebeatis quo studia doctrinae recolere possint et augere, in primis quo contentius possint, redintegratis interdum animorum viribus, et perfectioni vacare suae et aliorum sempiternae saluti prodesse. — Talem vos, Venerabiles Fratres, rite in oculis vestris eductum atque probatum si habueritis clerum, sentietis profecto vobis pastorale munus, non allevari solum, sed etiam abundare optatis in grege fructibus: quorum licet sperare copiam a cleri maxime exemplo et actuosa caritate.

5. Eiusdem caritatis praeceptum, quod *magnum* in Christo est, omnibus ex quovis ordine commendatissimum sit, idque singuli perficere studeant, quemadmodum Ioannes monet apostolus, *opere et veritate:* nullo enim alio vinculo aut praesidio constare ad firmitatem familiae et civitates possunt, neque, id quod pluris est, christianae dignitatis merita adipisci. Quae Nos considerantes, deplorantesque tam multa mala et acerba, eo posthabito dimissove praecepto, publice et privatim consecuta, saepenumero in eadem re Apostolicam vocem edidimus: singulariter fecimus per litteras encyclicas, quarum initium est *Rerum novarum*, [1] ubi principia retulimus, ad causam de conditione opificum ex veritate et aequitate evangelica dirimendam aptiora. Ea ipsa nunc, renovata admonitione, inculcamus. Sancta movente et ducente caritate, quantam catholica instituta, sodalitia artificum, mutuo opitulantium consociationes, id genus plura, vim habeant virtutemque vel ad leniendas tenuiorum aerumnas vel ad infimam plebem recte erudiendam, apertum experiendo est: qui autem consilium vel auctoritatem, pecuniam vel operam ad ista conferant in quibus vertitur multorum salus, etiam sempiterna, ii verissime de religione et de civibus suis promerentur egregie.

6. Ad haec, genti Polonae universe dicta, certa quaedam subiicere libet, quae singulatim, pro locorum in quibus versamini conditione, usui fore censemus: atque adeo ex his ipsis quae dedimus monitis quaedam libet eo altius in animis vestris defigere. — Vos primum, ut plures numero, qui Russico imperio paretis, iure est quod catholicae professionis nomine collaudemus, hortatione muniamus. Caput est hortationis Nostrae, ut istum constantiae animum in sancta fide colenda retineatis acriter et foveatis, in qua id bonum habetis, quod principium et fons est, ut diximus, maximorum bonorum. Hoc utique christianus animus ceteris rebus omnibus longe anteponat oportet; hoc ipsum, ut sunt divina iussa et splendida sanctorum hominum facta, nec ullis fractus difficultatibus deserat, et summis viribus laboribusque custodiat; eiusdemque virtute fultus, solatium et opem, quoscumque humanae res eventus adducant, aeque certissime ac patienter a Deo memori expectet. — Ad Nos quod attinet, rerum vestrarum quae sit conditio, equidem, pro munere Nostro, habemus compertum; valdeque ista delectat fiducia quam in Nobis, filiorum instar, plurimam collocatis. Sic igitur, admonemus, fallaciis omnino reiectis quae contra benevolentiam et sollicitudinem in vos Nostram nequiter serantur, hoc sit vobis

[1] Cf. N. 611.

penitus persuasum, nihil Nos minus quam Pontifices decessores, sicut pro ceteris popularibus vestris, ita pro vobis suscepisse et intendisse curas; qui etiam, vestram ut sustineamus fiduciam, omnia parati sumus et laboriose conniti et persequi confidenter. Iuvat memoria repetere, inde Nos a Pontificatus exordiis, de re catholica istic relevanda cogitantes, opportune apud Imperiale Consilium officia interposuisse, ut ea contenderemus quae simul dignitas huius Apostolicae Sedis, simul rationum vestrarum patrocinium viderentur deposcere. Quibus ex officiis consecutum est, ut anno MDCCCLXXXII certa cum illo pactionum capita sint constituta: [1] haec inter, Episcopis liberam fore copiam moderandi ad canonicas leges seminaria clericorum; tum Academiam ecclesiasticam Petropolitanam, quae Polonis quoque patet alumnis, iurisdictioni plene tradendam Archiepiscopi Mohiloviensis, atque in melius adducendam, ad ampliorem cleri et religionis catholicae utilitatem: accepta praeterea fide, quamprimum abrogatum aut mitigatum iri singulares eas leges, quas clerus vester severiores sibi conquerebatur. Illo ex tempore numquam Nos, vel capta vel quaesita occasione, pacta conventa expostulare desiimus. Quin immo easdem expostulationes ad ipsum deferri placuit potentissimum Imperatorem, cuius et exploratum in Nos amicitiae animum et studium iustitiae excelsum obtestati enixe sumus in causa vestra: neque intermittemus rogationes ad Ipsum per tempus adhibere, eas potissime commendantes Deo, quippe *cor regis in manu Domini.* [2] — Vos autem, Venerabiles Fratres, pergite dignitatem sacrosanctaque iura religionis catholicae Nobiscum tueri: quae tunc vere proposito potest constare suo et beneficia afferre quae debet, quum iustae securitatis libertatisque compos, idoneis praesidiis instruitur ad actionem, quantum oporteat, explicandam. Quoniam vero ipsi perspicitis qualem dederimus operam tranquillitati publici ordinis conciliandae in gentibus continendaeque, iidem agere ne cessetis, ut sublimiorum potestatum observantia et publicae obtemperatio disciplinae in clero pariterque in ceteris firme consistat: atque ita, omni prorsus offensionis vel reprehensionis causa submota, omnique specie insimulationis in reverentiam conversa, catholico nomini sua laus maneat et accrescat. — Item sit vestrum in id incumbere, ut quidquam ne desit de summa fidelium salute, neque in administrandis curiis, neque in pabulo divini verbi impertiendo, neque in alendo religionis spiritu; ut pueri et adolescentes, maxime in scholis, sacra catechesi diligenter imbuantur, idque, quanto magis fieri possit opera sacerdotum, quibus sit a vobis id legitime demandatum; ut cultui divino et decor sacrarum aedium et festus sollemnitatum honor plane congruant, unde fides haurit bona incrementa. Rectissime porro feceritis, praecavendo discrimina, si qua forte hisce in rebus instare videantur; ob eamque causam ne dubitetis ratas ipsas cum hac Apostolica Sede conventiones graviter quidem prudenterque appellare. Talia nimirum et discrimina abesse et convenientia bona contingere, non Polonis tantummodo, sed cunctis qui sincera publicae rei caritate ducantur,

[1] Cf. Raccolta di Concordati, p. 1016-1018.
[2] Prov., XXI, 1.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI
BIBLIOTHECA

gratum esse et optabile debet. Ecclesia enim catholica, quod principio docuimus quotidieque eminet, sic nata institutaque est, ut civitatibus et populis, nihil admodum detrimenti, sed multiplices vero decoras utilitates, in rerum etiam mortalium genere, nunquam non pariat feliciter.

7. Vos deinde qui in ditione estis inclitae Domus Habsburgensis, repu- tate animis quantum augusto Imperatori, religionis avitae studiosissimo, debeatis. Iusta igitur in Eum fides gratumque obsequium luculentius a vobis in dies pateat: pateat studium non dissimile ea persequendi omnia, quae ad catholicae religionis incolumitatem et decus vel iam sunt optime constituta vel tempora et res provide constituenda suadeant. — Universi- tatem Cracoviensem, vetustam atque nobilem doctrinarum sedem, valde optamus integritatem et praestantiam tueri suam, atque etiam aemulari laudes talium Academiarum, quas insignis Episcoporum cura et liberalitas privatorum non paucas, faventibus Nobis, per haec ipsa tempora excitavit. Quemadmodum in illis, ita in vestra, solertia dilecti Filii Nostri Cardinalis Episcopi moderante, gravissimae quaeque disciplinae cum fide amico foedere coeuntes, et, quantum ab ea luminis mutuantur et firmitatis, tantum sub- sidii ad ipsius defensionem referentes, utinam iuventuti lectissimae magis magisque in partes omnes sint profuturae. — Item vestra magni inter- esse debet, Nostra certe interest maxime, vigere apud vos in omnium existimatione ordines Religiosorum: qui, virtutis quam consectantur per- fectione et doctrina varia fructuosoque in excolendis animis labore com- mendati, tamquam apparatiores copiae praesto sunt Ecclesiae, eisque non minus civitas ad honestissima quaeque adiutoribus optimis omni tempore usa est. Nominatimque Galiciam respicientes, summa volun- tate perantiquum commemoramus Basilianum ordinem, in quo instaurando peculiaria quaedam consilia et curas iampridem Ipsi posuimus. Non medio- crem enimvero laetitiae fructum ideo capimus, quod expectationi ille Nostrae alacri religione obsecundans, nititur pleno gradu ad superiorum temporum gloriam, quum ecclesiae Ruthenae multis modis extitit salutaris: cuius eius- dem salutis auspicia, Episcoporum vigilantia et curatorum industria, iam ex ipso praeclariora in dies nitescunt. — Hic autem quoniam de Ruthenis incidit mentio, eam sinite iteremus cohortationem, ut vos cum ipsis, quam- quam originum rituumque dissimilitudo intercedat, arctius voluntates amantiusque societis, prout eos condecet quos regionum, civitatis, ma- ximeque fidei sociat communio. Hos enim sicut Ecclesia benemerentes habet et diligit filios, eisque legitimas consuetudines ac ritus proprios sa- pienti consilio permittit, non aliter vos, praecedente clero, sic habete et colite ut fratres, quorum sit cor unum et anima una, eo demum conspi- rantium, ut uni Deo et Domino amplificetur gloria, simulque fructus omnis iustitiae multiplicentur *in pulcritudine pacis*.

8. Libenti pariter animo orationem ad vos convertimus, qui provinciam incolitis Gnesnensem et Posnaniensem. Siquidem hoc inter cetera gratum est recordari, quemadmodum ex civibus ipsis vestris, omnium ut erant vota, ad illustrem sancti Adalberti sedem virum eveximus pietate, prudentia, caritate eximium. Gratius est autem videre, qua vos obedientia, quo amore

gubernationi eius miti operosaeque unanimi studeatis: ex quo vere spe- randum, religionis catholicae statum fore apud vos bonis auctibus quotidie laetiorem. Eadem vero spes quo magis affirmetur optatisque plenius respon- deat, non sine causa iubemus vos magnanimae aequitati confidere serenissimi Imperatoris; cuius praeterea propensam in vos ac benevolam mentem ex Ipso coram haud semel pernovimus, sane adfuturam vobis, in verecundia legum, in omnique recte factorum christiana laude perseverantibus.

9. Haec, Venerabiles Fratres, praescripta et hortamenta gregibus quisque vestris sic nuntietis velimus, ut vestra etiam opera fractuosiora eveniant. In his agnoscant carissimi filii quam magno ipsorum gratia affectu caritatis urgemur; haec autem ipsi, ut optatissimum Nobis est, pari accipiant obser- vantia et pietate. Quae quidem si diligenter, id quod pro certo habemus, constanterque coluerint, profecto poterunt quum fidei ex temporum gravi- tate pericula declinare, tum patrum memorabilia decora custodire, animos et exempla referre, manantibus inde ad huius quoque solatium vitae emo- lumentis quam optimis. — Secundam autem divini auxilii copiam, preca- toribus adhibitis gloriosissima Virgine Maria, Iosepho sanctissimo, cuius hodie sollemnibus christianus populus gaudet, sanctisque Caelitibus Polo- niae Patronis, vehementer Nobiscum, quaesumus, implorate. Huius rei auspicium atque praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem, vobis et clero populoque universo vigilantiae vestrae com- misso, peramanter in Domino impertimus.

[Leoni XIII Acta, vol. XIV, p. 65-80].

624.

Leo XIII, ep. *Inter graves*, 1 maii 1894.[1]

1. Inter graves ac multiplices curas, quibus, ex supremi Apostolatus munere, assidue distinemur ac premimur, litteras officii plenas libenti animo accepimus, quas vos, Venerabiles Fratres, post celebratos in Limensi urbe conventus, ad Nos dedistis. — Eas equidem perlegentes, pro paterna, quam in vos retinemus gentemque vestram, caritate, delectati magnopere sumus de iterato erga Nos et hanc beati Petri Sedem amoris fideique testimonio; maxime vero gavisi de concordi studio, quo Nostris optatis obsecundantes coivistis simul ad summa religionis negotia tractanda et ad mores optimos in grege provehendos, quem *Spiritus Sanctus posuit vos regere.*[2]

2. Probamus certe admodum, Venerabiles Fratres, hanc voluntatem, quae pastoralem curam vestram ostendit ut commissi vobis fideles in catholici nominis sinceritate persistant. — Placet nihilominus nova veluti currentibus addere incitamenta, ut ea nempe, quam iniistis, via pergentes strenui, coetus eiusmodi, pro rerum opportunitate ac necessitate, frequentetis. Persuasum etenim Nobis est, ex perpetuo Ecclesiae more ac sententia, quod

[1] Ad Episcopos Peruvienses.
[2] Act., XX, 28.

ediximus pluries, longe validius adversus gliscentes et invalescentes circum-
quaque errores pugnatum iri, ac religionis sanctissimae rationibus securius
firmiusque prospectum, si, collatis consiliis communicatisque propositis,
sacrorum Antistites arctius inter se iungantur.

3. Harum vero congressionum quo ampliores habeantur fructus et lar-
giora inde in gentem vestram commoda deriventur, ex Nostra religiosarum
rerum, ut in Peruvia, notitia, et ex ardenti quo tenemur desiderio, catholi-
cum nomen apud vos laetiora in dies capere incrementa, libet, Venerabi-
les Fratres, quaedam, enucleatius commendasse vobis, ad quae sollicitos
prae ceteris intendatis animos. Ea quippe sunt, quae apprime valent ad
fidei viam muniendam et ad Ecclesiae efficacitatem explicandam; quae Nos
idcirco, et crebris editis communibus documentis, et singularibus ad Epi-
scopos datis litteris, inculcare numquam destitimus.

4. Quod primum igitur est, eo studiorum vestrorum spectabunt prae-
cipua, ut opportuna adiumenta excogitetis, quibus in alumnis sacri ordinis,
non modo disciplina morum servetur sancte, verum etiam doctrinarum
acquirendarum stet vivax ardor; quo fiat, ut quae inter ephebos in spem
Ecclesiae succrescentes inclinari forte ac languescere videntur studia, in
eum adducantur splendorem, quem Nos iure optamus, quemque religionis
expetunt tempora. Nostis enim, Venerabiles Fratres, id fuisse Dei provi-
dentis consilium, ut, quo primum pacto fortissimis martyribus usus est
ad apertam tyrannorum vim saevitiamque frangendam, ita ut martyrum
sanguinem semen christianorum faceret; eodem pacto viros insigni sapien-
tia nullo non tempore destinarit, qui veritatis thesauros, quos Unigenitus
Filius e sinu Patris in terras detulit et Ecclesiae concreditos voluit, non
sacra solum auctoritate, sed vel humanae rationis praesidiis tuerentur. Nunc
autem, quum perversarum opinionum contagione infecta et corrupta sint
omnia ac, specie progredientis doctrinae, sapientiae a Deo traditae obsi-
statur maxime et repugnetur; pronum est intelligere, iis defensoribus opus
esse, qui, omnigeno armorum genere e scientiis deprompto, *parati semper*[1]
sint, uti monet Apostolus, *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae
in nobis est, spe; et exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.*[2]
In moderanda vero pro Seminariis vestris studiorum ratione, vobis, Vene-
rabiles Fratres, ob oculos esse volumus quae Nosmet encyclicis litteris ea
de re praescripsimus. Ut nempe in philosophicis disciplinis tradendis maxi-
mus Angelico Doctori Thomae Aquinati habeatur honos, et quae ex eius
voluminibus iugi et praedivite vena dimanat sapientia, ab romanis Ponti-
ficibus perpetuis honestata laudibus, studiosae iuventuti large effuseque
impertiatur.[3] Tum physicarum doctrinarum studia ne negligantur; nam,
praeterquamquod tanto nunc sunt in pretio, inde potissimum catholicorum
dogmatum osores argumenta petunt ad illorum veritatem debilitandam;
quapropter cavendum ne in sacro ordine desiderentur qui, ad huiusmodi

[1] Petr., III, 15.
[2] Tit., I, 9.
[3] Cf. N. 578.

bellum prudentes, eisdem ipsorum armis adversarios homines evertant,
errores refellant. Demum quae nuper de biblicis studiis excolendis
ediximus,[1] religiose custodiantur. Haec si praestabitis, et clerus flo-
rebit honore suo et Ecclesiae laus manebit, quae semper optimorum stu-
diorum fautrix et altrix est habita vereque habenda est: vobis praeterea
idonei homines praesto erunt, qui, vocati in partem ministerii vestri,
magno vobis erudiendis populis pietatique fovendae usui futuri sint et
adiumento.

5. Iam alterum, quod vobis intime volumus commendatum, illud est
ut curiones paroeciis regundis praeficiantur quam qui optimi. Etenim qui
ad hoc munus, honore quidem et auctoritate plenum at salebris curisque
plenius, provehuntur, ii sunt, quos sibi Episcopi pastoralis sollicitudinis
socios adiungunt, quibusque praecipuis utuntur adiutoribus *ad informatio-
nem eorum qui Christo credunt in vitam aeternam.*[2] Curiones namque sibi
Christus assumit ut vigilias fideles agitent, ne populus Dei sanctus impres-
sione hostium periclitetur ac detrimentum capiat. Animarum veluti patres
constituuntur, quae ad imagines Conditoris factae,[3] *emptae sunt Deo et
Agno, non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine quasi agni
immaculati Christi;*[4] eas igitur *iterum parturiant* oportet, *donec formetur Chri-
stus in illis.*[5] Pastores sunt, qui, nisi in mercenariis censeri malint, debent
oves suas agnoscere, verbi Dei pabulo nutrire, sacramentorum praesidio
instruere; factique ipsi forma gregis, *habentes mysterium verbi in conscien-
tia pura,*[6] sic plebem creditam moderentur, ut Apostoli verba usurpare
possint: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*[7] Postremum angelorum
loco habentur merito, quos mittit Deus ante populum suum, *ut custodiant
illum in via,*[8] ac medios per hostes *introducant in locum quem paravit*, civi-
tatem sanctam Hierusalem, *paratam revelari in nobis in tempore novissimo.*[9]
Haec quum ita sint, videtis, Venerabiles Fratres, quanta vobis industria
sit opus in curionibus deligendis, quanta quamque assidua vigilantia ad
eosdem in officio continendos. Homines esse tales necesse est, quibus ea
Domini congruant: *Vos estis lux mundi, vos estis sal terrae;*[10] caritate igitur
et animarum studio incensos, qui non quaerant quae sua sunt, sed quae
Iesu Christi, parati labores perpeti ac porro animam pro ovibus ponere.
Nam qui turpis lucri gratia vel humanis ducti rationibus tam arduum
verendumque munus suscipere contendant, qui convenienti vitae sancti-
monia doctrinaque careant, ii penitus arcendi sunt; mercenarii sunt enim

[1] Cf. N. 621.
[2] I Tim., I, 16.
[3] Apoc., XIV, 4.
[4] I Petr., I, 18.
[5] Gal., IV, 19.
[6] I Tim., III, 9.
[7] I Cor., XIV, 16.
[8] Exod., XXIII, 20.
[9] I Petr., I 5.
[10] Matth., V, 14.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

nec intrantes per ostium, ac sal infatuatum quod *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.* [1]

6. Et haec quidem in eorum utilitatem spectant, qui iam septis dominici gregis feliciter continentur. At vero apud vos adsunt, Venerabiles Fratres, qui, nondum *vocati in admirabile lumen Christi,* [2] *sedent* adhuc *in tenebris et in umbra mortis;* [3] oves quae perierunt, quas oportet vos adducere ad pastorem summum animarum Iesum. Civitas etenim Dei viventis, Ecclesia Christi, nullis circumscripta limitibus, ad salutem omnibus patet: vis nempe eius est, ab ipso divino Auctore tributa, ut attingat a mari usque ad mare et latius in dies proferat *locum tentorii sui et pelles tabernaculorum suorum,* [4] unde et catholica iure ac merito nominatur. Scimus equidem probeque novimus, hanc populorum *accessionem ad Sion montem* a divina gratia repetendam, Deique esse christiano nomini incrementum dare: *nemo enim venit ad Filium nisi Pater traxerit eum:* [5] hoc tamen tenemus Dei misericordis esse consilium, Redemptoris nostri facto ac doctrinis testatum, ut mortales homines ipsius Dei operi in salutem animarum obsecundent. *Fides* namque, monente Apostolo, *ex auditu est; auditus autem per verbum Christi:* at *quomodo audient sine praedicante? quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* [6] Quapropter monemus, Venerabiles Fratres, ac stimulos caritati vestrae addimus, ut sacrae expeditiones apud Indos multiplicentur: multiplicentur viri misericordiarum, qui volentes libentes mittantur operarii in messem Domini, nec carni et sanguini acquiescentes, derelictis fratribus omnia fiant, ut eos Christo lucrifaciant; inferant barbarae genti civilem cultum et mores mites, ignorantiae tenebras excutiant, ut demum *sortem* et ipsi *accipiant inter sanctos per fidem.* [7]

7. Illud denique, in quo curas vestras diligenter versari cupimus, hoc est, ut, quoniam, hisce maxime temporibus, ad perversas opiniones serendas moresque labefactandos diariis et ephemeridibus mali abutuntur, vestrarum esse partium existimetis eadem via iisdemque uti rationibus; illi misere ad destructionem, vos sancte ad aedificationem. Valebit sane admodum, si homines scientia ac virtute praediti scribendo se dedant, quae vel in singulos dies vel statis temporibus in lucem prodeant; his enim, sensim et pedetentim disiectis erroribus, latius vulgabitur veritas, ac torpore languentes animi excitabuntur, fidemque, quam corde colunt ad iustitiam, aperte profitendam, strenue tuendam suscipient. Quae tamen emolumenta praeclara evenient, si eiusmodi scriptores officia accuraverint eorum propria qui pro causa optima dimicant. Scilicet, quod monuimus alias, ut, comite moderatione, prudentia, caritate, veri rectique principia tutentur firmiter, Ecclesiae iura sanctissima adserant, Sedis Apostolicae maiestatem illustrent,

[1] Matth., V, 13.
[2] I Petr., II, 9.
[3] Luc., I, 79.
[4] Is., LIV, 2.
[5] Ioan., VI, 44.
[6] Rom., X, 17.
[7] Act., XXVI, 18.

BIBLIOTHECA FRATERNITATIS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

eorum qui rempublicam gerunt auctoritatem vereantur: in quibus tamen officiis, Episcoporum, ut aequum est, adamare ductum, consilia sequi meminerint. Ita, Venerabiles Fratres, perquam bonum existet praesidium quo populos vobis creditos a corruptis fontibus revocetis, ad salubres haustus adducatis.

8. Habetis igitur quae ex desiderio et consilio Nostro in vestris conventibus agitetis: nihil autem dubitamus certum vobis deliberatumque fore, omnes curas conferre ut optatis Nostris respondeatis. Quod ut ex communi voto cedat, caeleste praesidium imploremus, deprecatoribus adhibitis, una cum Immaculata Dei Matre Maria, Turibio Antistite sanctissimo ac Rosa virgine, quam Ecclesia primum Peruviae vestrae atque universae meridionalis Americae florem sanctitatis appellat.

9. Interea testem caritatis Nostrae, Venerabiles Fratres, ac divinorum munerum auspicem, vobis universis, clero populoque vestro benedictionem Apostolicam amantissime impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XIV, p. 133-141].

625.

Leo XIII, ep. ap. *Praeclara,* 20 iun. 1894. [1]

1. Praeclara gratulationis publicae testimonia, quae toto superiore anno, ob memoriam primordiorum episcopatus Nostri, undique accepimus, quaeque proximo tempore insignis Hispanorum pietas cumulavit, hunc imprimis attulere Nobis laetitiae fructum, quod in illa similitudine concordiaeque voluntatum eluxit Ecclesiae unitas, eiusque cum Pontifice maximo mira coniunctio. Videbatur per eos dies orbis catholicus, quasi rerum ceterarum cepisset oblivio, in aedibus Vaticanis obtutum oculorum animique cogitationem defixisse. Principum legationes, peregrinorum frequentia, plenae amoris epistolae, caeremoniae sanctissimae id aperte significabant, in obsequio Apostolicae Sedis cor unum esse omnium catholicorum et animam unam. Quae res hoc etiam accidit iucundior et gratior, quia cum consiliis coeptisque Nostris admodum congruens. Siquidem gnari temporum et memores officii, in omni pontificatus Nostri cursu, hoc constanter spectavimus, atque hoc, quantum docendo agendoque potuimus, conati sumus, colligare Nobiscum arctius omnes gentes omnesque populos, atque in conspicuo ponere vim pontificatus romani, salutarem in omnes partes. Maximas igitur et agimus et habemus gratias primum quidem benignitati divinae, cuius munere beneficioque id aetatis attigimus incolumes: deinde viris principibus, episcopis, clero, privatisque universis, quotquot multiplici testificatione pietatis et obsequii dederе operam ut personam ac dignitatem Nostram honore, Nosque privatim opportuno solatio afficerent.

2. Quamquam ad plenum solidumque solatium, multum sane defuit. Nam inter ipsas popularis laetitiae studiique significationes, obversabatur

[1] Principibus populisque universis.

BIBLIOTHECA

animo multitudo ingens, in illo gestientium catholicorum consensu aliena,
partim quod evangelicae sapientiae est omnino expers, partim quod, licet
christiano initiata nomini, a fide catholica dissidet. Qua re graviter commo-
vebamur, commovemur: neque enim fas est sine intimo doloris sensu cogi-
tationem intendere in tantam generis humani partem longe a Nobis, velut
itinere devio, digredientem. — Iamvero, cum Dei omnipotentis vices in
terris geramus, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veri-
tatis venire, cumque Nos et sera aetas et amara curarum ad humanum urgeant
exitum, visum est redemptoris magistrique nostri Iesu Christi in eo imitari
exemplum, quod proxime ad caelestia rediturus summis precibus a Deo
Patre flagitavit, ut alumni sectatoresque sui et mente et animo unum fie-
rent: *Rogo... ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et
ipsi in nobis unum sint.* [1] Quae quidem precatio obsecratioque divina quo-
niam non eos tantum complectitur qui tunc in Iesum Christum crederent,
sed etiam quotquot credituri reliquo tempore essent, idcirco dat illa Nobis
caussam non ineptam aperiendi fidenter vota Nostra, conandique, quoad
possumus, ut homines, nullo generis locorumve discrimine, ad fidei divi-
nae unitatem vocentur atque incitentur universi.

3. Urgente propositum caritate, quae illuc accurit celerius, ubi opitu-
landi necessitas maior, primum quidem provolat animus ad gentes omnium
miserrimas, quae Evangelii lumen vel nullo modo acceperunt, vel acceptum,
incuria seu longinquitate, restinxerunt: propptereaque Deum ignorant, et in
summo errore versantur. Quoniam salus omnis a Iesu Christo proficiscitur,
*nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo nos oporteat
salvos fieri,* [2] votorum Nostrorum hoc est maximum, posse sacrosancto Iesu
nomine cunctas terrarum plagas celeriter imbui atque compleri. Qua in re
munus efficere sibi demandatum a Deo Ecclesia quidem nullo tempore prae-
termisit. Quid enim undeviginti saecula laboravit, quid egit studio constan-
tiaque maiore, quam ut ad veritatem atque instituta christiana gentes addu-
ceret? Hodieque frequenter maria transmittunt, ad ultima loca progressuri,
ex auctoritate Nostra praecones Evangelii: quotidieque a Deo contendimus
ut multiplicare benigne velit sacrorum administros, dignos munere aposto-
lico, qui scilicet commoda sua et incolumitatem et vitam ipsam, si res
postulaverit, pro Christi regno amplificando non dubitent devovere.

4. Tu vero propera, humani generis servator et parens Iesu Christe:
exequi ne differas quod olim te dixisti facturum, ut cum exaltatus esses
a terra, omnia traheres ad te ipsum. Ergo illabere aliquando, atque ostende
te multitudini infinitae, beneficiorum maximorum, quae cruore tuo pepe-
risti mortalibus, adhuc experti: excita sedentes in tenebris et umbra mor-
tis, ut radiis illustrati sapientiae virtutisque tuae, in te et per te sint *con-
summati in unum.*

5. Cuius quidem unitatis sacramentum cogitantibus, occurrit Nobis
universitas populorum, quos ab erroribus diuturnis ad evangelicam sapien-

[1] Ioan., XVII, 20, 21.
[2] Act., IV, 12.

tiam divina pietas iamdiu traduxit. Nihil profecto ad recordationem iucundius, neque ad laudem providentissimi numinis praeclarius veterum memoria temporum, cum fides divinitus accepta patrimonium commune atque individuum vulgo habebatur: cum excultas humanitate gentes, locis , ingenio, moribus dissitas, licet aliis de rebus saepe dissiderent, dimicarent, nihilominus in eo, quod ad religionem pertinet, fides christiana universas coniugabat. Ad huius recordationem memoriae, nimis aegre fert animus, quod successu aetatum, suspicionibus inimicitiisque commotis, magnas ac florentes nationes de sinu Ecclesiae romanae male auspicata tempora abstraxerint. Utcumque sit, Nos quidem gratia confisi misericordiaque omnipotentis Dei, qui novit unus opitulandi maturitates, et cuius in potestate est eo, quo vult, voluntates hominum flectere, ad eas ipsas nationes adiicimus animum, easdemque caritate paterna hortamur atque obsecramus, ut redire, compositis dissidiis, velint ad unitatem.

6. Ac primo peramanter respicimus ad Orientem, unde in orbem universum initio profecta salus. Videlicet expectatio desiderii Nostri iucundam spem inchoare iubet, non longe abfore ut redeant, unde discessere, fide avita gloriaque vetere illustres, Ecclesiae orientales. Eo vel magis quod non ingenti discrimine seiunguntur: imo, si pauca excipias, sic cetera consentimus, ut in ipsis catholici nominis vindiciis non raro ex doctrina, ex more, ex ritibus, quibus orientales utuntur, testimonia atque argumenta promamus. Praecipuum dissidii caput, de romani Pontificis primatu. Verum respiciant ad initia, videant quid maiores senserint sui, quid proxima originibus aetas tradiderit. Inde enimvero illud Christi divinum testimonium, *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, luculenter extat de romanis Pontificibus comprobatum. Atque in Pontificum numero lectos ex Oriente ipso non paucos prisca vidit aetas, imprimisque Anacletum, Evaristum, Anicetum, Eleutherium, Zosimum, Agathonem: quorum plerisque contigit, ut universae christianae reipublicae administrationem sapienter sancteque gestam, profuso etiam sanguine consecrarent. — Plane liquet quo tempore, qua caussa, quibus auctoribus infelix excitata discordia. Ante illud tempus, quo tempore homo separavit quod Deus coniunxerat, sanctum erat apud omnes christiani orbis gentes Sedis Apostolicae nomen, romanoque Pontifici, ut beati Petri successori legitimo, ob eamque rem Iesu Christi in terris vicario, Oriens pariter atque Occidens consentientibus sententiis sine ulla dubitatione parebant. — Hanc ob caussam, si respiciatur ad initia dissidii, Photius ipse oratores de rebus suis Romam destinandos curavit: Nicolaus vero I Pontifex maximus Constantinopolim legatos suos, nullo contra dicente, ab Urbe misit, *ut Ignatii Patriarchae caussam diligenter investigarent, et Sedi Apostolicae plenis ac veracibus referrent indiciis:* ita ut tota rei gestae historia primatum romanae Sedis, quacum dissensus tum erumpebat, aperte confirmet. — Denique in Conciliis magnis tum Lugdunensi II, [1] tum Florentino, [2] supremam romanorum Pontificum

[1] Cf. N. 35.
[2] Cf. N. 51.

potestatem nemo ignorat, facili consensione et una omnes voce, latinos graecosque ut dogma sanxisse.

7. Ista quidem ob hanc rem consulto revocavimus, quia ad reconciliandam pacem velut invitamenta sunt: eo vel magis, quod hoc tempore perspicere in orientalibus videmur multo mitiorem erga catholicos animum, imo propensionem quamdam benevolentis voluntatis. Id nominatim non multo ante apparuit, cum scilicet nostris, pietatis caussa in Orientem adve-ctis, egregia humanitatis amicitiaeque praestita officia vidimus. — Itaque *os Nostrum patet ad vos*, quotquot estis, graeco aliove orientali ritu, Eccle-siae catholicae discordes. Magnopere velimus, reputet unusquisque apud se illam Bessarionis ad patres vestros plenam amoris gravitatisque oratio-nem: *Quae nobis relinquetur apud Deum responsio, quare a fratribus divisi fuerimus, quos ut uniret et ad unum ovile redigeret, ipse descendit de caelo, incarnatus et crucifixus est? quae nostra defensio erit apud posteros nostros? non patiamur haec, Patres optimi: non habeamus hanc sententiam, non ita male nobis consulamus et nostris.* — Quae sint postulata Nostra, probe per se ipsa et coram Deo perpendite. Nulla quidem humana re, sed caritate divina, communisque salutis studio permoti, reconciliationem coniunctio-nemque cum Ecclesia romana suademus: coniunctionem intelligimus ple-nam ac perfectam: talis enim esse nullo modo potest ea, quae nihil amplius inducat, quam certam aliquam dogmatum credendorum concordiam fra-ternaeque caritatis commutationem. Vera coniunctio inter christianos est, quam auctor Ecclesiae Iesus Christus instituit voluitque, in fidei et regi-minis unitate consistens. Neque est cur dubitetis, quidquam propterea vel Nos vel successores Nostros de iure vestro, de patriarchalibus privi-legiis, de rituali cuiusque Ecclesiae consuetudine detracturos. Quippe hoc etiam fuit, idemque est perpetuo futurum in consilio disciplinaque Aposto-licae Sedis positum, propriis cuiusque populi originibus moribusque ex aequo et bono non parce tribuere. — At vero redintegrata nobiscum com-munione, mirum profecto quanta Ecclesiis vestris dignitas, quantum decus, divino munere, accedet. Sic igitur vestram ipsorum supplicationem Deus perbenigne audiat, *Fac cessent schismata ecclesiarum,* [1] atque, *Congrega dispersos et reduc errantes, et coniunge sanctae tuae catholicae et apostolicae Ecclesiae:* [2] sic ad illam restituamini unam sanctamque fidem, quam ultima vetustas nobis perinde vobisque constantissime tradidit; quam patres ac maiores vestri inviolate servarunt: quam ipsam splendore virtutum, magni-tudine ingenii, excellentia doctrinae certatim illustravere Athanasius, Basi-lius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, uterque Cyrillus, aliique magni complures, quorum gloria ad Orientem atque Occidentem, tamquam communis hereditas aeque pertinet.

8. Vosque nominatim compellare hoc loco liceat, Slavorum gentes uni-versae, quarum claritudinem nominis multa rerum gestarum monumenta

[1] *Παῦσον τὰ σχίσματα τῶν ἐκκλησιῶν* (*In liturg. S. Basilii*).

[2] Τοὺς ἐσκορπισμένους ἐπισυνάγαγε, τοὺς πεπλανημένους ἐπανάγαγε, καὶ σύναψον τῇ ἁγίᾳ σου καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ (Ibid.).

testantur. Nostis quam egregie de Slavis meruerint sancti in fide patres Cyrillus et Methodius, quorum memoriam Nosmetipsi honore debito augen-dam aliquot ante annis curavimus. [1] Eorum virtute et laboribus parta ple-risque e genere vestro populis humanitas et salus. Quo factum ut Slavo-niam inter et romanos Pontifices pulcherrima vicissitudo hinc beneficiorum, illinc fidelissimae pietatis diu extiterit. Quod si maiores vestros misera temporum calamitas magnam partem a professione romana alienavit, con-siderate quanti sit redire ad unitatem. Vos quoque Ecclesia pergit ad suum revocare complexum, salutis, prosperitatis, magnitudinis praesidium mul-tiplex praebitura.

9. Caritate non minore ad populos respicimus, quos, recentiore memo-ria, insolita quaedam rerum temporumque conversio ab Ecclesia romana seiunxit. Variis exactorum temporum casibus oblivione dimissis, cogitatio-nem supra humana omnia erigant, animoque veritatis et salutis unice cupido, reputent apud se constitutam a Christo Ecclesiam. Quacum si velint con-gregationes conferre suas, et quo loco in illis religio sit aestimare, facile dabunt, se quidem multis maximisque in rebus, primordiorum oblitos, ad nova errore vario defluxisse; neque diffitebuntur, ex eo velut patrimo-nio veritatis, quod novarum rerum auctores secum in secessione avexerant, nullam fere formulam fidei certam atque auctoritate praeditam apud ipsos superesse. Immo vero illuc iam deventum, ut multi non vereantur funda-mentum ipsum convellere, in quo religio tota et spes omnis mortalium unice nititur, quod est divina Iesu Christi Servatoris natura. Pariter, quos antea novi veterisque Testamenti libros affirmabant divino afflatu conscri-ptos, eis nunc talem abnegant auctoritatem: quod sane, data cuilibet pote-state interpretandi sensu iudicioque suo, omnino consequi erat necesse. — Hinc sua cuiusque conscientia, sola dux et norma vitae, qualibet alia reie-cta agendi regula: hinc pugnantes inter se opiniones et sectae multiplices, eaedemque persaepe in *naturalismi* aut *rationalismi* placita abeuntes. Quo-circa, desperato sententiarum consensu, iam coniunctionem praedicant et commendant fraternae caritatis. Atque id sane vere: quandoquidem cari-tate mutua coniuncti esse universi debemus. Id enim maxime Iesus Chri-stus praecepit, atque hanc voluit esse sectatorum suorum notam, diligere inter se. Verum qui potest copulare animos perfecta caritas, si concordes mentes non effecerit fides? — His de caussis complures eorum de quibus loquimur, sano iudicio, veritatisque studiosi, certam salutis viam in Eccle-sia catholica quaesivere, cum plane intelligerent nequaquam se posse cum Iesu Christo tamquam capite esse coniunctos, cuius non adhaerescerent corpori, quod est Ecclesia: nec sinceram Christi fidem adipisci, cuius magi-sterium legitimum, Petro et successoribus traditum, repudiarent. Ii videli-cet in Ecclesia romana expressam verae Ecclesiae speciem atque imaginem dispexere, inditis ab auctore Deo notis plane conspicuam: ideoque in ipsis numerantur multi, acri iudicio subtilique ad antiquitatem excutiendam

[1] Ep. encycl. *Grande munus*, 30 sept. 1880. – Cf. Leonis XIII Acta, vol. II, p. 125-137.

ingenio, qui Ecclesiae romanae ab Apostolis continuationem, dogmatum
integritatem, disciplinae constantiam scriptis egregiis illustrarint. Igitur
horum virorum proposito exemplo, compellat vos plus animus quam ora-
tio, fratres nostri, qui tria iam saecula nobiscum de fide christiana dissi-
detis, itemque vos, quotcumque deinceps quavis de caussa seorsum a nobis
abiistis. *Occuramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei.*[1] Ad hanc
unitatem, quae nullo tempore Ecclesiae catholicae defuit, nec potest ulla
ratione deesse, sinite ut vos invitemus, dextramque peramanter porrigamus.
Vos Ecclesia, communis parens, iamdiu revocat ad se, vos catholici uni-
versi fraterno desiderio expectant, ut sancte nobiscum colatis Deum, unius
Evangelii, unius fidei, unius spei professione in caritate perfecta coniuncti.

10. Ad plenum optatissimae unitatis concentum, reliquum est ut ad
eos, quotquot toto orbe sunt, transgrediatur oratio, quorum in salute diu
evigilant curae cogitationesque Nostrae: catholicos intelligimus, quos roma-
nae professio fidei uti obedientes facit Apostolicae Sedi, ita tenet cum Iesu
Christo coniunctos. Non ii quidem ad veram sanctamque unitatem cohor-
tandi, quippe cuius iam sunt, divina bonitate, compotes: monendi tamen
ne, ingravantibus undique periculis, summum Dei beneficium socordia
atque ignavia corrumpant. — Huius rei gratia, quae Nosmetipsi gentibus
catholicis vel universis vel singulis alias documenta dedimus, ex iis cogi-
tandi egendique normam opportune sumant: illudque imprimis velut sum-
mam sibi legem statuant, magisterio auctoritatique Ecclesiae non anguste,
non diffidenter, sed toto animo et perlibente voluntate omnibus in rebus
esse parendum. — Qua in re animum advertant, illud quam valde sit uni-
tati christianae perniciosum, quod germanam formam notionemque Eccle-
siae varius opinionum error passim obscuravit, delevit. Ea quippe, Dei
conditoris voluntate ac iussu, societas est genere suo perfecta; cuius offi-
cium ac munus est imbuere praeceptis institutisque evangelicis genus huma-
num, tuendaque integritate morum et christianarum exercitatione virtutum,
ad eam, quae unicuique hominum proposita in caelis est, felicitatem addu-
cere. Quoniamque societas est, uti diximus, perfecta, idcirco vim habet
virtutemque vitae, non extrinsecus haustam, sed consilio divino et suapte
natura insitam: eademque de caussa nativam habet legum ferendarum pote-
statem, in iisque ferendis rectum est eam subesse nemini: itemque aliis
in rebus, quae sint iuris sui, oportet esse liberam. Quae tamen libertas
non est eiusmodi, ut ullum det aemulationi invidiaeque locum: non enim
potentiam consectatur Ecclesia, neque ulla cupiditate sua impellitur, sed
hoc vult, hoc expetit unice, tueri in hominibus officia virtutum, et hac
ratione, hac via, sempiternae eorum saluti consulere. Ideoque facilitatem
indulgentiamque maternam adhibere solet: imo etiam non raro contingit,
ut plura temporibus civitatum tribuens, uti iure suo abstineat: quod sane
pacta ipsa abunde testantur cum imperiis saepe conventa. — Nihil magis
ab ea alienum, quam rapere ad se quicquam de iure imperii: sed vicissim
vereatur imperium necesse est iura Ecclesiae, caveatque ne ullam ex iis

[1] Eph., IV, 13.

partem ad se traducat. — Nunc vero, si res et facta spectentur, cuiusmodi est temporum cursus? Ecclesiam videlicet suspectam habere, fastidire, odisse, invidiose criminari nimis multi consuevere: quodque multo gravius, id agunt omni ope et contentione, ut ditioni gubernatorum civitatis faciant servientem. Hinc sua ipsi et erepta bona, et deducta in angustum libertas: hinc alumnorum sacri ordinis circumiecta difficultatibus institutio: perlatae in clerum singulari severitate leges: dissolutae, prohibitae, optima christiani nominis praesidia, religiosorum sodalitates: brevi, *regalistarum* praecepta atque acta acerbius renovata. Hoc quidem est vim afferre sanctissimis Ecclesiae iuribus: quod maxima gignit civitatibus mala, propterea quod cum divinis consiliis aperte pugnat. Princeps enim atque opifex mundi Deus, qui hominum congregationi et civilem et sacram potestatem providentissime praeposuit, distinctas quidem permanere eas voluit, at vero seiunctas esse et confligere vetuit. Quin immo cum Dei ipsius voluntas, tum commune societatis humanae bonum omnino postulat, ut potestas civilis in regendo gubernandoque cum ecclesiastica conveniat. Hinc sua et propria sunt imperio iura atque officia, sua item Ecclesiae: sed alterum cum altera concordiae vinculo colligatum esse necesse est. — Ita sane futurum, ut Ecclesiae imperiique necessitudines mutuae ab illa sese expediant perturbatione, quae nunc est, non uno nomine improvida, bonisque omnibus permolesta: pariterque impetrabitur, ut non permixtis, neque dissociatis utriusque rationibus, reddant cives *quae sunt Caesaris, Caesari, quae sunt Dei, Deo.*

11. Simili modo magnum unitati discrimen ab ea hominum secta impendet, quae *Massonica* nominatur, cuius funesta vis nationes praesertim catholicas iamdiu premit. Turbulentorum temporum nacta favorem, viribusque et opibus et successu insolescens, dominatum suum firmius constabilire, latiusque propagare summa ope contendit. Iamque ex latebra et insidiis in lucem erupit civitatum, atque in hac Urbe ipsa, catholici nominis principe, quasi Dei numen lacessitura consedit. Quod vero calamitosissimum est, ubicumque vestigium posuit, ibi in omnes sese ordines in omniaque instituta reipublicae infert, si tandem summam arbitriumque obtineat. Calamitosissimum id quidem: eius enim manifesta est quum opinionum pravitas tum consiliorum nequitia. Per speciem vindicandi iuris humani civilisque societatis instaurandae, christianum nomen hostiliter petit: traditam a Deo doctrinam repudiat: officia pietatis, divina sacramenta, tales res augustiores, tamquam superstitiosa vituperat: de matrimonio, de familia, de adolescentium institutione, de privata omni et publica disciplina, christianam formam detrahere nititur, omnemque humanae et divinae potestatis reverentiam ex animo evellere populorum. Praecipit vero colendam homini esse naturam, atque huius unius principiis aestimari ac dirigi veritatem, honestatem, iustitiam oportere. Quo pacto, uti perspicuum est, compellitur homo ad mores fere vitaeque consuetudinem ethnicorum, eamque multiplicatis illecebris vitiosiorem. — Hac de re, quamquam alias a Nobis gravissimeque est dictum,[1] Apostolica tamen vigilantia adducimur

[1] Cf. N. 591.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

in idem ut insistamus, etiam atque etiam monentes, in tam praesenti periculo nullas esse cautiones tantas, quin suscipiendae sint maiores. Clemens prohibeat Deus nefaria consilia: sentiat tamen atque intelligat populus christianus, indignissimum sectae iugum excutiendum aliquando esse: excutiantque enixius, qui durius premuntur, Itali et Galli. Quibus armis, qua ratione id rectius possint, iam Nos ipsi demonstravimus: neque victoria incerta eo fidentibus duce, cuius perstat divina vox: *Ego vici mundum.*[1]

12. Utroque depulso periculo, restitutisque ad fidei unitatem imperiis et civitatibus, mirum quam efficax medicina malorum et quanta bonorum copia manaret. Praecipua libet attingere.

13. Pertinet primum ad dignitatem ac munera Ecclesiae: quae quidem receptura esset honoris gradum debitum, atque iter suum et invidia vacuum et libertate munitum pergeret, administra evangelicae veritatis et gratiae; idque singulari cum salute civitatum. Ea enim cum magistra sit et dux hominum generi a Deo data, conferre operam potest praecipue accommodatam maximis temporum conversionibus in commune bonum temperandis, caussis vel impeditissimis opportune dirimendis, recto iustoque, quae firmissima sunt fundamenta reipublicae, provehendo.

14. Praeclara deinde coniunctionis inter nationes accessio fieret, desideranda maxime hoc tempore, ad taetra bellorum discrimina praecavenda. — Ante oculos habemus Europae tempora. Multos iam annos plus specie in pace vivitur, quam re. Insidentibus suspicionibus mutuis, singulae fere gentes pergunt certatim instruere sese apparatu bellico. Improvida adolescentium aetas procul parentum consilio magisterioque in pericula truditur vitae militaris: validissima pubes ab agrorum cultura, a studiis optimis, a mercaturis, ab artificiis, ad arma traducitur. Hinc exhausta magnis sumptibus aeraria, attritae civitatum opes, afflicta fortuna privatorum: iamque ea, quae nunc est, veluti procincta pax diutius ferri non potest. Civilis hominum coniunctionis talemne esse natura statum? Atqui hinc evadere, et pacem veri nominis adipisci, nisi Iesu Christi beneficio, non possumus. Etenim ab ambitionem, ad appetentiam alieni, ad aemulationem cohibendam, quae sunt maximae bellorum faces, christiana virtute imprimisque iustitia, nihil est aptius: cuius ipsius virtutis munere tum iura gentium et religiones foederum integra esse possunt, tum germanitatis vincula firmiter permanere, eo persuaso: *Iustitia elevat gentem.*[2]

15. Pariter domi suppetet inde praesidium salutis publicae multo certius ac validius, quam quod leges et arma praebent. Siquidem nemo non videt, ingravescere quotidie pericula incolumitatis et tranquillitatis publicae, cum seditiosorum sectae, quod crebra testatur facinorum atrocitas, in eversiones conspirent atque excidia civitatum. Scilicet magna contentione agitatur ea duplex causa, quam *socialem*, quam *politicam* appellant. Utraque sane gravissima: atque utrique sapienter iusteque dirimendae, quamvis laudabilia studia, temperamenta, experimenta sint in medio con-

[1] Ioan., XVI, 33.
[2] Prov., XIV, 34.

sulta, tamen nihil aliud tam opportunum fuerit, quam si passim animi ad conscientiam regulamque officii ex interiore fidei christianae principio informentur. — De *sociali* causa in hanc sententiam a Nobis non multo ante, data opera, tractatum est, sumptis ab Evangelio, itemque a naturali ratione principiis.[1] — De caussa *politica*, libertatis cum potestate conciliandae gratia, quas multi notione confundunt et re intemperanter distrahunt, ex christiana philosophia vis derivari potest perutilis. Nam hoc posito, et omnium assensu approbato, quaecumque demum sit forma reipublicae, auctoritatem esse a Deo, continuo ratio perspicit, legitimum esse in aliis ius imperandi, consentaneum in aliis officium parendi, neque id dignitati contrarium, quia Deo verius quam homini paretur: a Deo autem *iudicium durissimum iis qui praesunt* denuntiatum est, nisi personam eius recte iuste-que gesserint. Libertas vero singulorum nemini potest esse suspecta et invisa, quia nocens nemini, in iis quae vera sunt, quae recta, quae cum publica tranquillitate coniuncta, versabitur. — Denique si illud spectetur, quid possit populorum ac principum parens et conciliatrix Ecclesia, ad utrosque iuvandos auctoritate consilioque suo nata, tum maxime apparebit quantum salutis communis intersit ut gentes universae inducant animum idem de fide christiana sentire, idem profiteri.

16. Ista quidem cogitantes ac toto animo concupiscentes, longe intuemur qualis esset rerum ordo in terris futurus, nec quidquam novimus consequentium bonorum contemplatione iucundius. Fingi vix animo potest, quantus ubique gentium repente foret ad omnem excellentiam prosperitatemque cursus, constituta tranquillitate et otio, incitatis ad incrementa litteris, conditis insuper auctisque christiano more, secundum praescripta Nostra, agricolarum, opificum, industriorum consociationibus, quarum ope et vorax reprimatur usura, et utilium laborum campus dilatetur.

17. Quorum vis beneficiorum, humanarum atque excultarum gentium nequaquam curcumscripta finibus, longe lateque, velut abundantissimus amnis, deflueret. Illud enim est considerandum, quod initio diximus, gentes multitudine infinitas plura iam saecula et aetates praestolari, a quo lumen veritatis humanitatisque accipiant. Certe, quod pertinet ad sempiternam populorum salutem, aeternae mentis consilia longissime sunt ab hominum intelligentia remota: nihilominus si per varias terrarum plagas tam est adhuc infelix superstitio diffusa, id non minima ex parte vitio dandum subortis de religione dissidiis. Nam, quantum valet mortalis ratio ex rerum eventis existimare, hoc plane videtur Europae munus assignatum a Deo, ut christianam gentium humanitatem ad omnes terras sensim perferat. Cuius tanti operis initia progressusque, superiorum aetatum parta laboribus, ad laeta incrementa properabant, cum repente discordia saec. XVI deflagravit. Discerpto disputationibus dissidiisque nomine christiano, extenuatis Europae per contentiones et bella viribus, funestam temporum vim sacrae expeditiones sensere. Insidentibus discordiae caussis, quid mirum si tam magna pars mortalium moribus inhumanis et vesanis ritibus

[1] Cf. N. 611.

implicita tenetur? Omnes igitur pari studio demus operam ut concordia vetus, communis boni caussa, restituatur. Eiusmodi reconciliandae concordiae, pariterque beneficiis christianae sapientiae late propagandis, opportuna maxime fluunt tempora, propterea quod humanae fraternitatis sensa nunquam altius in animos pervasere, neque ulla aetate visus homo sui similes, noscendi opitulandique caussa, studiosius anquirere. Immensos terrarum marisque tractus celeritate incredibili currus et navigia transvehuntur; quae sane egregios usus afferunt, non ad commercia tantummodo curiositatemque ingeniosorum, sed etiam ad verbum Dei ab ortu solis ad occasum late disseminandum.

18. Non sumus nescii, quam diuturni laboriosique negotii sit rerum ordo, quem restitutum optamus: nec fortasse deerunt, qui Nos arbitrentur nimiae indulgere spei, atque optanda magis, quam expectanda quaerere. Sed Nos quidem spem omnem ac plane fiduciam collocamus in humani generis Servatore Iesu Christo, probe memores, quae olim et quanta per stultitiam Crucis et praedicationis eius patrata sint, *huius mundi* obstupescente et confusa *sapientia*. — Principes vero et rectores civitatum nominatim rogamus, velint pro civili prudentia sua et fideli populorum cura consilia Nostra ex veritate aestimare, velint auctoritate et gratia fovere. Quaesitorum fructuum si vel pars provenerit, non id minimi fuerit beneficii loco in tanta rerum omnium inclinatione, quando impatientia praesentium temporum cum formidine iungitur futurorum.

19. Extrema saeculi superioris fessam cladibus trepidamque perturbationibus Europam reliquere. Haec, quae ad exitum properat aetas, quidni, versa vice, humano generi hereditate transmittat auspicia concordiae cum spe maximorum bonorum, quae unitate fidei christianae continentur?

20. Adsit optatis votisque Nostris *dives in misericordia Deus*, cuius in *potestate tempora sunt et momenta*, benignissimeque implere maturet divinum illud Iesu Christi promissum, *fiet unum ovile et unus pastor.* [1]

[Leonis XIII Acta, vol. XIV, p. 195-214].

626.

Leo XIII, ep. *Litteras a vobis*, 2 iul. 1894. [2]

1. Litteras a vobis superiore anno accepimus, communis laetitiae gratique animi nuncias de hierarchia apud vos paulo ante amplificata, altera videlicet ecclesiastica instituta provincia sedibusque episcopalibus quatuor adiectis. — De nova hac Apostolicae in gentem vestram sollicitudinis significatione sane fuit laetandum. In pluribus enimvero causis quibus res catholica aliquantum apud vos inclinari videbatur, recensendus etiam, impar amplitudini regionis ac frequentiae incolarum, Antistitum sacrorum numerus. Nam inde fiebat ut Episcopi non illa, qua exoptarent, vigilantia in

[1] Ioan., X, 16.
[2] Ad Archiepiscopos et Episcopos Brasiliae.

clerum gregemque creditum uti possent, tum ad incommoda propulsanda, tum ad virtutem dignitatemque catholici nominis provehendam. Quapropter pastoralem navitatem vestram probavistis, quum, Paulopolim congressi, episcopalis hierarchiae amplificationem a Pontifice romano postulastis: quibus Nos postulationibus libenter duximus obsecundandum. — At enim, Venerabiles Fratres, dum ex Episcopis, numero quam antea pluribus, rei christianae spes nitet uberis incrementi, id tamen ex vestro potissimum cuiusque studio expectandum est, ut gliscentibus undique malis opportuna adhibeantur remedia. Hanc ipsam in partem ne providentia caritatis Nostrae desideretur, aperiendum censuimus quae curis vestris praecipue commendata velimus, ad fidei pietatisque christianae profectum magnopere, ut speramus, utilia.

2. Elaborandum in primis ut homines sacri ordinis disciplinis optimis instituantur, iis praesertim quibus maxime est opus, ut catholicam veritatem et apte pro officio proponere et strenue ab oppugnationibus possint tutari. Nimis quotidie experiendo patet fidei ac religionis ignoratione ibi fere populos premi, ubi administri sacrorum consentanea vacent doctrina. Os etenim sacerdotis est unde legem requirere fideles oporteat: *Angelus enim Domini est;* ob eamque causam edictum legimus: *Labia sacerdotis custodient scientiam:* [1] Apostolus vero ceteris cum rationibus quibus se exhibuit *sicut Dei ministrum*, [2] scientiam quoque commemorat. Quae quidem scientia quum abest, id etiam consequitur ipsis sacerdotibus perniciosum, ut nimirum, Deo neglecti officii poenam repetente, contemnantur a plebe: *Propterea dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis.* [3] — Hoc tamen doctrinae ornamentum idem et praesidium nequaquam ad propositum vere conducet, si a vitae sit morumque sanctimonia seiunctum. Praeterquam etenim quod scientia sine caritate *non aedificat, sed inflat*, [4] illud fere est hominum ingenium ut, quamvis Christus edixerit, doctrinam quidem ab sacrorum ministris accipiendam, opera vero eorum non attendenda si a doctrina dissenserint; proclivius tamen in ea ferantur quae usurpent oculis, quam quae per aures demittantur. Propterea que de ipso Servatore Deo, qui pastorum sui gregis non magister solum sed forma etiam est factus, praeclare testatum legimus eum *coepisse facere et docere;* ut scilicet quam sacerdos tradit commendatque doctrinam, eam re ipse confirmet. Prae ceteris, qui paroeciis regundis praefectus est, laboris ne sit impatiens, vocatusque in vineam Domini, hanc impigre et constanter exerceat et colat, religiose memor, de animabus sibi creditis rationem se aliquando Domino gravissimam redditurum. Operam vero ne perdat, in omni studeat et tempore et re disciplinae esse retinentissimus. Strenue quidem Christo militandum; non tamen nisi eorum nutu et auctoritate, quos ipse Christus duces elegit.

[1] Malach., II, 7.
[2] II Cor., VI, 4.
[3] Malach., II, 9.
[4] I Cor., VIII, 1.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

3. Tales vobis, Venerabiles Fratres, adiutores educere, vester est labor
siquidem exploratum, eos demum sacerdotes futuros, quales vos forman-
dos curaveritis. Habetis nempe ubi, ad vestrum et Ecclesiae votum, mini-
stros effingatis *probabiles Deo, operarios inconfusibiles:* [1] in sacris videlicet
Seminariis, quae cui bono magno sint instituta, vel ipso nomine apertum
est. Huc igitur intendite animos et sedulitatem, sic ut ecclesiastica Semi-
naria, quae iam sunt, omnino vigeant floreantque, tum ad studia sacrarum
disciplinarum quod attinet, tum quod spectat ad animos adolescentium
sancte fingendos. Studia quidem ut recte procedant, optimis doctoribus
opus est, non modo sana doctrina imbutis, verum qui illam accommodate
tradant et ad Nostra praescripta fideliter. Ut autem adolescens clerus ger-
manum Ecclesiae spiritum hauriat et excolatur virtutibus, magistri pietatis
diligentissime deligendi sunt; quorum tamen operam vestra etiam plena
industriae sollicitudo adiuvet et perficiat. At vero in dioecesibus ubi nulla
adhuc Seminaria existunt, curent omni ope Antistites ut ea quamprimum
quamque optime constituantur; omnia pro potestate exequendo, quae in
hanc partem tum a Tridentina Synodo sancita sunt, [2] tum Nosmetipsi prae-
cepimus Apostolicis litteris V cal. maii anno MDCCCXCII datis. [3] Ipsa docendi
libertas, quae apud gentem vestram nunc valet, facultatem affert vobis
maiorem, ut ea praestetis quae de apta ratione studiorum commendavi-
mus. — Ad haec praeclarum quoque adiumentum paratum est in clerico-
rum Collegio, quod Romae, commodo Americae meridionalis, Pius IX
Decessor Noster fel. rec. condendum curavit, quodque Nosmetipsi prove-
here studuimus valdeque fovemus. Expectationem vero exitus felicius in
dies complet: satisque est commemorare, ex ipso vestro numero, Venerabiles
Fratres, nonnullos censeri quos habuisse alumnos iure idem Ephebeum
laetatur. Iuverit ergo, et auctores praecipue sumus ut, quos egregiae spei
adolescentes habueritis, Romam formandos mittatis, iisdem postmodum
qua ad docendum qua cetera ad munia commode usuri.

4. Vix attinet dicere de emolumento, quod vobis in sacra re familiae
ordinum religiosorum sunt allaturae. Eas Nos ex providentia Apostolica
rati sumus ab iacturis praeteritorum temporum in pristinam institutorum
observantiam restituere: quod ut e sententia cederet melius, III nonas sep-
tembris anno MDCCCXC Religiosorum indigenorum domus ut Episcoporum
auctoritati subessent decrevimus. — In re igitur tam utili ac praestanti par-
tes vestras minime defuturas confidimus. Grata quidem acciderunt quae
propterea transacta iam sunt, curante Venerabili Fratre Hieronymo Archie-
piscopo Petraeo, Sedis Apostolicae Internuntio apud reipublicae vestrae
Praesides. Quo tamen coepta maiores habeant auctus atque optatos ad
exitus adducantur, in hoc adhortamur strenuam religioni vestrisque maxime
gregibus operam navetis. Gratulandum interea, Religiosas tum virorum
tum feminarum familias libenti animo quae a Nobis mandata sunt exce-
pisse et ad primaevi cuiusque instituti restitutionem sese alacres exhibuisse.

[1] II Tim., II, 15.
[2] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.
[3] Cf. Leonis XIII Acta, vol. XII, p. 88-101.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

5. Ista, Venerabiles Fratres, de clero recte formando adhibendoque ad
sacra: neque minus industriam vestram rationes fidelium exposcunt. Qua
in causa, quod ceteris anteponendum, illud est, ut religionis sanctissimae
elementa pueri rudesque homines apposite doceantur, Curionum sacrorum
diligentia assidue excitata. Tum vero, quandoquidem publice licet, ludi
instituantur puerili aetati erudiendae, ne ipsa, grandi cum fidei rectorum-
que morum detrimento, vel haereticorum, quod usuvenit, adire scholas,
vel gymnasia celebrare adigatur, ubi mentio nulla catholicae disciplinae,
nisi forte calumniosa, infertur. -- Praeterea, quoniam consiliis exemplisque
mutuis confirmantur animi et ad fortia pro religione agenda perpetienda-
que inflammantur, merebitis idcirco optime de re catholica et publica, si
hominibus laicis, iuvenibus praesertim, suasores auctoresque eritis ut in
societates christiano instituto coeant. Has crebra Nos hortatione laudavi-
mus, quippe quae, quum curandis religionis rationibus et egenorum utili-
tatibus promovendis studeant, tum omni ope efficacitatem minuant earum
consociationum, quae, publicae caritatis appellatione abusae, Ecclesiae et
civitatis bono valde adversantur. — Nec vos praetereat, Venerabiles Fratres,
quantam, hisce maxime temporibus, in bonum in malum sint nactae vim
ephemerides adsimilesque in vulgus editae scriptiones. Ne sit igitur in
postremis catholicorum curis, ut his etiam armis in christiani nominis
defensionem certetur; rite nimirum observato Episcoporum ductu, atque
integra reverentia quae civili debetur potestati. — Denique catholicos omnes
meminisse oportet, hoc maxime Ecclesiae interesse quales in coetum legum-
latorum cooptentur homines: quamobrem, salvo civilium legum iure, eniti
universos necesse est, ut tales suffragio communi eligant, qui cum studio
publicae rei studium religionis probatum coniungant. Id autem eo eveniet
felicius, si supremae auctoritati rem publicam moderanti obsequium sin-
guli deferant, eaque unanimes constantesque persequantur, quae Nos dudum
in litteris encyclicis de Civitatum constitutione christiana ediximus. [1]

6. Ceterum, Venerabiles Fratres, vigeat in vobis caritas arctissima et
animorum concordia, *ut idem sapiatis, unanimes, idpsum sentientes.* [2] Cuius
rei gratia summopere commendamus ut inter vos frequenter communice-
tis consilia, atque episcopales conventus, pro locorum intervallis sacrisque
muneris officiis, saepius iteretis. Adest vobis Apostolicae Sedis Legatus,
qui mentem Nostram et consilia vobis aperiat; Nos vero, pro paterna qua
vos complectimur caritate, ad ferendam studiis vestris opem paratos nullo
non tempore habetis.

7. Caelestium autem bonorum munera, unde ad pastorale officium sancte
gerendum suppetant vires, Deus perbenigne largiatur; eorumque sit auspex
Apostolica benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, clero populisque
cuiusque vestrum curae concreditis peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XIV, p. 230-236].

[1] Cf. N. 592.
[2] Philipp., II, 2.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

627.

Leo XIII, litt. ap. *Orientalium*, 30 nov. 1894.

Orientalium dignitas Ecclesiarum, pervetustis rerum monumentis eisque insignibus commendata, magnam habet toto christiano orbe venerationem et gloriam. Apud illas enim, inita benignissimo Dei consilio humanae redemptionis primordia, celeriter ad ea properavere incrementa, ut laudes apostolatus et martyrii, doctrinae et sanctitatis primo honore floruerint, primam saluberrimorum fructuum laetitiam ediderint. Ex illis autem perampla beneficiorum vis in ceteros late populos mire profluxit; quum beatissimus Petrus, princeps apostolici ordinis, multiplicem erroris vitiique pravitatem disiecturus, lumen veritatis divinae, evangelium pacis, Christi libertatem in dominam gentium urbem caelesti numine intulit. — At Ecclesiis Orientalibus Romana potissimum, ecclesiarum omnium caput, sane quantum honoris et caritatis inde a memoria apostolica tribuere consuevit et quam fideli obsequio vicissim laetari: easdemque, per varia deinde atque acerba tempora, nequaquam ipsa destitit, providentia et beneficiis, a iacturis erigere, devinctas retinere, revocare discordes. Neque ultimum illud fuit vigilantiae officium, ut proprias cuiusque orientalis gentis consuetudines sacrorumque rationes, quas pro potestate et sapientia sua legitimas edixisset, integras in eis perpetuo custodiret ac tueretur; cuius rei documento multa sunt quae Decessores Pontifices, cum primis Pius IX fel. rec., vel suis ipsi actis vel per sacrum Consilium christiano nomini propagando prudentissime censuerunt. — Non minore permoti Nos adductique studio, sub ipsa pontificatus initia, ad christianas Orientis nationes oculos peramanter convertimus.[1] Maturavimus quidem conferre curas ad earum allevandas necessitates, aliasque sumus deinceps occasiones nacti actuosae benevolentiae testandae: sed nihil profecto antiquius sanctiusque fuit neque est, quam animis cum Sede Apostolica obstrictis, adeo in eis ardorem excitare et fecunditatem fidei, ut ad maiorem excellentiam et laudem exemplis renovatis nitantur.

Iam licuit aliquot adiumenta Ecclesiis illis afferre. — Collegium hac ipsa in Urbe clericis Armeniis et Maronitis instituendis, itemque Philippopoli et Hadrianopoli pro Bulgaris, condidimus; Athenis Leonianum condendum decrevimus; etiam seminario sanctae Annae, quod Hierosolymae, cleri Graeci Melchitae educendi causa, coeptum est, maiorem in modum favemus. In eo praeterea sumus ut Syrorum numerum in alumnis Collegii Urbaniani augeamus; utque Athanasianum Graecorum ad pristinum restituamus institutum, quod Gregorius XIII, munificus auctor, sapienter voluit, unde viri extiterunt clarissimi. Plura vero in hoc similique genere

[1] Allocut. *Dives in misericordia*, 12 maii 1879; allocut. *Si fuit in re christiana*, 13 dec. 1880 (cf. Leonis XIII Acta, vol. I, p. 228-235; vol. II, p. 179-182).

experiri Nos atque efficere posse, eo nunc vehementiore voluntate exoptamus, postquam, aspirante Deo, consilium iamdiu meditatum perfecimus appellandi singulari epistola principes et populos universos ad felicem fidei divinae unitatem.[1] Nempe inter christianas gentes calamitose divulsas, primo loco Orientales vocare, adhortari, obsecrare contendimus, quanta maxima potuimus apostolica et paterna caritate. Inchoatam spem quotidie magis foveri periucundum accidit Nobis, certumque est, opus tam salutare enixius insistere; ut, quidquid ex Apostolicae Sedis providentia expectari possit, admodum expleamus, quum submovendis simultatis vel suspicionis causis, tum optimis quibusque reconciliationis praesidiis admovendis. — Praestantissimum id esse existimamus, ad incolumitatem disciplinae Orientalium propriae, cui valde semper tribuimus, animum curasque adiicere. Qua in re iam Nos clericorum ephebeis earum gentium proxime conditis hanc etiam dedimus praescriptionem, dabimus eamdem condendis, ut maxima religione ritus colant et observent suos, in eisque cognitionem usumque alumni capiant. Siquidem in rituum orientalium conservatione plus inest quam credi possit momenti. Augusta enim, qua varia ea rituum genera nobilitantur, antiquitas, et praeclaro est ornamento Ecclesiae omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmat. Inde enimvero, dum sua praecipuis Orientis Ecclesiis apostolica origo testatior constat, apparet simul et enitet earumdem cum Romana usque ab exordiis summa coniunctio. Neque aliud fortasse admirabilius est ad *catholicitatis* notam in Ecclesia Dei illustrandam, quam singulare quod ei praebent obsequium dispares caeremoniarum formae nobilesque vetustatis linguae, ex ipsa Apostolorum et Patrum consuetudine nobiliores: fere ad imitationem obsequii lectissimi quod Christo, divino Ecclesiae auctori, exhibitum est nascenti, quum Magi ex variis Orientis plagis devecti *venerunt... adorare eum*.[2] Quo loco illud apte cadit animadvertisse, quod sacri ritus, tametsi per se instituti non sunt ad dogmatum catholicorum evincendam veritatem, eadem tamen viva propemodum exprimunt splendideque declarant. Quapropter vera Christi Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata quae, utpote divina, immutabilia accepit, ita in usurpandis eorumdem formis nonnunquam concedit novo aliquid vel indulget, in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate conveniant. Hoc etiam modo et eius vitae nunquam senescentis proditur vis, et ipsa magnificentius Christi sponsa excellit, quam sanctorum Patrum sapientia veluti adumbratam in effato agnovit davidico: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate,... in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus*.[3]

Quoniam igitur haec rei liturgicae disciplinaeque orientalis iure probata varietas, praeter ceteras laudes, in tantum decus utilitatemque Ecclesiae convertitur, eo non minus pertineant muneris Nostri partes oportet, recte ut sit consultum, ne quid incommodi imprudenter obrepat ab occi-

[1] Cf. N. 625.
[2] Matth., II, 1, 2.
[3] Ps. XLIV.

dentalibus Evangelii administris, quos ad eas gentes Christi caritas urgeat. — Rata quidem permanent quae in hoc Benedictus XIV, Decessor Noster illustris, sapienter provideque decrevit per Constitutionem *Demandatam*, in forma epistolae, die datam XXIV decembris anno MDCCXLIII, ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum omnesque eiusdem ritus Episcopos eidem Patriarchae subiectos. [1] Verum, aetatis decursu non brevi, novatis per ea loca rerum conditionibus, atque latinis Missionariis Institisque ibidem multiplicatis, factum est ut peculiares quaedam Apostolicae Sedis curae in eadem causa exposcerentur: quod certe peropportunum fore, crebra per hosce annos occasione Nosmetipsi cognoramus, et desideria aequissima confirmaverant Venerabilium Fratrum in Oriente Patriarcharum, non semel ad Nos delata. Quo autem totius negotii apertius pateret summa, aptioresque providendi rationes definirentur, eosdem Patriarchas haud ita pridem in Urbem advocare placuit, quibuscum communicaremus consilia. Tum eos, una cum nonnullis Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, coram ad deliberandum frequenti congressione habuimus. — Iis autem rebus omnibus, quae communiter propositae et agitatae sunt, meditate perpensis, induximus animum certa quaedam eiusdem Benedictinae Constitutionis praescripta, congruenter novis earum gentium temporibus, explicatiora facere et ampliora. In quo praestando, hoc tamquam principium ex ipsa deprompsimus, sacerdotes nempe latinos eo tantum consilio ab Apostolica Sede in illas regiones mitti, ut sint Patriarchis et Episcopis *in auditorium et levamen;* cauto propterea *ne utendo facultatibus sibi concessis, eorum iurisdictioni praeiudicium inferant et numerum subditorum imminuant:* [2] ex quo perspicuum extat quibus legibus officia eorumdem Latinorum ad Hierarchiam Orientalem sint temperanda.

Itaque rerum capita quae sequuntur visa sunt in Domino praescribenda et sancienda, ut facimus, Apostolica fulti auctoritate; iam nunc declarantes velle Nos atque edicere ut eadem Benedictina decreta, quae de Graecis Melchitis primitus data sunt, fideles omnes cuiusvis in Oriente ritus universe attingant.

I. Missionarius quilibet latinus, e clero saeculari vel regulari, qui orientalem quempiam ad latinum ritum consilio auxiliove inducat, praeter *suspensionem a divinis* quam *ipso facto* incurret, ceterasque poenas per eamdem Constitutionem *Demandatam* inflictas, officio suo privetur et excludatur. Quae praescriptio ut certa et firma consistat, exemplar eius patere vulgatum apud Latinorum ecclesias iubemus.

II. Ubi desit proprii ritus sacerdos cui Patriarcha orientalis mandet spiritualem suorum administrationem, ibi eorum curam suscipiat Parochus alieni ritus qui easdem atque ipsi species, azymum vel fermentatum, ad consecrandum adhibeat; anteferatur qui eas adhibeat ritu orientali. — Fidelibus autem sit facultas communicandi utrovis ritu, non eis tantummodo locis ubi nulla ecclesia nec sacerdos sui proprii ritus habeatur, prout a

[1] Cf. N. 338.

[2] Const. *Demandatam*, n. 13. – Cf. N. 338.

BIBLIOTECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

sacro Consilio christiano nomini propagando decretum est die XVIII augusti anno MDCCCXCIII, [1] verum etiam ubi, propter longinquitatem ecclesiae suae, non eam possint, nisi cum gravi incommodo, adire: de quo Ordinarii esto iudicium. Idque fixum resideat, eum qui alieno ritu vel diu communicaverit, non propterea censendum mutasse ritum, sed in ceteris officiis omnibus perseverare Parocho suo addictum.

III. Sodalitates Religiosorum latinae, quae iuventuti instituendae in Oriente dant operam, si quo in collegio alumnos ritu orientali non paucos numerent sacerdotem eiusdem ritus, Patriarcha consulto, apud se habeant ipsorum commodo alumnorum, ad missae sacrificium, ad sacram synaxim, ad catechesim patria lingua impertiendam ritusque explicandos; aut saltem diebus dominicis ceterisque de praecepto occurrentibus festis talem sacerdotem arcessant, ea officia praestiturum. Quam ob causam eisdem Sodalitatibus quaevis privilegia, etiam speciali mentione digna, quibus gaudeant ut alumni orientalis ritus, quamdiu in collegiis ipsarum degant, latinum sequantur, adempta esse omnia edicimus: de ritualibus autem abstinentiis servandis moderatores cum religiosa aequitate videant. — Item alumnis externis prospiciatur: quos ad proprias ipsorum ecclesias seu curias remitti aut perduci oportebit, nisi videatur eos cum internis ad eiusdem ritus officia admittendos.

IV. Eadem praescripta transferenda sunt, quoad fieri possit, ad Religiosarum Sodalitates, puellis educandis in asceteriis scholisque deditas. Quod si qua immutatio per tempora et res opportuna inciderit, ea non ante fiat quam Patriarchae consensus accesserit et venia Apostolicae Sedis.

V. Nova, ritu latino, iuventutis collegia vel domus Religiosorum utriusvis sexus ne in posterum aperiantur, nisi Apostolica Sede rogata et consentiente.

VI. Presbyteris tum latinis tum orientalibus, neque in suis, neque in alieni ritus ecclesiis, fas est quemquam absolvere a casibus qui suis cuiusque Ordinariis sint reservati, nisi facultate ab eisdem permissa: qua in re quodvis privilegium, vel speciali mentione dignum, prorsus revocamus.

VII. Orientalibus qui ritum latinum, etiamsi ex pontificio rescripto, susceperint, revertere ad pristinum, Apostolica Sede exorata, licebit.

VIII. Mulieri latini ritus quae viro nupserit ritus orientalis, aeque ac mulieri orientali quae nupserit latino, integrum erit ut ad ritum viri, ineundo vel durante matrimonio, transeat: matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera erit potestas.

IX. Quicumque orientalis, extra patriarchale territorium commorans, sub administratione sit cleri latini, ritui tamen suo permanebit adscriptus; ita ut, nihil diuturnitate aliave causa ulla suffragante, recidat in ditionem Patriarchae, simul ac in eius territorium revenerit.

X. Nulli, utriusvis sexus, Ordini vel Instituto religioso latini ritus, quemquam orientalem inter sodales suos fas erit recipere, qui proprii Ordinarii testimoniales litteras non ante exhibuerit.

[1] Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1846.

XI. Si qua ex dissidentibus communitas vel familia vel persona ad catholicam unitatem venerit, conditione velut necessaria interposita amplectendi latini ritus, huic ritui remaneat ea quidem ad tempus adstricta, in eius tamen potestate sit ad nativum ritum catholicum aliquando redire. Si vero eiusmodi conditio non intercesserit, sed ideo ipsa communitas, familia, persona a latinis presbyteris administretur quia desint orientales, regrediendum ipsi erit ad ritum suum, statim ut sacerdotis orientalis fuerit copia.

XII. Matrimoniales et ecclesiasticae, quaecumque sint causae, de quibus ad Apostolicam Sedem appellatio fiat, nequaquam Delegatis Apostolicis definiendae, nisi aperte ea iusserit, committantur, sed ad sacrum Consilium christiano nomini propagando omnino deferantur.

XIII. Patriarchae Graeco Melchitae iurisdictionem tribuimus in eos quoque fideles eiusdem ritus qui intra fines Turcici Imperii versantur.

Praeter istas peculiares cautiones atque ex iure praescripta, maxime Nos tenet cura, quod supra attigimus, ut condantur opportunioribus in Oriente locis seminaria, collegia, instituta omne genus, eaque prorsus ad iuvenes incolas ipso ritu patrio formandos in suorum auxilia. Hoc propositum, in quo dici vix potest quanta religioni inhaereat spes, studiose Nos aggredi, prolixisque subsidiis provehere, affluente, ut confidimus, catholicorum ope, deliberatum habemus. Sacerdotum indigenarum operam, quippe et convenientius impensam et cupidius acceptam, multo futuram quam advenarum fructuosiorem, paulo fusius est a Nobis monstratum in encyclicis litteris quas dedimus superiore anno de collegiis clericorum in Indiis Orientalibus constituendis. [1] — Ita porro sacrae iuventutis institutioni semel consulto, profecto studiis rei theologicae et biblicae apud Orientales accrescet honos; vigebit linguarum veterum eruditio aeque ac in recentibus sollertia; doctrinae et litterarum census, quo Patres eorum scriptoresque abundant, in commune bonum, largius proficiet: eo demum peroptato exitu, ut sacerdotii catholici emergente doctrina integrique exempli laude praelucente, propensius eiusdem matris complexum fratres dissidentes requirant. Tum vero si ordines cleri animos, studia, actionem caritate vere fraterna sociaverint, certe, favente et ducente Deo, dies maturabitur auspicatissima, qua, occurrentibus omnibus *in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei*, plene ex eo perfecteque *totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.* [2] Ea nimirum gloriari unice potest Christi vera esse Ecclesia, in qua aptissime cohaereat *unum corpus et unus spiritus.* [3]

Haec universa et singula, quaecumque sunt a Nobis decreta, minime dubium quin Venerabiles Fratres Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi quovis orientali ritu catholici, pro ea qua praestant tum in Cathedram Apo-

[1] Cf. N. 618.
[2] Eph., IV, 13, 16.
[3] Ibid., 4.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

stolicam et in Nos pietate, tum suarum sollicitudine Ecclesiarum, omni sint reverentia et obtemperatione suscepturi, idque sedulo effecturi ut eorumdem observantia, ab iis quorun interest, plena consequatur. — Copia vero fructuum, quos inde augurari licet et iure optimo expectare, valde ex opera eorum proveniet qui gerunt personam Nostram per Orientem christianum. Delegatis propterea Apostolicis commendatissimum volumus ut illarum gentium tradita a maioribus instituta honore debito vereantur: Patriarcharum auctoritatem quo par est obsequio colant, colendam curent; atque in officiorum cum eis permutatione, consilium expleant Apostoli: *Honore invicem praevenientes:* [1] Episcopis, clero et populo studiosum ac benevolentem animum probent; eumdem plane spiritum in se referentes, quo Ioannes Apostolus agebatur, quum Apocalypsim dedit *septem ecclesiis quae sunt in Asia*, inscripta salutatione: *Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est:* [2] in omnique agendi ratione sese praestent eos, qui vere habeantur nuntii digni conciliatoresque sanctae unitatis inter Orientales Ecclesias et Romanam, quae centrum eiusdem est unitatis et caritatis. — Haec ipsa similiter sentiant, similiter peragant, hortatu iussuque Nostro, sacerdotes latini, quotquot in eisdem regionibus egregios labores obeunt ad sempiternam animorum salutem: religiose in obedientia Romani Pontificis laborantibus, tunc vero dabit Deus ampla incrementa.

Igitur quaecumque his litteris decernimus, declaramus, sancimus, ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter servari volumus ac mandamus, nec ea notari, in controversiam vocari, infringi posse, ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine; sed plenarios et integros effectus suo habere, non obstantibus Apostolicis, etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis, constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ac praescriptionibus; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta essent, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. — Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, manuque Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides quae praesentibus hisce Litteris haberetur ostensis.

[Leonis XIII Acta, vol. XIV, p. 358-370].

[1] Rom., XII, 10.
[2] Apoc., I, 4.

628.

Leo XIII, ep. *Longinqua oceani*, 6 ian. 1895.[1]

1. Longinqua oceani spatia animo et cogitatione traiicimus: et quam-
quam vos allocuti alias scribendo sumus, maxime quoties ad episcopos
catholici orbis communes litteras pro auctoritate dedimus, modo tamen
affari vos separatim decrevimus, hoc videlicet consilio ut prodesse aliquid
catholico nomini apud vos, Deo volente, possimus. Idque summo studio
curaque aggredimur: propterea quod et plurimi facimus et magnopere
diligimus americanum, validum iuventa, genus: in quo plane non civilis
tantummodo, sed christianae etiam rei cernimus animo incrementa latentia.

2. Exitum quarti ab explorata America saeculi cum tota gens vestra
haud multo ante grata recordatione atque omni significatione, ut erat di-
gnum, concelebraret, Nos item auspicatissimi facti memoriam vobiscum
recoluimus communione laetitiae et similitudine voluntatis. In illoque tem-
pore vota quidem pro incolumitate et magnitudine vestra absentes fecisse,
haud satis habuimus: in optatis erat coram, aliqua ratione, vobis adesse
gestientibus: ob eam rem libentes, qui gereret personam Nostram, misimus.

3. Quae vero in illa celebritate vestra fecimus, non iniuria fecimus: quia
americanum genus, vix editum in lucem ac prope vagiens in cunis, sinu
amplexuque suo Ecclesia parens excepit. Quod enim alias data opera demon-
stravimus, navigationum laborumque hunc in primis fructum Columbus
petiit, aditum christiano nomini per novas terras novaque maria patefa-
cere: qua in cogitatione constanter inhaerens, quibuscumque appulsus oris,
nihil habebat antiquius, quam ut Crucis sacrosanctae simulacrum defigeret
in littore. Quapropter sicut arca Noetica, exundantes supergressa fluctus,
semen vehebat Israelitarum cum reliquiis generis humani, eodem modo
commissae oceano Columbianae rates et principium magnarum civitatum
et primordia catholici nominis transmarinis oris invexere.

4. Quae postea consecuta sunt, non est huius loci singula persequi.
Certe repertis ab homine Ligure gentibus, etiam tum agrestibus, evange-
lium maturrime illuxit. Satis enim est cognitum quot e Franciscana fami-
lia, item ex Dominicana et Loiolaea, duobus continentibus saeculis, istuc
navigare huius rei gratia consueverint, ut deductas ex Europa colonias
excolerent, sed in primis et maxime ut ad christiana sacra indigenas ex
superstitione traducerent, consecratis non semel cruento testimonio labo-
ribus. Nova ipsa oppidis vestris compluribus et fluminibus et montibus et
lacubus imposita nomina docent perspicueque testantur, Ecclesiae catho-
licae vestigiis vestras penitus impressas origines. — Neque illud fortasse
sine aliquo divinae providentiae consilio factum, quod heic commemora-
mus: cum americanae coloniae libertatem ac principatum, adiuvantibus

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Foederatorum Americae Sep-
tentrionalis Civitatum.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

hominibus catholicis, adeptae, in rempublicam coaluere iure fundatam,
tunc apud vos est ecclesiastica hierarchia rite constituta: et quo tempore
magnum Washingtonum ad gubernacula reipublicae admovit populare
suffragium, eodem pariter tempore auctoritate apostolica primus est Ame-
ricanae Ecclesiae Episcopus praepositus. Amicitia vero consuetudoque fami-
liaris, quam alteri cum altero constat intercessisse, documento videtur esse,
foederatas istas civitates concordia amicitiaque coniunctas esse Ecclesiae
catholicae oportere. Neque id sane sine caussa. Non enim potest nisi mori-
bus bonis stare res publica; idque acute vidit edixitque primarius ille civis
vester, quem modo nominavimus, in quo tanta fuit vis ingenii prudentiae-
que civilis. Sed mores bonos optime et maxime continet religio, quippe
quae suapte natura principia cuncta custodit ac vindicat ex quibus offi-
cia ducuntur, propositisque ad agendum momentis maximis, iubet cum
virtute vivere, peccare vetat. Quid autem est Ecclesia aliud, nisi societas
legitima, voluntate iussuque Iesu Christi conservandae morum sanctitati
tuendaeque religioni condita? Hanc ob rem, quod saepe ex hoc pontifi-
catus fastigio persuadere conati sumus, Ecclesia quidem, quamquam per
se et natura sua salutem spectat animorum, adipiscendamque in caelis
felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas
ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime
esset ad tuendam huius vitae, quae in terris degitur, prosperitatem instituta.

5. Progredientem rem publicam vestram atque in meliorem statum
volucri itinere venientem, nemo non vidit: idque in iis etiam rebus quae
religionem attingunt. Nam quemadmodum ingenti commodorum poten-
tiaeque accessione, unius conversione saeculi, crevere civitates, ita Eccle-
siam cernimus ex minima tenuissimaque magnam perceleriter effectam et
egregie florentem. Iamvero si ex una parte auctae opes copiaeque civitatum
merito americani generis ingenio atque operosae sedulitati referuntur
acceptae: ex altera florens rei catholicae conditio primum quidem virtuti,
sollertiae, prudentiaeque tribuenda Episcoporum et Cleri: deinde vero
fidei munificentiaeque catholicorum. Ita singulis ordinibus pro virili parte
adnitentibus, licuit vobis res innumerabiles pie atque utiliter instituere;
aedes sacras, ludos litterarios pueris instituendis, domicilia maiorum disci-
plinarum, domos hospitales plebi excipiendae, valetudinaria, coenobia. Quod
vero proprius ad culturam attinet animorum, quae christianarum exercita-
tione virtutum continetur, plura Nobis comperta sunt, quibus et spe eri-
gimur et gaudio complemur: scilicet augeri gradatim utriusque ordinis
Clericos: in honore esse pia collegia sodalium, vigere scholas *curiales catho-
licas*, scholas *dominicas* doctrinae christianae tradendae, scholas *aestivas;*
consociationes ad suppetias mutuo ferendas, ad inopiam levandam, ad victus
temperantiam tuendam: his accedere multa pietatis popularis argumenta.

6. Harum felicitati rerum non est dubium plurimum iussa ac decreta
conducere Synodorum vestrarum, earum maxime quas posteriore tempore
Sedis Apostolicae vocavit et sanxit auctoritas. Sed praeterea, libet enim
id fateri quod est, sua debetur gratia aequitati legum, quibus America vivit,
moribusque bene constitutae rei publicae. Hoc enim Ecclesiae apud vos

concessum est, non repugnante temperatione civitatis, ut nullis legum praepedita vinclis, contra vim defensa iure communi iustitiaeque iudiciorum tutam obtineat vivendi agendique sine offensione facultatem. Sed quamquam haec vera sunt, tamen error tollendus, ne quis hinc sequi existimet, petendum ab America exemplum optimi Ecclesiae status: aut universe licere vel expedire, rei civilis reique sacrae distractas esse dissociatasque, more americano, rationes. Quod enim incolumis apud vos res est catholica, quod prosperis etiam auctibus crescit, id omnino fecunditati tribuendum, qua divinitus pollet Ecclesia, quaeque si nullus adversetur, si nulla res impedimento sit, se sponte effert atque effundit; longe tamen uberiores editura fructus, si, praeter libertatem, gratia legum fruatur patrocinioque publicae potestatis.

7. Nos vero, quoad per tempora licuit, conservare ac fundare firmius rem catholicam apud vos, numquam praetermisimus. — Hac de caussa duas potissimum res, quod probe nostis, aggressi sumus: alteram, provehere studia doctrinarum: alteram, rei catholicae efficere administrationem pleniorem. Scilicet etsi universitatis studiorum domicilia plura numerabantur, eaque insignia, faciendum tamen duximus, ut unum aliquod existeret Sedis Apostolicae auctoritate institutum, idemque omni iure legitimo a Nobis auctum: in quo doctores catholici studiosos sciendi erudirent, principio quidem philosophicis ac theologicis, deinde vero, ubi res et tempora siverint, ceteris quoque disciplinis, iis nominatim quas nostra aut peperit aut perfecit aetas. Omnis enim eruditio manca sit, si nulla recentiorum disciplinarum accesserit cognitio. Videlicet in hoc tam celeri ingeniorum cursu, in tanta cupiditate sciendi tam late fusa, eademque per se laudabili atque honesta, anteire decet catholicos homines, non subsequi: ideoque instruant se oportet ab omni elegantia doctrinae, acriterque exerceant animum in exploratione veri, et totius, quoad potest, indagatione naturae. Quod omni tempore idem Ecclesia voluit: ob eamque rem ad proferendos scientiarum fines omnino tantum conferre consuevit, quantum opera et contentione potuit. Igitur per litteras die VII martii an. MDCCCLXXXIX ad vos, Venerabiles Fratres, datas [1] Gymnasium magnum cupidae maiorum disciplinarum iuventuti rite constituimus Washingtoni, in urbe principe; quam quidem peropportunam fore sedem studiis optimis, vosmetipsi maximo numero significastis. De qua re ad venerabiles fratres Nostros S. R. E. Cardinales cum referremus in Consistorio, [2] velle Nos declaravimus, legis instar eo in gymnasio haberi, ut eruditio et doctrina coniungatur cum incolumitate fidei, neque minus ad religionem quam ad artes optimas informentur adolescentes. Idcirco rectae studiorum rationi, ac disciplinae alumnorum tuendae praeesse iussimus foederatarum civitatum Episcopos, collata Archiepiscopo Baltimorensi Cancellarii, ut loquuntur, potestate ac munere. — Et initia quidem, Dei beneficio, satis laeta. Nulla enim interiecta mora, cum saecularia solemnia ob memoriam ecclesiasticae Hierarchiae ageretis, exorsae faustis ominibus, praesente Legato Nostro, sacrae disciplinae. Ex eoque tempore elaborare

[1] Cf. Leonis XIII Acta, vol. IX, p. 69-72.
[2] Die 30 dec. an. 1889. – Cf. Leonis XIII Acta, vol. IX, p. 284-291.

novimus in tradenda theologia spectatos viros, quorum ingenii doctrinaeque laus insigni erga Sedem Apostolicam fide observantiaque cumulatur. — Neque vero diu est, cum rescivimus, pii sacerdotis liberalitate extructas ab inchoato aedes scientiis litterisque tradendis, clericorum simul et laicorum commodo adolescentium. E cuius viri exemplo facile confidimus sumpturos, quod imitentur, cives: non enim ignota Nobis indoles Americanorum; neque fugere eos potest, quidquid in ea re collocetur liberalitatis, cum maximis in commune utilitatibus compensari.

8. Ex huiusmodi Lyceis, quae variis temporibus Ecclesia romana aut ipsamet princeps instituit, aut instituta probavit legibusque auxit, nemo est nescius quanta in omnem Europam et doctrinae copia et vis humanitatis effluxerit. Hodieque, ut sileamus de ceteris, satis est Lovaniense meminisse: ex quo universa Belgarum gens incrementa petit prosperitatis et gloriae prope quotidiana. Iamvero par ac similis copia utilitatum facile est a magno Lyceo Washingtoniensi consecutura, si doctores pariter atque alumni, quod minime dubitamus, praeceptis Nostris paruerint, iidemque, amotis partium studiis et contentionibus, opinionem sibi a populo, a Clero conciliarint.

9. Caritati vestrae, Venerabiles Fratres, ac beneficentiae populari commendatum hoc loco volumus Collegium urbanum adolescentibus ex America septentrionali ad sacra fingendis, quod Pius IX decessor Noster condidit, quodque ipsum Nos, per litteras die XXV octobri mense an. MDCCCLXXXIV datas, [1] constitutione legitima firmandum curavimus: eo vel maxime quod communem de ipso expectationem haud sane fefellit exitus. Testes estis vosmetipsi, non longo temporis decursu, complures inde extitisse sacerdotes bonos, in iisque nec deesse qui maximos sacrae dignitatis gradus virtute adepti doctrinaque sint. Quare vos omnino arbitramur facturos operae pretium, si perrexeritis lectos adolescentes huc mittere in spem Ecclesiae instituendos: quas enim et ingenii opes et animi virtutes in romana urbe paraverint, eas aliquando explicabunt domi, atque in communem afferent utilitatem.

10. Simili modo vel inde a Pontificatus exordio caritate permoti, qua catholicos e gente vestra complectimur, de Concilio Baltimorensi III cogitare coepimus. Cumque serius Archiepiscopi, eius rei caussa, Romam invitatu Nostro istinc advenissent, diligenter ab ipsis, quid in commune consulendum censerent, exquisivimus: postremo quod universis Baltimoram convocatis visum est decernere, id matura consideratione adhibita, ratum esse auctoritate apostolica iussimus. Celeriter autem apparuit operae fructus. Quandoquidem Baltimorensia consulta, salutaria et valde accommodata temporibus res ipsa comprobavit, comprobat. Satis iam eorum perspecta vis est ad stabiliendam disciplinam, ad excitandam Cleri sollertiam ac vigilantiam, ad catholicam adolescentis aetatis institutionem tuendam et propagandam. — Quamquam his in rebus si vestram, Venerabiles Fratres, agnoscimus industriam, si collaudamus iunctam cum prudentia constantiam, merito vestro facimus: propterea quod plane intelligimus, talium ubertatem bonorum

[1] Cf. Leonis XIII Acta, vol. IV, p. 152-158.

nequaquam ad maturitatem tam celeriter atque expedite perventuram fuisse, si vosmetipsi, quae sapienter ad Baltimoram statueratis, ea non sedulo et fideliter exsequi, quantum in sua quisque potestate erat, stu-duissetis.

11. Verum absoluto Baltimorensi consilio, reliqua pars erat ut congruens et conveniens quasi fastigium imponeretur operi: quod impetrari vidimus vix posse melius, quam si Apostolica Sedes legationem americanam rite constituisset: eam itaque, ut nostis, rite constituimus. Atque hoc facto, quemadmodum alias docuimus, primum quidem testari placuit, in iudicio benevolentiaque Nostra eodem Americam loco et iure esse, quo ceterae sunt, praesertim magnae atque imperiosae, civitates. Deinde illud quoque spectavimus, ut officiorum et necessitudinum, quae vos, quae tot hominum millia catholicorum cum Apostolica Sede continent, fierent coniunctiora nexa. Revera multitudo catholicorum rem a Nobis peractam intellexit, quam sicut saluti sibi sentiebat fore, ita praeterea in more positam institu-toque Sedis Apostolicae cognoverat. Videlicet romani Pontifices, ob hanc caussam quod rei christianae administrandae divinitus tenent principatum, suos peregre legatos ad gentes populosque christianos mittere vel ab ultima antiquitate consueverunt. Id autem non extrinsecus quaesito, sed nativo iure suo, quia « romanus Pontifex, cui contulit Christus potestatem ordina-riam et immediatam sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos Pastores et fideles, [1] cum personaliter singulas regiones circuire non possit, nec circa gregem sibi creditum curam pastoralis sollicitudinis exercere, necesse habet interdum *ex debito impositae servitutis*, suos ad diversas mundi partes, prout necessitates emerserint, destinare legatos, qui *vices eius supplendo*, errata corrigant, aspera in plana convertant et com-missis sibi populis salutis incrementa ministrent ». [2]

12. Illa vero quam iniusta et falsa suspicio, si qua foret uspiam, deman-datam Legato potestatem potestati officere episcoporum. Sancta Nobis, ut nulli magis, eorum iura sunt, quos *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*, eaque permanere integra in omni gente, atque in omni regione terrarum et volumus et velle debemus: praesertim quod singulorum dignitas episcoporum cum dignitate romani pontificis ita natura contexitur, ut alteri necessario consulat, qui alteram tueatur. *Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere hono-ratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.* [3] Quare Legati Apostolici, qualicumque demum potestate augeatur, cum haec persona atque hae partes sint, Pontificis a quo mittitur, mandata facere et volun-tatem interpretari, tantum abest ut ordinariae potestati episcoporum quic-quam pariat detrimenti, ut potius firmamentum ac robur sit allaturus. Eius quippe auctoritas non parum est habitura ponderis ad conservan-dam in multitudine obedientiam; in Clero disciplinam debitamque Epi-

[1] Conc. Vat., sess. IV, c. 3.
[2] Cap. un. Extravag. Comm., *De consuet.*, I, 1.
[3] S. Greg., *Epist. ad Eulog. Alex.*, lib. VIII, ep. 30.

BIBLIOTECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

scopis verecundiam; in Episcopis caritatem mutuam cum intima ani-morum coniunctione. — Quae quidem tam salutaris tamque expetenda coniunctio, cum in hoc potissimum sita sit et sentire concorditer et agere, plane efficiet, ut quisque vestrum in administratione rei dioecesanae suae diligenter versari pergat: nemo alterum in regundo impediat: de alterius consiliis actisque nemo quaerat: universique, sublatis dissidiis retinendaque invicem observantia, provehere Ecclesiae americanae decus et commune bonum summa virium conspiratione nitamini. Ex qua Episcoporum con-cordia dici vix potest quanta non modo salus in nostros manabit, sed et in reliquos vis exempli: quippe qui facile vel hoc ipso argumento perspi-cient in Episcoporum catholicorum ordinem vere divinum apostolatum hereditate transisse. — Est praeterea aliud magnopere considerandum. Con-sentiunt prudentes viri, quod Nosmetipsi paulo ante indicavimus, nec sane inviti, reservatam ad maiora Americam videri. Atqui huius, quae prospi-citur, magnitudinis participem eamdemque adiutricem Ecclesiam catholi-cam volumus. Nimirum ius esse atque oportere iudicamus, eam una cum republica pleno gradu ad meliora contendere, utendis videlicet opportuni-tatibus, quas afferat dies: eodemque tempore dare operam, ut virtute insti-tutisque suis prosit quam maxime potest incrementis civitatum. Sed omnino utrumque est tanto facilius cumulatiusque consecutura, quanto constitu-tam melius futura tempora offenderint. Iamvero quid sibi vult legatio, de qua loquimur, aut quid spectat tamquam finem, nisi hoc efficere, ut Ecclesiae sit constitutio firmior, disciplina munitior?

13. Quod ita cum sit, valde velimus hoc in animos catholicorum quo-tidie altius descendat, nec sibi privatim consulere se posse rectius, nec de salute communi melius mereri, quam si Ecclesiae subesse atque obtem-perare toto animo perrexerint.

14. Quamquam hac illi in re vix indigent hortatione: solent enim sua sponte et laudabili constantia ad instituta catholica adhaerescere. Rem unam eamque maximi momenti et saluberrimam in omnes partes libet recordari hoc loco, quae fide moribusque sancte apud vos, uti aequum est, genera-tim retinetur: dogma christianum dicimus de unitate et perpetuitate coniu-gii: in quo non societati dumtaxat domesticae, sed etiam coniunctioni homi-num civili maximum suppeditat vinculum incolumitatis. De civibus vestris, de iis ipsis qui nobiscum cetera dissident, catholicam hac de re doctri-nam catholicumque morem non pauci mirantur ac probant, videlicet per-territi licentia divortiorum. Quod cum ita iudicant, non minus caritate patriae ducuntur, quam sapientia consilii. Vix enim cogitari potest capita-lior civitati pestis, quam velle, dirimi posse vinculum, divina lege perpe-tuum atque individuum. Divortiorum « caussa fiunt maritalia foedera muta-bilia: extenuatur mutua benevolentia: infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur: tuitioni atque institutioni liberorum nocetur: dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio: discordiarum inter familias semina sparguntur: minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile perspicitur prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia ».[1]

15. De rerum genere civili, compertum est atque exploratum, in re publica praesertim populari, cuiusmodi vestra est, quanti referat probos esse ac bene moratos cives. In libera civitate, nisi iustitia vulgo colatur, nisi saepius ac diligenter ad evangelicarum praecepta legum multitudo revocetur, potest ipsa esse perniciosa libertas. Quotquot igitur ex ordine Cleri in erudienda multitudine elaborant, hunc locum de officiis civium enucleate pertractent, ut id persuasum penitusque comprehensum animo habeant universi, in omni munere vitae civilis fidem praestari, abstinentiam, integritatem oportere: quod enim privatis in rebus non licet, id nec in publicis licere. De hoc genere toto in ipsis encyclicis litteris, quas in Pontificatu maximo subinde conscripsimus, complura, ut nostis, praesto sunt, quae sequantur et quibus pareant catholici. Libertatem humanam, praecipua christianorum officia, principatum civilem, civitatum constitutionem christianam scribendo edisserendoque attigimus, depromptis cum ex evangelica doctrina, tum ex ratione principiis.[2] Qui igitur esse cives probi volunt et in officiis suis cum fide versari, facile sumant ex litteris Nostris formam honestatis. — Simili modo insistant sacerdotes Concilii Baltimorensis III statuta ad populum meminisse: ea maxime quae de virtute temperantiae sunt, de catholica adolescentium institutione, de frequenti sacramentorum usu, de obtemperatione iustis legibus institutisque sacramentorum usu, de obtemperatione iustis legibus institutisque reipublicae.

16. De ineundis quoque societatibus, diligentissime videndum ne quis errore fallatur. Atque hoc intelligi nominatim de opificibus volumus: quibus profecto coire in sodalitia, utilitatum sibi comparandarum gratia, ius est, libente Ecclesia, nec repugnante natura: sed vehementer interest, quibuscum sese coniungant, ne ubi rerum meliorum adiumenta requirunt, ibi in discrimen vocentur bonorum multo maximorum. Huius discriminis maxima cautio est ut secum ipsi statuant, numquam commissuros ut ullo tempore ullave in re iustitia deseratur. Si qua igitur societas est, quae a personis regatur non recti tenacibus, non religioni amicis, eisque obnoxie pareat, obesse plurimum publice et privatim potest, prodesse non potest. Maneat ergo, quod consequens est, non modo fugere consociationes oportere, Ecclesiae iudicio aperte damnatas, sed eas etiam, quae prudentium virorum maximeque Episcoporum sententia, suspectae periculosaeque habeantur.

17. Imo vero, quod est valde ad fidei incolumitatem conducibile, malle catholici debent cum catholicis congregari, nisi fieri secus coegerit necessitas. Sibi vero inter se societate conglobatis praeesse sacerdotes aut laicos probos atque auctoritate graves iubeant: iisque consilio praeeuntibus, consulere ac perficere pacate nitantur quod expedire rationibus suis videatur, ad normam potissimum praeceptorum, quae Nos litteris encyclicis

[1] Enc. *Arcanum*. – Cf. N. 580.
[2] Cf. N. 592.

Rerum novarum consignavimus.[1] Hoc vero numquam sibi patiantur excidere, vindicari et in tuto poni iure multitudinis rectum esse atque optabile, verumtamen non praetermittendis officiis. Officia vero permagna ea esse, aliena non tangere; singulos esse sinere ad suas res liberos; quominus operam suam collocare queat ubi libet et quando libet, prohibere neminem. Quae per vim et turbas facta superiore anno vidistis in patria, satis admonent americanis etiam rebus audaciam immanitatemque perduellium imminere. Ipsa igitur tempora catholicos iubent pro tranquillitate contendere rerum communium, ideoque observare leges, abhorrere a vi, nec plura petere quam vel aequitas vel iustitia patiatur.

18. Has ad res multum sane conferre operae possunt, qui se ad scribendum contulere, maxime quorum in commentariis quotidianis insumitur labor. Haud latet Nos, multos iam in hac palaestra desudare bene exercitatos, quorum laudanda magis est, quam excitanda industria. Verumtamen legendi noscendique cupiditas cum tam vehemens sit apud vos ac tam late pertineat, cumque bonorum iuxta ac malorum maximum possit esse principium, omni ope enitendum, ut eorum numerus augeatur, qui scribendi munus scienter atque animo optimo gerant, religione duce, probitate comite. Atque id eo magis apparet in America necessarium propter consuetudinem usumque catholicorum cum alienis catholico nomine: quae certe caussa est quamobrem nostris summa animi provisione constantiaque singulari sit opus. Erudiri eos necesse est, admoneri, confirmari animo, incitari ad studia virtutum, ad officia erga Ecclesiam, in tantis offensionum caussis, fideliter servanda. Ista quidem curare atque in istis elaborare, munus est Cleri proprium idemque permagnum: sed tamen a scriptoribus ephemeridum et locus et tempus postulat, idem ut ipsi conentur, eademque pro caussa, quoad possunt, contendant. Serio tamen considerent, scribendi operam, si minus obfuturam, parum certe religioni profuturam, deficiente animorum idem petentium concordia. Qui Ecclesiae servire utiliter, qui catholicum nomen ex animo tueri scribendo expetunt, summo consensu, ac prope contractis copiis oportet dimicare: ut plane non tam repellere, quam inferre bellum, si qui vires discordia dissipant, videantur. — Non absimili ratione operam suam ex frugifera et fructuosa in vitiosam calamitosamque scriptores convertunt, quotiescumque consilia vel acta episcoporum ad suum revocare iudicium ausint, abiectaque verecundia debita, carpere, reprehendere: ex quo non cernunt quanta perturbatio ordinis, quot mala gignantur. Ergo meminerint officii, ac iustos modestiae fines ne transiliant. In excelso auctoritatis gradu collacatis obtemperandum Episcopis est, et conveniens consentaneusque magnitudini ac sanctitati muneris habendus honos. Istam vero reverentiam, « quam praetermittere licet nemini, maxime in catholicis ephemeridum auctoribus luculentam esse et velut expositam ad exemplum necesse est. Ephemerides enim ad longe lateque pervagandum natae, in obvii cuiusque manus quotidie veniunt, et in opinionibus moribusque multitudinis non parum

[1] Cf. N. 611.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

possunt ». [1] Multa multis locis Nosmetipsi de officio scriptoris boni praecepimus: multa item et a Concilio Baltimorensi III, et ab Archiepiscopis qui Chigagum anno MDCCCLXXXXIII convenerant, de communi sententia sunt renovata. Huiusmodi igitur documenta et Nostra et vestra habeant notata animo catholici, atque ita statuant, universam scribendi rationem eisdem dirigi oportere, si probe fungi officio volunt, ut velle debent.

19. Ad reliquos iam cogitatio convertitur, qui nobiscum de fide christiana dissentiunt: quorum non paucos quis neget hereditate magis, quam voluntate dissentire? Ut simus de eorum salute solliciti, quo animi ardore velimus ut in Ecclesiae complexum, communis omnium matris, aliquando restituantur, Epistola Nostra Apostolica *Praeclara* novissimo tempore declaravit. [2] Nec sane destituimur omni spe: is enim praesens respicit, cui parent omnia, quique animam posuit ut *filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* [3] Certe non eos deserere, non linquere menti suae debemus, sed lenitate et caritate maxima trahere ad nos, omnibus modis persuadendo, ut inducant animum introspicere in omnes doctrinae catholicae partes, praeiudicatasque opiniones exuere. Qua in re si episcoporum Clerique universi primae sunt partes, secundae sunt laicorum: quippe quorum in potestate est adiuvare apostolicam Cleri contentionem probitate morum, integritate vitae. Exempli magna vis est, in iis potissimum qui veritatem ex animo anquirunt, honestatemque propter quamdam virtutis indolem consectantur, cuiusmodi in civibus vestris numerantur perplures. Christianarum spectaculum virtutum si in obcaecatis inveterata superstitione ethnicis tantum potuit, quantum litterarum monumenta testantur, num in iis, qui sunt christianis initiati sacris, nihil ad evellendum errorem posse censebimus?

20. Denique nec eos praetermittere silentio possumus, quorum diuturna infelicitas opem a viris apostolicis implorat et exposcit: Indos intelligimus et Nigritas, americanis comprehensos finibus, qui maximam partem nondum superstitionis depulere tenebras. Quantus ad excolendum ager! quanta hominum multitudo partis per Iesum Christum impertienda beneficiis!

21. Interea caelestium munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem, vobis Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XV, p. 3-21].

[1] Ep. *Cognita Nobis*, ad Archiepp. et Epp. Provinciarum Taurinen., Mediolanen., Vercellen., 25 ian. an. 1882. – Cf. Leonis XIII Acta, vol. III, p. 6-10.
[2] Cf. N. 625.
[3] Ioan., XI, 52.

629.

Leo XIII, allocut. *In litteris Nostris*, 18 mart. 1895.

1. In litteris Nostris ad Venerabiles Fratres Hungariae Episcopos semel atque iterum missis, [1] cum prospiceret animus quid illic temporum cursus afferre catholico nomini videretur, non obscure significavimus futurorum incommodorum sollicitam expectationem. Revera coepere, quae metuebamus, opinione citius erumpere. — Facile coniicitis quorsum Nostra pertineat oratio: ad ea nimirum, quae haud ita pridem placuit de coniugiis in Hungaria decernere. Ratum lege matrimonium, quod *civile* vocant: permissa divortiorum facultas: iussum, nuptias inire more catholico licere, sed civili ritu antea perfunctis.

2. Omnia profecto, ut debuerant, experti ac periclitati Episcopi sunt ut ab Ecclesia, a civitate tantum mali defenderent: elaboravit eodem proposito cum Episcopis Clerus: sedulam dedere operam quotquot ex utroque legumlatorum ordine salvam volunt acceptam ab avis et maioribus fidem. Quibus tamen omnibus frustra insumptus est pro caussa iustissima sanctissimaque labor: plus ii valuere, qui civicos profanare mores, remque Hungaricam in anfractus compellere rerum novarum iamdiu connituntur. Atqui vereri religionem oportebat, cui maxime firmitudinem imperii gloriamque nominis Hungaria debet: pro qua toties adversus immanes hostium impetus memorabili virtute dimicavit: quam ipsam, per summa saepe discrimina inviolate servatam, hodieque multo maxima pars studiose et constanter, ut praestantissimum bonorum, tuetur.

3. Haudquaquam in animo est, nec ceteroqui necessarium, plura eloqui quo appareat cuiusmodi eae leges sint, quas modo memoravimus, quasque variis temporibus easdem romani Pontifices decessores Nostri, ut veritas postulabat, praeiudicavere, praesertim quia Nosmetipsi istud de matrimonio christiano argumentum, ex perpetua atque incommutabili Ecclesiae doctrina, alio loco pertractavimus. [2] Nihilominus rem omnino tacitam relinquere, salvo officio, non possumus. Videant, qui maxime debent, illud quam sit calamitosum iustitiaque alienum, formam ineundi matrimonii catholicae genti praescribere, centies Ecclesiae iudicio damnatam. Quas res coniugia pariunt in genere civili, de iis rectum est cognoscere ac decernere, qui praesunt reipublicae: contra de ipso statuere maritali vinculo, muneris Ecclesiae est: propterea quod Christus Dominus eam Ecclesiae suae contulit potestatem, cum nuptias ex officio naturae naturalique contractu in Sacramenta transtulisset. Vix autem attinet christianum dogma recordari de ipsius unitate et perpetuitate coniugii: quibus sublatis, fundamentum illud praecipuum tollitur, in quo familiam civitatemque christianam restitutor ac perfector utriusque Iesus Christus iussit consistere. Cui quidem voluntati divinae, nulli hominum licet impune repugnare.

[1] Cf. N. 594, 620.
[2] Cf. N. 580.

4. Ad istiusmodi caussas molestiae atque aegritudinis adlatas foris, illae accedunt quae circumsident domi. Ne persequamur hoc loco singu-
las, unum illud cogitate quale fuerit, destinatos per Italiam episcopos magno
numero sedibus suis prohibitos, dilata in diem ex die litterarum apostolica-
rum, ut loquuntur, executione. Quod huc plane recidit, intercipere cursum
apostolicae auctoritatis, impedire ius proprium ac nativum romani Ponti-
ficis, cuius profecto est Antistites sacrorum non modo sublegere, sed in
assignata statione, nulla re impediente, collocare. Eo vel magis quod Sedes
Apostolica in delectu episcoporum, exquisitissima adhibita diligentia, nemi-
nem evehere ad id dignitatis consuevit, quin sibi fuerit integritate vitae
et laude doctrinae, simulque rerum experientia et quadam velut maturi-
tate consilii probatus; a quibus certe nihil habet respublica, quod metuat:
plurimum, quod expectet. Postremo quidem tempore iniuria facti ab iis
ipsis videtur intellecta, qui fecerant: nam quae antea obstabant, remota
vidimus. Qua re haud sane diffitemur magna Nos sollicitudine curaque
liberatos. Quoniamque semel est aequitatis et iuris admissa vox, libet con-
fidere, nulla huius generis impedimenta posthac futura. — Quamquam si
fuerit Apostolicae Sedi hac ex parte satis factum, non idcirco tamen mutata
admodum censenda conditio Nostra praesens, Romano Pontifici iniuriosa,
nec italico fortunata generi; cui Nos conditioni acquiescere volentes, non
sanctitas iuris, non officii conscientia ullo modo patitur. Legitimam apo-
stolici muneris libertatem, Sedisque Apostolicae iura omnia vindicamus,
eodemque tenore constantiae nullo non tempore vindicabimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XV, p. 73-77].

630.

Leo XIII, ep. encycl. *Satis cognitum*, 29 iun. 1896.[1]

1. Satis cognitum vobis est, cogitationum et curarum Nostrarum par-
tem non exiguam illuc esse conversam, ut ad *ovile* in potestate positum
summi pastoris animarum Iesu Christi revocare devios conemur. Intento
hac in re animo, non parum conducere salutari consilio propositoque arbi-
trati sumus, Ecclesiae effigiem ac velut lineamenta describi: in quibus prae-
cipua consideratione dignissima *unitas* est, quam in ea, velut insigne
veritatis invictaeque virtutis, divinus auctor ad perpetuitatem impressit.
Multum in intuentium animis nativa Ecclesiae pulchritudo speciesque posse
debet: neque abest a veri similitudine, tolli eius contemplatione posse in-
scientiam; sanari opiniones falsas praeiudicatasque, maxime apud eos qui
non sua ipsorum culpa in errore versentur: quin imo excitari etiam in
hominibus posse Ecclesiae amorem utique similem caritati, qua Iesus Chri-
stus eam sibi sponsam, divino cruore redemptam, optavit: *Christus dilexit
Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea.*[2] Reversuris ad amantissimam paren-

[1] Venerabilibus Fratribus Patriarchis Primatibus Archiepiscopis Episcopis aliisque locorum Ordinariis pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus.
[2] Ephes., V, 25.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tem, aut non probe cognitam adhuc, aut iniuria desertam, si reditum stare oporteat non sanguine quidem, quo tamen pretio est Iesu Christo quaesita, sed labore aliquo molestiaque multo ad perpetiendum leviore, saltem perspicuum erit non voluntate humana id onus homini, sed iussu nutuque divino impositum, ob eamque rem, opitulante gratia caelesti, facile veritatem experiendo intelligent divinae eius sententiae: *Iugum enim meum suave est, et onus leve.*[1] Quamobrem spe maxima in *Patre luminum* reposita, unde *omne datum optimum et omne donum perfectum* descendit,[2] ab eo scilicet, *qui incrementum dat*[3] unus, enixe petimus, ut Nobis vim persuadendi impertire benigne velit.

2. Etsi Deus, quaecumque a naturis creatis efficiuntur, omnia ipse efficere sua solius virtute potest, nihilominus tamen ad iuvandos homines ipsis uti hominibus, ex benigno providentiae consilio, maluit: et quemadmodum in rerum genere naturalium perfectionem debitam, ita in iis, quae modum naturae transiliunt, sanctitatem homini ac salutem non nisi hominum opera ministerioque impertire consuevit. Sed perspicuum est, nihil inter homines communicari, nisi per externas res quae sensibus percipiantur, posse. Hac de caussa humanam naturam assumpsit Dei Filius, *qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus:*[4] atque ita, in terris agens, doctrinam suam suarumque praecepta legum hominibus, colloquendo, tradidit.

3. Cum divinum munus eius perenne ac perpetuum esse oporteret, idcirco nonnullos ille sibi adiunxit alumnos disciplinae suae, fecitque potestatis suae participes: cumque *Spiritum veritatis* in eos devocasset e caelo, praecepit, peragrarent orbem terrarum, quodque ipse docuerat quodque iusserat, id omne fideliter universitati gentium praedicarent: hoc quidem proposito, ut eius et professione doctrinae et obtemperatione legibus posset hominum genus sanctitatem in terris, felicitatem adipisci in caelo sempiternam. — Hac ratione atque hoc principio Ecclesia genita: quae quidem, si extremum illud quod vult, caussaeque proximae sanctitatem efficientes spectentur, profecto est *spiritualis*: si vero eos consideres, quibus cohaeret, resque ipsas quae ad spiritualia dona perducunt, *externa* est necessarioque conspicua. Docendi munus accepere Apostoli per cognoscenda visu audituque signa: idque illi munus non aliter executi quam dictis factisque, quae utique sensus permoverent. Ita quidem illorum vox extrinsecus illapsa per aures, fidem ingeneravit in animis: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*[5] Ac fides ipsa, scilicet assensio primae supremaeque veritati, mente quidem per se comprehenditur, sed tamen eminere foras evidenti professione debet: *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.*[6] Simili modo nihil est homini gratia caelesti, quae gignit san-

[1] Matth., XI, 30.
[2] Ep. Iac., I, 17
[3] I Cor., III, 6.
[4] Philipp., II, 6, 7.
[5] Rom., X, 17.
[6] Ibid., 10.

ctitudinem, interius: sed externa sunt ordinaria ac praecipua participandae
instrumenta gratiae: sacramenta dicimus, quae ab hominibus ad id nomi-
natim lectis, certorum ope rituum, administrantur. Iussit Iesus Christus
Apostolis perpetuisque Apostolorum successoribus, gentes ut edocerent ac
regerent: iussit gentibus, ut illorum et doctrinam acciperent et potestati
obedienter subessent. Verum isthaec in christiana republica iurium atque
officiorum vicissitudo non modo permanere, sed ne inchoari quidem potuis-
set nisi per interpretes ac nuntios rerum sensus. — Quibus de caussis
Ecclesiam cum *corpus*, tum etiam *corpus Christi* tam crebro sacrae litterae
nominant: *Vos autem estis corpus Christi.* [1] Propter eam rem quod corpus
est, oculis cernitur Ecclesia: propterea quod est Christi, vivum corpus est,
actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua,
Iesus Christus, in eum fere modum quo cohaerentes sibi palmites alit ac
fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium
vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur
motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitae
perspicue ex iis, quae ab ipsa aguntur, apparet.

4. Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari,
qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem
minimeque conspicuam: item qui perinde habent atque institutum quod-
dam humanum cum temperatione quadam disciplinae ritibusque externis,
at sine perenni communicatione munerum gratiae divinae, sine rebus iis,
quae haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testen-
tur. Nimirum alterutram esse posse Iesu Christi Ecclesiam tam repugnat,
quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copula-
tioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam neces-
saria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniun-
ctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus Christi vita
supernaturali praeditum. Sicut Christus, caput et exemplar, non omnis
est, si in eo vel humana dumtaxat spectetur natura visibilis, quod Photi-
niani ac Nestoriani faciunt; vel divina tantummodo natura invisibilis, quod
solent Monophysitae: sed unus est ex utraque et in utraque natura cum
visibili tum invisibili; sic corpus eius mysticum non vera Ecclesia est nisi
propter eam rem, quod eius partes conspicuae vim vitamque ducunt ex
donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria ipsarum ratio ac
natura efflorescit. Cum autem Ecclesia sit *eiusmodi* voluntate et constitu-
tione divina, permanere sine ulla intermissione debet *eiusmodi* in aeterni-
tate temporum: ni permaneret, profecto nec esset condita ad perennita-
tem, et finis ipse, quo illa contendit, locorum esset temporumque certo
spatio definitus: quod cum veritate utrumque pugnat. Istam igitur et visi-
bilium et invisibilium coniunctionem rerum, quia naturalis atque insita
in Ecclesia nutu divino inest, tamdiu permanere necesse est, quamdiu ipsa
permansura Ecclesia. Quare Chrysostomus: « Ab Ecclesia ne abstineas:
nihil enim fortius Ecclesia. Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refu-

[1] I Cor., XII, 27.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

gium tuum Ecclesia. Caelo excelsior et terra latior est illa. Numquam
senescit, sed semper viget. Quamobrem eius firmitatem stabilitatemque
demonstrans, Scriptura montem illam vocat ». [1] Augustinus vero: « Putant
(gentiles) religionem nominis christiani ad certum tempus in hoc saeculo
victuram, et postea non futuram. Permanebit ergo cum sole, quamdiu
sol oritur et occidit; hoc est quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit
Ecclesia Dei, id est Christi corpus in terris ». [2] Idemque alibi: « Nutabit
Ecclesia, si nutaverit fundamentum: sed unde nutabit Christus?... Non
nutante Christo, non inclinabitur in saeculum saeculi. Ubi sunt qui
dicunt, periisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest? » [3]

5. His velut fundamentis utendum veritatem quaerenti. Scilicet Eccle-
siam instituit formavitque Christus Dominus: propterea natura illius cum
quaeritur cuiusmodi sit, caput est nosse quid Christus voluerit quidque
reapse effecerit. Ad hanc regulam exigenda maxime Ecclesiae unitas est,
de qua visum est, communis utilitatis caussa, nonnihil his litteris attingere.

6. Profecto unam esse Iesu Christi germanam Ecclesiam, ex luculento
ac multiplici sacrarum litterarum testimonio, sic constat inter omnes, ut
contradicere christianus nemo ausit. Verum in diiudicanda statuendaque
natura unitatis, multos varius error de via deflectit. Ecclesiae quidem non
solum ortus sed tota constitutio ad rerum voluntate libera effectarum per-
tinet genus: quocirca ad id quod revera gestum est, iudicatio est omnis
revocanda, exquirendumque non sane quo pacto una esse Ecclesia queat,
sed quo unam esse is voluit, qui condidit.

7. Iamvero, si ad id respicitur quod gestum est, Ecclesiam Iesus Chri-
stus non talem finxit formavitque, quae communitates plures complecte-
retur genere similes, sed distinctas, neque iis vinculis alligatas, quae Eccle-
siam individuam atque unicam efficerent, eo plane modo, quo *Credo unam...
Ecclesiam* in symbolo fidei profitemur. « In unius naturae sortem coopta-
tur Ecclesia quae est una, quam conantur haereses in multas discindere.
Et essentia ergo et opinione, et principio et excellentia unicam esse dici-
mus antiquam et catholicam Ecclesiam... Ceterum Ecclesiae quoque
eminentia, sicut principium constructionis, est ex unitate, omnia alia supe-
rans, et nihil habens sibi simile vel aequale ». [4] Sane Iesus Christus de
aedificio eiusmodi mystico cum loqueretur, Ecclesiam non commemorat
nisi unam, quam appellat *suam: Aedificabo Ecclesiam meam.* Quaecumque,
praeter hanc, cogitetur alia, cum non sit per Iesum Christum condita,
Ecclesia Christi vera esse non potest. Quod eminet etiam magis, si divini
auctoris propositum consideretur. Quid enim in condita condendave Eccle-
sia petiit, quid voluit Christus Dominus? Hoc scilicet; munus idem, idem-
que mandatum in eam continuandum transmittere, quod ipse acceperat a
Patre. Id plane statuerat faciendum, idque re effecit. *Sicut misit me Pater,*

[1] Hom. *De capto Eutropio*, n. 6.
[2] In Psal. LXXI, n. 8.
[3] Enarr. in Psal., CIII, sermo II, n. 5.
[4] Clemens Alexandrinus, *Stromatum*, lib. VII, cap. 17.

et ego mitto vos. [1] *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* [2] Iamvero Christi muneris est vindicare ab interitu ad salutem *quod perierat*, hoc est non aliquot gentes aut civitates, sed omnino humanum, nullo locorum temporumve discrimine, universum genus: *venit Filius hominis... ut salvetur mundus per ipsum.* [3] *Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* [4] Itaque partam per Iesum Christum salutem, simulque beneficia omnia quae inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare aetates debet Ecclesia. Quocirca ex voluntate auctoris sui unicam in omnibus terris, in perpetuitate temporum, esse necesse est. Plane plus una ut esse posset, excedere terris et genus hominum fingere novum atque inauditum oporteret.

8. Hoc ipsum de Ecclesia una, quotquot essent ubique et quovis tempore mortales complexura, vidit ac praesignificavit Isaias, cum, futura prospicienti, obiecta species montis est, celsitudinis exsuperantia conspicui, qui imaginem *Domus Domini*, videlicet Ecclesiae, expressam gerebat: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.* [5] Atqui *unus* iste mons est, in vertice montium locatus: *una* domus Domini ad quam *omnes gentes* vivendi normam petiturae aliquando confluerent: *Et fluent ad eam omnes gentes... et dicent: venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius.* [6] Quem locum cum Optatus Milevitanus attingeret, « Scriptum est, inquit, in Isaia propheta: Ex Sion prodiet lex, et verbum Domini de Hierusalem. Non ergo in illo monte Sion Isaias aspicit vallem, sed in monte sancto, qui est Ecclesia, qui per omnem orbem romanum caput tulit sub toti caelo... Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus, quae est in toto orbe terrarum, in quo est una Ecclesia catholica ». [7] Augustinus vero: « Quid tam manifestum quam mons? Sed sunt et montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt... Ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terrae: et de illo dicitur: paratus in cacumine montium ». [8] Illud accedit, quod Ecclesiam Filius Dei mysticum corpus suum decrevit fore, quocum ipse velut caput coniungeretur, ad similitudinem corporis humani quod suscepit: cui quidem naturali conglutinatione inhaeret naturale caput. Sicut igitur mortale corpus sibi sumpsit unicum, quod obtulit ad cruciatus et necem, ut liberationis humanae pretium exsolveret, sic pariter unum habet corpus mysticum, in quo et cuius ipsius opera facit sanctitatis salutisque aeternae homines compotes: *Ipsum* (Christum) *dedit* (Deus) *caput supra omnem Ecclesiam,*

[1] Ioan., XX, 21.
[2] Ioan., XVII, 18.
[3] Ioan., III, 17.
[4] Act., IV, 12.
[5] Isaias, II, 2.
[6] Ibid., 2, 3.
[7] De schism. Donatist., lib. III, n. 2.
[8] In Epist. Ioan., tract. I, n. 13.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

quae est corpus ipsius. [1] Dispersa membra atque seiuncta non possunt eodem cum capite, unum simul effectura corpus, cohaerere. Atqui Paulus, *Omnia autem*, inquit, *membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus.* [2] Propterea corpus istud mysticum *compactum* ait esse et *connexum. Caput Christus: ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri.* [3] Quamobrem dispersa a membris ceteris siqua membra vagantur, cum eodem atque unico capite conglutinata esse nequeunt: « Unus Deus est, et Christus unus, et una Ecclesia eius et fides una et plebs una in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari ». [4] Quo melius Ecclesiam effingat unicam, similitudinem animati corporis informat, cuius non aliter victura membra sunt, nisi colligata cum capite, vim ad se vitalem ex capite ipso traducant: seiuncta, necesse est emori: « Non potest (Ecclesia)... divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit ». [5] Mortuum vero corpus quid habet cum vivo similitudinis? *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius.* [6] Aliud igitur simile Christo inchoetur caput, alius Christus, si praeter eam, quae corpus eius est, fingi Ecclesiam alteram libeat. « Videte quid caveatis, videte quid observetis, videte quod timeatis. Contingit, ut in corpore humano, imo de corpore aliquod praecidatur membrum, manus, digitus, pes: numquid praecisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat: praecisum amittit vitam. Sic et homo christianus catholicus est, dum in corpore vivit: praecisus, haereticus factus est: membrum amputatum non sequitur spiritus ». [7] Est igitur Ecclesia Christi unica et perpetua: quicumque seorsum eant, aberrant a voluntate et praescriptione Christi Domini, relictoque salutis itinere, ad interitum digrediuntur. « Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec perveniet ad Christi praemia qui reliquit Ecclesiam Christi... Hanc unitatem qui non tenet, non tenet Dei legem, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem ». [8]

9. At vero qui unicam condidit, is idem condidit *unam:* videlicet eiusmodi, ut quotquot in ipsa futuri essent, arctissimis vinculis sociati tenerentur, ita prorsus ut unam gentem, unum regnum, corpus unum efficerent: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* [9]

[1] Ephes., I, 22, 23.
[2] I Cor., XII, 12.
[3] Ephes., IV, 15, 16.
[4] S. Cyprianus, *De cath. Eccl. Unitate*, n. 23.
[5] Ibid., loc. cit.
[6] Ephes., V, 29, 30.
[7] S. Augustinus, *Sermo CCLXVII*, n. 4.
[8] S. Cyprianus, *De cath. Eccl. Unitate*, n. 6.
[9] Ephes., IV, 4.

Voluntatem hac de re suam Iesus Christus sanxit, propinqua iam morte, augusteque consecravit, ita Patrem adprecatus: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me,... ut et ipsi in nobis unum sint...,* ut *sint consummati in unum.*[1] Imo tam intime nexam iussit esse in sectatoribus suis unitatem tamque perfectam, ut coniunctionem cum Patre suam ratione aliqua imitaretur: *Rogo... ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te.*[2] Tantae autem inter homines ac tam absolutae concordiae necessarium fundamentum est convenientia coniunctioque mentium: ex quo conspiratio voluntatum atque agendorum similitudo natura gignitur. Quamobrem, pro sui divinitate consilii, *unitatem fidei* in Ecclesia sua iussit esse: quae quidem virtus primum est in vinculis iis quae hominem iungunt Deo, et inde nomen *fideles* accepimus. *Unus Dominus, una fides unum baptisma:*[3] videlicet sicut unus Dominus, et baptisma unum, ita omnium christianorum, qui ubique sunt, unam esse fidem oportet. Itaque Paulus Apostolus christianos, ut idem sentiant omnes, effugiantque opinionum dissidia non rogat tantum, sed flagitat ac plane obsecrat: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi: ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.*[4] Quae loca sane non indigent interprete: satis enim per se loquuntur ipsa. Ceteroqui unam esse fidem debere, qui se profitentur christianos, vulgo assentiuntur. Illud potius maximi momenti ac prorsus necessarium, in quo multi errore falluntur, internoscere quae sit istius species et forma unitatis. Quod ipsum, ut supra fecimus in caussa simili, non opinatione aut coniectura est, sed scientia rei gestae iudicandum: quaerendo scilicet statuendoque qualem in fide unitatem Iesus Christus esse praeceperit.

10. Iesu Christi doctrina caelestis, tametsi magnam partem consignata litteris afflatu divino, colligare tamen mentes, permissa hominum ingenio ipsa non poterat. Erat enim proclive factu ut in varias incideret atque inter se differentes interpretationes: idque non modo propter ipsius vim ac mysteria doctrinae, sed etiam propter humani ingenii varietatem, et perturbationem in studia contraria abeuntium cupiditatum. Ex differentia interpretandi dissimilitudines sentiendi necessitate nascuntur: hinc controversiae, dissidia, contentiones, qualia incumbere in Ecclesiam ipsa vidit proxima originibus aetas. De haereticis illud scribit Irenaeus: « Scripturas quidem confitentur, interpretationes vero convertunt ».[5] Atque Augustinus: « Neque enim natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum praecipitantia, nisi dum scripturae bonae intelliguntur non bene ».[6] Ad coniugandas igitur mentes, ad efficiendam tuendamque concordiam sententiarum, ut ut extarent divinae litterae, omnino erat alio quodam *principio* opus. Id exigit divina sapientia: neque enim Deus unam esse fidem velle potuit, nisi conservandae unitatis rationem quamdam idoneam providisset: quod et sacrae litterae perspicue, ut mox dicturi sumus, significant. Certe infinita Dei potentia nulli est vincta vel adstricta rei, omniaque sibi habet obnoxie, velut instrumenta, parentia. De isto igitur principio externo, dispiciendum, quodnam ex omnibus, quae essent in potestate sua, Christus optarit. Quam ob rem oportet christiani nominis revocare cogitatione primordia.

[1] Ioan., XVII, 20, 21, 23.
[2] Ibid., 21.
[3] Ephes., IV, 5.
[4] I Cor., I, 10.
[5] Lib. III, c. 12, n. 12.
[6] In Evang. Ioan., tract. XVIII, cap. 5, n. 1.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

11. Divinis testata litteris, eademque vulgo cognita commemoramus. Iesus Christus divinitatem divinamque legationem suam miraculorum virtute comprobat: erudire verbo multitudinem ad caelestia insistit, omninoque iubet ut sibi fides docenti adiungatur, hinc praemiis, illinc poenis propositis sempiternis: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.*[1] *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.*[2] *Si autem facio* (opera), *et si mihi non vultis credere, operibus credite.*[3] Quaecumque praecipit, eadem omnia auctoritate praecipit: in exigendo mentis assensu nihil excipit, nihil secernit. Eorum igitur qui Iesum audissent, si adipisci salutem vellent, officium fuit non modo doctrinam eius accipere universe, sed tota mente assentiri singulis rebus, quas ipse tradidisset: illud enim repugnat, fidem vel una in re non adhiberi Deo.

12. Maturo in caelum reditu, qua ipse potestate missus a Patre fuerat, eadem mittit Apostolos, quos spargere ac disseminare iubet doctrinam suam: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.*[4] Salvos fore, qui Apostolis paruissent, qui non paruissent, interituros: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.*[5] Cumque illud sit providentiae Dei maxime congruens, ut muneri praesertim magno atque excellenti praeficiat neminem, quin pariter suppeditet unde liceat rite defungi, idcirco Iesus Christus missurum se ad discipulos suos Spiritum veritatis pollicitus est, eumque in ipsis perpetuo mansurum: *Si autem abiero, mittam eum* (Paraclitum) *ad vos... Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*[6] *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis...*[7] *Ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis.*[8] Hinc doctrinam Apostolorum religiose accipi sancteque servari perinde imperat ac suam: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me*

[1] Ioan,. X, 37.
[2] Ioan., XV, 24.
[3] Ioan., X, 38.
[4] Matth., XXVIII, 18-20.
[5] Marc., XVI, 16.
[6] Ioan., XVI, 7, 13.
[7] Ioan., XIV, 16, 17.
[8] Ioan., XV, 26, 27.

spernit.[1] Quamobrem legati Apostoli a Iesu Christo sunt non secus ac ipse legatus a Patre: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos:*[2] propterea quem- admodum dicto audientes Christo esse Apostolos ac discipulos oportuit, ita pariter fidem adhibere Apostolis debuerant, quoscumque ipsi ex man- dato divino docuissent. Ergo Apostolorum vel unum repudiare doctrinae praeceptum plane non plus licuit, quam de ipsius Christi doctrina reie- cisse quicquam. — Sane Apostolorum vox, illapso in eos Spiritu sancto, quam latissime insonuit. Quacumque vestigium posuissent, perhibent se ab ipso Iesu legatos, *Per quem* (Iesum Christum) *accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius:*[3] divi- namque eorum legationem passim Deus per prodigia in aperto ponit: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.*[4] Quem vero sermonem? eum utique, qui id omne comprehenderet, quod ipsi ex magistro didicissent: palam enim aperteque testantur, nihil se eorum posse, quae viderant quaeque audie- rant non loqui.

13. Sed, quod alio loco diximus, non erat eiusmodi munus apostoli- cum, ut aut cum personis Apostolorum interire posset, aut cum tempore labi, quippe quod et publicum esset et saluti generis humani institutum. Apostolis enim mandavit Iesus Christus ut praedicarent *evangelium omni creaturae*, et *portarent nomen ipsius coram gentibus et regibus*, et *ut sibi testes essent usque ad ultimum terrae.* Atque in tanti perfunctione muneris adfore se pollicitus eis est, idque non ad aliquot vel annos vel aetates, sed in omne tempus, *usque ad consummationem saeculi.* Quam ad rem Hieronymus: « Qui usque ad consummationem saeculi cum discipulis se futurum esse pro- mittit, et illos ostendit semper esse victuros et se numquam a credenti- bus recessurum ».[5] Quae quidem omnia in solis Apostolis, supremae necessitati ex humana conditione obnoxiis, qui vera esse potuissent? Erat igitur provisum divinitus ut magisterium a Iesu Christo institutum non iisdem finibus, quibus vita Apostolorum, terminaretur, sed esset perpetuo mansurum. Propagatum revera ac velut in manus de manu traditum vide- mus. Nam consecravere episcopos Apostoli, quique sibi proxime succede- rent in *ministerio verbi*, singillatim designavere. — Neque hoc tantum: illud quoque sanxere in successoribus suis, ut et ipsi viros idoneos adlegerent, quos, eadem auctoritate auctos, eidem praeficerent docendi officio et muneri: *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Iesu: et quae audi- sti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.*[6] Qua de caussa sicut Christus a Deo, et Apostoli a Christo, sic episcopi et quotquot Apostolis successere, missi ab Apostolis sunt: « Apostoli nobis Evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo,

[1] Luc., X, 16.
[2] Ioan., XX, 21.
[3] Rom., I, 5.
[4] Marc., XVI, 20.
[5] In Matth., lib. IV, cap. 28, v. 20.
[6] II Tim., II, 1, 2.

Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo, et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei... Per regio- nes igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant... Constituerunt praedictos, et deinceps ordinationem dederunt, ut quum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent ».[1] Permanere igitur necesse est ex una parte constans atque immutabile munus docendi omnia, quae Christus docuerat: ex altera constans atque immutabile offi- cium accipiendi profitendique omnem illorum doctrinam. Quod praeclare Cyprianus iis verbis illustrat: « Neque enim Dominus noster Iesus Christus, cum in Evangelio suo testaretur inimicos suos esse eos, qui secum non essent, aliquam speciem haereseos designavit: sed omnes omnino qui secum non essent et secum non colligentes, gregem suum spargerent, adversarios esse ostendit, dicens: Qui non est mecum, adversus me est; et qui non mecum colligit, spargit ».[2]

14. His Ecclesia praeceptis instituta, sui memor officii, nihil egit stu- dio et contentione maiore, quam ut integritatem fidei omni ex parte tue- retur. Hinc perduellium habere loco et procul amandare a se, qui de quo- libet doctrinae suae capite non secum una sentirent. Ariani, Montanistae, Novatiani, Quartadecumani, Eutychiani certe doctrinam catholicam non penitus omnem, sed partem aliquam deseruerant: haereticos tamen decla- ratos, eiectosque ex Ecclesiae sinu quis ignorat fuisse? Similique iudicio damnati, quotquot pravorum dogmatum auctores variis temporibus postea consecuti sunt. « Nihil periculosius his haereticis esse potest, qui cum inte- gre per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam ac simplicem fidem Dominicae et exinde apostolicae traditionis inficiunt ».[3] Idem semper Ecclesiae mos, idque sanctorum Patrum con- sentiente iudicio: qui scilicet communionis catholicae expertem et ab Ec- clesia extorrem habere consueverunt, quicumque a doctrina, authentico magisterio proposita, vel minimum discessisset. Epiphanius, Augustinus, Theodoretus haereseon sui quisque temporis magnum recensuere numerum. Alia Augustinus animadvertit posse genera invalescere, quorum vel uni si quis assentiatur, hoc ipso ab unitate catholica seiungitur: « Non omnis, qui ista (numeratas videlicet haereses) non credit, consequenter debet se christianum catholicum iam putare vel dicere. Possunt enim et haere- ses aliae, quae in hoc opere nostro commemoratae non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, christianus catholicus non erit ».[4]

15. Istam tutandae unitati, de qua dicimus, institutam divinitus ratio- nem urget beatus Paulus in epistola ad Ephesios; ubi primum monet, ani- morum concordiam magno studio conservandam: *Solliciti servare unitatem*

[1] S. Clemens Rom., *Ep. I ad Corint.*, cc. 42, 44.
[2] Ep. LXIX, *ad Magnum*, n. 1.
[3] Auctor *Tractatus de Fide orthodoxa contra Arianos.*
[4] De Haeresibus, n. 88.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

spiritus in vinculo pacis: [1] cumque concordes animi caritate esse omni ex parte non possint, nisi mentes de fide consentiant, unam apud omnes vult esse fidem: *Unus Dominus, una fides:* ac tam perfecte quidem unam, ut errandi discrimen omne prohibeat: *Ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Idque non ad tempus servari docet oportere, sed *donec occurramus omnes in unitatem fidei... in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Sed eiusmodi unitatis ubinam Iesus Christus posuit principium inchoandae, praesidium custodiendae? In eo videlicet quod, *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos ... alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Quare vel inde ab ultima vetustate hanc ipsam regulam doctores Patresque et sequi consueverunt et uno ore defendere. Origenes: « Quoties autem (haeretici) canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis christianus consentit et credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei tradiderunt nobis ». [2] Irenaeus: « Agnitio vera est Apostolorum doctrina... secundum successiones episcoporum... quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima ». [3] Tertullianus vero: « Constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit... Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis ». [4] Atque Hilarius: « Significat (Christus e navi docens) eos, qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiae typum praefert, intra quam verbum vitae positum et praedicatum hi qui extra sunt, et arenae modo steriles atque inutiles adiacent, intelligere non possunt ». [5] Rufinus Gregorium Nazianzenum laudat et Basilium, quod « solis divinae scripturae voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat ». [6]

16. Quamobrem, id quod ex iis, quae dicta sunt, apparet, instituit Iesus Christus in Ecclesia *vivum, authenticum*, idemque *perenne magisterium*, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit: eiusque praecepta doctrinae aeque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit. — Quoties igitur huius verbo magisterii edicitur, traditae divinitus doctrinae complexu hoc contineri vel illud, id quisque debet certo

[1] IV, 3 et seqq.
[2] Vetus Interpret. Commentarior. in Matth., n. 46.
[3] Contra Haereses, lib. IV, cap. 33, n. 8.
[4] De Praescript., cap. XXI.
[5] Comment. in Matth., XIII, n. 1.
[6] Hist. Eccl., lib. II, cap. 9.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

credere, verum esse: si falsum esse ullo modo posset, illud consequatur, quod aperte repugnat, erroris in homine ipsum esse auctorem Deum: *Domine, si error est, a te decepti sumus.* [1] Ita omni amota dubitandi caussa, ullamne ex iis veritatibus potest cuiquam fas esse respuere, quin se det hoc ipso praecipitem in apertam haeresim? quin, seiunctus ab Ecclesia, doctrinam christianam una complexione repudiet universam? Ea quippe est natura fidei, ut nihil tam repugnet quam ista credere, illa reiicere. Fidem enim Ecclesia profitetur esse « virtutem supernaturalem, qua, Dei adiuvante et aspirante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest ». [2] Si quid igitur traditum a Deo liqueat fuisse, nec tamen creditur, nihil omnino fide divina creditur. Quod enim Iacobus Apostolus de delicto iudicat in genere morum, idem de opinionis errore in genere fidei iudicandum: *Quicumque... offendat... in uno, factus est omnium reus:* [3] imo de opinionis errore, multo magis. Omnis enim violata lex minus proprie de eo dicitur qui unum peccavit, propterea quod maiestatem Dei legum latoris sprevisse, non nisi interpretanda voluntate, videri potest. Contra is, qui veritatibus divinitus acceptis vel uno in capite dissentiat, verissime fidem exuit funditus, quippe qui Deum, quatenus summa veritas est et *proprium motivum fidei*, recusat vereri: « In multis mecum, in paucis non mecum: sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum ». [4] Ac sane merito: qui enim sumunt de doctrina christiana, quod malunt, ii iudicio suo nituntur, non fide: iidemque minime *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,* [5] sibimetipsis verius obtemperant, quam Deo: « Qui in Evangelio quod vultis, creditis; quod vultis, non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis ». [6]

17. Quocirca nihil Patres in Concilio Vaticano condidere novi, sed institutum divinum, veterem atque constantem Ecclesiae doctrinam, ipsamque fidei naturam sequuti sunt, cum illud decrevere: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata proponuntur ». [7] Itaque cum appareat, omnino in Ecclesia sua velle Deum unitatem fidei, compertumque sit cuiusmodi eam esse, et quo principio tuendam ipse iusserit, liceat Nobis, quotquot sunt qui non animum induxerint aures veritati claudere, iis Augustini verbis affari: « Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per suc-

[1] Richardus de S. Victore, *De Trin.*, lib. I, cap. 2.
[2] Conc. Vat., sess. III, cap. 3. — Cf. N. 10.
[3] II, 10.
[4] S. August., *In Psalm. LIV*, n. 19.
[5] II Cor., X, 5.
[6] S. August., *Contra Faustum Manichaeum*, l. XVII, cap. 3.
[7] Sess. III, cap. 3. — Cf. N. 10.

cessiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim ple-
bis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculo-
rum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas
dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae...
Et si unaquaeque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit,
doctorem aut magistrum requirit; quid temerariae superbiae plenius,
quam divinorum sacramentorum libros et ab interpretibus suis nolle co-
gnoscere, et incognitos velle damnare? » [1]

18. Hoc igitur sine ulla dubitatione est officium Ecclesiae, christianam
doctrinam tueri eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequa-
quam in isto sunt omnia: imo ne finis quidem, cuius caussa est Ecclesia
instituta, officio isto concluditur. Quandoquidem, ut Iesus Christus pro
salute humani generis se ipse devovit, atque huc, quae docuisset quaeque
praecepisset, omnia retulit, sic iussit Ecclesiam quaerere in veritate doctri-
nae, quo homines cum sanctos efficeret, tum salvos. — Verum tanti magni-
tudinem atque excellentiam propositi consequi sola fides nullo modo potest:
adhiberi necesse est cum Dei cultum iustum ac pium, qui maxime sacri-
ficio divino et sacramentorum communicatione continetur, tum etiam san-
ctitatem legum ac disciplinae. — Ista igitur omnia inesse in Ecclesia opor-
tet, quippe quae Servatoris munia in aevum persequitur: religionem, quam
in ea velut *incorporari* ille voluit, mortalium generi omni ex parte absolu-
tam sola praestat: itemque ea, quae ex ordinario providentiae consilio sunt
instrumenta salutis, sola suppeditat.

19. At vero quo modo doctrina caelestis nunquam fuit privatorum arbi-
trio ingeniove permissa, sed principio a Iesu tradita, deinceps ei separatim,
de quo dictum est, commendata magisterio: sic etiam non singulis e populo
christiano, verum delectis quibusdam data divinitus facultas est perficiendi
atque administrandi divina mysteria, una cum regendi gubernandique pote-
state. Neque enim nisi ad Apostolos legitimosque eorum successores ea
pertinent a Iesu Christo dicta: *Euntes in mundum universum, praedicate Evan-
gelium,... baptizantes eos... Hoc facite in meam commemorationem... Quorum
remiseritis peccata, remittuntur eis.* Similique ratione non nisi Apostolis
quique eis iure successissent, mandavit ut *pascerent*, hoc est cun potestate,
regerent unversitatem christianorum, quos hoc ipso eis subesse debere
atque obtemperare est consequens. Quae quidem officia apostolici muneris
omnia generatim Pauli sententia complectitur: *Sic nos existimet homo ut
ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* [2]

20. Quapropter mortales Iesus Christus, quotquot essent, et quotquot
essent futuri, universos advocavit, ut ducem se eumdemque servatorem
sequerentur, non tantum seorsum singuli, sed etiam consociati atque invi-
cem re animisque iuncti, ut ex multitudine populus existeret iure sociatus;
fidei, finis, rerum ad finem idonearum communione unus, uni eidemque
subiectus potestati. Quo ipse facto principia naturae, quae in hominibus

[1] De utilitate credendi, c. XVII, n. 35.
[2] I Cor., IV, 1.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI
BIBLIOTHECA

societatem sponte gignunt, perfectionem naturae consentaneam adepturis,
omnia in Ecclesia posuit, nimirum ut in ea, quotquot filii Dei esse adop-
tione volunt, perfectionem dignitati suae congruentem assequi et retinere
ad salutem possent. Ecclesia igitur, id quod alias attigimus, dux homini-
bus est ad caelestia, eidemque hoc est munus assignatum a Deo ut de iis,
quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat, et rem christianam libere
expediteque iudicio suo administret. Quocirca Ecclesiam aut non recte
norunt aut inique criminantur qui eam insimulant, velle se in civitatum
rationes inferre, at in iura potentatus invadere. Imo Deus perfecit, ut
Ecclesia esset omnium societatum longe praestantissima: nam quod petit
ipsa tanquam finem, tanto nobilius est quam quod ceterae petunt societa-
tes, quanto natura gratia divina, rebusque caducis immortalia sunt prae-
stabiliora bona. — Ergo Ecclesia societas est ortu *divina:* fine, rebusque
fini proxime admoventibus, *supernaturalis:* quod vero coalescit hominibus,
humana communitas est. Ideoque in sacris litteris passim videmus vocabu-
lis societatis perfectae nuncupatam. Nominatur enim non modo *Domus
Dei, Civitas supra montem posita*, quo convenire gentes omnes necesse est:
sed etiam *Ovile*, cui praesit pastor unus, et quo recipere se oves Christi
omnes debent: imo *Regnum quod suscitavit Deus*, quodque *stabit in aeter-
num:* denique *Corpus* Christi, *mysticum* illud quidem, sed tamen vivum
apteque compositum, multisque conflatum membris; quae membra non
eumdem actum habent: copulata vero inter se gubernante ac moderante
capite, continentur. Iamvero nulla hominum cogitari potest vera ac perfe-
cta societas, quin potestate aliqua summa regatur. Debet igitur Iesus Chri-
stus magistratum Ecclesiae maximum praefecisse, cui obediens ac subiecta
omnis esset christianorum multitudo. Qua de caussa sicut ad unitatem
Ecclesiae, quatenus est *coetus fidelium*, necessario unitas fidei requiritur,
ita ad ipsius unitatem, quatenus est divinitus constituta societas, requiri-
tur iure divino *unitas regiminis*, quae *unitatem communionis* efficit et comple-
ctitur: « Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur: scilicet in connexione
membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione, et iterum in ordine
omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput ». [1] — Ex quo intelligi licet,
excidere homines ab Ecclesiae unitate non minus schismate, quam haeresi:
« Inter haeresim et schisma hoc esse arbitrantur, quod haeresis perversum
dogma habeat: schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia
separetur ». [2] Quibuscum illa Ioannis Chrysostomi in eamdem rem senten-
tia concordat: « Dico et protestor, Ecclesiam scindere non minus esse ma-
lum, quam incidere in haeresim ». [3] Quamobrem si nulla potest esse hone-
sta haeresis, pari ratione schisma nullum est, quod possit iure factum videri:
« Non est quicquam gravius sacrilegio schismatis,... praecidendae unitatis
nulla est iusta necessitas ». [4]

[1] S. Thomas, II-II, q. 39, a. 1.
[2] S. Hieron., *Comment. in Ep. ad Titum*, cap. III, v. 10, 11.
[3] Hom. XI, *in Ep. ad Ephes.*, n. 5.
[4] S. August., *Contra Epist. Parmeniani*, lib. II, cap. II, n. 25.

21. Quae vero et cuiusmodi summa ista potestas sit, cui christianos parere oportet universos, non aliter nisi comperta cognitaque voluntate Christi statuendum. Certe in aeternum rex Christus est, itemque moderari in aeternum tuerique regnum suum e caelo non visus perseverat: sed quia conspicuum illud esse voluit, designare debuit qui gereret in terris vices suas, postea quam ipse ad caelestia rediisset: « Si quis autem dicat quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit: ipse enim est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit, ipse est verus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cuius virtute corpus eius in altari quotidie consecratur; et tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensaret, ut supra (cap. 74) dictum est. Eadem igitur ratione, quia praesentiam corporalem erat Ecclesiae subtracturus, oportuit ut alicui committeret qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem: Pasce oves meas ».[1] Iesus Christus igitur summum rectorem Ecclesiae Petrum dedit, idemque sanxit ut eiusmodi magistratus saluti communi ad perennitatem institutus, ad successores hereditate transferretur, in quibus Petrus ipse esset auctoritate perpetua superstes. Sane insigne illud promissum beato Petro fecit, praeterea nemini: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*[2] — « Ad Petrum locutus est Dominus: ad unum, ideo ut unitatem fundaret ex uno ».[3] — « Nulla siquidem oratione praemissa,... tam patrem eius, quam ipsum nomine appellat (beatus es Simon Bar Iona), et Simonem eum non iam vocari patitur, eum sibi pro sua potestate iam tum ut suum vindicans, sed congrua similitudine Petrum a petra vocari placuit, puta super quem fundaturus erat suam Ecclesiam ».[4] Quo ex oraculo liquet, Dei voluntate iussuque Ecclesiam in beato Petro, velut aedes in fundamento consistere. Atqui fundamenti propria natura et vis est, ut cohaerentes efficiat aedes variorum coagmentatione membrorum, itemque ut operi sit necessarium vinculum incolumitatis ac firmitudinis: quo sublato, omnis aedificatio collabitur. Igitur Petri est sustinere Ecclesiam tuerique non solubili compage connexam ac firmam. Tantum vero explere munus qui possit sine potestate iubendi, vetandi, iudicandi, quae vere proprieque *iurisdictio* dicitur? Profecto non nisi potestate iurisdictionis stant civitates resque publicae. Principatus honoris ac pertenuis illa consulendi monendique facultas, quam *directionem* vocant, nulli hominum societati admodum prodesse neque ad unitatem neque ad firmitudinem queunt. Atque hanc, de qua loquimur, potestatem illa declarant et confirmant: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* — « Quam autem eam? an enim petram supra quam Christus aedificat Ecclesiam? an Ecclesiam? Ambigua quippe locutio est: an quasi unam eamdemque rem, petram et Ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo, nec enim adversus petram, super quam Christus Ecclesiam aedificat, nec adversus Ecclesiam portae inferi praevalebunt ».[1] Cuius divinae sententiae ea vis est: quamcumque visi invisique hostes vim, quascumque artes adhibuerint, numquam fore ut fulta Petro Ecclesia succumbat, aut quoquo modo deficiat: « Ecclesia vero tamquam Christi aedificium, qui sapienter aedificavit — domum suam supra petram —, portarum inferi capax non est, praevalentium quidem adversus quemcumque hominem, qui extra petram et Ecclesiam fuerit, sed invalidarum adversus illam ».[2] Ergo Ecclesiam suam Deus idcirco commendavit Petro, ut perpetuo incolumem tutor invictus conservaret. Eum igitur auxit potestate debita: quia societati hominum re et cum effectu tuendae, ius imperii in eo qui tuetur est necessarium. Illud praeterea Iesus adnexuit: *Et tibi dabo claves regni caelorum.* Plane loqui de Ecclesia pergit, quam paullo ante nuncuparat *suam*, quamque ipsam velle se in Petro dixit, tamquam in fundamento, statuere. Expressam non modo *aedificii*, sed etiam *regni* imaginem gerit Ecclesia: ceteroqui insigne usitatum imperii claves esse, nemo nescit. Quapropter *claves regni caelorum* cum Iesus dare Petro pollicetur, potestatem et ius in Ecclesiam pollicetur daturum: « Filius vero et Patris et sui ipsius cognitionem per totum orbem illi (Petro) disseminare commisit, ac mortali homini omnem in caelo potestatem dedit, dum claves illi tradidit, qui Ecclesiam per totum orbem terrarum extendit, et caelis firmiorem monstravit ».[3] Concinunt cetera: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Ligandi solvendique translata locutio ius ferendarum legum, item iudicandi vindicandique designat potestatem. Quae quidem potestas tantae amplitudinis virtutisque dicitur fore, ut quaelibet decreta eius rata sit habiturus Deus. Itaque summa est planeque sui iuris, quippe quae nullam habet in terris superiorem gradu, Ecclesiamque totam et quae sunt Ecclesiae commissa, universa complectitur.

22. Promissum exsolvitur, quo tempore Christus Dominus, post anastasim suam, cum ter a Petro, num se diligeret plus quam ceteri, quaesisset, praecipientis in modum ei, *Pasce*, ait, *agnos meos,... pasce oves meas.*[4] Nimirum quotquot essent in ovili suo futuri, omnes illi velut pastori committit: « Dominus non dubitat, qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in caelum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat... Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur..., perfectiores ut perfectior gubernaret ».[5] Illa vero sunt pastoris officia et partes, gregi se praebere ducem, eumdemque sospitare salubritate pabulorum prohibendo pericula, cavendo insidias, tutando

[1] S. Thomas, *Contra Gentiles*, lib. IV, c. 76.
[2] Matth., XVI, 18.
[3] S. Pacianus, *ad Sempronium*, ep. III, n. 11.
[4] S. Cyrillus Alex., *In Evang. Ioann.*, lib. II, in c. I, v. 42.

[1] Origenes, *Comment. in Matth.*, tom. XII, n. 11.
[2] Ibid.
[3] S. Ioan. Chrys., *Hom. LIV, in Matth.*, n. 2.
[4] Ioan., XXI, 16, 17.
[5] S. Ambros., *Exposit. in Evang. secundum Lucam*, lib. X, n. 175, 176.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

a vi: brevi, regendo gubernando. Cum igitur Petrus est gregi christia-
norum pastor impositus, potestatem accepit gubernandi omnes homines,
quorum saluti Iesus Christus profuso sanguine prospexerat: « Cur san-
guinem effudit? Ut has emeret oves, quas Petro et successoribus eius
tradidit ». [1]

23. Quoniamque immutabilis communione fidei christianos omnes opor-
tet esse invicem coniunctos, idcirco suarum virtute precum Christus Dominus
impetravit Petro, ut in gerenda potestate numquam fide laberetur: *Ego autem*
rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. [2] Eidem praeterea mandavit ut,
quoties tempora postularent, ipse impertiret fratribus suis lumen animi
et robur: *Confirma fratres tuos.* [3] Quem igitur fundamentum Ecclesiae
designarat, eumdem esse vult columen fidei: « Cui propria auctoritate regnum
dabat, huius fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firma-
mentum Ecclesiae iudicavit? » [4] Hinc ipse Iesus certa quaedam nomina,
magnarum indicia rerum, quae « sibi potestate sunt propria, voluit esse
Petro secum participatione communia », [5] nimirum ut ex communione
titulorum appareret communio potestatis. Ita ipse, qui *lapis est angularis,*
in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, [6]
Petrum velut *lapidem* statuit, quo fulta esse Ecclesia deberet. « Cum audisset
(petra es) praeconio nobilitatus est. Quamquam autem petra est, non ut
Christus petra, sed ut Petrus petra. Christus enim essentialiter petra incon-
cussa; Petrus vero per petram. Nam Iesus dignitates suas largitur, nec
exhauritur... Sacerdos est, facit sacerdotes, ... petra est, petram facit ». [7]
Rex idem Ecclesiae, *qui habet clavem David: qui aperit et nemo claudit:*
claudit et nemo aperit, [8] traditis Petro *clavibus,* principem christianae reipu-
blicae declaravit. Pariter pastor maximus, qui se ipse *pastorem bonum* nun-
cupat, [9] *agnis atque ovibus suis* pastorem Petrum praeposuit: *Pasce agnos,*
pasce oves. Quare Chrysostomus: « Eximius erat inter Apostolos, et os disci-
pulorum et coetus illius caput... Simul ostendens ei, oportere deinceps
fidere, quasi abolita negatione, fratrum ei praefecturam committit. Dicit
autem: Si amas me, fratribus praeesto ». [10] Demum qui confirmat *in omni*
opere et sermone bono, [11] mandavit Petro ut *confirmaret fratres suos.* Iure igi-
tur Leo magnus: « De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum
gentium vocationi et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae patribus
praeponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique
pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et

[1] S. Ioan. Chrys., *De Sacerdotio,* lib. II.
[2] Luc., XXII, 32.
[3] Ibid.
[4] S. Ambros., *De Fide,* lib. IV, n. 56.
[5] S. Leo M., sermo IV, cap. 2.
[6] Ephes., II, 21.
[7] Hom. *De Poenitentia,* n. 4, in appendice opp. S. Basilii.
[8] Apoc., III, 7.
[9] Ioan., X, 11.
[10] Hom. LXXXVIII, in Ioan., n. 1.
[11] II Thessal., II, 16.

Christus ». [1] Itemque Gregorius magnus ad Imperatorem Mauritium Augu-
stum: « Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto
et omnium Apostolorum Petro principi apostolo totius Ecclesiae cura
commissa est... Ecce claves regni caelestis accepit, potestas ei ligandi ac
solvendi tribuitur, et cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur ». [2]

24. Eiusmodi autem principatum, quoniam constitutione ipsa tempera-
tioneque Ecclesiae, velut pars praecipua, continetur, videlicet ut princi-
pium unitatis ac fundamentum incolumitatis perpetuae, nequaquam cum
beato Petro interire, sed recidere in eius successores ex alio in alium opor-
tuit: « Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitu-
dine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit ». [3]
Quare Pontifices, qui Petro in episcopatu romano succedunt, supremam
Ecclesiae potestatem obtinent iure divino. « Definimus, sanctam Apostoli-
cam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere prima-
tum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, prin-
cipis Apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput,
et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato
Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino
nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum
etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus conti-
netur ». [4] Similiter Concilium Lateranense IV: « Romana Ecclesia... dispo-
nente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principa-
tum, utpote mater universorum Christifidelium et magistra ». Antecesserat
consensus antiquitatis, quae episcopos romanos sine ulla dubitatione sic
semper observavit et coluit ut beati Petri legitimos successores. Quem
vero lateat quot in eamdem rem extent et quam luculenta sanctorum patrum
testimonia? Illud valde praeclarum Irenaei, qui cum de Ecclesia romana
dissereret, « ad hanc enim, inquit, Ecclesiam propter potiorem principali-
tatem necesse est omnem convenire Ecclesiam ». [5] Ac Cyprianus itidem
de Ecclesia romana affirmat, eam esse « Ecclesiae catholicae radicem et
matricem: [6] Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas
sacerdotalis exorta est ». [7] *Cathedram* Petri appellat quippe quam insidet
Petri successor: *Ecclesiam principalem* ob principatum Petro ipsi et legitimis
successoribus collatum: *unde unitas exorta,* quia in christiana republica
caussa efficiens unitatis est Ecclesia romana. Quare Hieronymus iis verbis
Damasum affatur: « Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor...
Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri communione consocior. Super
illam petram aedificatam Ecclesiam socio ». [8] Sollemne illi est, catholicum

[1] Sermo IV, cap. 2.
[2] Epistolar., lib. V, epist. XX.
[3] S. Leo M., sermo III, cap. 3.
[4] Conc. Florentin. — Cf. N. 51.
[5] Contra Haereses, lib. III, c. 3, n. 2.
[6] Ep. XLVIII, ad Cornelium, n. 3.
[7] Ep. LIX, ad eumdem, n. 14.
[8] Ep XV, ad Damasum, n. 2.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

hominem ex coniunctione cum romana Petri sede internoscere: « Si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est ». [1] Neque absimili ratione Augustinus, palam testatus, « in romana Ecclesia semper Apostolicae cathedrae viguisse principatum », [2] negat esse catholicum, quicumque a fide romana dissentiat: « Non crederis veram fidem tenere catholicam, qui fidem non doces esse servandam romanam ». [3] Item Cyprianus: Communicare cum Cornelio, « hoc est cum catholica Ecclesia communicare ». [4] Similiter Maximus Abbas hanc verae fidei veraeque communionis notam esse docet, subesse Pontifici romano: « Itaque si vult haereticus non esse neque audire, non isti aut illi satisfaciat... Festinet pro omnibus sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et non sastisfacit et implorat sanctissimae romanorum Ecclesiae beatissimum Papam, id est Apostolicam Sedem ». Cuius rei caussam, rationemque in eo affirmat residere, quod « ab ipso incarnato Dei Verbo sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones et terminos, universarum quae in toto terrarum orbe sunt sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi et solvendi. Cum hoc enim ligat et solvit, etiam in caelo Verbum, quod caelestibus virtutibus principatur ». [5] Quod igitur erat in fide christiana, quod non una gens, aut una aetas, sed aetates omnes, et Oriens pariter atque Occidens agnoscere atque observare consueverat, id meminit nullo contradicente ad Ephesinam Synodum Philippus presbyter a Pontifice legatus: « Nulli dubium est, imo saeculis omnibus notum, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet ». [6] Eademque de re in omnium cognitione versatur Concilii Chalcedonensis sententia: « Petrus per Leonem... loquutus est »: [7] cui vox Concilii Constantinopolitani III resonat tamquam imago: « Summus nobiscum concertabat Apostolorum princeps: illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem ... charta et atramentum videbatur et per Agathonem Petrus loquebatur ». [8] In formula catholicae professionis ab Hormisda conceptis verbis, ineunte saeculo sexto, proposita, cui tum Iustinianus Imperator, tum Epiphanius, Ioannes, et Menna Patriarchae subscripserunt, illud est magna vi sententiarum declaratum: « Quia non potest Domini nostri Iesu

[1] Ep. XVI, ad eumd., n. 2.
[2] Ep. XLIII, n. 7.
[3] Sermo CXX, n. 13.
[4] Ep. LV, n. 1.
[5] *Defloratio ex Epist. ad Petrum illustrem.*
[6] Actio III.
[7] Actio II.
[8] Actio XVIII.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ...* haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio ». [1] Nolumus quidem persequi singula: libet tamen formulam fidei meminisse quam Michael Palaeologus in Concilio Lugdunensi II professus est: « Ipsa quoque sancta romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro, Apostolorum principe sive vertice cuius romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. E sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri ». [2]

25. Si Petri eiusque successorum plena ac summa potestas est, ea tamen esse ne putetur sola. Nam qui Petrum Ecclesiae fundamentum posuit, idem *elegit duodecim... quos et apostolos nominavit.* [3] Quo modo Petri auctoritatem in romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt; ita ut intimam Ecclesiae constitutionem ordo episcoporum necessario attingat. Quamquam vero neque plenam neque universalem ii, neque summam obtinent auctoritatem, non tamen *vicarii* romanorum pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam, verissimeque populorum, quos regunt, antistites *ordinarii* dicuntur.

26. Verum quia successor Petri unus est, Apostolorum permulti, consentaneum est perspicere quae sint istorum cum illo, divina constitutione, necessitudines. — Ac primo quidem coniunctionis episcoporum cum eo qui Petro succedit, non obscura est neque dubia necessitas: hoc enim soluto nexu, solvitur ac diffluit multitudo ipsa christianorum, ita plane ut nullo pacto queat unum corpus conflare unumque gregem: « Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes ». [4] Idcirco ad id praestat advertere animum: nihil esse Apostolis seorsum a Petro collatum; plura seorsum ab Apostolis ac separatim Petro. Ioannes Chrysostomus in Christi edisserenda sententia (Ioan., XXI, 15) cum percontatus esset, « Cur, aliis praetermissis, de his Christus Petrum alloquitur? » omnino respondet: « Eximius erat inter Apostolos, et os discipulorum, et coetus illius caput ». [5] Hic enim unus designatus a Christo est fundamentum Ecclesiae: ipsi *ligandi* copia *solvendique* permissa eidemque *pascendi* data potestas uni. Contra quidquid auctoritatis ac muneris accepere Apostoli, coniuncte cum Petro accepere: « Divina dignatio si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus nunquam nisi per ipsum

[1] 1 Post Epist. XXVI, ad omnes Episc. Hispan., n. 4.
[2] Actio IV. — Cf. N. 35.
[3] Luc., VI, 13.
[4] S. Hieron., *Dialog. contra Luciferianos*, n. 9.
[5] Hom. LXXXVIII, in Ioan., n. 1.

dedit, quidquid aliis non negavit ».[1] « Ut cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit ».[2] Ex quo plane intelligitur, excidere episcopos iure ac potestate regendi, si a Petro eiusve successoribus scientes secesserint. Nam a fundamento, quo totum debet aedificium niti, secessione divelluntur; itaque exclusi *aedificio* ipso sunt: ob eamdemque caussam ab *ovili* seiuncti, cui dux est pastor maximus, *regnoque* extorres, cuius uni Petro datae divinitus claves.

27. Quibus rebus rursus noscimus in constituenda christiana republica caelestem descriptionem mentemque divinam. Videlicet cum Ecclesiam divinus auctor fide et regimine et communione unam esse decrevisset, Petrum eiusque successores delegit in quibus principium foret ac velut centrum unitatis. Quare Cyprianus: « Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego tibi dico*, inquit, *Quia tu es Petrus*... Super unum aedificat Ecclesiam. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: Sicut misit me Pater..., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit ».[3] Atque Optatus Milevitanus: « Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur: ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret ».[4] Unde est illa ipsius Cypriani sententia, cum haeresim tum schisma ex eo ortum habere gignique, quod debita supremae potestati obedientia abiicitur: « Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur ».[5] Nemo igitur, nisi cum Petro cohaereat, participare auctoritatem potest, cum absurdum sit opinari, qui extra Ecclesiam est, eum in Ecclesia praeesse. Quare Optatus Milevitanus reprehendebat hoc nomine Donatistas: « Contra quas portas (inferi) claves salutares accepisse legimus Petrum, principem scilicet nostrum, cui a Christo dictum est: Tibi dabo claves regni caelorum, et portae inferi non vincent eas. Unde est ergo, quod claves regni caelorum vobis usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri... militatis? »[6]

28. Sed Episcoporum ordo tunc rite, ut Christus iussit, colligatus cum Petro putandus, si Petro subsit eique pareat: secus in multitudinem confusam ac perturbatam necessario delabitur. Fidei et communionis unitati rite conservandae, non gerere honoris caussa priores partes, non curam agere satis est; sed omnino auctoritate est opus vera eademque summa,

[1] S. Leo M., sermo IV, c. 2.
[2] Ibid.
[3] De Unitate Eccl., n. 4.
[4] De Schism. Donat., lib. II.
[5] Ep. XII, ad Cornelium, n. 5.
[6] Lib. II, n. 4, 5.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

cui obtemperet tota communitas. Quid enim Dei Filius spectavit, cum claves regni caelorum *uni* pollicitus est Petro? Summum fastigium potestatis nomine *clavium* eo loco designari, usus biblicus et Patrum consentientes sententiae dubitari non sinunt. Neque secus interpretari fas est, quae vel Petro separatim tributa sunt, vel Apostolis coniunctim cum Petro. Si ligandi, solvendi, pascendique facultas hoc parit in episcopis, successoribus Apostolorum, ut populum quisque suum vera cum potestate regat, certe idem parere eadem facultas in eo debet, cui pascendi *agnos* et *oves* assignatum est, Deo auctore, munus: « Non solum pastorem (Petrum), sed pastorum pastorem (Christus) constituit: pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres: regit subditos, regit et praelatos quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est ».[1] Hinc illae de beato Petro singulares veterum locutiones, quae in summo dignitatis potestatisque gradu locatum luculente praedicant. Appellant passim: principem coetus discipulorum; sanctorum Apostolorum principem; chori illius coryphaeum; os Apostolorum omnium; caput illius familiae; orbis totius praepositum; inter Apostolos primum; Ecclesiae columen. Quae omnia concludere Bernardus iis verbis videtur ad Eugenium Papam: « Quis es? Sacerdos magnus, summus pontifex. Tu princeps episcoporum, tu heres Apostolorum... Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris. Ex verbo Domini. Cui enim, non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos civitatis aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil ».[2]

29. Illud vero abhorret a veritate, et aperte repugnat constitutioni divinae, iurisdictioni romanorum Pontificum episcopos subesse *singulos*, ius esse; *universos*, ius non esse. Haec enim omnis est caussa ratioque fundamenti, ut unitatem stabilitatemque toti potius aedificio, quam *partibus* eius *singulis* tueatur. Quod est in caussa, de qua loquimur, multo verius, quia Christus Dominus fundamenti virtute confieri voluit, ut portae inferi non praevaleant adversus Ecclesiam. Quod promissum divinum constat inter omnes de Ecclesia universa intelligi oportere, non de singulis eius partibus, quippe quae utique vinci inferorum impetu possunt, nonnulllisque earum, ut vincerentur, singillatim evenit. Rursus, qui gregi praepositus est universo, eum non modo in oves dispersas, sed prorsus in multitudinem insimul congregatarum habere imperium necesse est. Num regat agatque pastorem suum universitas ovium? Num successores Apostolorum,

[1] S. Brun. Ep. Signiensis, *Comment. in Ioan.*, part. III, cap. 21, n. 55.
[2] De considerat., lib. II, cap. 8.

simul coniuncti, fundamentum sint, quo Petri successor, adipiscendi firmamenti caussa, innitatur? Profecto cuius in potestate sunt claves regni, ei ius atque auctoritas est non tantum in provincias singulares, sed in universas simul: et quo modo episcopi in regione quisque sua non solum privato cuique, sed etiam communitati vera cum potestate praesunt, ita Pontifices romani, quorum potestas christianam rempublicam totam complectitur, omnes eius partes, etiam una collectas, subiectas atque obedientes habent potestati suae. Christus Dominus, quod iam dictum satis, Petro eiusque successoribus tribuit ut essent *vicarii* sui, atque eamdem in Ecclesia perpetuo gererent potestatem, quam ipsemet gesserat in vita mortali. Num Apostolorum collegium magistro suo praestitisse auctoritate dicatur?

30. Hanc vero, de qua dicimus, in ipsum episcoporum collegium potestatem, quam sacrae litterae tam aperte enuntiant, agnoscere ac testari nullo tempore Ecclesia destitit. Illa sunt in hoc genere effata Conciliorum: Romanum pontificem de omnium Ecclesiarum praesulibus iudicasse legimus: de eo vero quemquam iudicasse, non legimus ».[1] Cuius rei ea ratio redditur, quod « auctoritate Sedis Apostolicae maior non est ».[2] Quare de Conciliorum decretis Gelasius: « Sicut id quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit ».[3] Sane Conciliorum consulta et decreta, rata habere vel infirmare semper romanorum Pontificum fuit. Conciliabuli Ephesini acta rescidit Leo magnus: Ariminensis, reiecit Damasus: Constantinopolitani, Hadrianus II; canonem vero XXVIII Concilii Chalcedonensis, quod assensu et auctoritate caruit Sedis Apostolicae, velut incassum quiddam constat iacuisse. Recte igitur in Concilio Lateranensi V Leo X statuit: « Solum romanum Pontificem, pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio dictisque Patrum ac aliorum romanorum Pontificum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat ».[4] Sane claves regni caelorum uni creditas Petro, item ligandi solvendique potestatem Apostolis una cum Petro collatam, sacrae litterae testantur: at vero summam potestatem *sine Petro* et *contra Petrum* unde Apostoli acceperint, nusquam est testatum. Profecto a Iesu Christo nullo pacto accepere. — Quibus de caussis, Concilii Vaticani decreto, quod est de vi et ratione primatus Romani Pontificis, non opinio est invecta nova, sed vetus et constans omnium saeculorum asserta fides.[5]

[1] Hadrianus II, in Allocutione III ad Synodum Romanam, an. 869. Cf. Actionem VII, Concilii Constantinopolitani, IV.
[2] Nicolaus, in epist. LXXXVI, ad Michael Imperat: « Patet profecto Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio ».
[3] Epist. XXVI, ad Episcopos Dardaniae, n. 5.
[4] Cf. N. 70.
[5] Sess. IV, c. 3. — Cf. N. 10.

FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI
BIBLIOTHECA

31. Neque vero potestati geminae eosdem subesse, confusionem habet administrationis. Tale quicquam suspicari, primum sapientia Dei prohibemur, cuius consilio est temperatio isthaec regiminis constituta. Illud praeterea animadvertendum, tum rerum ordinem mutuasque necessitudines perturbari, si bini magistratus in populo sint eodem gradu, neutro alteri obnoxio. Sed romani pontificis potestas summa est, universalis, planeque sui iuris; episcoporum vero certis circumscripta finibus, nec plane sui iuris: « Inconveniens est, quod duo aequaliter super eumdem gregem constituantur. Sed quod duo, quorum unus alio principalior est, super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens; et secundum hoc super eamdem plebem immediate sunt et Sacerdos parochialis et Episcopus et Papa ».[1] Romani autem Pontifices, officii sui memores, maxime omnium conservari volunt quidquid est in Ecclesia divinitus constitutum: propterea quemadmodum potestatem suam ea qua par est cura vigilantiaque tuentur, ita et dedere et dabunt constanter operam ut sua Episcopis auctoritas salva sit. Imo quidquid Episcopis tribuitur honoris, quiquid obsequii, id omne sibimetipsis tributum deputant. « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non nagatur ».[2]

32. His quae dicta sunt, Ecclesiae quidem imaginem atque formam ex divina constitutione fideliter expressimus. Plura persecuti de unitate sumus; cuiusmodi hanc esse, et quo conservandam principio divinus auctor voluerit, satis explicavimus. Quotquot divino munere beneficioque contigit, ut in sinu Ecclesia catholicae tamquam ex ea nati vivant, eos vocem Nostram apostolicam audituros, non est cur dubitemus: *Oves meae vocem meam audiunt.*[3] Atque hinc facile sumpserint quo et erudiantur plenius, et voluntate propensiore cum pastoribus quisque suis et per eos cum pastore summo cohaereant, ut tutius queant intra ovile unicum permanere, fructuumque ex eo salutarium maiorem ubertatem capere. Verum aspicientibus Nobis *in auctorem fidei et consummatorem Iesum,*[4] cuius vicaria potestate, tametsi impares dignitati et muneri, fungimur, caritate eius inflammatur animus; illudque de se a Christo dictum, de Nobismetipsis non sine caussa usurpamus: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient.*[5] Nos igitur audire et caritati Nostrae paternae obsequi ne recusent, quotquot sunt, qui impietatem tam late fusam oderunt, et Iesum Christum Filium Dei eumdemque servatorem generis humani agnoscunt et fatentur, sed tamen vagantur ab eius Sponsa longius. Qui Christum sumunt, totum sumant necesse est: « Totus Christus caput et corpus est: caput unigenitus Filius Dei, corpus eius Ecclesia: sponsus et sponsa, duo in carne una. Quicumque de ipso capite a Scripturis sancti dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia desi-

[1] S. Thomas, in IV Sent., dist. XVII, a. 4, ad q. 4, ad 3.
[2] S. Gregor. M., *Epistolar.*, l. VIII, ep. XXX, ad Eulogium.
[3] Ioan., X, 27.
[4] Hebr., XII, 2.
[5] Ioan., X, 16.

gnata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus, quicumque de ipso capite
Scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ecclesiae non communicant, non
sunt in Ecclesia ». [1] Ac pari studio ad eos provolat animus Noster, quos
impietatis non funditus corrupit pestilens afflatus, quique hoc saltem expe-
tunt, sibi patris esse loco Deum verum, terrae caelique opificen. Hi qui-
dem apud se reputent ac plane intelligant, numerari se in filiis Dei nequa-
quam posse, nisi fratrem sibi Iesum Christum simulque Ecclesiam matrem
adsciverint. Omnes igitur peramanter, sumpta ex Augustino ipso sententia,
compellamus: « Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam
eius: illum sicut patrem, istam sicut matrem. Nemo dicat: ad idola qui-
dem vado, arreptitios et sortilegos consulo, sed tamen Dei Ecclesiam non
relinquo; catholicus sum. Tenens matrem, offendisti patrem. Alius item
dicit: absit a me, non consulo sortilegum, non quaero arreptitium, non
quaero divinationes sacrilegas, non eo ad adoranda daemonia, non servio
lapidibus: sed tamen in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus
pater, qui offensam vindicat matrem? Quid prodest si Dominum confi-
teris, Deum honoras, ipsum praedicas, Filium eius agnoscis, sedentem
ad Patris dexteram confiteris, et blasphemas Ecclesiam eius?... Si haberes
aliquem patronum, cui quotidie obsequereris; si unum crimen de eius
coniuge diceres, num quid domum eius intrares? Tenete ergo, carissimi,
tenete omnes unanimiter Deum patrem et matrem Ecclesiam. ». [2]

33. Plurimum misericordi Deo confisi, qui maxime potest animos homi-
num permovere, et unde vult, et quo vult, impellere, benignitati eius univer-
sos, quos in oratione spectavimus, vehementer commendamus. Caelestium
vero donorum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles
Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter
in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XVI, p. 157-208].

631.

Leo XIII, litt. *Apostolicae curae*, 13 sept. 1896.

1. Apostolicae curae et caritatis, qua *Pastorem magnum ovium, Domi-
num nostrum Iesum Christum*, [3] referre pro munere et imitari, aspirante eius
gratia, studemus, non exiguam partem pernobili Anglorum notioni tribuimus.
Voluntatis in ipsam Nostrae ea praecipue testis est epistola quam superiore
anno dedimus propriam *ad Anglos, regnum Christi in fidei unitate quaerentes* [4]
eiusdem quippe gentis et veterem cum Ecclesia matre coniunctionem com-
memorando revocavimus, et felicem reconciliationem, excitata in animis
orandi Dei sollertia, contendimus maturare. Rursusque haud ita pridem,

[1] S. August., *Contra Donatistas Epist.*, sive *De Unitate Eccles.*, c. IV, n. 7.
[2] Enarratio in Psal. LXXXVIII, sermo II, n. 14.
[3] Hebr., XIII, 20.
[4] Ep. ap. *Amantissimae*, 14 apr. 1895. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. XV, p. 138-155.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

quum communibus universe litteris de unitate Ecclesiae fusius agere visum
est, [1] non ultimo loco respeximus Angliam; spe praelucente, posse docu-
menta Nostra tum catholicis firmitatem tum dissidentibus salutare lumen
afferre. Atque illud fateri libet quod aeque gentis humanitatem ac multorum
sollicitudinem salutis aeternae commendat, id est quam benevole Anglis
probata sit instantia Nostra et dicendi libertas, nullo quidem acta humanae
rationis impulsu. — Nunc autem eadem Nos mente eodemque animo deli-
beratum habemus studia convertere ad quamdam non minoris momenti
causam, quae cum ea ipsa re votisque Nostris cohaeret. Quod enim apud
Anglos, aliquanto postquam ab unitatis christianae centro abscessum est,
novus plane ritus ordinibus sacris conferendis, sub rege Eduardo VI, fuit
publice inductus; defecisse idcirco verum Ordinis sacramentum, quale
Christus instituit, simulque hierarchicam successionem, iam tenuit communis
sententia, quam non semel Ecclesiae acta et constans disciplina firmarunt.
Attamen recentiore memoria hisque maxime annis invaluit controversia,
sacraene Ordinationes ritu eduardiano peractae, natura sacramenti effec-
tuque polleant; faventibus, affirmate vel dubitanter, non modo scriptoribus
anglicanis nonnullis, sed paucis etiam catholicis praesertim non anglis.
Alteros quippe movebat praestantia sacerdotii christiani, exoptantes ut
duplici eius in corpus Christi potestate ne carerent sui; movebat alteros
consilium expediendi quodammodo illis reditus ad unitatem: utrisque vero
hoc persuasum esse videbatur, iam studiis in eo genere cum aetate provectis,
novisque litterarum monumentis ex oblivione erutis, retractari auctoritate
Nostra causam non inopportunum fore. Nos autem ea consilia atque optata
minime negligentes, maximeque voci obsequentes apostolicae caritatis,
censuimus nihil non experiri quod videretur quoquo modo conducere ad
animarum vel avertenda damna vel utilitates fovendas.

2. Placuit igitur de retractanda causa benignissime indulgere: ita sane,
ut per summam novae disquisitionis sollertiam, omnis in posterum vel
species quidem dubitandi esset remota. Quapropter certo numero viris
doctrina et eruditione praestantibus, quorum compertae erant dissimiles in
ipsa causa opiniones, negotium dedimus ut momenta sententiae suae scriptis
mandarent: eos deinde ad Nos accitos iussimus communicare inter se
scripta, et quidquid eo amplius ad rem cognitu esset dignum, indagare
atque expendere. Consultumque a Nobis est, ut ipsi diplomata opportuna
omni possent copia in tabulariis vaticanis sive nota recognoscere sive inex-
plorata educere; itemque ut prompta haberent quaecumque eiusdem generis
acta apud sacrum Consilium, quod *Suprema* vocatur, asservarentur, neque
minus quaecumque ad hoc tempus doctiores viri in utramque partem evul-
gassent. Huiusmodi adiumentis instructos, voluimus eos in singulares
congressiones convenire; quae ad duodecim sunt habitae, praeside uno ex
S. R. E. Cardinalibus a Nobismetipsis designato, data singulis facultate
disputandi libera. Denique earumdem congressionum acta, una cum
ceteris documentis, Venerabilibus Fratribus Nostris Cardinalibus ex eodem

[1] Cf. N. 630.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Consilio iussimus exhiberi omnia; qui meditata causa eaque coram
Nobis deinde agitata, suam quisque sententiam dicerent.

3. Hoc ducendae rei ordine praestituto, ad intimam tamen aestimationem
causae aequum erat non ante aggredi, quam id perstudiose quaesitum ap-
paruisset, quo loco ea iam esset secundum Apostolicae Sedis praescriptiones
institutamque consuetudinem; cuius consuetudinis et initia et vim magni
profecto intererat reputare. Quocirca in primis perpensa sunt documenta
praecipua quibus Decessores Nostri, rogatu reginae Mariae, singulares
curas ad reconciliationem ecclesiae Anglicae contulerunt. Nam Iulius III
Cardinalem Reginaldum Polo, natione Anglum, multiplici laude eximium,
Legatum de latere ad id opus destinavit, *tamquam pacis et dilectionis angelum*
suum, eique mandata seu facultates extra ordinem normasque agendi tra-
didit;[1] quas deinde Paulus IV confirmavit et declaravit. In quo ut recte
colligatur quidnam in se commemorata documenta habeant ponderis, sic
oportet fundamenti instar statuere, eorum propositum nequaquam a re
abstractum fuisse, sed rei omnino inhaerens ac peculiare. Quum enim
facultates Legato apostolico ab iis Pontificibus tributae, Angliam dumtaxat
religionisque in ea statum respicerent; normae item agendi ab eisdem eidem
Legato quaerenti impertitae, minime quidem esse poterant ad illa generatim
decernenda sine quibus sacrae ordinationes non valeant, sed debebant atti-
nere proprie ad providendum de ordinibus sacris in eo regno, prout tem-
porum monebant rerumque conditiones expositae. Hoc ipsum, praeter
quam quod ex natura et modo eorumdem documentorum perspicuum
est, inde pariter liquet, quod alienum prorsus fuisset, ita velle de iis
quae sacramento Ordinis conficiendo necesse sunt, propemodum commo-
nefieri Legatum, eumque virum cuius doctrina etiam in Concilio Triden-
tino eluxerat.

4. Ista probe tenentibus non difficulter patebit quare in litteris Iulii III
ad Legatum apostolicum, perscriptis die VIII martii MDLIV, distincta sit
mentio de iis primum qui *rite et legitime promoti*, in suis ordinibus essent
retinendi, tum de iis qui *non promoti ad sacros ordines*, possent, *si digni et*
idonei reperti fuissent, promoveri. Nam certe definiteque notatur, ut reapse
erat, duplex hominum classis: hinc eorum qui sacram ordinationem vere
suscepissent, quippe id vel ante Henrici secessionem, vel si post eam et per
ministros errore dissidiove implicitos, ritu tamen catholico consueto; inde
aliorum qui initiati essent secundum Ordinale eduardianum, qui propterea
possent *promoveri*, quia ordinationem accepissent irritam. Neque aliud sane
Pontificis consilium fuisse, praeclare confirmat epistola eiusdem Legati, die
XXIX ianuarii MDLV, facultates suas episcopo Norwicensi demandantis. Id
amplius est potissime considerandum quod eae ipsae Iulii III litterae affe-
runt, de facultatibus pontificiis libere utendis, etiam in eorum bonum
quibus munus consecrationis, *minus rite et non servata forma Ecclesiae con-*
sueta, impensum fuit: qua quidem locutione ii certe designabantur qui

[1] Id factum augusto mense MDLIII per litteras sub plumbo, *Si ullo unquam tempore*
et *Post nuntium Nobis*, atque alias.

consecrati eduardiano ritu; praeter eam namque et catholicam formam alia nulla erat eo tempore in Anglia.

5. Haec autem apertiora fient commemorando legationem quam Philippus et Maria reges, suadente Cardinali Polo, Romam ad Pontificem februario mense MDLV miserunt. Regii oratores, viri tres *admodum insignes et omni virtute praediti*, in quibus Thomas Thirlby episcopus Eliensis, sic habebant propositum, Pontificem de conditione rei religiosae in eo regno notitia ampliore edocere, ab ipsoque in primis petere ut ea quae Legatus ad eiusdem regni cum Ecclesia reconciliationem curaverat atque effecerat, haberet rata et confirmaret: eius rei causa omnia ad Pontificem allata sunt testimonia scripta quae oportebat, partesque Ordinalis novi proxime ad rem facientes. Iamvero Paulus IV legatione magnifice admissa, eisdemque testimoniis per certos aliquot Cardinales *diligenter discussis*, et *habita deliberatione matura*, litteras *Praeclara carissimi* sub plumbo dedit die XX iunii eodem anno. In his quum comprobatio plena et robur additum sit rebus a Polo gestis, de ordinationibus sic est praescriptum... *qui ad ordines ecclesiasticos... ab alio quam ab episcopo rite et recte ordinato promoti fuerunt, eosdem ordines.. de novo suscipere teneantur*. Quinam autem essent episcopi tales, *non rite recteque ordinati*, satis iam indicaverant superiora documenta, facultatesque in eam rem a Legato adhibitae: ii nimirum qui ad episcopatum, sicut alii ad alios ordines, promoti essent, *non servata forma Ecclesiae consueta*, vel non servata *Ecclesiae forma et intentione*, prout Legatus ipse ad episcopum Norwicensem scribebat. Hi autem non alii profecto erant nisi qui promoti secundum novam ritualem formam; cui quoque examinandae delecti Cardinales attentam operam dederant. Neque praetermittendus est locus ex eisdem Pontificis litteris, omnino rei congruens; ubi cum aliis beneficio dispensationis egentibus numerantur qui *tam ordines quam beneficia ecclesiastica nulliter et de facto obtinuerant*. *Nulliter* enim obtinuisse ordines idem est atque irrito actu nulloque effectu, videlicet *invalide*, ut ipsa monet eius vocis notatio et consuetudo sermonis; praesertim quum idem pari modo affirmetur de ordinibus quod de *beneficiis ecclesiasticis*, quae ex certis sacrorum canonum institutis manifesto erant nulla, eo quia cum vitio infirmante collata. Huc accedit quod, ambigentibus nonnullis quinam revera episcopi, *rite et recte ordinati* dici et haberi possent ad mentem Pontificis, hic non multo post, die XXX octobris, alias subiecit litteras in modum Brevis: atque, *Nos*, inquit, *haesitationem huiusmodi tollere, et serenitati conscientiae eorum qui schismate durante ad ordines promoti fuerant, mentem et intentionem quam in eisdem litteris Nostris habuimus clarius exprimendo, opportune consulere volentes, declaramus eos tantum episcopos et archiepiscopos qui non in forma Ecclesiae ordinati et consecrati fuerunt, rite et recte ordinatos dici non posse*. Quae declaratio, nisi apposite ad rem Angliae praesentem, id est ad Ordinale eduardianum, spectare debuisset, nihil certe confecerat Pontifex novis litteris, quo vel *haesitationem tolleret* vel *serenitati conscientiae consuleret*. Ceterum Apostolicae Sedis documenta et mandata non aliter quidem Legatus intellexit, atque ita eis rite religioseque obtemperavit: idque pariter factum a regina Maria et a ceteris qui cum ea

dederunt operam ut religio et instituta catholica in pristinum locum restituerentur.

6. Auctoritates quas excitavimus Iulii III et Pauli IV aperte ostendunt initia eius disciplinae quae tenore constanti, iam tribus amplius saeculis, custodita est, ut ordinationes ritu eduardiano, haberentur infectae et nullae; cui disciplinae amplissime suffragantur testimonia multa earumdem ordinationum quae, in hac etiam Urbe, saepius absoluteque iteratae sunt ritu catholico. — In huius igitur disciplinae observantia vis inest opportuna proposito. Nam si cui forte quidquam dubitationis resideat in quamnam vere sententiam ea Pontificum diplomata sint accipienda, recte illud valet: *Consuetudo optima legum interpres*. Quoniam vero firmum semper ratumque in Ecclesia mansit, Ordinis sacramentum nefas esse iterari, fieri nullo pacto poterat ut talem consuetudinem Apostolica Sedes pateretur tacita ac toleraret. Atqui eam non toleravit solum, sed probavit etiam et sanxit ipsa, quotiescumque in eadem re peculiare aliquod factum incidit iudicandum. Duo eiusmodi facta in medium proferimus, ex multis quae ad *Supremam*, sunt subinde delata: alterum, anno MDCLXXXIV, cuiusdam Calvinistae Galli, alterum, anno MDCCIV, Ioannis Clementis Gordon; utriusque secundum rituale eduardianum suos adepti ordines. In primo, post accuratam rei investigationem, consultores non pauci responsa sua, quae appellant vota, de scripto ediderunt, ceterique cum eis unam conspirarunt sententiam, *pro invaliditate ordinationis:* tantum quidem ratione habita opportunitatis, placuit Cardinalibus respondere, *Dilata*. Eadem vero acta repetita et ponderata sunt in facto altero: quaesita sunt praeterea nova consultorum vota, rogatique doctores egregii e Sorbonicis ac Duacenis, neque praesidium ullum perspicacioris prudentiae praetermissum est ad rem penitus pernoscendam. Atque hoc animadvertisse oportet quod, tametsi tum ipse Gordon cuius negotium erat, tum aliqui consultores inter causas *nullitatis* vindicandae etiam adduxissent illam prout putabatur ordinationem Parkerii, in sententia tamen ferenda omnino seposita est ea causa, ut documenta produnt integrae fidei, neque alia ratio est reputata nisi *defectus formae et intentionis*. Qua de forma quo plenius esset certiusque iudicium, cautum fuerat ut exemplar Ordinalis anglicani suppeteret; atque etiam cum eo singulae collatae sunt formae ordinandi, ex variis orientalium et occidentalium ritibus conquisitae. Tum Clemens XI, Cardinalium ad quos pertinebat consentientibus suffragiis, ipsemet feria V, die XVII aprilis MDCCIV, *decrevit:* « Ioannes Clemens Gordon *ex integro et absolute* ordinetur ad omnes ordines etiam sacros et praecipue presbyteratus, et quatenus non fuerit confirmatus, prius sacramentum Confirmationis suscipiat ». Quae sententia, id sane considerare refert, ne a defectu quidem *traditionis instrumentorum* quidquam momenti duxit: tunc enim praescriptum de more esset ut ordinatio *sub conditione* instauraretur. Eo autem pluris refert considerare, eamdem Pontificis sententiam spectare universe ad omnes Anglicanorum ordinationes. Licet enim factum attigerit peculiare, non tamen ex peculiari quapiam ratione profecta est, verum ex *vitio formae*, quo quidem vitio ordinationes illae aeque afficiuntur omnes: adeo ut, quoties deinceps

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

in re simili decernendum fuit, toties idem Clementis XI communicatum sit decretum.

7. Quae quum ita sint, non videt nemo controversiam temporibus nostris exsuscitatam, Apostolicae Sedis iudicio definitam multo antea fuisse: documentisque illis haud satis quam oportuerat cognitis, fortasse factum ut scriptor aliquis catholicus disputationem de ea libere habere non dubitarit. Quoniam vero, ut principio monuimus, nihil Nobis antiquius optatiusque est quam ut hominibus recte animatis maxima possimus indulgentia et caritate prodesse, ideo iussimus in Ordinale anglicanum, quod caput est totius causae, rursus quam studiosissime inquiri.

8. In ritu cuiuslibet sacramenti conficiendi et administrandi iure discernunt inter partem *caeremonialem* et partem *essentialem*, quae *materia et forma* appellari consuevit. Omnesque norunt, sacramenta novae legis, utpote signa sensibilia atque gratiae invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant. Quae significatio, etsi in toto ritu essentiali, materia scilicet et forma, haberi debet, praecipue tamen ad formam pertinet; quum materia sit pars per se non determinata, quae per illam determinetur. Idque in sacramento Ordinis manifestius apparet, cuius conferendi materia, quatenus hoc loco se dat considerandam, est manuum impositio; quae quidem nihil definitum per se significat, et aeque ad quosdam Ordines, aeque ad Confirmationem usurpatur. — Iamvero verba quae ad proximam usque aetatem habentur passim ab Anglicanis tamquam forma propria ordinationis praesbyteralis, videlicet, *Accipe Spiritum Sanctum*, minime sane significant definite ordinem sacerdotii vel eius gratiam et potestatem, quae praecipue est potestas *consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini* [1] eo sacrificio, quod non est *nuda commemoratio sacrificii in Cruce peracti.* [2] Forma huiusmodi aucta quidem est postea iis verbis, *ad officium et opus presbyteri:* sed hoc potius convincit, Anglicanos vidisse ipsos primam eam formam fuisse mancam neque idoneam rei. Eadem vero adiectio, si forte quidem legitimam significationem apponere formae posset, serius est inducta, elapso iam saeculo post receptum Ordinale eduardianum; quum propterea, Hierarchia extincta, potestas ordinandi iam nulla esset. Nequidquam porro auxilium causae novissime arcessitum est ab aliis eiusdem Ordinalis precibus. Nam, ut cetera praetereantur quae eas demonstrent in ritu anglicano minus sufficientes proposito, unum hoc argumentum sit instar omnium, de ipsis consulto detractum esse quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designat. Non ea igitur forma esse apta et sufficiens sacramento potest, quae id nempe reticet quod deberet proprium significare.

9. De consecratione episcopali similiter est. Nam formulae, *Accipe Spiritum Sanctum*, non modo serius adnexa sunt verba, *ad officium et opus episcopi*, sed etiam de iisdem, ut mox dicemus, iudicandum aliter est quam in ritu catholico. Neque rei proficit quidquam advocasse praefationis pre-

[1] Conc. Trid., Sess. XXIII, *de sacr. Ord.*, can. 1.
[2] Ibid., Sess. XXII, *de sacrif. Missae*, can. 3.

cem, *Omnipotens Deus;* quum ea pariter deminuta sit verbis quae *summum sacerdotium* declarent. Sane, nihil huc attinet explorare, utrum episcopatus complementum sit sacerdotii, an ordo ab illo distinctus: aut collatus, ut aiunt, *per saltum*, scilicet homini non sacerdoti, utrum effectum habeat necne. At ipse procul dubio, ex institutione Christi, ad sacramentum Ordinis verissime pertinet, atque est praecellenti gradu sacerdotium; quod nimirum et voce sanctorum Patrum et rituali nostra consuetudine *summum sacerdotium, sacri ministerii summa* nuncupatur. Inde fit ut, quoniam sacramentum Ordinis verumque Christi sacerdotium a ritu anglicano penitus extrusum est, atque adeo in consecratione episcopali eiusdem ritus nullo modo sacerdotium confertur, nullo item modo episcopatus vere ac iure possit conferri: eoque id magis quia in primis episcopatus muniis illud scilicet est, ministros ordinandi in sanctam Eucharistiam et sacrificium.

10. Ad rectam vero plenamque Ordinalis anglicani aestimationem, praeter ista per aliquas eius partes notata, nihil profecto tam valet quam si probe aestimetur quibus adiunctis rerum conditum sit et publice constitutum. Longum est singula persequi, neque est necessarium: eius namque aetatis memoria satis diserte loquitur, cuius animi essent in Ecclesiam catholicam auctores Ordinalis, quos adsciverint fautores ab heterodoxis sectis, quo demum consilia sua referrent. Nimis enimvero scientes quae necessitudo inter fidem et cultum, inter *legem credendi et legem supplicandi* intercedat, liturgiae ordinem, specie quidem redintegrandae eius formae primaevae, ad errores Novatorum multis modis deformarunt. Quamobrem toto Ordinali non modo nulla est aperta mentio sacrificii, consecrationis, sacerdotii, potestatisque consecrandi et sacrificii offerendi; sed immo omnia huiusmodi rerum vestigia, quae superessent in precationibus ritus catholici non plane reiectis, sublata et deleta sunt de industria, quod supra attigimus. Ita per se apparet nativa Ordinalis indoles ac spiritus, uti loquuntur. Hinc vero ab origine ducto vitio, si valere ad usum ordinationum minime potuit, nequaquam decursu aetatum, quum tale ipsum permanserit, futurum fuit ut valeret. Atque ii egerunt frustra qui inde a temporibus Caroli I conati sunt admittere aliquid sacrificii et sacerdotii, non nulla dein ad Ordinale facta accessione: frustraque similiter contendit pars ea Anglicanorum non ita magna, recentiore tempore coalita, quae arbitratur posse idem Ordinale ad sanam rectamque sententiam intelligi et deduci. Vana, inquimus, fuere et sunt huiusmodi conata: idque hac etiam de causa, quod, si qua quidem verba, in Ordinali anglicano, ut nunc est, porrigant se in ambiguum, ea tamen sumere sensum eumdem nequeunt quem habent in ritu catholico. Nam semel novato ritu, ut vidimus, quo nempe negetur vel adulteretur sacramentum Ordinis, et a quo quaevis notio repudiata sit consecrationis et sacrificii; iam minime constat formula, *Accipe Spiritum Sanctum*, qui Spiritus, cum gratia nimirum sacramenti, in animam infunditur; minimeque constant verba illa, *ad officium et opus presbyteri* vel *episcopi* ac similia, quae restant nomina sine re quam instituit Christus. — Huius vim argumenti perspectam ipsi habent plerique Anglicani, observatiores Ordinalis interpretes; quam non dissimulanter eis obiiciunt qui, nove ipsum inter-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

pretantes, Ordinibus inde collatis pretium virtutemque non suam spe vana affingunt. Eodem porro argumento vel uno illud etiam corruit, opinantium posse in legitimam Ordinis formam sufficere precationem, *Omnipotens Deus bonorum omnium largitor*, quae sub initium est ritualis actionis; etiamsi forte haberi ea posset tamquam sufficiens in ritu aliquo catholico quem Ecclesia probasset. — Cum hoc igitur intimo *formae defectu* coniunctus est *defectus intentionis*, quam aeque necessario postulat, ut sit, sacramentum. De mente vel intentione, utpote quae per se quiddam est interius, Ecclesia non iudicat: at quatenus extra proditur, iudicare de ea debet. Iamvero quum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia. Quo sane principio innititur doctrina quae tenet esse vere sacramentum vel illud, quod ministerio hominis haeretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico, conferatur. Contra, si ritus immutetur, eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia et quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti, tunc palam est, non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem.

11. Isthaec omnia diu multumque reputavimus apud Nos et cum Venerabilibus Fratribus Nostris in *Suprema* iudicibus; quorum etiam Coetum singulariter coram Nobis advocare placuit feria v, die xvi iulii proximi, in commemoratione Mariae D. N. Carmelitidis. Iique ad unum consensere, propositam causam iam pridem ab Apostolica Sede plene fuisse et cognitam et iudicatam: eius autem denuo instituta actaque quaestione, emersisse illustrius quanto illa iustitiae sapientiaeque pondere totam rem absolvisset. Verumtamen optimum factu duximus supersedere sententiae, quo et melius perpenderemus conveniret ne expediretque eamdem rem auctoritate Nostra rursus declarari, et uberiorem divini luminis copiam supplices imploraremus. — Tum considerantibus Nobis ut idem caput, etsi iure iam definitum, a quibusdam revocatum sit in controversiam, quacumque demum causa sit revocatum; ex eoque pronum fore ut perniciosus error gignatur non paucis qui putent se ibi Ordinis sacramentum et fructus reperire ubi minime sunt, visum est in Domino sententiam Nostram edicere.

12. Itaque omnibus Pontificum Decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes, eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostra, motu proprio, certa scientia, pronunciamus et declaramus, Ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas.

13. Hoc restat, ut quo ingressi sumus *Pastoris magni* nomine et animo veritatem tam gravis rei certissimam commonstrare, eodem adhortemur eos qui Ordinum atque Hierarchiae beneficia sincera voluntate optent ac requirant. Usque adhuc fortasse, virtutis christianae intendentes ardorem, religiosius consulentes divinas litteras, pias duplicantes preces, incerti tamen haeserunt et anxii ad vocem Christi iamdiu intime admonentis. Probe iam

vident quo se bonus ille invitet ac velit. Ad unicum eius ovile si redeant, tum vero et quaesita beneficia assecuturi sunt et consequentia salutis praesidia, quorum administram fecit ipse Ecclesiam, quasi redemptionis suae custodem perpetuam et procuratricem in gentibus. Tum vero *haurient aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, sacramentis eius mirificis; unde fideles animae in amicitiam Dei, remissis vere peccatis, restituuntur, caelesti pane aluntur et roborantur, adiumentisque maximis affluunt ad vitae adeptionem aeternae. Quorum bonorum revera sitientes, utinam *Deus pacis, Deus totius consolationis* faciat compotes atque expleat perbenignus. — Hortationem vero Nostram et vota eos maiorem in modum spectare volumus, qui religionis ministri in communitatibus suis habentur. Homines ex ipso officio praecedentes doctrina et auctoritate, quibus profecto cordi est divina gloria et animorum salus, velint alacres vocanti Deo parere in primis et obsequi, praeclarumque de se edere exemplum. Singulari certe laetitia eos Ecclesia mater excipiet omnique complectetur bonitate et providentia, quippe quos per arduas rerum difficultates virtus anini generosior ad sinum suum reduxerit. Ex hac vero virtute dici vix potest quae ipsos laus maneat in coetibus fratrum per catholicum orbem, quae aliquando spes et fiducia ante Christum iudicem, quae ab illo praemia in regno caelesti! Nos quidem, quantum omni ope licuerit, eorum cum Ecclesia reconciliationem fovere non desistemus; ex qua et singuli et ordines, id quod vehementer cupimus, multum capere possunt ad imitandum. Interea veritatis gratiaeque divinae patentem cursum et secundare contendant fideliter, per viscera misericordiae Dei nostri rogamus omnes et obsecramus.

14. Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus: irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

15. Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis, et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

[Leonis XIII Acta, vol. XVI, p. 258-275].

632.

Leo XIII, const. *Officiorum ac munerum*, 25 ian. 1897.

Officiorum ac munerum, quae diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque haec summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si unquam alias, maxime est

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

necessarium hoc tempore, cum, effrenatis licentia ingeniis ac moribus, omnis fere doctrina, quam servator hominum Iesus Christus tuendam Ecclesiae suae ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variae profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi: sed cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad inquinandos animos per contemptum religionis perque illecebras multas peccandi. Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturrime intellexit, remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda: ob eamque rem id perpetuo studiit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet. Vehemens hac in re studium beati Pauli viderunt proxima originibus tempora: similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, iussa episcoporum, Conciliorum decreta, omnis consequens aetas.

Praecipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint romani Pontifices, ne haereticorum scripta, malo publico, impune serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I scripta Originis perniciosiora, [1] Innocentius I Pelagii, Leo magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere. Cognitae eadem de re sunt litterae *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit. [2] Similiter, decursu aetatum, Monotheletarum, Abaelardi, [3] Marsilii Patavini, [4] Wicleffi et Hussii pestilentes libros, [5] sententia apostolicae Sedis confixit.

Saeculo autem decimo quinto, comperta arte nova libraria, non modo in prave scripta animadversum est, quae lucem aspexissent, sed etiam ne qua eius generis posthac ederentur, caveri coeptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua caussa, sed omnino tutela honestatis ac salutis publicae per illud tempus postulabat: propterea quod artem per se optimam, maximarum utilitatum parentem, christianae gentium humanitati propagandae natam, in instrumentum ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X decessores Nostri, certas tulere leges, [6] utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores librarios in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius oportuit malarum haereseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X, [7] posteaque Cle-

[1] Ep. *Grandem sollicitudinem*, a. 400. — Cf. Mansi, tom. 3, col. 945, 946.
[2] C. 3, D. XV.
[3] Cf. N. 29.
[4] Cf. N. 38.
[5] Cf. N. 43.
[6] Cf. N. 68.
[7] Cf. N. 76.

mens VII [1] gravisime sanxerunt, ne cui legere, neu retinere, Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes partes pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies, ampliore ac praesentiore remedio opus esse videbatur. Quod quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo post Tridentinae Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate iussuque lecti ad id praesules et theologi non solum augendo perpoliendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas: [2] quibus Regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit. [3]

Verum salutis publicae ratio, quae Regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem romani Pontifices, nominatimque Clemens VIII, [4] Alexander VII, [5] Benedictus XIV, [6] gnari temporum et memores prudentiae, plura decrevere, quae ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt.

Quae res praeclare confirmant, praecipuas romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fefellit operam, quam diu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex aeterna praefuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis praescriptiones, quae excidisse opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavit. [7] Praeterea, propinquo iam Concilio magno Vaticano, doctis viris, ad argumenta paranda delectis, id negotium dedit, ut expenderent atque aestimarent Regulas Indicis universas, iudiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi

[1] Cf. N. 79.
[2] Sess. XVIII, *de librorum delectu;* Sess. XXV (continuatio sessionis), *de indice librorum et catechismo, breviario et missali.* — Istae Regulae referuntur in N. 426.
[3] Cf. N. 105.
[4] Instructio pro iis, qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis diligentem ac fidelem, ut par est, operam sunt daturi (Cf. N. 426); const. *Gregem Dominicum* 17 maii 1593; const. *Sacrosanctum*, 17 oct. 1595. — Cf. Bull. Rom., tom. 5, I, p. 445, 446; tom. 5, II, p. 82, 83.
[5] Const. *Speculatores*, 5 mart. 1664. — Cf. Bull. Rom., tom. 6, V, p. 354, 355.
[6] Cf. N. 426.
[7] Ep. *In Sessione*, 2 iun. 1848. — Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 99-101.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

commutandas, consentientibus sententiis, iudicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliae extant hac de re litterae, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *illae Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur.* Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium, ut *Regulae Indicis... recenti revisioni et redactioni submittantur.* Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures.

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane aequa postulant et cum materna Ecclesiae sanctae caritate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litterae licentius excurrant: inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicae. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum: ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatae lectionis diligentissime recognosci Indicem; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus. Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur: quae quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt: quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae synodi iussu editis, *Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita ac provida*, [1] quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.

[1] Cf. N. 426.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

DECRETA GENERALIA

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM

TITULUS I.

De prohibitione librorum.

Caput I. – *De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.*

1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

Caput II. – *De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.*

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

Caput III. – *De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.*

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

Caput IV. – *De Libris obscenis.*

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

Caput V. – *De quibusdam specialis argumenti libris.*

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

Caput VI. – *De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.*

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae

vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

Caput VII. – *De libris liturgicis et precatoriis.*

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

Caput VIII. – *De Diariis, foliis et libellis periodicis.*

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

Caput IX. – *De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

25. Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

Caput X. – *De denunciatione pravorum librorum.*

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II.

De censura librorum.

Caput I. – *De Praelatis librorum censurae praepositis.*

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto [1], operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAPUT II. – *De censorum officio in praevio librorum examine.*

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) [2] animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiae sanctae dogmata, et communem catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

CAPUT III – *De libris praeviae censurae subiiciendis.*

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

[1] Sess. IV, *de editione et usu sacrorum librorum.*
[2] Cf. N. 426.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

CAPUT IV. – *De Typographis et Editoribus librorum.*

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

CAPUT V. – *De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.*

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

[Leonis XIII Acta, vol. XVII, p. 17-36].

633.

Leo XIII, litt. encycl. *Trans Oceanum*, 18 apr. 1897.

Trans Oceanum Atlanticum ad alteram orbis partem divinae providentiae benigna dispositione per Christophorum Columbum aperto itinere, Ecclesia Dei multa ibi mortalium millia reperit, quos, ut suum munus atque opus erat, a latebris et fero cultu ad humanitatem et mansuetudinem traduceret, ab errore et superstitione ad communionem bonorum omnium, quae per Iesum Christum parta sunt, ab interitu ad vitam revocaret. Quod quidem salutare munus, ipso vivente adhuc repertore Columbo, ab Alexandro VI Pontifice Maximo decessore Nostro inchoatum, perpetuo caritatis tenore ita Ecclesia insistere perrexit, pergit, ut temporibus Nostris ad extremam usque Patagoniam sacras suas expeditiones auspicato protulerit. Campus enim spatio interminatus, cessatione ipsa atque otio ferax, si diligenter subigatur et colatur, fructus edit laetos atque uberes, cultorumque laboribus atque industriae optime respondet.

Quamobrem Romani Pontifices decessores Nostri nullo non tempore destiterunt ad Americae culturam novos operarios summittere, quos ut acrius elaborarent praestantioresque ab opere suo fructus demeterent, singularibus facultatibus et privilegiis auxerunt, atque extraordinaria auctoritate et potestate corroborarunt. Quibus freti Missionarii, lumine religionis catholicae per Americae regiones longe lateque diffuso, brevi interiecto annorum spatio, in iis praesertim locis ubi novi incolae ab Europa commigrantes, nominatim Hispani, domicilium sibi sedemque stabilem collocaverant, templa excitarunt, monasteria condiderunt, paroecias, scholas aperuerunt, dioeceses ex potestate summorum Pontificum constituerunt. Ex quo factum est ut Americae magna pars ab avita religione novorum incolarum et ab origine eorum linguae haberi et dici possit America Latina.

At illud proprium est humanarum institutionum et legum, ut nihil sit in eis tam sanctum et salutare quod vel consuetudo non demutet, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in Ecclesia Dei, in qua cum absoluta immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit, ut quae olim apta erant atque idonea, ea labens aetas faciat vel inepta, vel inutilia, vel etiam contraria.

Quare antiquis privilegiis temporis decursu vel ex parte abrogatis, vel alias ut plurimum insufficientibus, singulari maximorum Pontificum largitione, aliae adiectae sunt facultates sub determinatis formulis, vel singulis Americae Latinae Episcopis deinceps delegari solitae, vel pro extraordinariis quibusdam casibus et determinatis regionibus concessae, quarum series si antiqua privilegia numero et extensione superat, difficultates tamen quae sunt circa naturam, vigorem et numerum eorumdem e medio non tollit. Ad haec amovenda incommoda decessor Noster sanctae memoriae Pius IX, datis ad id similibus litteris die 1 octobris anni MDCCCLXVII, plura ex antiquis privilegiis pro Republica Aequatoris ad triginta annorum spatium confirmavit, seu quatenus opus fuerat denuo concessit.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Quum vero ex monumentis ecclesiasticis Americam Latinam respicientibus, quae magna peritorum diligentia collecta atque investigata sunt, probe constet multa ex privilegiis Indiae Occidentali concessis partim haud vigere, partim in dubium esse revocanda; Nos qui Americanas gentes egregie de Ecclesia Romana meritas singulari amore prosequimur, ad tollendas in re tanti momenti perplexitates et angustias animi, quae Episcopos illarum dioecesium aliosque, quorum interest, non raro exagitant, totum dictorum privilegiorum negotium deferri iussimus speciali Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium; qui, post maturam deliberationem, novorum privilegiorum catalogum, exclusis catalogis, summariis et recensionibus in conciliis provincialibus vel aliter editis, conficiendum censuerunt, confectumque Apostolica auctoritate probandum.

Nos igitur, re mature perpensa, pro ea, quam gerimus de omnibus Ecclesiis sollicitudine, eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ne clerus et populus illarum regionum anteactorum privilegiorum memoria et usu penitus privati maneant, sententiam tenuimus, et quae infra recensentur privilegia pro omnibus Americae Latinae singulisque dioecesibus et ditionibus de Apostolicae potestatis plenitudine ad proximum triginta annorum spatium hisce ipsis litteris concedimus. Quare, quod bonum, felix faustumque sit, et universae Americae Latinae Ecclesiae benevertat, mandamus, edicimus:

I. Ut electi Episcopi in Americae Latinae ditionibus commorantes, postquam promotionis litteras Apostolicas acceperint, nisi aliter in praefatis litteris praescriptum sit, a quocumque maluerint catholico Antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et assistentibus, si alii Episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Cathedralis Ecclesiae Canonicis, consecrationis munus accipere valeant.

II. Ut Concilii Provincialis celebratio ad duodecim annos differri possit, reservato Metropolitae iure illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi, nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit.

III. Ut Episcopi Sacrum Chrisma, quod ex indico etiam, vero tamen balsami liquore fieri potest, et Olea Sacra conficere possint, iis sacerdotibus adstantibus qui adstare potuerint, et, urgente necessitate, extra diem Coenae Domini.

IV. Ut adhiberi possint Sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint, et peracta omni diligentia, nova vel recentiora Sacra Olea haberi nequeant.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

V. Ut pro omnibus et solis regionibus seu locis, in quibus, magnae distantiae causa vel ob aliud grave impedimentum, perdifficile sit Parochis vel Missionariis ad Baptismum conferendum aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum circumferre, Ordinarii, nomine Sanctae huius Sedis, concedere possint Parochis et Missionariis supra dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, qua Missionarios in Peruvia apud Indos summus Pontifex Paulus III uti concessit, quaeque in appendice ad rituale Romanum legitur.

VI. Ut si propter defectum temporis, improbamque defatigationem, aliisque gravibus de causis perdifficile sit omnes adhibere caeremonias pro Baptismo adultorum praescriptas, Parochi et Missionarii, de praevio Ordinarii consensu, uti possint solis ritibus, qui in Constitutione Pauli III *Altitudo* diei I iunii MDXXXVII designatur.[1] Insuper ut in iisdem rerum adiunctis Ordinarii nomine Sanctae Sedis concedere valeant Parochis et Missionariis usum ordinis Baptismi parvulorum, onerata in usu huiusmodi facultatis eorumdem Ordinariorum conscientia super existentia gravis necessitatis.

VII. Ut in omnibus et singulis ditionibus Americae Latinae, nulla excepta, omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares, quamdiu in praefatis ditionibus moram duxerint, et non alias, singulis annis die secunda novembris seu die sequenti, iuxta rubricas Missalis Romani, qua nempe commemoratio omnium fidelium defunctorum ab Ecclesia universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint et valeant, ita tamen ut unam tantum eleemosynam accipiant, videlicet pro prima Missa dumtaxat, et in ea quantitate tantum, quae a Synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit; fructum autem medium secundae et tertiae Missae non peculiari quidem defuncto, sed in suffragium omnium fidelium defunctorum omnino applicent, ad normam Constitutionis Benedicti XIV Pontificis Maximi *Quod expensis*, diei XXVI augusti MDCCXLVII.[2]

VIII. Ut omnes fideles annuae Confessionis et Communionis praecepto satisfacere possint a dominica Septuagesimae usque ad octavam diem sollemnitatis Corporis Christi inclusive.

IX. Ut omnes fideles lucrari possint indulgentias et iubilaea, quae requirunt Confessionem, Communionem et ieiunium, dummodo, servato ieiunio, si loco inhabitent ubi impossibile prorsus vel difficile admodum sit Confessarii copiam habere, corde saltem contriti sint cum proposito firmo confitendi admissa quam primum poterunt, vel ad minus intra unum mensem.

X. Ut Indi et Nigritae intra tertium et quartum tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possint.

XI. Ut Indi et Nigritae quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo iis temporibus, quibus ab Ecclesia prohibentur nuptiae, pompae apparatum non adhibeant.

[1] Cf. N. 81.
[2] Cf. N. 391.

XII. Ne Indi et Nigritae ieiunare teneantur praeterquam in feriis sextis Quadragesimae, in Sabbato Sancto, et in pervigilio Natalis D. N. I. C.

XIII. Ut praeterea Indi et Nigritae absque ullo onere, seu solutione eleemosynae, uti possint indulto, quod Quadragesimale dicitur, et quo fideles respectivae dioecesis seu regionis ab Apostolica Sede donantur; ideoque carnibus, ovis et lacticiniis vesci possint omnibus diebus ab Ecclesia vetitis, exceptis quoad carnes diebus in superiori paragrapho XII notatis.

XIV. Ut quandocumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitanum; si vero prima sententia lata sit ab ipso Metropolitano, ad Ordinarium viciniorem absque alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur: et si secunda sententia primae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat, et executioni per eum, qui eam tulerit, demandetur, quacumque appellatione non obstante; si vero illae duae sive ab Ordinario et Metropolitano, sive a Metropolitano et Ordinario viciniore latae, conformes non fuerint, tunc ad alterum Metropolitanum vel Episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia, viciniorem eiusdem provinciae appellatur, et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas vim rei iudicatae habere volumus, is qui postremo loco iudicaverit, exequatur, quacumque appellatione non obstante. Cum autem recursus ad Apostolicam Sedem, etiam omisso medio, sive ante sive post sententias iudicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam iuris, in usu huius privilegii omnino servandae erunt sequentes conditiones:

1º Ut in singulis causis salva maneat cuique litiganti facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi;

2º Ut in singulis actibus expressa fiat Apostolicae delegationis mentio;

3º Ut causae maiores sint eidem Apostolicae Sedi reservatae ad normam sacri Concilii Tridentini;[1]

4º Et quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quae in Constitutione Benedicti XIV, cuius initium *Dei miseratione*, praestituta sunt.[2]

Abrogatis deletisque Auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis Indiarum Occidentalium privilegiis quocumque nomine vel forma ab hac Sancta Sede prius concessis. — Contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

[Leonis XIII Acta, vol XVII, p. 100-107].

634.

Leo XIII, ep. *Abrogata*, 22 iun. 1897.[3]

Abrogata, quae toto fere saeculo inoleverat, consuetudine, visum tibi est in mores dioecesis tuae inducere ut pueri, antequam divino Eucharistiae epulo reficiantur, christianum Confirmationis sacramentum, almo inuncti

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 5.
[2] Cf. N. 318.
[3] Venerabili Fratri Ioanni Ludovico Episcopo Massiliensi.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

chrismate, suscipiant. Quod utrum Nobis probetur significari tibi desiderasti: placuit autem de re tam praecipua, medio nemine, ad te praescribere et qua simus mente aperire. — Propositum igitur tuum laudamus cummaxime. Quae enim ratio istic aliisque in locis invaluerat, ea nec cum veteri congruebat constantique Ecclesiae instituto, nec cum fidelium utilitatibus. Insunt namque puerorum animis elementa cupidinum, quae, nisi maturrime eradantur, invalescunt sensim, imperitos rerum pelliciunt atque in praeceps trahunt. Quamobrem opus habent fideles, vel a teneris, indui *virtute ex alto*, quam sacramentum Confirmationis gignere natum est; in quo, ut probe notat Angelicus Doctor, Spiritus Sanctus datur ad robur spiritualis pugnae et promovetur homo spiritualiter in aetatem perfectam. Porro sic confirmati adolescentuli ad capienda praecepta molliores fiunt, suscipiendaeque postmodum Eucharistiae aptiores, atque ex suscepta uberiora capiunt emolumenta. — Quare quae a te sapienter sunt constituta optamus ut fideliter perpetueque serventur. — Ut autem de tuo studio, in commissi gregis utilitatibus procurandis, benevolentiae Nostrae testimonium habeas, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, universaeque dioecesi tuae amantissime in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XVII, p. 205, 206].

635.

Leo XIII, ep. encycl. *Militantis Ecclesiae*, 1 aug. 1897.[1]

1. Militantis Ecclesiae suadet utilitas, non minus quam decus, ut quos excellens virtus ac pietas altius evexit ad gloriam triumphantis, eorum solemni ritu saepius memoria instauretur. Per has enim honoris significationes antiquae subit recordatio sanctitatis, opportuna illa quidem semper, infestis autem virtuti ac fidei temporibus saluberrima. Ac praesenti quoque anno divinae providentiae beneficio fit, ut de expleto saeculo tertio ab obitu *Petri Canisii*, viri sanctissimi, laetari Nobis liceat, nihil magis pensi habentibus quam ut iis artibus excitentur bonorum animi, quibus per eum virum tam feliciter christianae reipublicae consultum fuit. Refert enim praesens aetas similitudines quasdam eius temporis, in quod incidit Canisius, quum novarum rerum cupidinem et liberioris doctrinae cursum ingens iactura fidei sequeretur morumque perversitas. Utramque pestem, quum a ceteris omnibus, tum impensius a iuventute propulsandam curavit alter ille post Bonifacium Germaniae Apostolus, neque solum opportunis concionibus aut disputandi subtilitate, sed scholis praesertim institutis editisque optimis libris. Cuius praeclara exempla sequuti multi etiam de vestra gente impigri homines iisdemque usi armis contra genus hostium minime rude, nunquam destiterunt ad religionis praesidium ac dignitatem, nobilissimas quasque disciplinas tueri, omnem honestarum artium cultum incenso animo persequi, libentibus ac probantibus Romanis Pontificibus, quibus

[1] Ad Archiepiscopos et Episcopos Austriae Germaniae Helvetiorum.

solertissima semper cura fuit ut litterarum staret antiqua maiestas, et humanitas omnis nova in dies incrementa susciperet. Neque vos latet, Venerabiles Fratres, si quid Nobis ipsis maxime cordi fuit, id spectasse adolescentiam recte ac salubriter instituendam, cui rei certe, quantum licuit, ubicumque prospeximus. Nunc vero praesenti utimur occasione libenter, Petri Canisii strenui ducis exemplum ob oculos ponentes iis qui in Ecclesiae castris militant Christo, ut, quum secum reputaverint iustitiae armis arma consocianda esse doctrinae, causam religionis acrius tueri possint atque felicius.

2. Quanti negotii munus susceperit vir catholicae fidei retinentissimus, proposita sibi causa rei sacrae et civilis, facile occurrit Germaniae faciem intuentibus sub initia rebellionis lutheranae. Immutatis moribus atque in dies magis collabentibus, facilis ad errorem aditus fuit; error autem ipse ruinam morum ultimam maturavit. Hinc sensim plures a catholica fide desciscere; mox pervagari malum virus provincias fere universas; tum omnis conditionis fortunaeque homines inficere, adeo ut multorum animis opinio insideret causam religionis in illo imperio ad extrema esse deductam, morboque curando vix quidquam superesse remedii. Atque actum plane de summis rebus erat, nisi praesenti ope Deus adstitisset. Supererant quidem in Germania viri antiquae fidei, doctrina et religionis studio conspicui; supererant principes domus Bavaricae et Austriacae imprimisque rex romanorum Ferdinandus, eius nominis primus, quibus firmum erat rem catholicam totis viribus tueri atque defendere. At novum longeque validissimum periclitanti Germaniae subsidium addidit Deus, opportune natam ea tempestate Loyolaei Patris societatem, cui primus inter Germanos nomen dedit Petrus Canisius. — Huc profecto non attinet singula persequi de hoc viro eximiae sanctitatis; quo studio patriam dissidiis ac seditionibus laceratam curaverit ad animorum consensionem et veterem concordiam revocare, quo ardore cum erroris magistris in disputationis certamen venerit, quibus concionibus animos excitaverit, quas molestias tulerit, quot regiones peragrarit, quam graves legationes fidei causa susceperit. Verum, ut ad arma illa doctrinae animum referamus, quam ea constanter tractavit, quam apte, quam prudenter, quam opportune! Qui quum Messana reversus esset, quo se contulerat dicendi magister, mox sacris disciplinis tradendis in Coloniae, Ingoldstadii, Viennae Academiis egregiam operam dedit, in quibus regiam tenens viam probatorum scholae christianae doctorum, theologiae *scholasticae* magnitudinem Germanorum animis aperuit. A qua quum fidei hostes eo tempore summopere abhorrerent, quod ea catholica veritas fulciretur maxime, hanc scilicet studiorum rationem instaurandam curavit publice in lyceis atque in collegiis Societatis Iesu, quibus ipse excitandis tantum operae industriaeque contulerat. Neque eumdem a sapientiae fastigio puduit ad litterarum initia descendere et pueros erudiendos suscipere, scriptis etiam in eorum usum litterariis libris atque grammaticis. Quemadmodum vero a principum aulis, ad quos orationes habuisset, saepe redibat concionaturus ad populum, ita, quum maiora scripsisset, sive de controversiis sive de moribus, componendis libellis manum

admovebat, qui aut populi roborarent fidem, aut pietatem excitarent atque foverent. Mirum autem quantum in eam profuit, ne errorum laqueis imperiti caperentur, edita ab ipso catholicae doctrinae Summa, densum opus ac pressum, nitore latino excellens, Ecclesiae Patrum stylo non indignum. Huic praeclaro operi, quod in omnibus paene Europae regnis ingenti plausu a doctis exceptum est, mole cedunt, non utilitate, celebratissimi duo illi *catechismi*, in rudiorum usum a beato viro conscripti, alter imbuendis religione pueris, alter erudiendis ipsa adolescentibus, qui in litterarum studio versarentur. Uterque, ubi primum editus est, tantam catholicorum iniit gratiam, ut omnium fere manibus tereretur qui christianae veritatis elementa traderent, neque in scholis tantum, veluti lac pueris sugendum, adhiberetur, sed publice in communem utilitatem explicaretur in templis. Quo factum est ut Canisius per annos tercentos communis catholicorum Germaniae magister habitus fuerit, utque in populari sermone duo haec plane idem sonarent, Canisium nosse ac veritatem christianam retinere.

3. Haec viri sanctissimi documenta ineundam bonis omnibus viam indicant satis. Novimus quidem, Venerabiles Fratres, hanc vestrae gentis laudem esse praeclaram, ut ingenio studiisque ad patrium decus provehendum, ad privata et publica commoda procuranda sapienter utamini ac feliciter. Verum interest plurimum, quidquid sapientum ac bonorum est inter vos, pro religione conniti strenue; ad ipsius ornamentum atque praesidium omne ingenii lumen, omnes litteraturae nervos referre; eodemque consilio quidquid ubique benevertat sive artis incremento sive doctrinae arripere statim et cognitione complecti. Etenim si fuit unquam aetas, quae, ad rei catholicae defensionem, doctrinae atque eruditionis copiam maxime postularet, ea profecto nostra aetas est, in qua celerior quidam ad omnem humanitatem cursus occasionem aliquando praebet impugnandae fidei christiani nominis hostibus. Pares igitur vires afferendae sunt ad horum impetum excipiendum; praeoccupandus locus; extorquenda e manibus arma, quibus nituntur foedus omne inter divina et humana abrumpere. Catholicis viris ita animo comparatis atque uti decet instructis plane licebit re ipsa ostendere, fidem divinam, non modo a cultu humanitatis nullatenus abhorrere, sed eius esse veluti culmen atque fastigium; eamdem, in iis etiam quae longe dissita aut inter se repugnantia videantur, tam amice posse cum philosophia componi et consociari, ut altera alterius luce magis magisque collustretur: naturam, non hostem, sed comitem esse atque administram religionis; huius haustu non modo omnis generis cognitionem ditescere, sed plurimum roboris ac vitae litteris etiam ceterisque artibus provenire. Quantum autem sacris doctrinis ornamenti ac dignitatis accedat ex profanis ipsis disciplinis, facile intelligi potest cui hominum natura cognita sit, pronior ad ea, quae sensus iucunde permoveant. Quare apud gentes quae prae ceteris humanitate commendantur, vix ulla fiducia est rudi sapientiae, eaque negliguntur maxime a doctis, quae nullam speciem formamque praeseferant. *Sapientibus* autem *debitores sumus* non minus quam *insipientibus*, ita cum illis in acie stare, hos debeamus labantes erigere ac confirmare.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

4. Atque hic sane campus Ecclesiae patuit latissime. Nam, ubi primum post diuturnas caedes rediit animus, quam fidem viri fortissimi sanguine obsignaverant, eamdem doctissimi homines ingenio suo et scientia illustrarunt. In hac laudem primum conspiravere Patres, iis quidem lacertis, ut fieri nihil posset valentius; voce autem plerumque erudita et romanis graecisque auribus digna. Quorum doctrinae eloquentiaeque quasi aculeis excitati complures deinde impetum omnem in sacrarum rerum studia coniecerunt, atque tam amplum christianae sapientiae quasi patrimonium collegerunt, in quo quavis aetate ceteris Ecclesiae hominibus invenirent unde aut veteres superstitiones evellerent, aut nova errorum portenta subverterent. Hanc vero uberem doctorum copiam nulla non aetas effudit, ne illa quidem excepta quum pulcherrima quaeque, barbarorum obnoxia rapinis, ad neglectum atque oblivionem recidissent; ita ut si antiqua illa humanae mentis manusque miracula, si res quae olim apud romanos aut graecos summo in honore erant, non penitus exciderunt, totum id acceptum Ecclesiae labori atque industriae sit referendum.

5. Quod si tantum religioni lumen accedit ex doctrinae studiis atque artium, profecto qui totos se in his collocarunt adhibeant opus est non modo cogitandi, verum etiam agendi solertiam, ne ipsorum solivaga cognitio et ieiuna videatur. Sua igitur docti studia ad christianae reipublicae utilitatem, privatumque otium ad commune negotium conferentes efficiant, ut sua ipsorum cognitio, non inchoata quodammodo videatur, sed cum rerum actione coniuncta. Haec autem actio in iuventute instituenda maxime cernitur; quae quidem tanti negotii res est, ut partem laboris et curarum postulet maximam. Quamobrem vos in primis vehementer hortamur, Venerabiles Fratres, ut scholis in fidei integritate retinendis, aut ad ipsam, si opus fuerit, revocandis sedulo advigiletis, sive quae a maioribus institutae, sive quae conditae recentius fuerint, nec pueriles tantum, sed etiam quas medias et quas academicas vocant. Ceteri autem e vestris regionibus catholici id in primis nitantur atque efficiant, ut in institutione adolescentium sua parentibus, sua Ecclesiae iura sarta tectaque sint. — Qua in re haec potissimum curanda. Primum, ut catholici scholas, praesertim puerorum, non mixtas habeant, sed ubique proprias, magistrique deligantur optimi ac probatissimi. Plena enim periculi est ea disciplina, in qua aut corrupta sit, aut nulla religio, quod alterum in scholis, quas diximus mixtas, saepe videmus contingere. Nec facile quisquam in animum inducat impune posse pietatem a doctrina seiungi. Etenim si nulla vitae pars, neque publicis neque privatis in rebus vacare officio religionis potest, multo minus arcenda ab eo officio est aetas et consilii expers, et ingenio fervida, et inter tot corruptelarum illecebras constituta. Igitur qui rerum cognitionem sic instituat, ut nihil habeat cum religione coniunctum, is germina ipsa pulchri honestique corrumpet, is non patriae praesidium, sed humani generis pestem ac perniciem parabit. Quid enim, Deo sublato, adolescentes poterit aut in officio retinere, aut iam a recta virtutis semita devios et in praerupta vitiorum praecipites revocare?

6. Necesse deinde est non modo certis horis doceri iuvenes religionem, sed reliquam institutionem omnem christianae pietatis sensus redolere. Id si desit, si sacer hic halitus non doctorum animos ac discentium pervadat foveatque, exiguae capientur ex qualibet doctrina utilitates; damna saepe consequentur haud exigua. Habent enim fere sua quaeque pericula disciplinae, aeque vitari vix ab adolescentibus poterunt, nisi fraena quaedam divina eorum mentibus atque animis iniiciantur. Cavendum igitur maxime, ne illud, quod caput est, iustitiae cultus ac pietatis, secundas partes obtineat; ne constricta iuventus iis tantummodo rebus, quae sub oculos cadunt, omnes nervos virtutis elidat; ne dum praeceptores laboriosae doctrinae fastidia fuerunt et syllabas apicesque rimantur, minime sint de vera illa sapientia solliciti, cuius *initium timor Domini*, et cuius praeceptis in omnes partes usus vitae conformari debet. Multarum igitur rerum cognitio adiunctam habeat excolendi animi curam; omnem autem disciplinam, quaevis denique ea sit, religio penitus informet ac dominetur, eademque maiestate sua ac suavitate ita percellat, ut in adolescentium animis quasi aculeos relinquat.

7. Quandoquidem vero id Ecclesiae semper propositum fuerit, ut omnia studiorum genera ad religiosam iuvenum institutionem maxime referrentur, necesse est huic disciplinae non modo suum esse locum, eumque praecipuum, sed magisterio tam gravi fungi neminem, qui non fuerit ad id muneris idoneus ipsius Ecclesiae iudicio et auctoritate probatus.

8. Verum non a puerorum tantum scholis postulat sua iura religio. Fuit tempus illud, quum legibus cuiusque Academiae, imprimisque Parisiensis, cautum erat, ut studia omnia ita se theologiae accommodarent, ut nemo iudicaretur ad sapientiae fastigium pervenisse, nisi eius disciplinae lauream adeptus. Augustalis autem aevi instaurator Leo decimus, ceterique ab illo Pontifices Decessores Nostri, romanum athenaeum aliasque studiorum, quas vocant, universitates, quum impia bella in religionem arderent, firmas velut arces esse voluere, ubi, ductu auspicioque christianae sapientiae, iuvenes docerentur. Eiusmodi studiorum ratio, quae Deo rebusque sacris primas deferebat, fructus tulit haud mediocres; certe illud effecit, ut sic instituti adolescentes melius in officio continerentur. Haec in vobis etiam fortuna iterabitur, si viribus omnibus contendetis, ut in scholis, quas medias vocant, in gymnasiis, lyceis, academiis sua religioni iura serventur. — Neque tamen id excidat unquam, consilia vel optima ad irritum cadere et inanem laborem suscipi, si animorum consensio desideretur atque in agendo concordia. Quid enim efficient bonorum divisae vires adversus coniunctum impetum hostium? Aut quid singulorum proderit virtus, ubi nulla sit communis disciplina? Quare vehementer hortamur, ut, remotis importunis controversiis partiumque contentionibus, quae facile animos dissociare possunt, de curando Ecclesiae bono omnes uno ore consentiant, collatis viribus in id unum conspirent ac eamdem afferant voluntatem, *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* [1]

[1] Ephes., IV, 3.

9. Haec suasit ut moneremus sanctissimi hominis memoria et recordatio; cuius utinam praeclara exempla in animis haereant, excitentque eius amorem sapientiae, quae a curanda hominum salute et Ecclesiae dignitate tuenda nunquam recedat. Confidimus autem, vos, Venerabiles Fratres, quae vestra prae ceteris sollicitudo est, socios et consortes habituros gloriosi laboris e viris doctissimis quamplurimos. Sed rem nobilem, quasi in suo sinu positam, praestare ii poterunt maxime, quicumque praeclaro muneri instituendae iuventutis sunt Dei providentia praepositi. Qui, si illud meminerint, quod veteribus placuit, scientiam, quae remota sit ab iustitia, calliditatem potius quam sapientiam esse appellandam, aut melius, si animo defixerint quod Sacrae Litterae affirmant, *vani sunt... omnes homines, in quibus non subest scientia Dei,* [1] discent armis doctrinae non tam ad privata commoda uti, quam ad communem salutem. Fructus autem laboris industriaeque suae eosdem se laturos sperare poterunt, quos in suis olim collegiis atque institutis Petrus Canisius est consecutus, ut dociles ac morigeros experiantur adolescentes, honestis moribus ornatos, ab impiorum hominum exemplis longe abhorrentes, aeque de scientia ac de virtute sollicitos. Quorum in animis ubi pietas altius radices egerit, fere aberit metus ne opinionum pravitate inficiantur aut a pristina virtute deflectant. In his Ecclesia, in his civilis societas spem optimam reponet futuros aliquando egregios cives, quorum consilio, prudentia, doctrina, et rerum civilium ordo et domesticae vitae tranquillitas possit salva consistere.

10. Quod reliquum est, Deo optimo maximo, qui est *scientiarum Dominus*, Eiusque Virgini Matri, quae *Sedes sapientiae* appellatur, deprecatore adhibito Petro Canisio, qui doctrinae laude tam bene est de Ecclesia catholica meritus, preces adhibeamus, ut votorum, quae pro ipsius Ecclesiae incremento ac pro bono iuventutis concepimus, fieri compotes liceat. Hac spe freti, vobis singulis, Venerabiles Fratres, et clero populo que vestro universo, auspicem caelestium munerum et paternae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XVII, p. 248-259].

636.

Leo XIII, ep. encycl. *Affari vos*, 8 dec. 1897. [2]

1. Affari vos, quod perlibenter atque amantissime facimus, vix Nobis licet, quin sua sponte occurrat animo vetus et constans Apostolicae Sedis cum Canadensibus vicissitudo benevolentiae consuetudoque officiorum. Ipsis rerum vestrarum primordiis comitata Ecclesiae catholicae caritas est: maternoque semel acceptos sinu, amplexari vos, fovere, beneficiis afficere numquam desiit. Certe immortalis vir Franciscus de Laval Montmorency,

[1] Sap., XIII, 1.
[2] Ad Archiepiscopos Episcopos aliosque locorum Ordinarios Foederatarum Civitatum Canadensium pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

primus Quebecensium episcopus, quas res proavorum memoria pro salute
publica felicissime sanctissimeque gessit, auctoritate gratiaque subnixus
romanorum Pontificum gessit. Neque alio ex fonte auspicia atque orsus
agendarum rerum cepere consequentes episcopi, quorum tanta extitit ma-
gnitudo meritorum. Similique ratione, si spatium respicitur vetustiorum
temporum, non istuc commeare nisi nutu missuque Sedis Apostolicae con-
suevere virorum apostolicorum generosi manipuli, utique cum christianae
sapientiae lumine elegantiorem cultum atque artium honestissimarum se-
mina allaturi. Quibus seminibus multo eorum ipsorum labore sensim ma-
turescentibus, Canadensium natio in contentionem urbanitatis et gloriae
cum excultis gentibus sera, non impar, venit. — Istae sunt res Nobis omnes
admodum ad recordationem iucundae: eo vel magis, quod earum perma-
nere fructus cernimus non mediocres. Ille, profecto permagnus, amor in
catholica multitudine studiumque vehemens divinae religionis, quam scili-
cet maiores vestri primum et maxime ex Gallia, tum ex Hibernia, mox
quoque aliunde, auspicato advecti, et ipsi sancte coluerunt et posteris in-
violate servandam tradiderunt. Quamquam, si optimam hanc hereditatem
tuetur posteritas memor, facile intelligimus quantam huius laudis partem
sibi iure vindicet vigilantia atque opera vestra, Venerabiles Fratres, quan-
tam etiam vestri sedulitas Cleri: omnes quippe, concordibus animis, pro
incolumitate atque incremento catholici nominis assidue contenditis, idque,
ut vera fateamur, non invitis neque repugnantibus Britannici imperii legi-
bus. Itaque communium recte factorum vestrorum cogitatione adducti,
cum Nos romanae honorem purpurae Archiepiscopo Quebecensium ali-
quot ante annis contulimus, non solum ornare viri virtutes, sed omnium
istic catholicorum pietatem honorifico afficere testimonio voluimus. —
Ceterum de institutione laborare ineuntis aetatis, in qua et christianae et
civilis reipublicae spes maximae nituntur, Apostolica Sedes numquam
intermisit, coniuncto vobiscum et cum decessoribus vestris studio. Hinc
constituta passim adolescentibus vestris ad virtutem, ad litteras erudiendis
complura eademque in primis florentia, auspice et custode Ecclesia, domi-
cilia. Quo in genere eminet profecto magnum Lyceum Quebecense, quod
ornatum atque auctum omni iure legitimo ad legum pontificiarum consue-
tudinem, satis testatur, nihil esse quod expetat studeatque Apostolica Sedes
vehementius, quam educere civium sobolem expolitam litteris, virtute com-
mendabilem. Quamobrem summa cura, ut facile per vos ipsi iudicabitis,
animum ad eos casus adiecimus, quos catholicae Manitobensium adole-
scentulorum institutioni novissima tempora attulere. Volumus enim et
velle debemus omni, qua possumus, ope et contentione eniti atque effi-
cere ut fides ac religio ne quid detrimenti capiant apud tot hominum mil-
lia, quorum Nobis maxime est commissa salus, in ea praesertim civitate
quae christianae rudimenta doctrinae non minus quam politioris initia huma-
nitatis ab Ecclesia catholica accepit. Cumque ea de re plurimi sententiam
expectarent a Nobis, ac nosse cuperent qua sibi via, qua agendi ratione
utendum, placuit nihil ante statuere, quam Delegatus Noster apostolicus
in rem praesentem venisset: qui, quo res statu essent exquirere diligenter

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

et ad subinde referre iussus, naviter ac fideliter effectum dedit quod mandaveramus.

2. Caussa profecto vertitur permagni momenti ac ponderis. De eo intelligi volumus, quod septem ante annis legumlatores Provinciae Manitobensis consessu suo de disciplina puerili decrevere: qui scilicet, quod leges Canadensis foederis sanxerant, pueros professione catholica in ludis discendi publicis institui educarique ad conscientiam animi sui ius esse id ius contraria lege sustulere. Qua lege non exiguum importatum detrimentum. Ubi enim catholica religio aut ignoratione negligitur, aut dedita opera impugnatur: ubi doctrina eius contemnitur, principiaque unde gignitur, repudiantur, illuc accedere, eruditionis caussa adolescentulos nostros fas esse non potest. Id sicubi factitari sinit Ecclesia, non nisi aegre ac necessitate sinit, multisque adhibitis cautionibus, quas tamen constat ad pericula, declinanda nimium saepe non valere. — Similiter ea deterrima omninoque fugienda disciplina, quae, quod quisque malit fide credere, id sine ullo discrimine omne probet et aequo iure habeat, velut si de Deo rebusque divinis rectene sentias an secus, vera an falsa secteris, nihil intersit. Probe nostis, Venerabiles Fratres, omnem disciplinam puerilem, quae sit eiusmodi, Ecclesiae esse iudicio damnatam, quia ad labefactandam integritatem fidei tenerosque puerorum animos a veritate flectendos nihil fieri perniciosius potest.

3. Aliud est praeterea, de quo facile vel ii assentiantur, qui cetera nobiscum dissident: nimirum non mera institutione litteraria, non solivaga ieiunaque cognitione virtutis posse fieri, ut alumni catholici tales e schola aliquando prodeant, quales patria desiderat atque expectat. Tradenda eis graviora quaedam et maiora sunt, quo possint et christiani boni et cives frugi probique evadere: videlicet informentur ad ipsa illa principia necesse est, quae in eorum conscientia mentis alte insederint, et quibus parere et quae sequi debeant, quia ex fide ac religione sponte efflorescunt. Nulla est enim disciplina morum digna quidem hoc nomine atque efficax, religione posthabita. Nam omnium officiorum forma et vis ab iis officiis maxime ducitur, quae hominem iungunt iubenti, vetanti, bona malaque sancienti Deo. Itaque velle animos bonis imbuere moribus simulque esse sinere religionis expertes tam est absonum, quam vocare ad percipiendam virtutem, virtutis fundamento sublato. Atqui catholico homini una atque unica vera est religio catholica: propetereaque nec morum is potest, nec religionis doctrinam ullam accipere vel agnoscere, nisi ex intima sapientia catholica petitam ac depromptam. Ergo iustitia ratioque postulat, ut non modo cognitionem litterarum alumnis schola suppeditet, verum etiam eam, quam diximus, scientiam morum cum praeceptionibus de religione nostra apte coniunctam, sine qua nedum non fructuosa, sed perniciosa plane omnis futura est institutio. Ex quo illa necessario consequuntur: magistris opus esse catholicis: libros ad perlegendum, ad ediscendum non alios, quam quos episcopi probarint, assumendos: liberam esse potestatem oportere constituendi regendique omnem disciplinam, ut cum professione catholici nominis, cumque officiis quae inde proficiscuntur, tota ratio docendi discendique apprime congruat atque consentiat. — Videre autem de suis

quemque liberis, apud quos instituantur, quos habeant vivendi praecepto-res, magnopere pertinet ad patriam potestatem. Quocirca cum catholici volunt, quod et velle et contendere officium est, ut ad liberorum suorum religionem instituto doctoris accommodetur, iure faciunt. Nec sane iniquius agi cum iis queat, quam si alterutrum malle compellantur, aut rudes et indoctos, quos procrearint, adolescere, aut in aperto rerum maximarum discrimine versari.

4. Ista quidem et iudicandi principia et agendi, quae in veritate iusti-tiaque nituntur, nec privatorum tantummodo, sed rerum quoque publica-rum continent salutem, nefas est in dubium revocare, aut quoquo modo deserere. Igitur cum puerorum catholicorum institutionem debitam insueta lex in Manitobensi Provincia perculisset, vestri muneris fuit, Venerabiles Fratres, illatam iniuriam ac perniciem libera voce refutare: quo quidem officio sic perfuncti singuli estis, ut communis omnium vigilantia ac digna episcopis voluntas eluxerit. Et quamvis hac de re satis unusquisque vestrum sit conscientiae testimonio commendatus, assensum tamen atque approba-tionem Nostram scitote accedere: sanctissima enim ea sunt, quae conser-vare ac tueri studuistis, studetis.

5. Ceterum incommoda legis Manitobensis, de qua loquimur, per se ipsa monebant, opportunam sublevationem mali opus esse concordia quae-rere. Catholicorum digna caussa erat, pro qua omnes omnium partium aequi bonique cives consiliorum societate summaque conspiratione volun-tatum contenderent. Quod, non sine magna iactura, contra factum. Dolen-dum illud etiam magis, catholicos ipsos Canadenses sententias concorditer ut oportebat, minime in re tuenda iunxisse, quae omnium interest pluri-mum: cuius prae magnitudine et pondere silere studia politicarum ratio-num, quae tanto minoris sunt, necesse erat.

6. Non sumus nescii, emendari aliquid ex ea lege coeptum. Qui foede-ratis civitatibus, quique Provinciae cum potestate praesunt, nonnulla iam decrevere minuendorum gratia incommodorum, de quibus expostulare et conqueri catholici ex Manitoba merito insistunt. Non est cur dubitemus, susceptum id aequitatis amore fuisse consilioque laudabili. Dissimulari tamen id quod res est, non potest: quam legem ad sarcienda damna con-didere, ea manca est, non idonea, non apta. Multo maiora sunt, quae ca-tholici petunt, quaeque eos iure petere, nemo neget. Praeterea in ipsis illis temperamentis, quae excogitata sunt, hoc etiam inest vitii quod, mutatis locorum adiunctis, carere effectu facile possunt. Tota ut res in breve coga-tur, iuribus catholicorum educationique puerili nondum est in Manitoba consultum satis: res autem postulat, quod est iustitiae consentaneum, ut omni ex parte consulatur, nimirum in tuto positis debitoque praesidio sep-tis iis omnibus, quae supra attigimus, incommutabilibus augustissimisque principiis. Huc spectandum, hoc studiose et considerate quaerendum. — Cui quidem rei nihil obesse potest discordia peius: coniunctio animorum est et quidam quasi concentus actionum pernecessarius. Sed tamen cum per-veniendi eo, quo propositum est et esse debet, non certa quaedam ac defi-nita via sit, sed multiplex, ut fere fit in hoc genere rerum, consequitur

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

varias esse posse de agendi ratione honestas easdemque conducibiles sen-tentias. Quamobrem universi et singuli meminerint modestiae, lenitatis, caritatis mutuae: videant ne quid in verecundia peccetur, quam alter alteri debet: quid tempus exigat, quid optimum factu videatur, fraterna unani-mitate, non sine consilio vestro, constituant, efficiant.

7. Ad ipsos ex Manitoba catholicos nominatim quod attinet, futuros aliquando totius voti compotes, Deo adiuvante, confidimus. Quae spes pri-mum sane in ipsa bonitate caussae conquiescit: deinde in virorum, qui res publicas administrant, aequitate ac prudentia, tum denique in Canadensium quotquot recta sequuntur, honesta voluntate nititur. Interea tamen, quam diu rationes suas vindicare nequeant universas, salvas aliqua ex parte habere ne recusent. Si quid igitur lege, vel usu, vel hominum facilitate quadam tribuatur, quo tolerabiliora damna, ac remotiora pericula fiant, omnino expedit atque utile est concessis uti, fructumque ex iis atque utilitatem quam fieri potest maximam capere. Ubi vero alia nulla mederi ratione incommodis liceat, hortamur atque obsecramus, ut aucta liberalitate muni-ficentiaque pergant occurrere. Non de salute ipsorum sua, nec de prospe-ritate civitatum mereri melius queant, quam si in scholarum puerilium tuitionem contulerint, quantum sua cuique sinat facultas.

8. Est et aliud valde dignum, in quo communis vestra elaboret indu-stria. Scilicet vobis auctoribus, iisque adiuvantibus, qui scholis praesunt, instituere accurate ac sapienter studiorum rationem oportet, potissimum-que eniti ut, qui ad docendum accedunt, affatim et naturae et artis prae-sidiis instructi accedant. Scholas enim catholicorum rectum est cum flo-rentissimis quibusque de cultura ingeniorum, de litterarum laude, posse contendere. Si eruditio, si decus humanitatis quaeritur, honestum sane ac nobile iudicandum Provinciarum Canadensium propositum, augere ac pro-vehere pro viribus expetentium disciplinam institutionis publicam, quo politius quotidie ac perfectius quiddam contingat. Atqui nullum est genus scientiae, nulla elegantia doctrinae, quae non optime possit cum doctrina atque institutione catholica consistere.

9. Hisce omnibus illustrandis ac tuendis rebus, quae hactenus dictae sunt, possunt non parum ii ex catholicis prodesse, quorum opera in scrip-tione praesertim quotidiana versatur. Sint igitur memores officii sui. Quae vera sunt, quae recta, christiano nomini reique publicae utilia, pro iis religiose animoque magno propugnent: ita tamen ut decorum servent, personis parcant, modum nulla in re transiliant. Vereantur ac sancte obser-vent episcoporum auctoritatem, omnemque potestatem legitimam; quanto autem est temporum difficultas maior, quantoque dissensionum praesen-tius periculum, tanto insistant studiosius suadere sentiendi agendique con-cordiam, sine qua vix aut ne vix quidem spes est futurum ut id, quod est in optatis omnium nostrum, impetretur.

10. Auspicem caelestium munerum, benevolentiaeque Nostrae paternae testem, accipite Apostolicam benedictionem, quam vobis, Venerabiles Fra-tres, Clero populoque vestro peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XVII, p. 336-345].

637.

Leo XIII, ep. encycl. *Caritatis studium*, 25 iul. 1898.[1]

1. Caritatis studium, quod Nos habet de salute dissidentium fratrum sollicitos, nequaquam cessare Nos patitur, si, quos ab unico Christi ovili error varius segregatos tenet, ad complexum Pastoris boni revocare posi- mus. Vehementius quotidie miseram dolemus vicem hominum tanto numero quibus christianae fidei abest integritas. Itaque et sanctissimi conscientia officii, et amantissimi hominum Sospitatoris, cuius personam nullo merito Nostro gerimus, tamquam suasu et instinctu permoti, contendere ab iis omni ope insistimus, ut instaurare nobiscum unius eiusdemque commu- nionem fidei aliquando velint. Magnum opus, ac de humanis operibus longe difficillimum exitu: quod quidem perficere non nisi eius est, qui omnia po- test, Dei. Sed hac ipsa de causa non despondemus animum, nec deterriti a proposito sumus ob magnitudinem difficultatum, quas humana virtus per- rumpere sola non potest. *Nos autem praedicamus Christum crucifixum... Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*[2] In tanto opinionum errore, in tot malis quae vel premunt vel imminent, monstrare velut digito conamur, unde sit petenda salus, cohortando, monendo universitatem gentium, ut levent *oculos in montes, unde veniet auxilium.* Quod enim Isaias praedixerat futurum, id comprobavit eventus: scilicet Ecclesia Dei ortu divino divina- que dignitate sic eminet, ut se intuentium oculis plane conspiciendam prae- beat: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles.*[3]

2. Huiusmodi in curis consiliisque Nostris suum obtinet Scotia locum, quam Apostolicae huic Sedi diu multumque dilectam, Nos ipsi proprio quodam nomine caram habemus. Ante annos viginti, libet enim comme- morare, Apostolici ministerii in Scotis dedicavimus primitias, cum altero ab inito Pontificatus die ecclesiasticam apud ipsos hierarchiam restituendam curavimus. Quo ex tempore praeclare vobis, Venerabiles Fratres, vestroque adnitente clero, numquam non bono studuimus istius gentis, quam quidem sua indoles amplectendae veritati peridoneam facit. Nunc vero quoniam id aetatis sumus, ut propius iam absit humanus exitus, etiam visum est alloqui vos, Venerabiles Fratres, populoque vestro novum Apostolicae pro- videntiae documentum impertire.

3. Turbulentissima illa tempestas, quae in Ecclesiam saeculo decimo sexto incubuit, sicut alios nimium multos per Europam, ita Scotos maximam partem abstraxit a fide catholica, quam plus mille annis cum gloria retinue- rant. Gratum Nobis est cogitatione repetere maiorum vestrorum in rem catholicam non exigua promerita: itemque libet eos recordari, nec sane

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopi Scotiae.
[2] I Cor., I, 23, 25.
[3] Is., II, 2.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

paucos, quorum virtute rebusque gestis Scotiae nomen inclaruit. At vero num hodie cives vestri abnuant meminisse vicissim, quid Ecclesiae catho- licae, quid Apostolicae Sedi debeant? Cognita vobis planeque explorata commemoramus. — Est in vetustis annalibus vestris, Ninianum, homi- nem Scotum, cum ipsum legendis sacris litteris acrius cepisset studium in spiritu proficiendi, dixisse: « Surgam, circuibo mare et aridam, quae- ram veritatem, quam diligit anima mea. Itane tantis opus est? Nonne Petro dictum est: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam?* Igitur in fide Petri nihil minus est, nihil obscurum, nihil imperfectum, nihil adversum quod doctrinae nequam sententiaeque perversae, quasi portae inferi, praevalere sufficiant. Et ubi fides Petri, nisi in sede Petri? Illuc certe, illuc mihi eundum est, ut exiens de terra mea et de cognatione mea et de domo patris mei merear in terra visionis videre voluntatem Domini et protegi a templo eius ».[1] Itaque Romam venerabundus properavit; cumque ad sepulcra Apostolorum de ipso fonte et capite catholicae veritatis large acce- pisset, iussu mandatuque Pontificis maximi domum reversus, romanae fidei documentis cives imbuit, Ecclesiamque Gallovidiensem condidit, duobus ante saeculis, quam beatus Augustinus ad Anglos appulit. Hanc fidem S. Co- lumba, hanc ipsam veteres monachi, quorum est Ionensis sedes tam claris nobilitata virtutibus, et ipsi summo servarunt obsequio et alios diligentis- sime edocuerunt. Quid Margaritam reginam memoremus, non Scotiae tan- tummodo, sed christiani nominis universi lumen et decus? quae in rerum mortalium collocata fastigio, cum nihil tamen nisi immortale ac divinum in omni vita spectavisset, suarum splendore virtutum orbem terrarum implevit. Iamvero si tantam excellentiam sanctitatis attigit, catholicae fidei afflatu impulsuque attigit. Wallacem vero Brucemque, lumina vestri generis, nonne constantia catholicae fidei fortissimos patriae propugnatores praestitit? Mit- timus innumerabiles alios utilissimos reipublicae cives, quos Ecclesia parens educere numquam destitit. Mittimus adiumenta cetera per ipsam vobis publice importata; eius certe providentia et auctoritate, celeberrima studiis optimis domicilia S. Andreae, Glascuae, Aberdoniae patuerunt, ipsaque est exercendorum iudiciorum civilium constituta ratio. Quamobrem intel- ligimus satis fuisse causae cur honestissimum nomen *sanctae Sedis specialis filia* genti Scotorum adhaeserit.

4. Verum magna ex eo tempore conversio rerum consecuta est, fide avita apud plurimos extincta. Numquamne excitatum iri censebimus? Imo vero certa quaedam apparent indicia rerum, quae spem bonam de Scotis, adiuvante Deo, inchoare iubeant. Videmus enim lenius quotidie benigniusque haberi catholicos; dogmatis catholicae sapientiae iam non, ut fortasse antea, contemptum vulgo adhiberi, sed favorem a multis, obse- quium a non paucis; perversitates opinionum, quae nimium quantum impediunt iudicium veri, sensim, obsolescere. Atque utinam vigeat latius

[1] Excerpta ex hostoria vitae S. Niniani, Episcopi Candidae Casae seu Gallovidiae, in Scotia, a S. Aelredo abbate Rievallensi conscripta.

pervestigatio veritatis; neque enim dubitandum, quin auctior notitia reli-
gionis catholicae, germana nimirum suisque e fontibus, non ex alienis
petita, praeiudicatas eiusmodi opiniones penitus ex animis abstergat.

5. Scotis universis ea quidem tribuenda laus non mediocris, quod
divinas litteras colere et revereri assiduo consueverunt. Sinant igitur,
nonnihil Nos de hoc argumento ad suam ipsorum salutem amanter attingere.
Videlicet in ea, quam diximus, verecundia sacrarum litterarum inest velut
quaedam cum Ecclesia catholica consensio: quidni queat redintegrandae
unitatis initium aliquando existere? Ne recusent meminisse, utriusque
Testamenti libros se ab Ecclesia catholica, non aliunde, accepisse: cuius
vigilantiae perpetuisque curis acceptum referendum, quod sacrae litterae
maximas temporum ac rerum procellas integrae evasere. — Historia testatur
iam inde antiquitus de Scripturarum incolumitate Synodum Carthaginien-
sem III atque Innocentium I romanum pontificem immortaliter meruisse.
Recentiore vero memoria cogniti sunt tum Eugenii IV, tum Concilii Tri-
dentini vigiles in eodem genere labores. Nos autem ipsi, haud ignari tem-
porum, datis non ita pridem litteris encyclicis, [1] Episcopos catholici orbis
gravissime appellavimus, diligenterque monuimus quid opus esset facto,
ut integritas ac divina auctoritas sacrarum litterarum salva consisteret.

6. Nam, in hoc praecipiti ingeniorum cursu, sunt plures quos libido
fastidiosius quaelibet disquirendi, contemptioque vetustatis ita agat trans-
versos, ut fidem sacro volumini vel elevare omnem, vel certe minuere non
dubitent. Nimirum homines opinione scientiae inflati, iudicioque praefi-
dentes suo, non intelligunt quam sit improbae temeritatis plenum, humano
prorsus modulo metiri quae Dei sunt opera; eoque minus audiunt Augu-
stinum alte clamantem: «Honora Scripturam Dei, honora verbum Dei
etiam non apertum, differ pietate intelligentiam». [2] «Admonendi sunt
studiosi venerabilium litterarum... orent ut intelligant». [3] «Ne aliquid
temere et incognitum pro cognito asserant, ... nihil temere esse affirman-
dum, seu caute omnia modesteque tractanda». [4]

7. Verumtamen cum Ecclesiam perpetuo mansuram esse oporteret, non
solis ea Scripturis, sed alio quodam praesidio instrui debuit. Scilicet divini
auctoris fuit illud cavere, nequando caelestium doctrinarum thesaurus in
Ecclesia dissipatus deficeret; id quod necessitate futurum erat, si eum
singulorum hominum arbitrio permisisset. Opus igitur fuisse apparet ab
initio Ecclesiae magisterium aliquod vivum et perenne, cui ex Christi
auctoritate demandata esset cum salutifera ceterarum rerum doctrina, tum
interpretatio certa Scripturarum; quodque, assiduo Christi ipsius auxilio
munitum ac septum, nullo modo delabi in errorem docendo posset. Cui
rei sapientissime Deus cumulateque providit, idque per unigenitum Filium
suum Iesum Christum: qui scilicet germanam Scripturarum interpreta-

[1] Cf. N. 621.
[2] In Ps. 146, n. 12.
[3] Doctr. chr., l. III, c. 37, n. 56.
[4] In Gen., Op. Imp.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tionem tum in tuto posuit cum Apostolos suos in primis et maxime iussit,
nequaquam dare scriptioni operam, neque vulgo diribere vetustiorum
Scripturarum, sine discrimine, sine lege, volumina, sed omnino edocere
gentes viva voce universas, et ad cognitionem professionemque doctrinae
caelestis, alloquendo, perducere: *Euntes in mundum universum* PRAEDICATE
Evangelium omni creaturae. [1] — Principatum autem docendi contulit uni,
quo tamquam fundamento universitatem Ecclesiae docentis niti oporte-
ret. Christus enim cum claves regni caelorum Petro traderet, una simul ei
dedit ceteros regere qui *ministerio verbi* fungerentur: *Confirma fratres tuos.* [2]
Hoc itaque magisterio cum discere fideles debant quaecumque ad salutem
pertinent, ipsam petant divinorum librorum intelligentiam necesse est.

8. Facile autem apparet quam incerta sit et manca et inepta proposito
eorum ratio, qui Scripturarum sensum unice ipsarum Scripturarum ope
vestigari posse existimant. Nam, eo dato, suprema lex interpretandi in
iudicio denique consistet singulorum. Iamvero, quod supra attigimus, prout
quisque comparatus animo, ingenio, studiis, moribus ac legendum acces-
serit, ita divinorum sententiam eloquiorum iisdem de rebus interpretabitur.
Hinc discrepantia interpretandi dissimilitudinem sentiendi contentionesque
gignat necesse est, converso in materiam mali, quod unitati concordiaeque
bono datum erat.

9. Quae quidem quam vere dicamus, res loquitur ipsa. Nam omnes
catholicae fidei expertes atque inter se dissentientes de religione sectae, id
sibi singulae sumunt ut omnino placitis institutisque suis suffragari sacras
litteras contendant. Adeo nullum est tam sanctum Dei donum, quo non
abuti ad perniciem suam homo queat, quandoquidem divinas ipsas Litte-
ras, quod gravi sententia monuit beatus Petrus, *indocti et instabiles depra-
vant... ad suam ipsorum perditionem.* [3] His de causis Irenaeus, recens ab
aetate Apostolorum idemque fidus eorum interpres, inculcare hominum
mentibus numquam destitit, non aliunde accipi notitiam veritatis, quam
ex viva Ecclesiae institutione oportere: «Ubi enim Ecclesia, ibi et Spi-
ritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem
veritas... [4] Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet
veritatem apud quos est ea quae est ab Apostolis Ecclesiae successio». [5] —
Quod si catholici, quamvis in genere civilium rerum non ita coniuncti,
connexi tamen aptique inter se unitate fidei mirabili tenentur, minime est
dubium quin huius praecipue magisterii virtute et ope teneantur.

10. Scotorum nobiscum de fide dissidentium complures quidem Christi
nomen ex animo diligunt, eiusque et disciplinam assequi et exempla san-
ctissima persequi imitando nituntur. At qui mente qui animo unquam adi-
pisci poterunt quod laborant, nisi erudiri sese atque ali ad caelestia ea

[1] Marc., XVI, 15.
[2] Luc., XXII, 32.
[3] II Petr., III, 16.
[4] Adv. Haer., l. III.
[5] Ibid., l. IV.

ratione et via patiantur, qua Christus ipse constituit? nisi dicto audientes Ecclesiae sint, cui praecipienti ipse auctor fidei perinde obtemperari homines iussit ac sibi: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit?* nisi requirant alimenta pietatis virtutumque omnium ex eo, cui Pastor summus animarum vicario dedit esse sui muneris, universi gregis cura concredita? Interea certum Nobis est Nostris non deesse partibus; imprimisque supplices contendere a Deo, ut inclinatis ad bonum mentibus velit potiora gratiae suae incitamenta adiicere. Atque utinam divina Nobis exorata benignitas hoc Ecclesiae matri solatium optatissimum largiatur, ut Scotos universos ad fidem avitam *in spiritu et veritate* restitutos complecti celeriter queat. Quid non ipsis sperandum, reconciliata nobiscum concordia? Confestim effulgeret undique perfecta et absoluta veritas cum possessione bonorum maximorum, quae secessione interierant. Quibus in bonis longe excellit unum, quo miserrimum est carere: sacrificium sanctissimum dicimus, in quo Iesus Christus, sacerdos idem et victima, Patri suo se offert ipse quotidie, ministerio suorum in terris sacerdotum. Cuius virtute sacrificii infinita nobis Christi applicantur merita nimirum divino cruore parta, quem actus in crucem pro salute hominum semel effudit. Harum fides rerum florebat integra apud Scotos, quo tempore S. Columba mortale agebat aevum: itemque postea cum templa maxima passim excitarentur, quae maiorum vestrorum excellentiam et artis et pietatis posteritati testantur. — Necessitatem vero sacrificii vis ipsa et natura religionis continet. In hoc enim est summa divini cultus, agnoscere et revereri Deum ut supremum dominatorem rerum, cuius in potestate et nos et omnia nostra sunt. Iamvero non alia est ratio et causa sacrificii, quae propterea *res divina* proprie nominatur: remotisque sacrificiis, nulla nec esse nec cogitari religio potest. Lege veteri non est lex inferior Evangelii: imo multo praestantior, quia id cumulate perfecit, quod illa inchoarat. Iamvero sacrificium in Cruce factum praesignificabant sacrificia in Testamento veteri usitata, multo ante quam Christus nasceretur: post eius ascensum in caelum, idem illud sacrificium sacrificio eucharistico continuatur. Itaque vehementer errant, qui hoc perinde respuunt, ac si veritatem virtutemque sacrificii deminuat, quod Christus, cruci suffixus, fecit; *semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata.* [1] Omnino perfecta atque absoluta illa expiatio mortalium fuit: nec ullo modo altera, sed ipsa illa in sacrificio eucharistico inest. Quoniam enim sacrificalem ritum comitari in omne tempus religioni oportebat, divinissimum fuit Redemptoris consilium ut sacrificium semel in Cruce consummatum, perpetuum et perenne fieret. Huius autem ratio perpetuitatis inest in sacratissima Eucharistia, quae non similitudinem inanem memoriamve tantum rei affert, sed veritatem ipsam, quamquam specie dissimili: propterea que huius sacrificii efficientia sive ad impetrandum, sive ad expiandum, ex morte Christi tota fluit: *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus.* [2]

[1] Hebr., IX, 28.
[2] Mal., I, 11.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

11. Iam, quod reliquum est, ad eos qui catholicum nomen profitentur Nostra propius spectat oratio: idque ob eam causam, ut proposito Nostro prodesse aliquid opera sua velint. Studere, quoad quisque potest, proximorum saluti christiana caritas iubet. Quamobrem ab eis primum omnium petimus, ut huius rei gratia orare atque obsecrare Deum ne desinant, qui lumen efficax mentibus affundere, voluntatesque impellere quo velit, solus potest. Deinde, quia ad flectendos animos plurimum exempla possunt, dignos se ipsi praestent veritate, cuius divino munere sunt compotes; ac bene moratae instituto vitae adiiciant commendationem fidei, quam profitentur: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona:* [1] unaque simul civilium exercitatione virtutum efficiant, ut illud quotidie magis appareat, religionem catholicam inimicam civitati, nisi per calumniam, traduci non posse: quin imo alia in re nulla plus reperiri ad dignitatem commodumque publicum praesidii.

12. Illud etiam magnopere expedit, tueri religiosissime, imo etiam stabilire firmius, septamque omnibus praesidiis tenere catholicam adolescentis aetatis institutionem. Haud sane latet Nos, cupidae discendi iuventuti suppetere apud vos publice ludos probe instructos, in quibus certe optimam studiorum rationem non requiras. Sed eniti atque efficere necesse est, ut domicilia litterarum catholica nulla in re concedant ceteris: neque enim est committendum, ut adolescentes nostri minus parati existant a litterarum scientia, ab elegantia doctrinae, quas res fides christiana honestissimas sibi comites ad tutelam et ornamentum exposcit. Postulat igitur religionis amor et patriae caritas, ut quaecumque catholici apte instituta habent vel primordiis litterisque, vel gravioribus disciplinis tradendis, ea constabilienda et augenda pro suis quisque facultatibus curent. — Aequum est autem adiuvari praecipue eruditionem cultumque Cleri, qui non aliter suum hodie locum digne utiliterque tenere potest, quam si omni fere humanitatis et doctrinae laude floruerit. Quo in genere beneficentiae catholicorum studiosissime ad opitulandum proponimus Collegium Blairsense. Opus saluberrimum, magno studio ac liberalitate inchoatum a pientissimo cive, ne patiantur intermissione collabi et interire, sed aemula munificentia in maius etiam provehant, ad fastigiumque celeriter perducant. Tanti enim id est, quanti providere ut ferme in Scotia sacer ordo rite congruenterque temporibus educi possit.

13. Haec omnia, Venerabiles Fratres, quae propensissimus in Scotos animus Nobis expressit, sic habete ut sollertiae potissimum caritatique vestrae commendata putetis. Porro eam navitatem, quam Nobis luculenter probatis adhuc, probare pergite, ut ista efficiantur quae non parum videntur proposito conducibilia. Perdifficilis sane causa est in manibus, ut professi saepe sumus, humanisque viribus ad expediendum maior; sed longe sanctissima, consiliisque divinae bonitatis apprime congruens. Quare non tam difficultas rei Nos commovet, quam recreat ea cogitatio, vobis ad praescripta Nostra elaborantibus, Dei miserentis opem numquam abfuturam.

[1] Matth., V, 16.

14. Auspicem caelestium munerum, et paternae Nostrae benevolentiae testem, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, clero, populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XVIII, p. 101-113].

638.

Leo XIII, ep. *Quam religiosa*, 16 aug. 1898.[1]

1. Quam religiosa catholicae fidei retinendae constantia illustris Peruviensium natio commendetur, quo obsequio, qua voluntate eadem sit Nobiscum et cum hac Apostolica Sede coniuncta, id sane plura significarunt argumenta, inter quae commemorare heic iuvat admotas ad Nos preces, ut ad eius reipublicae regiones latissimas presbyteros sacris missionibus obeundis et religiosorum Sodalium collegia mitteremus, quorum studio et solertia religio et pietas aleretur et in dies usque succresceret. Nec a voluptate seiuncta est recordatio catholici illius coetus frequentissimi, biennio ante, in urbe istius reipublicae principe habiti, viris ex omni parte regionis collectis, doctrina, virtute, loco, re amplissimis, quo ex coetu novus quidam et laetabilis animorum ardor erupit. Ipsi enim minime dubitarunt, quo studio avitae Religionis provehendae flagrarent, quo cultu et amore hanc Petri cathedram prosequerentur publicis significationibus declarare. Nos autem, Venerabiles Fratres, occasionem singularis benevolentiae Nostrae testificandae erga istam catholicam gentem nunquam praetermisimus, additis stimulis, gratissimaeque voluntatis Nostrae exhibitis indiciis profecto non obscuris. Inter quae sane plurima illud praeterire nolumus, ex collatis ab Apostolica Sede eius Praesidi honoribus ac privilegiis praecipuis, Peruviensi ipsi reipublicae multum dignitatis et auctoritatis accessisse. Haec autem ornamenta certam Nobis spem ingerebant, fore ut, quemadmodum maiores vestri iis promerendis egregiam operam contulerunt, ita deinceps qui civitati praeessent haud minorem industriam in iis tuendis collocarent, suaque constantia in catholicae fidei defensione comprobarent ea omnia iure sibi fuisse collata.

2. Aegre igitur tulimus latam nuper in ista republica fuisse legem, quae, per speciem moderandi coniugii inter alienos a catholico nomine, revera matrimonium inducit quod *civile* vocant; quamvis ea lex non omnis quidem conditionis homines attingat. Quin etiam, posthabita Ecclesiae auctoritate, civilis eiusmodi ratio permissa est matrimoniis mixtis, si quando Apostolica Sedes, gravissimis de causis et ad aeternam christianae familiae salutem, inopportunum duxerit quempiam a lege de non contrahendis nuptiis propter disparem cultum eximere.

3. His graviter commoti quae contra obsequium Nostrae dignitati debitum et supremi ministerii potestatem divinitus concessam patrata sunt, Apostolicam vocem attollimus, Venerabiles Fratres, vestraque studia exci-

[1] Ad Episcopos Peruvienses.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tamus ut Peruviensium fidelium securitati caventes, catholicam doctrinam de matrimonio integram incorruptamque servandam curetis.

4. Nos quidem de universo christiano grege solliciti, prout Apostolici muneris ratio postulat, haud praetermisimus plura de matrimonii sanctitate docere saepius atque praecipere; non posse a religione seiungi atque in profanarum rerum coniici genus naturae officium a novi foederis auctore Christo in sacramenta translatum; sacro praeeunte ritu, coniugum vitam tranquilliorem beatioremque effici; firmari domesticam concordiam; liberos institui rectius; ipsius incolumitati reipublicae commode prospici. Rem vero hanc omnem fusius deditaque opera persequuti sumus Apostolicis Litteris *Arcanum divinae sapientiae consilium*,[1] ubi etiam studuimus in Christi fidelium memoriam revocare quum vigiles curas, quas in retinendo honore ac sanctitate nuptiarum Ecclesia collocavit, optima humani generis custos et vindex, tum quibus de rebus in eo genere possint iure decernere atque cognoscere ii qui reipublicae praesunt. Ea singula referre documenta, quippe oculis vestris subiecta, neque propositum Nobis est hoc loco, neque necessarium. Illud quidem haud abs re ducimus admonere iterum, potestatem esse reipublicae moderatoribus in res humanas quae matrimonium consequuntur et in genere civili versantur; in ipsum vero christianorum matrimonium ius et arbitrium iisdem esse nullum. Itaque iurisdictioni Ecclesiae rem subesse patiantur quae non auctoribus hominibus est constituta. Si modo nuptialis contractus sit iure factus, hoc est qualem Christus instituit, tum denique videre ipsis licebit si quid inde sequatur quod ad ius civile pertineat. Catholica enim doctrina est, a qua recedere sine fidei iactura nemo potest, matrimoniis christianorum sacramenti dignitatem accessisse: proinde non alia quam divina Ecclesiae auctoritate oportere ea regi ac temperari; rata firmaque nulla censeri posse connubia, quae non fuerint iuxta ipsius legem disciplinamque coniuncta. Ex quibus facile intelligitur, ubi rite fuerit Tridentina promulgata lex capitis *Tametsi*,[2] ibi irrita habenda connubia contra eius praescriptum patrata. In Peruviensi autem republica Tridentina illa lex non est promulgata solum, sed diuturna viguit usu servataque est ad extrema haec tempora fidelissime. Quare nihil causae est cur Apostolica Sedes non maxime velit legitime invectam disciplinam retineri.

5. Haec, Venerabiles Fratres, erudiendo vobis tradito gregi copiosius atque enucleatius exponite, ne quid eos lateat rei gravissimae, quae ad aeternam ipsorum salutem interest plurimum. Cupimus etiam vos auctoritate et consilio ita pollere apud eos qui in ista republica legibus ferendis sunt constituti, eamque ab ipsis inire gratiam, ut in animum inducant suum, sese gentis ad exemplum catholicae, cuius insident menti beatorum civium Turibii ac Rosae praeclara exempla virtutis, mentem ac voluntatem referre publice, ideoque oportere ab Ecclesiae praeceptis in constituendis legibus nunquam discedant, quibus rite servatis, vel ipsa naturalis

[1] Cf. N. 580.
[2] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

populorum felicitas gignitur, spondeantque se operam daturos ut recens decretum emendetur quam citius et tollatur, legesque de matrimonio civiles nihil alienum ab Ecclesiae doctrina atque institutis exhibeant.

6. Interim divini auxilii spe freti et studio solertiaque vestra confisi, apostolicam benedictionem, caelestium munerum auspicem et singularis Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, universoque clero ac populo singulis commisso peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XVIII, p. 140-144].

639.

Leo XIII, ep. *Quum diuturnum*, 25 dec. 1898.[1]

Quum diuturnum recolimus Pontificatus Nostri cursum, nihil unquam praetermisisse videmur, quod ad constabiliendum in istis gentibus promovendumque Christi regnum pertineret. Rerum quidem, quas Deo opitulante adhuc vestra causa gessimus, manet apud vos memoria et gratia, Venerabiles Fratres; quorum navitati diligentiaeque illa providentiae Nostrae officia haud frustra commendavimus. — Nunc vero Nostri erga vos animi novum extare documentum volumus; id quod iamdiu Nobis in optatis fuit. Etenim ex quo tempore saecularia sollemnia agebantur quartum ob memoriam detectae Americae, sedulo cogitare coepimus, qua potissimum via communibus rationibus latini nominis, novum orbem plus dimidia parte obtinentis, prospicere possemus. Optimum autem ad eam rem fore perspeximus, si quotquot essetis ex istis civitatibus Episcopi consultum inter vos, invitatu et auctoritate Nostra, conveniretis. Siquidem conferendis consiliis sociandisque prudentiae fructibus, quos cuique vestrum usus rerum peperisset, apte per vos provisum iri intelligebamus, ut apud eas gentes, quas idem aut certe cognatum genus coniunctas teneret, unitas ecclesiasticae disciplinae salva consisteret, vigescerent digni catholica professione mores, atque concordibus bonorum studiis Ecclesia publice floreret. Illud etiam magnopere suadebat initum exequi consilium, quod vos, sententiam rogati, huiusmodi propositum ingenti cum assensu excepissetis. — Ut autem venit perficiendae rei maturitas, optionem vobis fecimus, Venerabiles Fratres, ut eligeretis locum, ubi id habendum esse concilium videretur. Porro vos maximam partem significastis coituros libentius Romam, ob eam quoque causam, quod pluribus vestrum expeditior huc pateret aditus, quam propter difficillima istic itinera ad longinquam aliquam americanam urbem. Huic declarationi sententiae vestrae, quae non leve habebat indicium amoris in Apostolicam sedem, fieri non potuit, quin magna a Nobis comprobatio accederet. Quamquam moleste ferimus, qua nunc conditione sumus, ademptam Nobis facultatem, unde vos, Romae dum eritis, tam liberaliter honesteque tractemus, quam velimus. Igitur sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis habet iam a Nobis in mandatis, ut concilium Epi-

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis ex America Latina.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

scoporum omnium e rebuspublicis Americae latinae Romam convocet in annum proximum, atque opportune praescribat, quas illud ad leges dirigi oporteat.

Interea caelestium munerum auspicem, testemque benevolentiae Nostrae vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque singulis concredito Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XVIII, p. 201-203].

640.

Leo XIII, ep. *Testem*, 22 ian. 1899.[1]

1. Testem benevolentiae Nostrae hanc ad te epistolam mittimus, eius nempe benevolentiae, quam, diuturno Pontificatus Nostri cursu, tibi et Episcopis collegis tuis ac populo Americae universo profiteri nunquam destitimus, occasionem omnem libenter nacti sive ex felicibus Ecclesiae vestrae incrementis, sive ex utiliter a vobis recteque gestis ad catholicorum rationes tutandas et evehendas. Quin imo saepe etiam accidit egregiam in gente vestra indolem suspicere et admirari ad praeclara quaeque experrectam, atque ad ea prosequenda, quae humanitatem omnem iuvant splendoremque civitatis. — Quamvis autem non eo nunc spectet epistola ut alias saepe tributas laudes confirmet, sed ut nonnulla potius cavenda et corrigenda significet; quia tamen eadem apostolica caritate conscripta est, qua vos et prosequuti semper et alloquuti saepe fuimus, iure expectamus, ut hanc pariter amoris Nostri argumentum censeatis; idque eo magis futurum confidimus quod apta nataque ea sit ad contentiones quasdam extinguendas, quae, exortae nuper in vobis, etsi non omnium, at multorum certe animos, haud mediocri pacis detrimento, perturbant.

2. Compertum tibi est, dilecte fili Noster, librum de vita *Isaaci-Thomae Hecker*, eorum praesertim opera, qui aliena lingua edendum vel interpretandum susceperunt, controversias excitasse non modicas ob invectas quasdam de ratione christiana vivendi opiniones. Nos igitur, ut integritati fidei, pro supremo Apostolatus munere, prospiciamus et fidelium securitati caveamus, volumus de re universa fusiori sermone ad te scribere.

3. Novarum igitur, quas diximus, opinionum id fere constituitur fundamentum: quo facilius qui dissident ad catholicam sapientiam traducantur, debere Ecclesiam ad adulti saeculi humanitatem aliquanto propius accedere, ac, veteri relaxata severitate, recens invectis populorum placitis ac rationibus indulgere. Id autem non de vivendi solum disciplina, sed de doctrinis etiam, quibus *fidei depositum* continetur, intelligendum esse multi arbitrantur. Opportunum enim esse contendunt, ad voluntates discordium alliciendas, si quaedam doctrinae capita, quasi levioris momenti, praetermittantur, aut molliantur ita, ut non eumdem retineant sensum quem con-

[1] Dilecto Filio Nostro Iacobo tit. Sanctae Mariae trans Tiberim S. R. E. Presbytero Cardinali Gibbons Archiepiscopo Baltimorensi.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

stanter tenuit Ecclesia. — Id porro, dilecte fili Noster, quam improbando sit consilio excogitatum, haud longo sermone indiget; si modo doctrinae ratio atque origo repetatur, quam tradit Ecclesia. Ad rem Vaticana Synodus: « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita fideliter custodienda et infallibiliter declaranda... Is sensus sacrorum dogmatum perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum ». [1]

4. Neque omnino vacare culpa censendum est silentium illud, quo catholicae doctrinae principia quaedam consulto praetereuntur ac veluti oblivione obscurantur. — Veritatum namque omnium, quotquot christiana disciplina complectitur, unus atque idem auctor est et magister *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris.* [2] Easdem vero ad aetates quaslibet ac gentes accommodatas esse, perspicue ex verbis colligitur, quibus ipse Christus apostolos est alloquutus: *Euntes docete omnes gentes,... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* [3] Quapropter idem Vaticanum Concilium: « Fide divina, inquit, et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». [4] — Absit igitur ut de tradita divinitus doctrina quidpiam quis detrahat vel consilio quovis praetereat; id enim qui faxit, potius catholicos seiungere ab Ecclesia, quam qui dissident ad Ecclesiam transferre volet. Redeant, nil enim Nobis optatius, redeant universi, quicumque ab ovili Christi vagantur longius; non alio tamen itinere, quam quod Christus ipse monstravit.

5. Disciplina autem vivendi, quae catholicis hominibus datur, non eiusmodi est, quae, pro temporum et locorum varietate, temperationem omnem reiiciat. — Habet profecto Ecclesia, inditum ab Auctore suo, clemens ingenium et misericors; quam ob caussam, inde a sui exordio, id praestitit libens, quod Paulus Apostolus de se profitebatur: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* [5] — Aetatum vero praeteritarum omnium historia testis est, Sedem hanc Apostolicam, cui, non magisterium modo, sed supremum etiam regimen totius Ecclesiae tributum est, constanter quidem *in eodem dogmate, eodem sensu eademque sententia* [6] haesisse; at vivendi disciplinam ita semper moderari consuevisse, ut, divino incolumi iure, diversarum adeo gentium, quas amplectitur, mores et rationes nunquam neglexerit. Id si postulet animorum salus, nunc etiam facturam quis dubitet? — Non hoc tamen privatorum hominum arbitrio definiendum, qui fere

[1] Const. *de Fide cathol.*, c. IV. — Cf. N. 10.
[2] Ioan., I, 18.
[3] Matth., XXVIII, 19-21.
[4] Const. *de Fide. cathol.*, c. III. — Cf. N. 10.
[5] I Cor., IX, 22.
[6] Conc Vatic., ibid., c. IV. — Cf. N. 10.

specie recti decipiuntur; sed Ecclesiae iudicium esse oportet: in eoque acquiescere omnes necesse est, quicumque Pii VI decessoris Nostri reprehensionem cavere malunt. Qui quidem propositionem LXXVIII synodi Pistoriensis: « Ecclesiae ac Spiritui Dei quo ipsa regitur iniuriosam *edixit*, quatenus examini subiiciat disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia disciplinam constituere possit inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur ». [1]

6. In causa tamen de qua loquimur, dilecte fili Noster, plus affert periculi estque magis catholicae doctrinae disciplinaeque infestum consilium illud, quo rerum novarum sectatores arbitrantur libertatem quamdam in Ecclesiam esse inducendam, ut, constricta quodammodo potestatis vi ac vigilantia, liceat fidelibus suo cuiusque ingenio actuosaeque virtuti largius aliquanto indulgere. Hoc nimirum requiri affirmant ad libertatis eius exemplum, quae, recentius invecta, civilis fere communitatis ius modo ac fundamentum est. — De qua Nos fuse admodum loquuti sumus in iis Litteris, quas de civitatum constitutione ad Episcopos dedimus universos; [2] ubi etiam ostendimus, quid inter Ecclesiam, quae iure divino est, intersit ceterasque consociationes omnes, quae libera hominum voluntate vigent. — Praestat igitur quamdam potius notare opinionem, quae quasi argumentum affertur ad hanc catholicis libertatem suadendam. Aiunt enim, de Romani Pontificis infallibili magisterio, post solemne iudicium de ipso latum in Vaticana Synodo, nihil iam oportere esse sollicitos: quam ob rem, eo iam in tuto collocato, posse nunc ampliorem cuivis ad cogitandum atque agendum patere campum. — Praeposterum sane arguendi genus: si quid enim ex magisterio Ecclesiae infallibili suadet ratio, hoc certe est, ut ab eo ne quis velit discedere, imo omnes eidem se penitus imbuendos ac moderandos dent, quo facilius a privato quovis errore serventur immunes. Accedit, ut ii, qui sic arguunt, a providentis Dei sapientia discedant admodum; quae, quum Sedis Apostolicae auctoritatem et magisterium affirmata solemniore iudicio voluit, idcirco voluit maxime, ut pericula praesentium temporum animis catholicorum efficacius caveret. Licentia quae passim cum libertate confunditur; quidvis loquendi obloquendique libido; facultas denique quidlibet sentiendi literarumque formis exprimendi, tenebras tam alte mentibus obfuderunt, ut maior nunc quam ante sit magisterii usus et necessitas, ne a conscientia quis officioque abstrahatur. — Abest profecto a Nobis ut quaecumque horum temporum ingenium parit, omnia repudiemus; quin potius quidquid indagando veri aut enitendo boni attingitur, ad patrimonium doctrinae augendum publicaeque prosperitatis fines proferendos, libentibus sane Nobis, accedit. Id tamen omne, ne solidae utilitatis sit expers, esse ac vigere nequaquam debet, Ecclesiae auctoritate sapientiaque posthabita.

7. Sequitur ut ad ea veniamus quae ex his, quas attigimus, opinionibus consectaria veluti proferuntur; in quibus si mens, ut credimus, non mala:

[1] Cf. N. 475.
[2] Cf. N. 592.

at certe res carere suspicione minime videbuntur. — Principio enim externum magisterium omne ab iis, qui christianae perfectioni adipiscendae studere velint, tamquam superfluum, immo etiam minus utile, reiicitur: ampliora, aiunt, atque uberiora nunc quam elapsis temporibus, in animos fidelium Spiritus Sanctus influit charismata, eosque, medio nemine, docet arcano quodam instinctu atque agit. — Non levis profecto temeritatis est velle modum metiri, quo Deus cum hominibus communicet; id enim unice ex eius voluntate pendet, estque ipse munerum suorum liberrimus dispensator. *Spiritus ubi vult spirat.*[1] *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensurum donationis Christi.*[2] Ecquis autem repetens Apostolorum historiam, exordientis Ecclesiae fidem, fortissimorum martyrum certamina et caedes, veteres denique plerasque aetates sanctissimorum hominum fecundissimas, audeat priora tempora praesentibus componere eaque affirmare minore Spiritus Sancti effusione donata? Sed, his omissis, Spiritum Sanctum secreto illapsu in animis iustorum agere eosque admonitionibus et impulsionibus excitare, nullus est qui ambigat; id ni foret, externum quodvis praesidium et magisterium inane esset. « Si quis... salutari, id est evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu ».[3] Verum, quod etiam experiendo novimus, hae Sancti Spiritus admonitiones et impulsiones plerumque, non sine quodam externi magisterii adiumento ac veluti comparatione, persentiuntur. « Ipse, ad rem Augustinus, in bonis ardoribus cooperatur fructum, qui et forinsecus rigat atque excolit per quemlibet ministrum, et per se dat intrinsecus incrementum ».[4] Scilicet ad communem legem id pertinet, qua Deus providentissimus, uti homines plerumque fere per homines salvandos decrevit, ita illos, quos ad praestantiorem sanctimoniae gradum advocat, per homines eo perducendos constituit, « ut nimirum, quemadmodum Chrysostomus ait, per homines a Deo discamus ».[5] Praeclarum eius rei exemplum ipso Ecclesiae exordio, positum habemus: quamvis enim Saulus, *spirans minarum et caedis*,[6] Christi ipsius vocem audivisset ab eoque quaesivisset: *Domine, quid me vis facere;* Damascum tamen ad Ananiam missus est: *Ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* — Accedit praeterea quod qui perfectiora sectantur, hoc ipso quod ineunt intentatam plerisque viam, sunt magis errori obnoxii, ideoque magis quam ceteri doctore ac duce indigent. — Atque haec agendi ratio iugiter in Ecclesia obtinuit; hanc ad unum omnes doctrinam professi sunt quotquot, decursu saeculorum, sapientia ac sanctitate floruerunt; quam qui respuant, temere profecto ac periculose respuent.

[1] Ioan., III, 8.
[2] Eph., IV, 7.
[3] Conc. Arausic., II, can. VII.
[4] De Gratia Christi, c. XIX.
[5] Hom. I, *in inscr. altar.*
[6] Act., c. IX.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

8. Rem tamen bene penitus consideranti, sublato etiam externo quovis moderatore, vix apparet in novatorum sententia quorsum pertinere debeat uberior ille Spiritus Sancti influxus, quem adeo extollunt. — Profecto maxime in excolendis virtutibus Spiritus Sancti praesidio opus est omnino: verum qui nova sectari adamant, naturales virtutes praeter modum efferunt, quasi hae praesentis aetatis moribus ac necessitatibus respondeant aptius, iisque exornari praestet, quod hominem paratiorem ad agendum ac strenuiorem faciant. — Difficile quidem intellectu est, eos, qui christiana sapientia imbuantur, posse naturale virtutes supernaturalibus anteferre, maioremque illis efficacitatem ac fecunditatem tribuere. Ergone natura, accedente gratia, infirmior erit, quam si suis ipsa viribus permittatur? Numvero homines sanctissimi, quos Ecclesia observat palamque colit, imbecillos se atque ineptos in naturae ordine probavere quod christianis virtutibus excelluerunt? Atqui, etsi naturalium virtutum praeclaros quandoque actus mirari licet, quotus tamen quisque est inter homines qui naturalium virtutum habitu reapse polleat? Quis enim est qui animi perturbationibus, iisque vehementibus non incitetur? Quibus constanter superandis, sicut etiam universae legi in ipso naturae ordine servandae, divino quodam subsidio iuvari hominem necesse est. Singulares vero actus quos supra innuimus, saepe, si intimius perspiciantur, speciem potius virtutis quam veritatem prae se ferunt. — Sed demus tamen esse: si *currere in vacuum* quis nolit aeternamque oblivisci beatitatem, cui nos benigne destinat Deus, ecquid naturales virtutes habent utilitatis, nisi divinae gratiae munus ac robur accedat? Apte quidem Augustinus: « Magnae vires et cursus celerrimus, sed praeter viam ».[1] Sicut enim praesidio gratiae natura hominum, quae, ob communem noxam, in vitium ac dedecus prolapsa erat, erigitur novaque nobilitate evehitur ac roboratur; ita etiam virtutes, quae non solis naturae viribus, sed eiusdem ope gratiae exercentur, et fecundae fiunt beatitatis perpetuo mansurae et solidiores ac firmiores existunt.

9. Cum hac de naturalibus virtutibus sententia, alia cohaeret admodum, qua christianae virtutes universae in quo quasi genera dispertiuntur, in *passivas*, ut aiunt, atque *activas;* adduntque, illas in elapsis aetatibus convenisse melius, has cum praesenti magis congruere. — De qua quidem divisione virtutum quid sentiendum sit, res est in medio posita; virtus enim, quae vere *passiva* sit, nec est nec esse potest. « Virtus, sic sanctus Thomas, nominat quamdam potentiae perfectionem; finis autem potentiae actus est; et nihil est aliud actus virtutis, quam bonus usus liberi arbitrii »;[2] adiuvante utique Dei gratia, si virtutis actus supernaturalis sit. — Christianas autem virtutes, alias temporibus aliis accommodatas esse, is solum velit, qui Apostoli verba non meminerit: *Quos praescivit, hos et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.*[3] Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot

[1] In Ps. XXXI, 4.
[2] I-II, a. 1.
[3] Rom., VIII, 29.

avent beatorum sedibus inseri. Iamvero, haud mutatur Christus progredientibus saeculis; sed *idem heri, et hodie et in saecula.* [1] Ad omnium igitur aetatum homines pertinet illud: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;* [2] nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum obedientem usque ad mortem;* [3] valetque quavis aetate Apostoli sententia: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis.* [4] — Quas utinam virtutes multo nunc plures sic colerent, ut homines sanctissimi praeteritorum temporum! Qui demissione animi, obedientia, abstinentia, *potentes* fuerunt *opere et sermone*, emolumento maximo nedum religiosae rei sed publicae ac civilis.

10. Ex quo virtutum evangelicarum veluti contemptu, quae perperam *passivae* appellantur, pronum erat sequi, ut religiosae etiam vitae despectus sensim per animos pervaderet. Atque id novarum opinionum fautoribus commune esse, coniicimus ex eorum sententiis quibusdam circa vota quae Ordines religiosi nuncupant. Aiunt enim, illa ab ingenio aetatis nostrae dissidere plurimum, utpote quae humanae libertatis fines coerceant; esseque ad infirmos animos magis quam ad fortes apta; nec admodum valere ad christianam perfectionem humanaeque consociationis bonum, quin potius utrique rei obstare atque officere. — Verum haec quam falso dicantur, ex usu doctrinaque Ecclesiae facile patet, cui religiosum vivendi genus maxime semper probatum est. Nec sane immerito: nam qui, a Deo vocati, illud sponte sua amplectantur, non contenti communibus praeceptorum officiis, in evangelica euntes consilia, Christo se milites strenuos paratosque ostendunt. Hocne debilium esse animorum putabimus? aut ad perfectiorem vitae modum inutile aut noxium? Qui ita se votorum religione obstringunt, adeo sunt a libertatis iactura remoti, ut multo pleniore ac nobiliore fruantur, ea nempe *qua Christus nos liberavit.* [5]

11. Quod autem addunt, religiosam vivendi rationem aut non omnino aut parum Ecclesiae iuvandae esse, praeterquamquod religiosis Ordinibus invidiosum est, nemo unus certe sentiet, qui Ecclesiae annales evolvent. Ipsae vestrae foederatae civitates num non ab alumnis religiosarum familiarum fidei pariter atque humanitatis initia habuerunt? quorum uni nuper, quod plane vobis laudi fuit, statuam publice ponendam decrevistis. — Nunc vero, hoc ipso tempore, quam alacrem, quam frugiferam catholicae rei religiosi coetus, ubicumque ii sunt, navant operam! Quam pergunt multi novas Evangelio imbuere et humanitatis fines propagare; idque per summam animi contentionem summaque pericula! Ex ipsis, haud minus quam e clero cetero, plebs christiana verbi Dei praecones conscientiaeque moderatores, iuventus institutores habet, Ecclesia denique omnis sanctitatis exempla. — Nec discrimen est laudis inter eos qui actuosum vitae genus sequuntur, atque illos, qui, recessu delectati, orando afflictandoque corpori

[1] Hebr., XIII, 8.
[2] Matth., XI, 29.
[3] Philip., II, 8.
[4] Gal., V, 24.
[5] Gal., IV, 31.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

vacant. Quam hi etiam praeclare de hominum societate meruerint, mereant, ii norunt profecto qui, quid ad placandum conciliandumque Numen possit *deprecatio iusti assidua,* [1] minime ignorant, ea maxime quae cum afflictatione corporis coniuncta est.

12. Si qui igitur hoc magis adamant, nullo votorum vinculo, in coetum unum coalescere, quod malint, faxint; nec novum id in Ecclesia nec improbabile institutum. Caveant tamen ne illud prae religiosis Ordinibus extollant; quin potius, cum modo ad fruendum voluptatibus proclivius, quam ante, sit hominum genus, longe pluris ii sunt habendi, qui *relictis omnibus sequuti sunt Christum.*

13. Postremo, ne nimiis moremur, via quoque et ratio, qua catholici adhuc sunt usi ad dissidentes revocandos, deserenda edicitur aliaque in posterum adhibenda. — Qua in re hoc sufficit advertisse, non prudenter, dilecte fili Noster, id negligi quod diu experiendo antiquitas comprobavit, apostolicis etiam documentis erudita. — Ex Dei verbo habemus, [2] omnium officium esse proximorum saluti iuvandae operam dare, ordine graduque quem quisque obtinet. Fideles quidem hoc sibi a Deo assignatum munus utillime exequentur morum integritate, christianae caritatis operibus, instante ad Deum ipsum assiduaque prece. At qui e clero sunt idipsum praestent, oportet sapienti Evangelii praedicatione, sacrorum gravitate et splendore, praecipue autem eam in se formam doctrinae exprimentes, quam Tito ac Timotheo Apostolus tradidit. — Quod si, e diversis rationibus verbi Dei eloquendi, ea quandoque praeferenda videatur, qua ad dissidentes non in templis dicant sed privato quovis honesto loco, nec ut qui disputent sed ut qui amice colloquantur; res quidem reprehensione caret: modo tamen ad id muneris auctoritate Episcoporum ii destinentur, qui scientiam integritatemque suam antea ipsis probaverint. — Nam plurimos apud vos arbitramur esse, qui ignoratione magis quam voluntate a catholicis dissident; quos ad unum Christi ovile facilius forte adducet, qui veritatem illis proponat amico quodam familiarique sermone.

14. Ex his igitur, quae huc usque disseruimus, patet, dilecte fili Noster, non posse Nobis opiniones illas probari, quarum summam *Americanismi* nomine nonnulli indicant. — Quo si quidem nomine peculiaria animi ornamenta, quae, sicut alia nationes alias, Americae populos decorant, significare velint; item si statum vestrarum civitatum, si leges moresque quibus utimini, non est profecto cur ipsum reiiciendum censeamus. At si illud usurpandum ideo est, ut doctrinae superius allatae, non indicentur modo, immo vero etiam cohonestentur; quodnam est dubium, quin Venerabiles Fratres Nostri Episcopi Americae, ante ceteros, repudiaturi ac damnaturi sint utpote ipsis totique eorum genti quam maxime iniuriosum? Suspicionem enim id iniicit esse apud vos, qui Ecclesiam in America aliam effingant et velint, quam quae in universis regionibus est. — Una, unitate doctrinae sicut unitate regiminis, eaque catholica est Ecclesia: cuius quoniam

[1] Iac., V, 16.
[2] Eccli., XVI, 4.

Deus in Cathedra Beati Petri centrum ac fundamentum esse statuit, iure Romana dicitur: *ubi* enim *Petrus ibi Ecclesia.* [1] Quam ob rem quicumque catholico nomine censeri vult, is verba Hieronymi ad Damasum Pontificem usurpare ex veritate debet: « Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communione consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio; quicumque tecum non colligit, spargit ».

15. Haec, dilecte fili Noster, quae, singularibus litteris, officio muneris ad te damus, ceteris etiam foederatarum civitatum Episcopis communicanda curabimus: caritatem iterum testantes, qua gentem vestram universam complectimur; quae sicut elapsis temporibus multa pro religione gessit, maiora etiam in posterum, Deo feliciter opitulante, praestituram portendit. — Tibi autem et fidelibus Americae omnibus Apostolicam benedictionem, divinorum subsidiorum auspicem, amantissime impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XIX, p. 5-20].

641.

Leo XIII, ep. *Gratae*, 22 iul. 1899. [2]

Gratae vehementer, Venerabilis Frater, tuae Litterae, titulo « Mali e rimedi », ad istum clerum et populum elapso mense martio datae, Nobis fuerunt, quibus pastorali sollicitudine paternoque affectu inveteratum lamentaris abusum sancti Baptismatis in hebdomadas, in menses, imo et in annos, pueris differendi, atque ad eum ab ista tibi concredita dioecesi exterminandum totus incumbis. Nil sane hac mala consuetudine iniquius, nil ecclesiasticis sanctionibus magis contrarium: utpote quae non solum tot animarum aeternam salutem, inexcusabili temeritate, in manifestum periculum infert; sed eas insuper intra id temporis certo fraudat ineffabilibus gratiae sanctificantis charismatibus, quae per regenerationis lavacrum infunduntur; resque aliquoties eo usque deducere potest ut, quod proprio tempore omissum fuit, nunquam amplius in posterum sit faciendum. Dum igitur tibi, Venerabilis Frater, ut incoeptum opus strenue perficias, ultro vires addimus; non possumus quin tam detestabilem usum, in Deum simul impium ac in homines, ubicumque infeliciter invaluerit, ex animo improbemus et exsecremur.

Atque ut, Deo adiuvante, prospere tibi res cedant, tibimet, Venerabilis Frater, tibique subdito gregi Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XIX, p. 126, 127].

[1] S. Ambr., *in Ps. XI*, 57.
[2] Venerabili Fratri Carmelo Episcopo Anglonensi-Tursiensi.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

642.

Leo XIII, litt. encycl. *Depuis le jour*, 8 sept. 1899. [1]

1. Depuis le jour où Nous avons été élevé à la Chaire pontificale, la France a été constamment l'objet de Notre sollicitude et de Notre affection toute particulière. C'est chez elle, en effet que, dans le cours des siècles, mu par les insondables desseins de sa miséricorde sur le monde, Dieu a choisi de préférence les hommes apostoliques destinés à prêcher la vraie foi jusqu'aux confins du globe, et à porter la lumière de l'Evangile aux nations encore plongées dans les ténèbres du paganisme. Il l'a prédestinée à être le défenseur de son Eglise et l'instrument de ses grandes œuvres: *Gesta Dei per Francos.*

2. A une si haute mission correspondent évidemment de nombreux et graves devoirs. Désireux, comme Nos prédécesseurs, de voir la France accomplir fidèlement le glorieux mandat dont elle a été chargée, Nous lui avons plusieurs fois déjà, durant Notre long Pontificat, adressé Nos conseils, Nos encouragements, Nos exhortations. Nous l'avons fait tout spécialement dans Notre Lettre Encyclique du 8 février 1884, *Nobilissima Gallorum gens,* [2] et dans Notre Lettre du 16 février 1892, publiée dans l'idiôme de la France et qui commence par ces mots: *Au milieu des sollicitudes.* [3] Nos paroles ne sont pas demeurées infructueuses, et Nous savons par vous, Vénérables Frères, qu'une grande partie du peuple français tient toujours en honneur la foi de ses ancêtres et remplit avec fidélité les devoirs qu'elle impose. D'autre part, Nous ne saurions ignorer que les ennemis de cette foi sainte ne sont pas demeurés inactifs, et qu'ils sont parvenus à bannir tout principe de religion d'un grand nombre de familles, qui par suite, vivent dans une lamentable ignorance de la vérité révélée, et dans une complète indifférence pour tout ce qui touche à leurs intérêts spirituels et au salut de leurs âmes.

3. Si donc, et à bon droit, Nous félicitons la France d'être pour les nations infidèles un foyer d'apostolat, Nous devons encourager aussi les efforts de ceux de ses fils qui, enrôlés dans le sacerdoce de Jésus-Christ, travaillent à évangéliser leurs compatriotes, à les prémunir contre l'envahissement du naturalisme et de l'incrédulité, avec leurs funestes et inévitables conséquences. Appelés par la volonté de Dieu à être les sauveurs du monde, les prêtres doivent toujours, et avant tout, se rappeler qu'ils sont, de par l'institution même de Jésus-Christ, « le sel de la terre », [4] d'où S. Paul, écrivant à son disciple Timothée, conclut avec raison « qu'ils doivent être l'exem-

[1] Aux Archevêques, Evêques et au Clergé de France.
[2] Cf. N. 590.
[3] Cf. Leonis XIII Acta, vol. XII, p. 19-41.
[4] Matth., V, 13.

ple des fidèles dans leurs paroles et dans leurs rapports avec le prochain, par leur charité, leur foi et leur pureté ». [1]

4. Qu'il en soit ainsi du Clergé de France, pris dans son ensemble, ce Nous est toujours, Vénérables Frères, une grande consolation de l'apprendre, soit par les relations quadriennales que vous Nous envoyez sur l'état de vos diocèses, conformément à la Constitution de Sixte-Quint; [2] soit par les communications orales que Nous recevons de vous, lorsque Nous avons la joie de Nous entretenir avec vous et de recevoir vos confidences. Oui, la dignité de la vie, l'ardeur de la foi, l'esprit de dévouement et de sacrifice, l'élan et la générosité du zèle, la charité inépuisable envers le prochain, l'énergie dans toutes les nobles et fécondes entreprises qui ont pour but la gloire de Dieu, le salut des âmes, le bonheur de la patrie: telles sont les traditionnelles et précieuses qualités du clergé français, auxquelles Nous sommes heureux de pouvoir rendre ici un public et paternel témoignage.

5. Toutefois, en raison même de la tendre et profonde affection que Nous lui portons; tout à la fois pour satisfaire au devoir de Notre ministère apostolique, et pour répondre à Notre vif désir de le voir demeurer toujours à la hauteur de sa grande mission, Nous avons résolu, Vénérables Frères, de traiter dans la présente Lettre quelques points que les circonstances actuelles recommandent de la façon la plus instante à la consciencieuse attention des premiers Pasteurs de l'Eglise de France, et des prêtres qui travaillent sous leur autorité.

6. C'est d'abord chose évidente que, plus un office est relevé, complexe, difficile, plus longue et plus soignée doit être la préparation de ceux qui sont appelés à le remplir. Or, existe-t-il sur la terre une dignité plus haute que celle du sacerdoce, et un ministère imposant une plus lourde responsabilité, que celui qui a pour objet la sanctification de tous les actes libres de l'homme? N'est-ce pas du gouvernement des âmes que les Pères ont dit avec raison, que c'est « l'art des arts », c'est-à-dire le plus important et le plus délicat de tous les labeurs auxquels un homme puisse être appliqué au profit de ses semblables « ars artium regimen animarum »? [3] Rien donc ne devra être négligé pour préparer à remplir dignement et fructueusement une telle mission, ceux qu'une vocation divine y appelle.

7. Avant toute chose, il convient de discerner, parmi les jeunes enfants, ceux en qui le Très-Haut a déposé le germe d'une semblable vocation. Nous savons que, dans un certain nombre de diocèses de France, grâce à vos sages recommandations, les prêtres des paroisses, surtout dans les campagnes, s'appliquent avec un zèle et une abnégation que Nous ne saurions trop louer, à commencer eux-mêmes les études élémentaires des enfants dans lesquels ils ont remarqué des dispositions sérieuses à la piété et des aptitudes au travail intellectuel. Les Ecoles presbytérales sont ainsi comme le premier

[1] I Tim., IV, 12.
[2] Cf. N. 156.
[3] S. Greg. M., *Lib. Regulae Past.*, p. I, c. I.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

degré de cette échelle ascendante qui, d'abord par les petits, puis par les grands Séminaires, fera monter jusqu'au sacerdoce les jeunes gens auxquels le Sauveur a répété l'appel adressé à Pierre et à André, à Jean et à Jacques: « Laissez vos filets; suivez-moi; je veux faire de vous des pêcheurs d'hommes ». [1]

d'impartirvi copiosa, sì a ciascuno di voi, come a tutte e singole le vostre
famiglie, a Noi carissime nel Signore.

[Leonis XIII Acta, vol. XXI, p. 125-134].

647.

Leo XIII, allocut. *Afferre iucundiora*, 16 dec. 1901.

Afferre iucundiora velimus: at contra impellimur ac propemodum cogi-
mur temporibus eas impertire vobis acerbitates, quarum ipsarum caussa
in sollicitudine assidua volvitur Nobis extremum hoc spatium aetatis. Vide-
licet quae rem catholicam non sinant quiescere, caussae plures passim sunt,
illaeque non leves. Persequi singulas, nequaquam est propositum; verum-
tamen singulare quoddam in conspectu est fidei et morum discrimen, idque
intestinum et domesticum, quod nulla ratione debet Nobis silentibus matu-
rescere. Hocne igitur apud Italorum gentem, tot iam indigne eversis rebus,
supererat, ut nec sanctitas coniugiorum in tuto esset, cui quidem civiles
procellae ad hanc diem pepercerant? Si qua est auctoritas senectuti, si
iustum inest in apostolica voce momentum, si quicquam denique valet
paterna in communem patriam voluntas, eos omnes, quorum in delibera-
tione versatur rogata lex de divortiis, non monemus tantummodo, sed plane
obtestamur, per sibi quidquid est carum et sacrum, desistere coepto velint.
Animadvertere et serio considerare ne recusent, sanctum, individuum, per-
petuum esse iure divino maritale vinculum christianorum; neque id ius
abrogari, nec ei derogari ullo unquam tempore ullaque hominum lege posse.
Adscribere christianas nuptias iis velle rebus, quae contrahantur, distra-
hantur, iure civili, magnus ac perniciosus est error. Etenim humanae redem-
ptor et restitutor naturae Iesus Christus Filius Dei, consuetudine deleta
repudii, ad vim rationemque antiquam Deo ipso auctore *ab initio* consti-
tutam, revocavit matrimonium; auctumque dignitate et virtute sacramenti,
e negotiorum genere communium imperioque potestatis civilis, imo etiam
ecclesiasticae exemit. Quae nuptias consequuntur in rerum genere civilium,
de iis statuat potestas reipublicae; ultro progredi, Dei nutu prohibetur.
Omnis ergo lex, quae rata esse divortia iubeat, iubet contra fas, apertaque
cum iniuria creatoris summique legumlatoris Dei; propettereaque caussam
dare adulterio foederi potest, coniugio iusto non potest. Illud auget cul-
pam, quod continere divortia intra provisos terminos, tam difficile factu
est, quam sistere in medio cursu acerrimarum flammas cupiditatum. —
Perperam vero suffragium petitur ab exemplis peregrinis, in re non dubie
nefaria: minuatne aut excuset peccata cuiusquam, multitudo similia peccan-

[1] Ioan., XVI, 33.

tium? Eo vel maxime quod nusquam recepta legibus facultas divortiorum quin reclamarit vehementer opposituque auctoritatis suae restiterit, ubicumque potuit, custos et vindex divini iuris Ecclesia. Nec audeat sperare quisquam, minus memorem officii hodie futuram, quam antea fuerit. Non connivebit ullo modo, non acquiescet, non feret remisse Deo sibique factam iniuriam. — Qua in iniuria teterrimus fons includitur malorum: et hanc ob rem ex eis ipsis hominibus, qui instituta catholica non undequaque probant, aut omnino non probant, plurimos tamen cernere est, qui salutis publicae ratione adducti, pro perpetuitate coniugiorum docte et animose contendant. Revera, hoc semel constituto, rescindi maritale vinculum fas esse, lege evertitur constans et stabilis natura matrimonii: hinc illa proclivi itinere consequuntur, quae Nosmetipsi alias deflevimus, debilitari utrimque amorem mutuum, perniciosa incitamenta suppetere ad infidelitatem, in discrimine esse tuitionem institutionemque liberorum, dissidiorum inter familias foveri semina, totas domos perturbari funditus, atque in summam humilitatem evadere conditionem mulieris. Quoniam vero et prosperitas domesticae societatis et ipsae imperiorum opes moribus bonis vigent, corruptis dilabuntur, pronum est intelligere, quam sint et privatim et publice calamitosa divortia, utpote quae a demutatione morum popularium profecta, ad infinitam licentiam vulgo deducunt.

Intendentibus se istiusmodi periculis, plane intellígi potest, quo Nos animo simus, praesertim quod eo minus tanta calamitate digni nostrates sunt, quia multo maxima pars mores et instituta catholica studiose ac fideliter divino munere retinent, exemplo patrum et maiorum. Nihilominus spes est, meliora ad extremum consilia fore eorum, qui de rogatione decernent. Quantumvis enim politicorum ardore studiorum occupentur, non tamen habent avitae religioni clausas aures: neque omnino iudicium recti eamque rerum gerendarum prudentiam deserent, qua Italorum ingeniis natura ingeneravit.

Coniunctis Nobiscum animis, contendite ab omnipotenti Deo, Venerabiles Fratres, ut tot ipsius ornatam beneficiis muneribusque gentem in hoc tam difficili tempore tueri benigne velit.

[Leonis XIII Acta, vol. XXI, p. 185-188].

648.

Leo XIII, ep. encycl. *Mirae caritatis*, 28 maii 1902.[1]

1. Mirae caritatis in hominum salutem exempla, quae a Iesu Christo praelucent, Nos quidem pro sanctitate officii inspicere et persequi adhuc studuimus, ad extremumque vitae spiritum, ipso opitulante, studebimus. Nam tempora nacti nimis acriter veritati et iustitiae infensa, quantum erat in Nobis, docendo, admonendo, agendo, prout nuperrima ad vos epistola

[1] Ad Patriarchas Primates Archiepiscopos Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Apostolica confirmavit,[1] nequaquam intermisimus ea late praestare, quae sive ad multiplicem errorum contagionem depellendam, sive ad nervos intendendos christianae vitae aptius conducere viderentur. In his autem duo sunt recentioris memoriae, omnino inter se coniuncta, unde Nosmet ipsi opportunae consolationis fructum, tot prementibus aegritudinis causis, recolendo percipimus. Alterum, quum optimum factu censuimus augusto Cordi Christi Redemptoris universitatem humani generis peculiari ritu devoveri;[2] alterum, quum omnes christianum nomen profitentes gravissime hortati sumus, ut Ei ipsi adhaererent, qui vel singulis vel iure sociatis *via, veritas, vita* divinitus est.[3] — Nunc vero eadem ipsa, advigilante in Ecclesiae tempora, Apostolica caritate movemur ac prope impellimur ut aliud quiddam ad ea proposita iam confecta tamquam perfectionem suam addamus, ut videlicet christiano populo maiorem in modum commendemus sanctissimam Eucharistiam, quippe donum divinissimum ex intimo plane Corde prolatum eiusdem Redemptoris, *desiderio desiderantis* singularem huiusmodi cum hominibus coniunctionem, maximeque factum ad saluberrimos fructus redemptionis eius dilargiendos. Quamquam in hoc etiam rerum genere nonnulla vel antehac Nos auctoritate et studio curavimus. Iucundumque memoratu est inter cetera legitima Nos comprobatione ac privilegiis auxisse Instituta et Sodalitia non pauca, divinae Hostiae perpetua vice adorandae addicta; operam item dedisse ut conventus eucharistici digna cum celebritate parique utilitate haberentur; iisdem praeterea similisque causae operibus patronum caelestem attribuisse Paschalem Baylon,[4] qui mysterii eucharistici cultor extitit insigniter pius. — Itaque, Venerabiles Fratres, de hoc ipso mysterio in quo tuendo illustrandoque constanter tum Ecclesiae sollertia, non sine praeclari Martyrum palmis, elaboravit, tum praestantissimorum hominum doctrina, eloquentia, variaeque artes splendide contenderunt, libet capita quaedam alloquendo complecti; idque ut apertior atque expressior patescat eiusdem virtus, qua maxime parte se dat praesentissimam hisce necessitatibus temporum allevandis. Sane, quandoquidem Christus Dominus sub excessum mortalis cursus istud reliquit caritatis immensae in homines monumentum, idemque praesidium maximum *pro mundi vita*,[5] nihil Nobis de vita proxime cessuris optare felicius possumus quam ut licet excitare in omnium atque alere memoris gratiae debitaeque religionis affectum erga Sacramentum mirabile, in quo salutis et sollicitis pacis omnium studiis quaesitae, spem atque efficientiam maxime niti arbitramur.

2. Quod saeculo, usquequaque perturbato et laboranti tam misere, talibus Nos remediis adiumentisque ducimus praecipue consulendum,

[1] *Annum ingressi*, 19 mart. 1902. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. XXII, p. 52-80.
[2] Litt. encycl. *Annum sacrum*, 25 maii 1899. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. XIX, p. 71-80.
[3] S. R. C., litt. 21 iulii 1899. — Cf. Leonis XIII Acta, vol XIX, p. 121-125.
[4] Litt. ap. *Providentissimus Deus*, 28 nov. 1897. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. XVII, p. 331-334.
[5] Ioan., VI, 52.

non deerunt sane qui demirentur, et fortasse qui dicta Nostra procaci cum fastidio accipiant. Id nempe est potissimum a superbia: quo vitio animis insidente, elanguescat in iis christiana fides, quae obsequium vult mentis religiosissimum, necesse est, atque adeo caligo de divinis rebus tetrius incumbat; ut in multos illud cadat: *Quaecumque ignorant, blasphemant.* [1] Iam vero tantum abest ut Nos propterea ab inito avocemur consilio, ut certum sit contentiore potius studio et recte animatis lumen afferre et sancta vituperantibus veniam a Deo, fraterna piorum imploratione, exorare.

3. Sanctissimae Eucharistiae virtutem integra fide nosse qualis sit, idem enimvero est ac nosse quale sit opus quod humani generis causa Deus homo factus, potenti misericordia perfecit. Nam ut est fidei rectae Christum profiteri et colere summum effectorem salutis nostrae, qui sapientia, legibus, institutis, exemplis, fusoque sanguine omnia instauravit; aeque est eumdem profiteri colere sic in Eucharistia reapse praesentem, ut verissime inter homines ad aevi perpetuitatem ipse permaneat, iisque partae redemptionis beneficia magister et pastor bonus, peracceptusque deprecator ad Patrem, perenni copia de semetipso impertiat. — Beneficia porro ex Eucharistia manantia qui studiose religioseque consideret, illud sane praestare atque eminere intelliget, quo cetera quaecumque sunt continentur; ex ipsa nempe vitam in homines, quae vere vita est, influere: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* [2] — Non uno modo, quod alias docuimus, Christus est *vita;* qui adventus sui inter homines causam professus est eam, ut afferret ipsis certam vitae plus quam humanae ubertatem: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* [3] Statim namque ut in terris *benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei,* [4] nemo quidem ignorat vim quamdam continuo erupisse ordinis rerum prorsus novi procreatricem, eamque in venas omnes societatis civilis et domesticae permanasse. Novas inde homini cum homine necessitudines; nova publice et privatim iura, nova officia; institutis, disciplinis, artibus novos cursus: quod autem praecipuum, hominum animos et studia ad veritatem religionis sanctitatemque morum traducta; atque adeo vitam homini communicatam, caelestem plane ac divinam. Huc nimirum ea spectant, quae crebro in sacris litteris commemorantur, *lignum vitae, verbum vitae, liber vitae, corona vitae,* nominatimque *panis vitae.*

4. At vero, quoniam haec ipsa de qua dicimus vita expressam habet similitudinem cum vita hominis naturali, sicut altera cibo alitur atque viget, ita alteram sustentari cibo suo et augeri oportet. Apte hic facit revocare quo quidem Christus tempore ac modo moverit animos hominum et adduxerit ut panem vivum, quem daturus erat, convenienter probeque exciperent. Ubi enim manavit fama de prodigio quod ille, multiplicatis panibus in satietatem multitudinis, patraverat ad litus Tiberiadis, con-

[1] Iudae, 10.
[2] Ioan., VI, 52.
[3] Ioan., X, 10.
[4] Tit., III, 4.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

festim plures ad ipsum confluxerunt, si forte par sibi obtingeret beneficium. Tum Iesus, opportunitate arrepta, similiter ac quum feminae Samaritanae, ab haurienda puteali aqua, sitim ipse iniecerat *aquae salientis in vitam aeternam,* [1] cupidae multitudinis sic erigit mentes, ut panem alium cupidius appetant *qui permanet in vitam aeternam.* [2] Neque vero huiusmodi panis, instat Iesus admonere, est manna illud caeleste, quod patribus vestris per deserta peregrinantibus praesto fuit; neque ille quidem, quem ipsi nuper a me mirabundi accepistis; verum egomet sum panis iste: *Ego sum panis vitae.* [3] Idemque eo amplius suadet omnibus, et invitando et praecipiendo: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* [4] Gravitatem porro praecepti ita ipse convincit: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* [5] — Absit igitur pervagatus ille error perniciosissimus opinantium Eucharistiae usum ad eos fere amandandum esse, qui vacui curis angustique animo conquiescere instituant in quodam vitae religiosioris proposito. Ea quippe res, qua nihil sane nec excellentius nec salutarius, ad omnes omnino, cuiuscumque demum muneris praestantiaeve sint, attinet, quotquot velint (neque unus quisquam non velle debet) divinae gratiae in se fovere vitam, cuius ultimum est adeptio vitae cum Deo beatae.

5. Atque utinam de sempiterna vita recte reputarent et providerent ii potissimum, quorum vel ingenium vel industria vel auctoritas tantopere possunt ad res temporum atque hominum dirigendas. At vero videmus deploramusque ut plerique cum fastu existiment se novam veluti vitam eamque prosperam saeculo indidisse, propterea quod ipsum ad omne genus utilia et mirabilia inflammato cursu contendere suo impulsu urgeant. Sed enim, quocumque aspexeris, humana societas, si a Deo aliena, potius quam quaesita fruatur tranquillitate rerum, perinde angitur et trepidat ut qui febri aestuque iactatur; prosperitati dum anxie studet eique unice fidit, fugientem sequitur, inhaeret labenti. Homines enim et civitates ut necessario ex Deo sunt, ita in alio nullo vivere, moveri, efficere boni quidquam nisi in Deo per Iesum Christum queunt; per quem late profluxerunt et profluunt optima quaeque et lectissima. — Sed horum omnium fons et caput bonorum est potissimum augusta Eucharistia: quae quum eam alat sustentetque vitam cuius ex desiderio tam vehementer laboramus, tum dignitatem humanam quae tanti nunc fieri videtur, immensum auget. Nam quid maius aut optabilius, quam effici, quoad eius fieri possit, divinae participem consortemque naturae? At enim hoc nobis Christus praestat in Eucharistia maxime, qua evectum ad divina, gratiae munere, hominem arctius etiam sibi adiungit et copulat. Id enim interest inter corporis cibum et

[1] Ioan., IV, 14.
[2] Ibid., VI, 27.
[3] Ibid., 48.
[4] Ibid., 52.
[5] Ibid., 54.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

animi, quod ille in nos convertitur, hic nos in se convertit; qua de re Christum ipsum Augustinus loquentem inducit: *Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me.* [1]

6. Ex hoc autem praecellentissimo Sacramento, in quo potissime apparet quemadmodum homines in divinam inseruntur naturam, iidem habent in omni supernarum virtutum genere incrementa maxima. Et primum in fide. Omni quidem tempore fides oppugnatores habuit; nam etsi hominum mentes praestantissimarum rerum cognitione extollit, quia tamen quae supra naturam esse aperuit, qualia sint celat, eo videtur mentes ipsas deprimere. Sed olim tum hoc tum illud fidei caput oppugnabatur; deinceps multo latius exarsit bellum, eoque iam perventum est ut nihil omnino supra naturam esse affirmetur. Iamvero ad vigorem fervoremque fidei in animis redintegrandum perapte est, ut nihil magis, mysterium Eucharisticum, proprie *mysterium fidei* appellatum: hoc nimirum uno, quaecumque supra naturam sunt, singulari quadam miraculorum copia et varietate, universa continentur: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* [2] Si Deus enim quidquid supra naturam fecit, ad Verbi retulit Incarnationem, cuius beneficio restitueretur humani generis salus, secundum illud Apostoli; *Proposuit... instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terra sunt, in ipso;* [3] Eucharistia, Patrum sanctorum testimonio, Incarnationis continuatio quaedam et amplificatio censenda est. Siquidem per ipsam incarnati Verbi substantia cum singulis hominibus copulatur; et supremum in Calvaria sacrificium admirabili modo renovatur; id quod praesignificavit Malachias: *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* [4] Quod miraculum, unum omnium in suo genere maximum, miracula comitantur innumerabilia; hic enim omnes naturae leges intermissae: tota substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertitur; panis et vini species, nulla re subiecta, divina virtute sustentantur; corpus Christi tam multa simul loca nanciscitur, quam multis simul in locis Sacramentum perficitur. Humanae autem rationis quo magis erga tantum Mysterium intendatur obsequium, quasi adiumento suppetunt prodigia, in eiusdem gloriam, veteri memoria et nostra patrata; quorum publica exstant non uno loco eaque insignia monumenta. Hoc igitur Sacramento videmus fidem ali, mentem enutriri, rationalistarum commenta dilui, ordinem rerum quae supra naturam sunt maxime illustrari.

7. Sed ut divinarum rerum fides languescat, non modo superbia quod supra attigimus, sed etiam depravatio facit animi. Nam si usu venit ut quo melius quisque est moratus, eo sit ad intelligendum sollertior, corporis autem voluptatibus mentes obtundi ipsa ethnica dispexit prudentia, divina sapientia praemonuit; [5] tanto magis in divinis rebus voluptates corporis

[1] Conf., l. VII, c. X.
[2] Ps. CX, 4, 5.
[3] Eph., I, 9, 10.
[4] I, 11.
[5] Sap., I, 4.

obscurant fidei lumen, atque etiam, per iustam Dei aimadversionem, exstinguunt. Quarum quidem voluptatum insatiabilis hodie cupiditas flagrat, omnesque late tamquam contagio quaedam morbi vel a primis aetatulis inficit. Verum teterrimi huius mali praeclarum in divina Eucharistia praesto est remedium. Nam, omnium primum, augendo caritatem, libidinem coercet; ait enim Augustinus: *Nutrimentum eius (caritatis) est imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas.* [1] Praeterea castissima Iesu caro carnis nostrae insolentiam comprimit, ut Cyrillus monuit Alexandrinus: *Christus enim existens in nobis sopit saevientem in nostris membris carnis legem.* [2] Quin etiam fructus Eucharistiae singularis et iucundissimus est quem significavit propheticum illud: *Quid bonum eius* (Christi) *est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* [3] videlicet sacrae virginitatis forte et constans propositum, quod, vel diffluente deliciis saeculo, latius in dies uberiusque in catholica Ecclesia florescit: quanto quidem ubique cum religionis ipsiusque humani convictus emolumento et ornamento est probe cognitum. — Accedit quod huiusmodi Sacramento spes bonorum immortalium, fiducia auxiliorum divinorum, mirifice roboratur. Beatitatis enim studium, quod omnium animis insitum atque innatum est, terrestrium bonorum fallacia, iniusta flagitiosorum hominum vi, ceteris denique corporis animique molestiis magis magisque acuitur. Iam vero augustum Eucharistiae Sacramentum, beatitatis et gloriae causa idem et pignus est, idque non animo tantum sed etiam corpori. Quum enim animos caelestium bonorum copia locupletat, tum iis perfundit suavissimis gaudiis, quae quamlibet hominum aestimationem et spem longe superent; in adversis rebus sustentat, in virtutis certamine confirmat, in vitam custodit sempiternam, ad eamque tamquam instructo viatico perducit. Corpori autem caduco et fluxo Hostia illa divina futuram ingenerat resurrectionem; siquidem corpus immortale Christi semen inserit immortalitatis, quod aliquando erumpat. Utrumque istud et animo et corpori bonum inde obventurum Ecclesia omni tempore docuit, Christo obsecuta affirmanti: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die.* [4] Cum re cohaeret magnique interest id considerare, ex Eucharistia, quippe quae a Christo instituta sit tamquam *passionis suae memoriale perenne,* [5] christiano homini castigandi salutariter sui denunciari necessitatem. Iesus enim primis illis sacerdotibus suis: *Hoc facite,* inquit, *in meam commemorationem,* [6] idest hoc facite ad commemorandos dolores, aegritudines, angores meos, meam in cruce mortem. Quapropter huiusmodi sacramentum idem et sacrificium assidua est in omne tempus poenitentiae ac maximi cuiusque laboris adhortatio, itemque voluptatum, quas homines

[1] De diversis quaestionibus LXXXIII, quaest. XXXVI.
[2] Lib. IV, c. 2 in Ioann., VI, 57.
[3] Zach., IX, 17.
[4] Ioan., VI, 55.
[5] S. Thomas Aquin., *Opusc.*, LVII, *Offic. de festo Corp. Christi.*
[6] Luc., XXII, 19.

impudentissimi tantopere laudant et efferunt, gravis et severa improbatio: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* [1]

8. Praeter haec, si in praesentium malorum causas diligenter inquiras, ea reperies inde fluxisse, quod hominum inter ipsos caritas, caritate adversus Deum frigescente, deferbuerit. Dei se esse filios atque in Iesu Christo fratres obliti sunt; nihil, nisi sua quisque curant; aliena non modo negligunt, sed saepe oppugnant in eaque invadunt. Inde crebrae inter civium ordines turbae et contentiones: arrogantia, asperitas, fraudes in potentioribus; in tenuioribus miseriae, invidiae, secessiones. Quibus quidem malis frustra a providentia legum, a poenarum metu, a consiliis humanae prudentiae quaeritur sanatio. Illud est curandum enitendumque, quod plus semel Ipsi fuiusque commonuimus, ut civium ordines mutua inter se concilientur officiorum coniunctione, quae a Deo profecta, opera edat germanum Iesu Christi spiritum et caritatem referentia. Hanc terris Christus intulit, hac omnia inflammari voluit, utpote quae una posset non modo animae sed etiam corpori beatitatis aliquid vel in praesens afferre: amorem enim immoderatum sui in homine compescit, et divitiarum cohibet cupiditatem, quae *radix omnium malorum est.* [2] Quamquam vero rectum est omnes iustitiae partes inter ordines civium convenienter tutari; praecipuo tamen caritatis praesidio et temperamento id demum assequi licebit ut in hominum societate salutaris ea, quam Paulus suadebat, *fiat aequalitas,* [3] facta conservetur. Hoc igitur Christus voluit, quum augustum hoc Sacramentum institueret, excitanda caritate in Deum, mutuam inter homines fovere caritatem. Haec enim ex illa, ut perspicuum est, suapte natura exsistit, et sua veluti sponte effunditur: neque vero fieri potest ut ulla ex parte desideretur, quin immo incendatur et vigeat oportet, si Christi erga ipsos caritatem perpendant in hoc Sacramento; in quo, ut potentiam suam et sapientiam magnifice patefecit, sic *divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.* [4] Tam insigni ab exemplo Christi, omnia sua nobis largientis, sane quantum ipsi inter nos amare atque adiuvare debemus, fraterna necessitudine quotidie arctius devincti! Adde quod vel signa ipsa, quibus huiusmodi constat Sacramentum, peropportuna coniunctionis incitamenta sunt. Qua de re sanctus Cyprianus: *Denique unanimitatem christianam firma sibi atque inseparabili caritate connexam etiam ipsa dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum: et quando sanguinem suum vinum appellat de botris atque acinis plurimis expressum atque in unum coactum, gregem item nostrum significat commixtione adunatae multitudinis copulatum.* [5] Similiter Angelicus Doctor ex Augustini sententia [6] haec

[1] I Cor., XI, 26.
[2] I Tim., VI, 10.
[3] II Cor., VIII, 14.
[4] Conc. Trid., sess. XIII, *de Euchar.*, c. II.
[5] Ep. 69, ad Magnum, n. 5 (al. 6).
[6] Tract. XXVI, in Ioann., n. 13, 17.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

habet: *Dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis; namque aliud, scilicet panis ex multis granis in unum constat, aliud, scilicet vinum in unum ex multis acinis confluit; et ideo Augustinus alibi dicit: O Sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis.* [1] Quae omnia confirmantur Concilii Tridentini sententia, Christum Eucharistiam Ecclesiae reliquisse « tamquam symbolum eius unitatis et caritatis, qua Christianos omnes inter se coniunctos et copulatos esse voluit ... symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit ». [2] Idque edixerat Paulus: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* [3] Illud enimvero pulcherrimum ac periucundum est christianae fraternitatis aequalitatisque socialis specimen, promiscue ad sacra altaria circumfundi patritium et popularem, divitem et pauperem, doctum et indoctum, eiusdem aeque particeps convivii caelestis. — Quod si merito in Ecclesiae fastis hoc primordiis eius vertitur propriae laudi quod *multitudinis credentium erat cor unum et anima una;* [4] sane eos tam eximium bonum debuisse consuetudini mensae divinae, obscurum non est; de ipsis enim commemoratum legimus: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et in communicatione fractionis panis.* [5] — Mutuae praeterea inter vivos caritatis gratia, cui a Sacramento eucharistico tantum accedit roboris et incrementi, Sacrificii praesertim virtute ad omnes permanat qui in sanctorum communione numerantur. Nihil est enim aliud sanctorum communio, quod nemo ignorat, nisi mutua auxilii, expiationis, precum, beneficiorum communicatio inter fideles vel caelesti patria potitos vel igni piaculari addictos vel adhuc in terris peregrinantes, in unam coalescentes civitatem, cuius caput Christus, cuius forma caritas. Hoc autem fide est ratum, etsi soli Deo Sacrificium augustum offerri liceat, tamen etiam honori Sanctorum in caelis cum Deo regnantium, *qui illos coronavit*, celebrari posse ad eorum patrocinium nobis conciliandum atque etiam, ut ab Apostolis traditum, ad labes fratrum abolendas, qui iam in Domino mortui, nondum plane sint expiati. — Sincera igitur caritas quae, in salutem utilitatesque omnium, omnia facere et pati assuevit, prosilit nempe ardetque actuosa ex sanctissima Eucharistia, ubi Christus adest ipse vivus, ubi suo erga nos amori vel maxime indulget divinaeque impulsus caritatis impetu suum perpetuo sacrificium instaurat. Ita facile apparet undenam hominum apostolicorum ardui labores, unde tam multae variaeque apud catholicos institutae benemerendi de humana familia rationes sua ducant auspicia, vires, constantiam, felicesque exitus.

9. Haec, pauca quidem in re perampla, minime dubitamus quin abunde frugifera christiano gregi accidant, si opera vestra, Venerabiles Fratres, sint opportune exposita et commendata. At vero tam magnum et virtute

[1] Summa theol., III p., q. LXXIX, a. 1.
[2] Sess. XIII, *de Euchar.*, c. II.
[3] I Cor., X, 17.
[4] Act., IV, 32.
[5] Act., II, 42.

omni affluens Sacramentum nemo satis unquam, proinde ac dignum est, nec eloquendo laudaverit, nec venerando coluerit. Ipsum sive pie mediteris, sive rite adores, sive eo magis, pure sancteque percipias, tamquam centrum existimandum est in quo christiana vita, quanta usquam est, insistit; ceteri quicumque habentur, pietatis modi demum in id ipsum conducunt et desinunt. Atque ea Christi benigna invitatio benigniorque promissio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos,*[1] in hoc praecipue mysterio evenit et quotidie impletur. — Ipsum denique est velut anima Ecclesiae, ad quod ipsa sacerdotalis gratiae amplitudo per varios ordinum gradus dirigitur. Indidemque haurit habetque Ecclesia omnem virtutem suam et gloriam, omnia divinorum charismatum ornamenta, bona omnia: quae propterea summam curarum in eo collocat ut fidelium animos ad intimam cum Christo coniunctionem per Sacramentum Corporis et Sanguinis eius instruat et adducat: ob eamque rem caeremoniis sanctissimis ipsum ornando facit venerabilius. — Perpetuam hoc etiam in genere providentiam Ecclesiae matris ea praeclarius commendat hortatio, quae in sacro Tridentino Concilio edita est, mirificam quamdam caritatem pietatemque redolens, plane digna quam populus christianus a Nobis accipiat ex integro revocatam: « Paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae maiestatis, et tam eximii amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum, haec sacra mysteria corporis et sanguinis eius ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere sit animae vita et perpetua sanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miserae peregrinationis itinere ad caelestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi ».[2] — Porro testis historia est, christianae vitae cultum vulgo floruisse melius, quibus temporibus esset Eucharistiae perceptio frequentior. Contra non minus est exploratum consuevisse, ut quum caelestem panem negligerent homines et veluti fastidirent, sensim elanguesceret christianae professionis vigor. Qui quidem ne prorsus aliquando deficeret, opportune cavit in Concilio Lateranensi Innocentius III, quum gravissime praecepit, ut minimum per sollemnia Paschatis nemo christianus a communione Dominici Corporis abstineret.[3] Liquet vero praeceptum huiusmodi aegre datum, ac postremi remedii loco: semper enim id fuit Ecclesiae in votis, ut cuique sacro adessent fideles de divina hac mensa participes. « Optaret sacrosancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes

[1] Matth., XI, 28.
[2] Sess. XIII, *de Euchar.*, c. VIII.
[3] C. 12, X, *de poenitentiis et remissionibus*, V, 38.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret ».[1]

10. Et uberrimam quidem salutis copiam non singulis modo sed universis hominibus paratam hoc habet augustissimum mysterium, ut est Sacrificium: ab Ecclesia propterea *pro totius mundi salute* assidue offerri solitum. Cuius sacrificii, communibus piorum studiis, fieri ampliorem cum existimatione cultum addecet; hac aetate vel maxime, oportet. Itaque multiplices ipsius virtutes sive latius cognosci sive attentius recoli velimus. — Principia lumine ipso naturae perspicua illa sunt: supremum esse absolutumque in homines, privatim publice, Dei creatoris et conservatoris imperium; quidquid sumus, quidquid privatim publiceque habemus boni, id omne a divina largitate profectum: vicissimque a nobis Deo testandam et summam, ut Domino, reverentiam et maximam, ut beneficentissimo, gratiam. Haec tamen officia quotusquisque hodie invenitur, qui qua par est religione colat et observet! Contumaces in Deum spiritus haec, si unquam alia, prae se fert aetas: in qua rursus invalescit adversus Christum ea vox nefaria: *Nolumus hunc regnare super nos,*[2] nefariumque propositum, *Eradamus eum;*[3] nec sane quidquam tam vehementi impetu complures urgent, quam ut ex civili atque adeo ex humana omni consortione pulsum segregent Deum. Quo consceleratae dementiae quamquam usquequaque non proceditur, miserabile tamen est quam multos teneat divinae Maiestatis beneficiorumque eius, partae praesertim a Christo salutis, oblivio. Iamvero hanc tantam vel nequitiam vel socordiam sarciat oportet auctior communis pietatis ardor in cultu Sacrificii eucharistici; quo nihil Deo esse honorabilius, nihil iucundius potest. Nam divina est, quae immolatur hostia; per ipsam igitur tantum augustae Trinitati tribuimus honoris, quantum dignitas eius immensa postulat; infinitum quoque et pretio et suavitate munus exhibemus Patri, Unigenitum suum; eo fit ut benignitati eius non modo agamus gratiam, sed plane referamus. — Duplicemque alium ex tanto sacrificio insignem fructum licet et necesse est colligere. Moeret animus reputando, quae flagitiorum colluvies, neglecto, ut diximus, contemptoque Dei numine, usquequaque inundaverit. Omnino humanum genus magnam partem videtur caelestem iram devocare: quamquam ipsa illa quae insidet, malarum rerum seges, continet iustae animadversionis maturitatem. Excitanda igitur in hoc etiam pia fidelium contentio, ut et vindicem scelerum placare Deum, et auxiliorum eius opportunitatem calamitoso saeculo conciliare studeant. Haec autem videant maxime huius ope Sacrificii esse quaerenda. Nam divinae tum iustitiae rationibus satis cumulateque facere, tum clementiae large impetrare munera possunt homines sola obitae a Christo mortis virtute. Sed hanc ipsam virtutem sive ad expiandum, sive ad exorandum voluit Christus integram permanere in Eucharistia, quae mortis

[1] Conc. Trid., sess. XXII, c. VI.
[2] Luc., XIX, 14.
[3] Ier., XI, 19.

ipsius non inanis quaedam nudaque commemoratio, sed vera et mirabilis, quamquam incruenta et mystica, renovatio est.

11. Ceterum, non mediocri Nos laetitia afficimur, libet enim profiteri, quod proximis hisce annis fidelium animi ad amorem atque obsequium erga Eucharistiae Sacramentum renovari coepisse videantur; quod quidem in spem Nos erigit temporum rerumque meliorum. Multa enim id genus et varia, ut initio diximus, sollers induxit pietas, sodalitates praesertim vel eucharisticorum rituum splendori amplificando, vel Sacramento augusto dies noctesque assidue venerando, vel illatis eidem contumeliis iniuriisque sarciendis. In his tamen acquiescere, Venerabiles Fratres, neque Nobis licet neque vobis; etenim multo plura vel provehenda restant vel suscipienda, ut munus hoc omnium divinissimum apud eos ipsos, qui christianae religionis colunt officia, ampliore in luce atque honore versetur, tantumque mysterium quam dignissima veneratione colatur. Quapropter suscepta opera acrius in dies urgenda; prisca instituta, sicubi exoleverint, revocanda, ut sodalitia eucharistica, supplicationes Sacramento augusto ad adorandum proposito, sollemnes eius circumductae pompae, piae ad divina tabernacula salutationes, alia eiusdem generis et sancta et saluberrima; omnia praeterea aggredienda, quae prudentia et pietas ad rem suadeat. Sed in eo praecipue est elaborandum, ut frequens Eucharistiae usus apud catholicas gentes late reviviscat. Id monent nascentis Ecclesiae, quae supra memoravimus, exempla, id Conciliorum decreta, id auctoritas Patrum et sanctissimorum ex omni aetate virorum; ut enim corpus, ita animus cibo saepe indiget suo; alimoniam autem maxime vitalem praebet sacrosancta Eucharistia. Itaque praeiudicatae adversantium opiniones, inanes multorum timores, speciosae abstinendi causae penitus tollendae; ea enim agitur res, qua nihil fideli populo utilius tum ad redimendum tempus e sollicitis rerum mortalium curis, tum ad christianos revocandos spiritus constanterque retinendos. Huc sane magno erunt momento praestantiorum ordinum hortationes et exempla, maximo autem cleri navitas et industria. Sacerdotes enim, quibus Christus Redemptor Corporis et Sanguinis sui mysteria conficiendi ac dispensandi tradidit munus, nihil profecto melius pro summo accepto honore queant rependere, quam ut Ipsius eucharisticam gloriam omni ope provehant, optatisque sacratissimi Cordis eius obsequendo, animos hominum ad salutiferos tanti Sacramenti Sacrificiique fontes invitent ac pertrahant.

12. Ita fiat, quod vehementer cupimus, ut praecellentes Eucharistiae fructus quotidie uberiores proveniant, fide, spe, caritate, omni denique christiana virtute, feliciter accrescente; idque in sanationem atque emolumentum rei quoque publicae: fiat, ut providentissimae Dei caritatis magis magisque eluceant consilia, qui tale mysterium *pro mundi vita* constituit perpetuum.

13. Quarum Nos rerum erecti spe, Venerabiles Fratres, auspicem munerum divinorum caritatisque Nostrae testem, Apostolicam benedictionem et singulis vobis et vestro cuiusque clero ac populo peramanter impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XXII, p. 115-136].

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

649.

Leo XIII, litt. ap. *Vigilantiae*, 30 oct. 1902.

1. Vigilantiae studiique memores, quo *depositum fidei* Nos quidem longe ante alios sartum tectumque praestare pro officio debemus, litteras encyclicas *Providentissimus Deus* anno MDCCCXCIII dedimus, [1] quibus complura de studiis Scripturae sacrae data opera complectebamur. Postulabat enim excellens rei magnitudo atque utilitas, ut istarum disciplinarum rationibus optime, quoad esset in potestate Nostra, consuleremus, praesertim cum horum temporum eruditio progrediens quaestionibus quotidie novis, aliquandoque etiam temerariis, aditum ianuamque patefaciat. Itaque universitatem catholicorum, maxime qui sacri essent ordinis, commonefecimus quae cuiusque pro facultate sua partes in hac caussa forent; accurateque persequuti sumus qua ratione et via haec ipsa studia provehi congruenter temporibus oporteret. Neque in irritum huiusmodi documenta Nostra ceciderе. Iucunda memoratu sunt quae subinde sacrorum Antistites aliique praestantes doctrina viri magno numero obsequii sui testimonia deferre ad Nos maturaverint; cum et earum rerum, quas perscripseramus, opportunitatem gravitatemque efferrent, et diligenter se mandata effecturos confirmarent. Nec minus grate ea recordamur, quae in hoc genere catholici homines re deinceps praestitere, excitata passim horum studiorum alacritate. — Verumtamen insidere vel potius ingravescere caussas videmus easdem, quamobrem eas Nos Litteras dandas censuimus. Necesse est igitur illa ipsa iam impensius urgeri praescripta: id quod Venerabilium Fratrum Episcoporum diligentiae etiam atque etiam volumus commendatum.

2. Sed quo facilius uberiusque res e sententia eveniat, novum quoddam auctoritatis Nostrae subsidium nunc addere decrevimus. Etenim cum divinos hodie explicare tuerique Libros, ut oportet, in tanta scientiae varietate tamque multiplici errorum forma, maius quiddam sit, quam ut id catholici interpretes recte efficere usquequaque possint singuli, expedit communia ipsorum adiuvari studia ac temperari auspicio ductuque Sedis Apostolicae. Id autem commode videmur posse consequi si, quo providentiae genere in aliis promovendis disciplinis usi sumus, eodem in hac, de qua sermo nunc est, utamur. His de caussis placet, certum quoddam Consilium sive, uti loquuntur, *Commissionem* gravium virorum institui: qui eam sibi habeant provinciam, omni ope curare et efficere, ut divina eloquia et exquisitiorem illam quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu, sed etiam ab omni opinionum temeritate. Huius Consilii praecipuam sedem esse addecet Romae, sub ipsis oculis Pontificis maximi: ut quae Urbs magistra et custos est christianae sapientiae, ex eadem in universum christianae reipublicae corpus sana et incorrupta huius quoque

[1] Cf. N. 621.

tam necessariae doctrinae praeceptio influat. Viri autem ex quibus id Consilium coalescet, ut suo muneri, gravi in primis et honestissimo, cumulate satisfaciant, haec proprie habebunt suae navitati proposita.

3. Primum omnium probe perspecto qui sint in his disciplinis hodie ingeniorum cursus, nihil ducant instituto suo alienum, quod recentiorum industria repererit novi: quin imo excubent animo, si quid dies afferat utile in exegesim Biblicam, ut id sine mora assumant communemque in usum scribendo convertant. Quamobrem ii multum operae in excolenda philologia doctrinisque finitimis, earumque persequendis progressionibus collocent. Cum enim inde fere consueverit Scripturarum oppugnatio existere, inde etiam nobis quaerenda sunt arma, ne veritatis impar sit cum errore concertatio. — Similiter danda est opera, ut minori in pretio ne sit apud nos, quam apud externos, linguarum veterum orientalium scientia, aut codicum maxime primigeniorum peritia: magna enim in his studiis est utriusque opportunitas facultatis.

4. Deinde quod spectat ad Scripturarum auctoritatem integre asserendam, in eo quidem acrem curam diligentiamque adhibeant. Idque praesertim laborandum ipsis est, ut nequando inter catholicos invalescat illa sentiendi agendique ratio, sane non probanda, qua scilicet plus nimio tribuitur heterodoxorum sententiis, perinde quasi germana Scripturae intelligentia ab externae eruditionis apparatu sit in primis quaerenda. Neque enim cuiquam catholico illa possunt esse dubia, quae fusius alias Ipsi revocavimus: Deum non privato doctorum iudicio permisisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandas tradidisse; « in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, eum pro vero sensu sacrae Scripturae habendum esse, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari »; [1] eam esse divinorum naturam Librorum, ut ad religiosam illam, qua involvuntur, obscuritatem illustrandam subinde non valeant hermeneuticae leges, verum dux et magistra divinitus data opus sit, Ecclesia; demum legitimum divinae Scripturae sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint. — Ergo viris qui de Consilio fuerint, curandum sedulo, ut horum diligentior quotidie sit custodia principiorum: adducanturque persuadendo, si qui forte heterodoxos admirantur praeter modum, ut magistram studiosius observent audiantque Ecclesiam. Quamquam usu quidem venit catholico interpreti, ut aliquid ex alienis auctoribus, maxime in re critica, capiat adiumenti: sed cautione opus ac delectu est. Artis criticae disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exacuant. Videant tamen ne ex hac consuetudine intemperantiam iudicii imbi-

[1] Conc. Vatic., sess. III, cap. II, *de revel.* — Cf. N. 10.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

bant: siquid in hanc saepe recidit artificium illud criticae, ut aiunt, sublimioris; cuius periculosam temeritatem plus semel Ipsi denuntiavimus.

5. Tertio loco, in eam studiorum horum partem quae proprie est de exponendis Scripturis, cum latissime fidelium utilitati pateat, singulares quasdam curas Consilium insumat. Ac de iis quidem testimoniis, quorum sensus aut per sacros auctores aut per Ecclesiam authentice declaratus sit, vix attinet dicere, convincendum esse, eam interpretationem solam ad sanae hermeneuticae leges posse probari. Sunt autem non pauca, de quibus cum nulla extiterit adhuc certa et definita expositio Ecclesiae, liceat privatis doctoribus eam, quam quisque probarit, sequi tuerique sententiam: quibus tamen in locis cognitum est analogiam fidei catholicamque doctrinam servari tamquam normam oportere. Iamvero in hoc genere magnopere providendum est, ut ne acrior disputandi contentio transgrediatur mutuae caritatis terminos; neve inter disputandum ipsae revelatae veritates divinaeque traditiones vocari in disceptationem videantur. Nisi enim salva consensione animorum collocatisque in tuto principiis, non licebit ex variis multorum studiis magnos expectare huius disciplinae progressus. — Quare hoc etiam in mandatis Consilio sit, praecipuas inter doctores catholicos rite et pro dignitate moderari quaestiones; ad easque finiendas qua lumen iudicii sui, qua pondus auctoritatis afferre. Atque hinc illud etiam consequetur commodi, ut maturitas offeratur Apostolicae Sedi declarandi quid a catholicis inviolate tenendum, quid investigationi altiori reservandum, quid singulorum iudicio relinquendum sit.

6. Quod igitur christianae veritati conservandae bene vertat, studiis Scripturae sanctae promovendis ad eas leges, quae supra statutae sunt, Consilium sive *Commissionem* in hac alma Urbe per has litteras instituimus. Id autem Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus auctoritate Nostra deligendis: iisque in communionem studiorum laborumque mens est adiungere cum Consultorum officio ac nomine, ut in sacris urbanis Consiliis mos est, claros nonnullos, alios ex alia gente, viros quorum a doctrina sacra, praesertim biblica, sit commendatio. Consilii autem erit et satis conventibus habendis, et scriptis vel in dies certos vel pro re nata vulgandis, et si rogatum sententiam fuerit, respondendo consulentibus, denique omnibus modis, horum studiorum, quae dicta sunt, tuitioni et incremento prodesse. Quaecumque vero res consultae communiter fuerint, de iis rebus referri ad Summum Pontificem volumus; per illum autem ex Consultoribus referri, cui Pontifex ut sit ab actis Consilii mandaverit. — Atque ut communibus iuvandis laboribus supellex opportuna suppetat, iam nunc certam Bibliothecae Nostrae Vaticanae ei rei addicimus partem; ibique digerendam mox curabimus codicum voluminumque de re Biblica collectam ex omni aetate copiam, quae Consilii viris in promptu sit. In quorum instructum ornatumque praesidiorum valde optandum est locupletiores catholici Nobis suppetias veniant vel utilibus mittendis libris; atque ita peropportuno genere officii Deo, Scripturarum Auctori, itemque Ecclesiae navare operam velint.

7. Ceterum confidimus fore, ut his coeptis Nostris, utpote quae chri-

stianae fidei incolumitatem sempiternamque animarum salutem recta spectent, divina benignitas abunde faveat; eiusque munere, Apostolicae Sedis in hac re praescriptionibus catholici, qui sacris Litteris sunt dediti, cum absoluto numeris omnibus obsequio respondeant.

8. Quae vero in hac caussa statuere ac decernere visum est, ea omnia et singula uti statuta et decreta sunt, ita rata et firma esse ac manere volumus et iubemus; contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Leonis XIII Acta, vol. XXII, p. 232-238].

650.

Leo XIII, ep. encycl. *Fin dal principio*, 8 dec. 1902.[1]

1. Fin dal principio del Nostro Pontificato, ponendo Noi mente alle gravi condizioni della società, non tardammo a riconoscere, come uno dei più urgenti doveri dell'Apostolico ufficio fosse quello di rivolgere specialissime cure alla educazione del Clero. Vedevamo infatti che ogni Nostro divisamento ad operare nel popolo una restaurazione di vita cristiana sarebbe tornato in vano, ove nel ceto ecclesiastico non si serbasse integro e vigoroso lo spirito sacerdotale. Pertanto mai non cessammo, quanto era da Noi, di provvedervi, sia con opportune istituzioni, sia con parecchi documenti diretti a tale intento. Ed ora una particolare sollecitudine verso il Clero d'Italia Ci muove, Venerabili Fratelli, a trattare ancora una volta un argomento di sì grande rilievo. — Belle invero e continue testimonianze esso ne porge di dottrina, di pietà, di zelo; tra le quali Ci piace di additar con lode l'alacrità onde, secondando l'impulso e la direzione dei Vescovi, coopera al movimento cattolico che Ci è sommamente a cuore. Non possiamo tuttavia dissimulare la preoccupazione dell'animo Nostro al vedere come da qualche tempo vada qua e là serpeggiando una cotal brama d'innovazioni inconsulte, così rispetto alla formazione, come all'azione multiforme dei sacri ministri. Ora è facile avvisare le gravi conseguenze che sarebbero a deplorarsi, ove a siffatte tendenze innovatrici non si apportasse pronto rimedio. — Ond'è che a preservare il clero italiano dalle influenze perniciose dei tempi, stimiamo cosa opportuna, Venerabili Fratelli, richiamare in questa Nostra lettera i veri e invariabili principi che debbono regolare l'educazione ecclesiastica e tutto il sacro ministero

2. Il Sacerdozio cattolico, divino nella sua origine, soprannaturale nella sua essenza, immutabile nel suo carattere, non è tale istituzione che possa accomodarsi alla volubilità delle opinioni e dei sistemi umani. Partecipazione del sacerdozio eterno di Gesù Cristo, esso deve perpetuare fino alla consumazione dei secoli la missione stessa dal divin Padre affidata al suo Verbo Incarnato: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*[2] Operare la salute eterna delle anime sarà sempre il grande mandato, a cui esso non potrà

[1] Ai Vescovi d'Italia.
[2] Ioan., XX, 21.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

mai venir meno; come, per fedelmente attuarlo, non dovrà mai cessar di ricorrere a quei soprannaturali presidi e a quelle norme divine di pensiero e di azione che gli diè Gesù Cristo, quando inviava i suoi Apostoli per tutto il mondo a convertire i popoli al Vangelo. Quindi S. Paolo nelle sue lettere vien ricordando, non essere altro il sacerdote che il *legato*, il *ministro di Cristo*, il *dispensatore dei suoi misteri*,[1] e ce lo rappresenta quasi collocato in luogo eccelso,[2] quale intermediario fra il cielo e la terra per trattare con Dio gl'interessi sommi dell'uman genere, che sono quei della vita sempiterna. Tale il concetto che i Libri santi ne dànno del Sacerdozio cristiano, cioè di un'istituzione soprannaturale, superiore a tutti gl'istituti terreni e affatto separata da essi come il divino dall'umano. — La stessa alta idea emerge chiara dalle opere dei Padri, dal magistero dei Romani Pontefici e dei Vescovi, dai decreti dei Concili, dall'unanime insegnamento dei Dottori e delle Scuole cattoliche. Che anzi tutta la tradizione della Chiesa è una voce sola nel proclamare che il Sacerdote è un *altro Cristo*, e che il Sacerdozio *si esercita bensì in terra, ma va meritamente annoverato tra gli ordini del cielo;*[3] *poichè gli son date da amministrare cose del tutto celesti, e gli è conferito un potere che Dio non affidò neppure agli Angeli;*[4] potere e ministero che riguardano il governo delle anime, ossia *l'arte delle arti.*[5] Perciò educazione, studi, costumi, quanto insomma si attiene alla disciplina sacerdotale, venne sempre dalla Chiesa considerato come un tutto a sè, non pur distinto, ma separato altresì dalle ordinarie norme del vivere laicale. — Tal distinzione e separazione deve dunque rimanere inalterata anche ai tempi nostri, e qualunque tendenza ad accomunare o confondere l'educazione e la vita ecclesiastica con la educazione e la vita laicale, ha da giudicarsi riprovata nonchè dalla tradizione dei secoli cristiani, ma dalla dottrina stessa apostolica e dagli ordinamenti di Gesù Cristo.

3. Certamente nella formazione del clero e nel ministero sacerdotale ragion vuole che si abbia riguardo alle varie condizioni dei tempi. Quindi è ben lungi da Noi il pensiero di rigettare quei mutamenti che rendano l'opera del Clero sempre più efficace nella società in mezzo a cui vive; che anzi appunto per tale considerazione Ci è sembrato conveniente di promuovere in esso una più solida e squisita coltura, e di aprire un campo più largo al suo ministero. Ma ogni altra innovazione che potesse recar qualche pregiudizio a ciò ch'è essenziale al sacerdote, dovrebbe riguardarsi come affatto biasimevole. Il sacerdote è sopra tutto costituito maestro, medico e pastore delle anime, e guida ad un fine che non si chiude nei termini della vita presente. Ora non potrà egli mai corrispondere appieno

[1] II Cor., V, 20; VI, 4; I Cor., IV, 1.
[2] Hebr., V, 1.
[3] « Sacerdotium enim in terra peragitur, sed caelestium ordinum classem obtinet: et iure quidem merito » (S. Io. Chrysost., *De Sacerdotio*, lib. III, n. 4).
[4] « Etenim qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea quae in caelis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus » (Ibid., n. 5).
[5] « Ars est artium regimen animarum » (S. Gregor. M., *Regul. Past.*, part. I, c. I).

a così nobili uffici, se non sia, quant'è mestieri, versato nella scienza delle cose sacre e divine; se non sia fornito a dovizia di quella pietà che ne fa un uomo di Dio; se non ponga ogni cura in avvalorare i suoi insegnamenti colla efficacia dell'esempio, conforme all'ammonimento dato ai sacri pastori dal Principe degli Apostoli: *Forma facti gregis ex animo.* [1] Comunque volgano i tempi, e le condizioni sociali cangino e si tramutino, queste sono le proprie e massime doti che debbono rifulgere nel sacerdote cattolico, giusta i principii della fede; ogni altro corredo naturale ed umano sarà certo commendevole, ma non avrà, rispetto all'ufficio sacerdotale, che una secondaria e relativa importanza. — Se pertanto è ragionevole e giusto che il Clero si pieghi, fin dove è lecito, ai bisogni dell'età presente, è altresì doveroso e necessario che alla prava corrente del secolo, non che cedere, fortemente resista. E ciò, mentre risponde naturalmente all'alto fine del sacerdozio, vale altresì a renderne più fruttuoso il ministero, crescendogli decoro e procacciandogli rispetto. — Ora è noto pur troppo come lo spirito del naturalismo tenti inquinare ogni parte anche più sana del corpo sociale: spirito che inorgoglisce le menti e le ribella ad ogni autorità; che avvilisce i cuori e li volge alla ricerca dei beni caduchi, trascurati gli eterni. Di questo spirito, così malefico e già troppo diffuso, grandemente è a temere che qualche influsso non possa insinuarsi anche fra gli ecclesiastici, massime fra i meno esperti. Tristi effetti ne sarebbero, il venir meno a quella gravità di condotta, che tanto si addice al sacerdote; il cedere con leggerezza al fascino di ogni novità; il diportarsi con indocilità pretenziosa verso i maggiori; il perdere quella ponderatezza e misura nel discutere che tanto è necessaria, particolarmente in materia di fede e di morale. Ma effetto ben più deplorevole, perchè congiunto col danno del popolo cristiano, ne seguirebbe nel sacro ministero della parola, inducendovi un linguaggio non conforme al carattere di banditore dell'Evangelo.

4. Mossi da tali considerazioni, Noi sentiamo di dover nuovamente e con più vivo studio raccomandare, che innanzi tutto i Seminari siano con gelosa cura mantenuti nello spirito proprio, così rispetto all'educazione della mente come a quella del cuore. Non si perda giammai di vista, ch'essi sono esclusivamente destinati a preparare i giovani non ad uffici umani, per quanto legittimi ed onorevoli, ma all'alta missione, poc'anzi accennata, di *ministri di Cristo e dispensatori dei misteri di Dio.* [2] Da tale riflesso, tutto soprannaturale, sarà sempre agevole, come notammo già nella Enciclica al Clero di Francia data l'8 settembre 1899, [3] ritrarre norme preziose non pure per la retta formazione dei chierici, ma per allontanare altresì dagl'Istituti, ne' quali si educano, ogni pericolo così interno come esterno, d'ordine morale o religioso. — Rispetto agli studi, poichè il clero non dev'essere estraneo agli avanzamenti d'ogni buona disciplina, si accetti pure quanto di veramente buono ed utile si riconosca negl'innovati metodi: ogni tempo

[1] I Petr., V, 3.
[2] I Cor., IV, 1.
[3] Cf. N. 642.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

suol contribuire al progresso del sapere umano. Però vogliamo che su tal proposito siano ben ricordate le prescrizioni Nostre intorno allo studio delle lettere classiche, e principalmente della Filosofia, della Teologia, e delle scienze affini: prescrizioni che demmo in più documenti, massime nella detta Enciclica, di cui Ci piace perciò trasmettere a voi un esemplare, unito alla presente. — Sarebbe al certo desiderabile che i giovani ecclesiastici potessero tutti, com'è dovere, fornire il corso degli studi sempre all'ombra dei sacri Istituti. Ma poichè gravi ragioni talora consigliano che alcuni di essi frequentino le pubbliche Università, non si dimentichi con quali e quante cautele i Vescovi debbano ciò loro permettere. [1] — Vogliamo del pari che s'insista sulla fedele osservanza delle norme contenute in altro più recente documento, in special modo per quanto concerne le letture od altro che potesse dare occasione ai giovani di prender parte comecchessia ad agitazioni esterne. [2] Così gli alunni dei Seminari, facendo tesoro di un tempo prezioso e colla massima tranquillità degli animi, potranno raccogliersi tutti intorno a quegli studi che li rendano maturi ai grandi doveri del sacerdozio, singolarmente al ministero della predicazione e delle confessioni. Ben si rifletta, quanto grave sia la responsabilità di quei sacerdoti che, in tanto bisogno del popolo cristiano, trascurano di prestar l'opera propria nell'esercizio di questi sacri ministeri; e di coloro altresì che non vi portano una illuminata operosità: sì gli uni come gli altri mal corrispondono alla propria vocazione in cosa che troppo importa alla salute delle anime. E qui dobbiamo richiamare l'attenzione vostra, Venerabili Fratelli, sulla speciale Istruzione che volemmo data in ordine al ministero della divina parola; [3] e desideriamo che se ne traggano più copiosi frutti. Rispetto poi al ministero delle confessioni, si rammenti quanto severe suonino le parole del più insigne e mite dei moralisti verso coloro che non dubitano di sedere inetti nel tribunale di penitenza; [4] e come non meno severo sia il lamento dell'insigne Pontefice Benedetto XIV, che poneva tra le maggiori calamità della Chiesa il difetto nei confessori di una scienza teologica morale qual s'addice alla gravità di così santo ufficio.

5. Ma al nobile scopo di preparare degni ministri del Signore è necessario, Venerabili Fratelli, che sia volto, e con sempre maggior vigore e vigilanza, oltre l'ordinamento scientifico, anche il disciplinare e l'educativo dei vostri Seminari. — Non vi si accolgano che giovani i quali offrano fondate speranze di voler consecrarsi in perpetuo al ministero ecclesiastico. [5] Si tengano segregati dal contatto e più dalla convivenza con giovani non

[1] Instructio *Perspectum est* S. Congr. EE. et RR. dat. die 21 iulii 1896, ad Italiae Episcopos et Familiarum Religiosarum Moderatores. — Cf. N. 2011.
[2] Istruzione della S. Congr. degli AA. EE. SS. del 27 gennaio 1902, sull'azione popolare cristiana e democratico-cristiana in Italia. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. XXII, p. 8-28.
[3] Istruzione della S. Congr. dei VV. e RR. del 31 luglio 1894 a tutti gli Ordinari d'Italia ed ai Superiori degli Ordini e Congregazioni religiose. — Cf. N. 2024.
[4] S. Alf. M. De Liguori, *Pratica del Confessore*, c. I, § III, n. 18.
[5] Conc. Trid., sess. XXIII, c. XVIII, *de reformat.*

aspiranti al sacerdozio: tale comunanza potrà per giuste e gravi cause tollerarsi a tempo e con singolari cautele, finchè non sia dato di pienamente provvedere, conforme allo spirito della disciplina ecclesiastica. Si rimandino quanti nel corso della loro educazione manifestassero tendenze men convenevoli alla vocazione sacerdotale, e nell'ammettere i chierici agli ordini sacri si usi somma ponderazione, giusta l'ammonimento gravissimo di San Paolo a Timoteo: *Manus cito nemini imposueris.* [1] In tutto ciò conviene posporre a qualsiasi altra considerazione, che sarebbe sempre da ritenersi inferiore a quella rilevantissima della dignità del sacro ministero. — Importa poi grandemente, che a formare negli alunni del santuario un'imagine viva di Gesù Cristo, nel che si assomma tutta l'educazione ecclesiastica, i moderatori e gl'insegnanti alla diligenza e alla perizia propria del loro ufficio congiungano l'esempio di una vita al tutto sacerdotale. La condotta esemplare di chi presiede, massime ai giovani, è il linguaggio più eloquente e persuasivo per ispirare negli animi loro il convincimento dei propri doveri e l'amore al bene. Un'opera di tanto rilievo richiede principalmente dal direttore di spirito prudenza non ordinaria e cure indefesse; onde un tale ufficio, che desideriamo non manchi in verun Seminario, vuol essere affidato ad ecclesiastico molto esperto nelle vie della perfezione cristiana. Ed a lui non sarà mai abbastanza raccomandato d'infondere e coltivar negli alunni colla maggior sodezza quella pietà la quale è per tutti feconda, ma specialmente pel clero, di utilità inestimabili. [2] Perciò sia egli sollecito di premunirli altresì da un pernicioso inganno, non infrequente tra' giovani, cioè di lasciarsi talmente prendere all'ardore degli studi, da non curar poi a dovere il proprio avanzamento nella scienza dei Santi. Quanto più la pietà avrà messo radici profonde nei chierici, tanto meglio saranno temprati a quel forte spirito di sacrifizio, ch'è al tutto necessario per zelare la gloria divina e la salvezza delle anime. — Non mancano, la Dio mercè, nel clero italiano sacerdoti che diano nobili prove di quanto possa un ministro del Signore, penetrato di siffatto spirito; mirabile la generosità di quei tanti che per dilatare il regno di Gesù Cristo, corrono volenterosi in lontane terre ad incontrare fatiche, privazioni e stenti d'ogni maniera, ed anche il martirio.

6. Di questa guisa, scorto da provvide ed amorevoli cure nella conveniente coltura dello spirito e dell'ingegno, verrà a grado a grado formandosi il giovane levita, quale lo richieggono la santità della sua vocazione ed i bisogni del popolo cristiano. Il tirocinio in verità non è breve; eppure vorrà essere protratto anche oltre il tempo del Seminario. Conviene infatti che i giovani sacerdoti non siano lasciati senza guida nelle prime fatiche, ma vengano confortati dalla esperienza de' più provetti che ne maturino lo zelo, la prudenza, e la pietà; ed è spediente altresì che, ora con esercitazioni accademiche, ora con periodiche conferenze, si allarghi l'uso di tenerli continuamente esercitati negli studi sacri.

[1] I Timoth., V, 22.
[2] I Timoth., IV, 7, 8.

7. È manifesto, Venerabili Fratelli, che quanto abbiamo sin qui raccomandato, lungi dal menomamente nuocere, giova anzi in singolar modo a quella operosità sociale del Clero, da Noi in più occasioni inculcata come necessaria ai nostri giorni. Poichè coll'esigere la fedele osservanza delle norme da Noi richiamate, si viene a tutelare ciò che di siffatta operosità dev'essere l'anima e la vita. — Ripetiamo dunque anche qui, e più altamente, esser mestieri che il Clero vada al popolo cristiano, insidiato da ogni parte, e con ogni sorta di fallaci promesse adescato segnatamente dal socialismo ad apostatare dalla fede avita; subordinando però tutti la propria azione all'autorità di coloro, *cui lo Spirito Santo ha costituito Vescovi per reggere la Chiesa di Dio;* senza di che seguirebbe confusione e disordine gravissimo, a detrimento anche della causa che hanno a difendere e a promuovere. Anzi a tal fine desideriamo che i candidati al sacerdozio, sul termine della loro educazione nei Seminari, vengano convenientemente ammaestrati nei documenti pontifici che riguardano la questione sociale e la democrazia cristiana, astenendosi peraltro, come più sopra abbiam detto, dal prendere qualsiasi parte al movimento esterno. Fatti poi sacerdoti si volgano con particolare studio al popolo, stato sempre l'oggetto delle più amorose cure della Chiesa. Togliere i figli del popolo alla ignoranza delle cose spirituali ed eterne, e con industriosa amorevolezza avviarli ad un vivere onesto e virtuoso; raffermare gli adulti nella Fede dissipandone i contrari pregiudizi, e confortarli alla pratica della vita cristiana; promuovere tra il laicato cattolico quelle istituzioni che si riconoscano veramente efficaci al miglioramento morale e materiale delle moltitudini; propugnar sopra tutto i principi di giustizia e carità evangelica, ne' quali trovano equo temperamento tutti i diritti e i doveri della civil convivenza: tale è nelle precipue sue parti il nobile compito della loro azione sociale. Ma abbiano sempre presente, che anche in mezzo al popolo il sacerdote deve serbare integro il suo augusto carattere di ministro di Dio, essendo egli posto a capo dei fratelli, principalmente *animarum causa.* [1] Qualsivoglia maniera di occuparsi del popolo, a scapito della dignità secerdotale, con danno dei doveri e della disciplina ecclesiastica, non potrebbe esser che altamente riprovata.

8. Ecco quanto, Venerabili Fratelli, la coscienza dell'Apostolico ufficio C'imponeva di far rilevare, considerate le condizioni odierne del Clero d'Italia. Non dubitiamo, che in cosa di tanta gravità ed importanza, alla sollecitudine Nostra voi saprete congiungere le più solerti ed amorose industrie del vostro zelo, ispirandovi specialmente ai luminosi esempi del grande Arcivescovo, San Carlo Borromeo. Pertanto a dare effetto a queste Nostre prescrizioni, avrete cura di farne argomento delle vostre regionali Conferenze, e di consigliarvi su quei provvedimenti pratici che secondo i particolari bisogni delle singole Diocesi vi sembreranno più opportuni. Ai divisamenti ed alle deliberazioni nostre non mancherà, ove sia d'uopo, il presidio della Nostra autorità.

[1] S. Gregor. M., *Regul. Past.*, pars II, c. VII.

9. Ed ora con parole che ne viene spontanee dall'intimo del Nostro cuore paterno, Ci volgiamo a voi, quanti siete sacerdoti d'Italia, raccomandando a tutti e a ciascuno, che mettiate ogni impegno nel corrispondere sempre più degnamente allo spirito proprio della vostra eccelsa vocazione. A voi ministri del Signore diciamo con più ragione che non disse S. Paolo ai semplici fedeli: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis.* [1] L'amore della comune madre la Chiesa rinsaldi e rinvigorisca tra voi quella concordia di pensiero e di azione, che raddoppia le forze e rende più feconde le opere. In tempi tanto infesti alla religione e alla società, quando il Clero d'ogni nazione è chiamato ad unirsi compatto per la difesa della fede e della morale cristiana, si appartiene a voi, figli dilettissimi, cui particolari vincoli congiungono a questa Sede Apostolica, precedere a tutti gli altri coll'esempio, ed essere i primi nella illimitata obbedienza alla voce e ai comandi del Vicario di Gesù Cristo. — Così le benedizioni di Dio scenderanno copiose, quali Noi le invochiamo, a mantenere il Clero d'Italia sempre degno delle illustri sue tradizioni.

10. Auspice intanto dei divini favori sia l'apostolica benedizione, che a voi, Venerabili Fratelli, ed a tutto il Clero alle vostre cure affidato, con effusione di cuore impartiamo.

[Leonis XIII Acta, vol. XXII, p. 246-259].

651.

Leo XIII, ep. *Dum multa*, 24 dec. 1902. [2]

1. Dum multa tristitia premimur ob miserum statum ad quem redactam scimus Aequatorianam Ecclesiam, delectati valde sumus opportunis publiceque prolatis edictis, quibus vos sollicitudine pastorali commoti, legibus non modo ecclesiastico, sed etiam divino iuri adversis, inde ab eo tempore quo eaedem rogabantur, reclamare non dubitastis, omne studium omnemque operam impendentes, ut re integra, publici oratores legibus ferendis a pernicioso consilio retraherentur. Haud vos latet quanta animi indulgentia ac facilitate in religiosam patriae vestrae tranquillitatem reintegrandam incubuerimus, quae ad Ecclesiae ac civitatis bonum maximi profecto momenti est. At quae spes erant a Nobis susceptae ac populo etiam Aequatoriano fere universo affulgebant, misere exciderunt. Etenim non modo deleteribus iniuriis satisfactum non est, verum etiam aliae iisdem superadditae sunt eaeque gravissimae, dum constitutam quamdam secundum sacros canones dioecesim sublatam videmus; Episcopos vacantibus dioecesibus, sine ullo Sedis Apostolicae existente privilegio, propositos scimus; ac tandem impeditam diversis modis matrimonii christiani sanctitudinem cognovimus.

2. Rem attingimus cum saepe alias a Nobis declaratam, tum maxime Apostolicis Litteris, die x Februarii anni MDCCCLXXX, [3] quibus dedita opera

[1] Eph., IV, 1.
[2] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Quitensium ceterisque Aequatoris Episcopis.
[3] Cf. N. 580.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

docuimus quae christiani connubii natura sit, quae firmitas, quot curas Ecclesia contulerit eius honori ac iuribus tutandis, quaeque sint in eo partes potestatis civilis. Cum scilicet humanae Redemptor ac restitutor naturae Christus Filius Dei matrimonium christianum dignitate auxerit sacramenti, omne apud christianos matrimonium idem sacramentum illico est, nec ratio contractus a sacramenti ratione seiungi nullo modo potest: quo fit ut, integro permanente civilis potestatis iure eos effectus moderandi quos civiles appellant, matrimonium auctoritati subsit Ecclesiae. Exploratum praeterea est, eumdem gentium omnium Redemptorem Iesum delevisse repudii consuetudinem, auctumque virtute sancta matrimonium ad firmitatis legem revocasse, quemadmodum ipsius voluntate Dei est ab initio statutum. Sequitur idcirco ut christianorum matrimonium, simul ac perfectionem omnem sit adeptum, sanctum individuum, perfectumque consistat, nec, nisi occupante coniugem morte, ratione ulla posset, secundum eloquia sacra, dissociari: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Nimirum multiplicem humani generis utilitatem Iesus Christus spectavit; nam ad bonos mores servandos aut restituendos nihil magis conducit, neque ad mutuum fovendum in utroque coniuge amorem, ad familias divina quadam vi confirmandas, ad institutionem tuitionemque sobolis, ut par est, repristinandam, ad sustinendam mulieris dignitatem, ad decus denique prosperitatemque comparanda familiaris civilisque consociationis, utilior atque etiam praestabilior cogitari res ulla potest.

3. Quapropter pro supremi Doctoris officio, quo custodes ac vindices divini ac ecclesiastici iuris existimus, vocem attollimus, omninoque improbamus latas nuper in ista Republica leges de matrimonio, quod vocant civili, ac de divortiis, unaque simul illa reiicimus, quae in sacram Ecclesiae disciplinam apud vos attentata fuere. Quod, vobis repugnantibus statutae ac iussae huiusmodi leges sint, adeo civilium incremento rerum ac religionis rationibus contrariae, non est, Venerabiles Fratres, cur animo frangamini; immo vero exaugendum vobis rei sacrae studium, vigilantiaque adhibenda maior est. Pergite igitur, ut facitis, neglecta ac contempta Ecclesiae iura invicte defendere; fideles, vestris curis concreditos, edocete, eosque sic imbuite ut debitam iis qui praesunt reverentiam servantes, doctrinae religionis catholicae adhaereant atque ad eam mores instituant; ac omnes unanimiter enixis impensisque precibus a Ss. Christi Iesu Corde, cui omnium prima nationum gens vestra devota solemniter est, contendite ut per suae misericordiae abundantiam Aequatorianae Ecclesiae iucundiora largiri tempora velit. Comites consortesque et dolorum et obsecrationum vestrarum Nos usque manemus; quum interea testem benevolentiae Nostrae divinorumque munerum auspicem, apostolicam benedictionem vobis vestrisque fidelibus peramanter in Domino impertimus.

[Leonis XIII Acta, vol. XXII, p. 260-263].

652.

Leo XIII, const. *Cum sicuti*, 28 mart. 1903.

Cum sicuti ad Nos retulit dilectus filius Hildebrandus de Hemptinne, Abbas S. Anselmi de Urbe et Primas Ordinis S. Benedicti, ex antiquissima ordinis consuetudine, statis quibusdam anni diebus Abbates monachis suis generalem ab omni transgressione votorum et regulae, constitutionum et ordinationum impertiri soleant absolutionem, Nos ut huic vetusto ritui et spiritualis privilegii emolumentum accedat, haec quae infra scripta sunt statuenda censuimus. Nimirum de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi per praesentes singulis atque universis Ordinis S. Benedicti Monachis et Fratribus conversis, ubique terrarum nunc et in posterum existentibus, quinquies in anno, diebus semel tantum a Primate eiusdem ordinis designandis,[1] concedimus et largimur, ut servatis servandis Absolutionem Generalem seu Benedictionem cum adnexa Plenaria Indulgentia recipere valeant, adhibita formula ad id praescripta per Apostolicas litteras *Quo universi*, die septima mensis Iulii anno MDCCCLXXXII datas,[2] ad instar aliorum Ordinum Regularium hoc privilegio fruentium, dummodo praefatis diebus Sacramentali confessione rite expiati et Sacra Synaxi refecti pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

[Annales O. S. B. (a. 1893-1908), p. 91, 92].

653.

Pius X, ep. encycl. *E supremi*, 4 oct. 1903.[3]

1. E supremi apostolatus cathedra, ad quam, consilio Dei inscrutabili, evecti fuimus, vobis primum eloquuturos, nihil attinet commemorare quibus Nos lacrymis magnisque precibus formidolosum hoc Pontificatus onus depellere a Nobis conati simus. Videmur equidem Nobis, etsi omnino meritis impares, convertere in rem Nostram posse quae Anselmus, vir sanctissi-

[1] «Designati sunt dies sequentes: Vigilia Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi; Caput Quadragesimae; Vigilia Pentecostes; Vigilia Assumptionis Beatae Mariae Virginis; Vigilia Omnium Sanctorum». (Ep. 2 febr. 1904).

[2] Cf. N. 586.

[3] Ad Patriarchas Primates Archiepiscopos Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

mus, querebatur, quum, adversans et repugnans, coactus est honorem episcopatus suscipere. Etenim quae ille moeroris indicia pro se afferebat, eadem et Nobis proferre licet, ut ostendamus quo animo, qua voluntate Christi gregis pascendi gravissimum officii munus exceperimus. *Testantur*, sic ille,[1] *lacrymae meae et voces et rugitus a gemitu cordis mei, quales nunquam de me, ullo dolore, memini exiisse ante diem illam, in qua sors illa gravis archiepiscopatus Cantuariae visa est super me cecidisse. Quod ignorare nequiverunt illi, qui, ea die, vultum meum inspexerunt... Ego magis mortuo quam viventi colore similis, stupore et dolore pallebam. Huic autem de me electioni, imo violentiae, hactenus, quantum potui, servata veritate, reluctatus sum. Sed iam, velim nolim, cogor fateri quia quotidie iudicia Dei magis ac magis conatui meo resistunt, ut nullo modo videam me ea posse fugere. Unde iam non tam hominum quam Dei, contra quam non est prudentia, victus violentia, hoc solo intelligo me uti debere consilio, ut, postquam oravi quantum potui, et conatus sum ut, si possibile esset, calix iste transiret a me ne biberem illum..., meum sensum et voluntate, postponens, me sensui et voluntati Dei penitus committam.*

2. Nec plane repugnandi causae, multae et maximae, defuerunt Nobis. Praeterquam enim quod honore pontificatus, ob tenuitatem Nostram, nullo pacto Nos dignaremur; quem non moveret ei se successorem designari, qui, cum Ecclesiam sex fere ac viginti annos sapientissime rexisset, tanta valuit alacritate ingenii, tanto virtutum omnium splendore, ut vel adversarios in sui admirationem traduxerit et memoriam sui nominis factis praeclarissimis consecrarit? — Dein, ut praetereamus cetera, terrebat Nos, quam quod maxime, ea quae modo est humani generis conditio afflictissima. Quem enim lateat, consociationem hominum gravissimo nunc, supra praeteritas aetates, atque intimo urgeri morbo; qui in dies ingravescens eamque penitus exedens, ad exitium rapit? Morbus qui sit, intelligitis, Venerabiles Fratres: defectio abscessioque a Deo; quo nihil profecto cum pernicie coniunctius, secundum Prophetae dictum:[2] *Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt.* Tanto igitur malo, pro pontificali munere quod demandabatur, occurrendum esse Nobis videbamus; arbitrabamur enim Dei iussum ad Nos pertinere: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes;*[3] verum conscii Nobis infirmitatis Nostrae, negotium, quod nihil simul haberet morae et difficultatis plurimum, suscipere verebamur.

3. Attamen, quoniam numini divino placuit humilitatem Nostram ad hanc amplitudinem potestatis provehere; erigimus animum *in eo qui* Nos *confortat*, Deique virtute freti manum operi admoventes, in gerendo pontificatu hoc unum declaramus propositum esse Nobis *instaurare omnia in Christo*,[4] ut videlicet sit *omnia et in omnibus Christus.*[5] — Erunt profecto qui

[1] Epp. l. III, ep. 1.

[2] Ps. LXXII, 27.

[3] Ierem., I, 10.

[4] Ephes., I, 10.

[5] Coloss., III, 11.

divina humanis metientes, quae Nostra sit animi mens rimari nitantur atque ad terrenos usus partiumque studia detorquere. His ut inanem spem praecidamus, omni asseveratione affirmamus nihil velle Nos esse, nihil opitulante Deo, apud consociationem hominum futuros, nisi Dei, cuius utimur auctoritate, administros. Rationes Dei rationes Nostrae sunt; pro quibus vires omnes vitamque ipsam devovere decretum est. Unde si qui symbolum a Nobis expetant, quod voluntatem animi patefaciat; hoc unum dabimus semper: *Instaurare omnia in Christo!*

4. Quo quidem in praeclaro opere suscipiendo urgendoque illud Nobis, Venerabiles Fratres, alacritatem affert summam, quod certum habemus fore vos omnes strenuos ad perficiendam rem adiutores. Id enim si dubitemus, ignaros vos, non sane iure, aut negligentes putaverimus nefarii illius belli, quod nunc, ferme ubique, commotum est atque alitur adversus Deum. Vere namque in Auctorem suum *fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania*; [1] ut communis fere ea vox sit adversantium Deo: *Recede a nobis.* [2] Hinc extincta omnino in plerisque aeterni Dei reverentia nullaque habita in consuetudine vitae, publice ac privatim, supremi eius numinis ratio: quin totis nervis contenditur omnique artificio, ut vel ipsa recordatio Dei atque notio intereat penitus.

5. Haec profecto qui reputet, is plane metuat necesse est ne malorum, quae supremo tempore sunt expectanda, sit perversitas haec animorum libamentum quoddam ac veluti exordium; neve *filius perditionis*, de quo Apostolus loquitur, [3] iam in hisce terris versetur. Tanta scilicet audacia, eo furore religionis pietas ubique impetitur, revelatae fidei documenta oppugnantur, quaeque homini cum Deo officia intercedunt tollere delere prorsus praefracte contenditur! E contra, quae, secundum Apostolum eumdem, propria est *Antichristi* nota, homo ipse, temeritate summa, in Dei locum invasit, extollens se *supra omne quod dicitur Deus;* usque adeo ut, quamvis Dei notitiam extinguere penitus in se nequeat, Eius tamen maiestate reiecta, aspectabilem hunc mundum sibi ipse veluti templum dedicaverit a ceteris adorandus. *In templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.* [4]

6. Enimvero hoc adversus Deum mortalium certamen qua sorte pugnetur nullus est sanae mentis qui ambigat. Datur quidem homini, libertate sua abutenti, rerum omnium Conditoris ius atque numen violare; verumtamen victoria a Deo semper stat: quin etiam tum propior clades imminet, quum homo, in spe triumphi, insurgit audentior. Haec ipse Deus nos admonet in Scripturis sanctis. *Dissimulat* scilicet *peccata hominum*, [5] suae veluti potentiae ac maiestatis immemor: mox vero, post adumbratos recessus, *excitatus... tamquam potens crapulatus a vino*, [6] *confringet capita inimicorum suorum*; [7]

[1] Ps. II, 1.
[2] Iob, XXI, 14.
[3] II Thess., II, 3.
[4] II Thess., II, 4.
[5] Sap., XI, 24.
[6] Ps. LXXVII, 65.
[7] Ps. LXVII, 22.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

ut norint omnes *quoniam rex omnis terrae Deus*, [1] *et sciant gentes quoniam homines sunt.* [2]

7. Haec quidem Venerabiles Fratres, fide certa tenemus et expectamus. Attamen non ea impediunt quominus, pro nostra quisque parte, Dei opus maturandum nos etiam curemus: idque, non solum efflagitando assidue: *Exsurge Domine, non confortetur homo*; [3] verum, quod plus interest, re et verbo, luce palam, supremum in homines ac naturas ceteras Dei dominatum adserendo vindicandoque, ut Eius imperandi ius ac potestas sancte colatur ab omnibus et observetur. — Quod plane non modo officium postulat a natura profectum, verum etiam communis utilitas nostri generis. Quorumnam etenim, Venerabiles Fratres, animos non conficiat trepidatio ac moeror, quum homines videant, partem maximam, dum quidem humanitatis progressus haud immerito extolluntur, ita digladiari atrociter inter se, ut fere sit omnium in omnes pugna? Cupiditas pacis omnium profecto pectora attingit, eamque nemo est qui non invocet vehementer. Pax tamen, reiecto Numine, absurde quaeritur: unde namque abest Deus, iustitia exsulat; sublataque iustitia, frustra in spem pacis venitur. *Opus iustitiae pax.* [4] — Novimus equidem non paucos esse, qui studio pacis ducti, *tranquillitatis* nempe *ordinis*, in coetus factionesque coalescunt, quae ab *ordine* nominant. Proh tamen spes curasque inanes! Partes *ordinis*, quae pacem afferre turbatis rebus reapse queant, unae sunt: partes faventium Deo. Has igitur promovere necesse est, ad easque quo licebit plures adducere, si securitatis amore incitamur.

8. Verum haec ipsa, Venerabiles Fratres, humanarum gentium ad maiestatem Dei imperiumque revocatio, quantumvis licet conemur, nunquam nisi per Iesum Christum eveniet. Monet enim Apostolus: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* [5] Scilicet unus ipse est, *quem Pater sanctificavit, et misit in mundum*; [6] *splendor gloriae, et figura substantiae eius*, [7] Deus verus verusque homo: sine quo, Deum, ut oportet, agnoscere nemo possit; nam *neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* [8] — Ex quo consequitur, ut idem omnino sit *instaurare omnia in Christo* atque homines ad Dei obtemperationem reducere. Huc igitur curas intendamus oportet, ut genus hominum in Christi ditionem redigamus: eo praestito, iam ad ipsum Deum remigraverit. Ad Deum inquimus, non socordem illum atque humana negligentem, quem *materialistarum* deliramenta effinxerunt; sed Deum vivum ac verum, unum natura, personis trinum, auctorem mundi, omnia sapientissime providentem, iustissimum denique legislatorem, qui sontes plectat, praemia proposita virtutibus habeat.

[1] Ps. XLVI, 8.
[2] Ps. IX, 21.
[3] Ps. IX, 20.
[4] Is. XXXII, 17.
[5] I Cor., III, 11.
[6] Io., X, 36.
[7] Hebr., I, 3.
[8] Matth., XI, 27.

9. Porro qua iter nobis ad Christum pateat, ante oculos est: per Ecclesiam videlicet. Quamobrem iure Chrysostomus: *Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia.* [1] In id namque illam condidit Christus, quaesitam sui sanguinis pretio; eique doctrinam suam ac suarum praecepta legum commendavit, amplissima simul impertiens divinae gratiae munera ad sanctitatem ac salutem hominum.

10. Videtis igitur, Venerabiles Fratres, quale demum Nobis vobisque pariter officium sit demandatum: ut consociationem hominum, a Christi sapientia aberrantem, ad Ecclesiae disciplinam revocemus; Ecclesia vero Christo subdet, Christus autem Deo. Quod si, Deo ipso favente, perficiemus, iniquitatem cessisse aequitati gratulabimur, audiemusque feliciter *vocem magnam in caelo dicentem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi eius.* [2] — Hic tamen ut optatis respondeat exitus, omni ope et opera eniti opus est ut scelus illud immane ac detestabile, aetatis huius proprium, penitus eradamus, quo se nempe homo pro Deo substituit: tum vero leges Evangelii sanctissimae ac consilia in veterem dignitatem vindicanda; adserendae altius veritates ab Ecclesia traditae, quaeque eiusdem sunt documenta de sanctitate coniugii, de educatione doctrinaque puerili, de bonorum possessione atque usu, de officiis in eos qui publicam rem administrant; aequilibritas demum inter varios civitatis ordines christiano instituto ac more restituenda. — Nos profecto haec Nobis, Dei nutui obsequentes, in pontificatu prosequenda proponimus, ac pro virili parte prosequemur. Vestrum autem erit, Venerabiles Fratres, sanctitate, scientia, agendorum usu, studio cum primis divinae gloriae, industriis Nostris obsecundare; nihil aliud spectantes praeterquam ut in omnibus *formetur Christus.* [3]

11. Iam quibus ad rem tantam utamur adiumentis, vix dicere oportet; sunt enim de medio sumpta. Curarum haec prima sunt, ut Christum formemus in iis, qui formando in ceteris Christo officio muneris destinantur. Ad sacerdotes mens spectat, Venerabiles Fratres. Sacris namque quotquot initiati sunt, eam in populis quibuscum versantur, provinciam sibi datam norint, quam Paulus suscepisse testatus est amantissimis iis verbis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* [4] Qui tamen explere munus queant, nisi priores ipsi Christum induerint? atque ita induerint, ut illud Apostoli eiusdem usurpare possint: *Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus;* [5] *Mihi vivere Christus est?* [6] Quamobrem, etsi ad fideles omnes pertinet hortatio ut *occurramus... in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi;* [7] praecipue tamen ad illum spectat qui sacerdotio fungitur; qui idcirco dicitur *alter Christus*, non una sane potestatis

[1] Hom. *de capto Eutropio*, n. 6.
[2] Apoc., XII, 10.
[3] Gal., IV, 19.
[4] Ibid.
[5] Gal., II, 20.
[6] Philipp., I, 21.
[7] Ephes., IV, 13.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

communicatione, sed etiam imitatione factorum, qua expressam in se Christi imaginem praeferat.

12. Quae cum ita sint, quae vobis quantaque, Venerabiles Fratres, ponenda cura est in clero ad sanctitatem omnem formando! Huic, quaecumque obveniant, negotia cedere necesse est. Quamobrem pars potior diligentiarum vestrarum sit de seminariis sacris rite ordinandis moderandisque, ut pariter integritate doctrinae et morum sanctitate floreant. Seminarium cordis quisque vestri delicias habetote, nihil plane ad eius utilitatem omittentes, quod est a Tridentina Synodo providentissime constitutum. [1] — Quum vero ad hoc ventum erit ut candidati sacris initiari debeant, ne quaeso excidat animo quod Paulus Timotheo perscripsit: *Manus cito nemini imposueris,* [2] illud attentissime reputando, tales plerumque fideles futuros, quales fuerint quos sacerdotio destinabitis. Quare ad privatam quamcumque utilitatem respectum ne habetote; sed unice spectetis Deum et Ecclesiam et sempiterna animorum commoda, ne videlicet, uti Apostolus praecavet, communicetis *peccatis alienis.* [3] — Porro sacerdotes initiati recens atque e seminario digressi industrias vestras ne desiderent. Eos, ex animo hortamur, pectori vestro, quod caelesti igne calere oportet, admovete saepius, incendite, inflammate ut uni Deo et lucris animorum inhient. Nos equidem, Venerabiles Fratres, diligentissime providebimus ne homines sacri cleri ex insidiis capiantur novae cuiusdam ac fallacis scientiae, quae Christum non redolet, quaeque, fucatis astutisque argumentis, *rationalismi* aut *semirationalismi* errores invehere nititur; quos ut caveret iam Apostolus Timotheum monebat, scribens: *Depositum custodi, devitans profanos vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* [4] Hoc tamen non impedimur quo minus laude dignos existimemus illos e sacerdotibus iunioribus, qui utilium doctrinarum studia, in omni sapientiae genere, persequuntur, ut inde ad veritatem tuendam atque osorum fidei calumnias refellendas instructiores fiant. Verumtamen celare haud possumus, quin etiam apertissime profitemur, primas Nos semper delaturos iis qui, quamvis sacras humanasque disciplinas minime praetereunt, proxime nihilosecius animorum utilitatibus se dedant, eorum procuratione munerum, quae sacerdotem deceant divinae gloriae studiosum. *Tristitia Nobis magna est, et continuus dolor cordi* Nostro, [5] quum cadere etiam in aetatem nostram conspicimus Ieremiae lamentationem: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* [6] Non enim de clero desunt, qui, pro cuiusque ingenio, operam forte navent rebus adumbratae potius quam solidae utilitatis: at verum non adeo multo numerentur qui, ad Christi exemplum, sibi sumant Prophetae dictum: *Spiritus Domini... unxit me,*

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.
[2] I Tim., V, 22.
[3] Ibid., V, 22.
[4] Ibid., VI, 20, 21.
[5] Rom., IX, 2.
[6] Thren., VI, 4.

evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum. [1] Quem tamen fugiat, Venerabiles Fratres, quum homines ratione maxime ac libertate ducantur, religionis disciplinam potissimam esse viam ad Dei imperium in humanis animis restituendum? Quot plane sunt qui Christum oderunt, qui Ecclesiam, qui Evangelium horrent ignoratione magis quam pravitate animi! de quibus iure dixeris: *quaecumque quidem ignorant, blasphemant.* [2] Idque non in plebe solum reperire est aut in infima multitudine, quae ideo in errorem facile trahitur; sed in excultis etiam ordinibus atque adeo in iis, qui haud mediocri eruditione ceteroqui polleant. Hinc porro in plerisque defectus fidei. Non enim dandum est, scientiae progressibus extingui fidem, sed verius inscitia; ut idcirco ubi maior sit ignorantia, ibi etiam latius pateat fidei defectio. Quapropter Apostolis a Christo mandatum est: *Euntes, docete omnes gentes.* [3]

13. Nunc autem, ut ex docendi munere ac studio fructus pro spe edantur atque in omnibus *formetur Christus*, id penitus in memoria insideat, Venerabiles Fratres, nihil omnino esse caritate efficacius. *Non* enim *in commotione Dominus.* [4] Allici animos ad Deum amariore quodam conatu, speratur perperam: quin etiam errores acerbius increpare, vitia vehementius reprehendere, damno magis quam utilitati aliquando est. Timotheum quidem Apostolus hortabatur: *Argue, obsecra, increpa;* attamen addebat: *in omni patientia.* [5] — Certe eiusmodi nobis exempla prodidit Christus. *Venite,* sic ipsum alloquutum legimus, *venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* [6] Laborantes autem oneratosque non alios intelligebat, nisi qui peccato vel errore tenerentur. Quanta enimvero in divino illo magistro mansuetudo! quae suavitas, quae in aerumnosos quoslibet miseratio! Cor eius plane pinxit Isaias iis verbis: *Dedi spiritum meum super eum; ... non clamabit; ... calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet.* [7] — Quae porro caritas, *patiens et benigna,* [8] ad illos etiam porrigatur necesse est, qui sunt nobis infesti, vel nos inimice insectantur. *Maledicimur et benedicimus,* ita de se Paulus profitebatur, *persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus.* [9] Peiores forte quam sunt videntur. Consuetudine enim aliorum, praeiudicatis opinionibus, alienis consiliis et exemplis, malesuada demum verecundia in impiorum partem translati sunt: attamen eorum voluntas non adeo est depravata, sicut et ipsi putari gestiunt. Quidni speremus christianae caritatis flammam ab animis caliginem dispulsuram atque allaturam simul Dei lumen et pacem? Tardabitur quandoque forsitan laboris nostri fructus; sed caritas sustentatione nun-

[1] Luc., VI, 18, 19.
[2] Iud., 10.
[3] Matth., XXVIII, 19.
[4] III Reg., XIX, 11.
[5] II Tim., IV, 2.
[6] Matth., XI, 28.
[7] Is., XLII, 1, 3.
[8] I Cor., XIII, 4.
[9] Ibid., IV, 12, 13.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

quam defatigatur, memor non esse praemia a Deo proposita laborum fructibus sed voluntati.

14. Attamen, Venerabiles Fratres, non ea Nobis mens est ut, in toto hoc opere tam arduo restitutionis humanarum gentium in Christo, nullos vos clerusque vester adiutores habeatis. Scimus mandasse Deum unicuique de proximo suo. [1] Non igitur eos tantum, qui sacris se addixerunt, sed universos prorsus fideles rationibus Dei et animorum adlaborare oportet: non marte utique quemque suo atque ingenio, verum semper Episcoporum ductu atque nutu; praeesse namque, docere, moderari nemini in Ecclesia datur praeter quam vobis, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* [2] — Catholicos homines, vario quidem consilio at semper religionis bono, coire inter se societatem, Decessores Nostri probavere iamdiu bonaque precatione sanxerunt. Institutum porro egregium Nos etiam laudatione Nostra ornare non dubitamus, optamusque vehementer ut urbibus agrisque late inferatur ac floreat. Verumenimvero consociationes eiusmodi eo primo ac potissimum spectare volumus, ut quotquot in illas cooptantur christiano more constanter vivant. Parum profecto interest quaestiones multas subtiliter agitari, deque iuribus et officiis eloquenter disseri, ubi haec ab actione fuerint seiugata. Postulant enim actionem tempora; sed eam quae tota sit in divinis legibus atque Ecclesiae praescriptis sancte integreque servandis, in religione libere aperteque profitenda, in omnigenae demum caritatis operibus exercendis, nullo sui aut terrenarum utilitatum respectu. Illustria eiusmodi tot Christi militum exempla longe magis valitura sunt ad commovendos animos rapiendosque quam verba exquisitaeque disceptationes; fietque facile ut, abiecto metu, depulsis praeiudiciis ac dubitationibus, quamplurimi ad Christum traducantur provehantque ubique notitiam eius et amorem; quae ad germanam solidamque beatitatem sunt via. Profecto si in urbibus, si in pagis quibusvis praecepta Dei tenebuntur fideliter, si sacris erit honos, si frequens sacramentorum usus, si cetera custodientur quae ad christianae vitae rationem pertinent; nihil admodum, Venerabiles Fratres, elaborandum erit ulterius ut omnia in Christo instaurentur. Neque haec solum caelestium bonorum prosequutionem spectare existimentur: iuvabunt etiam quam quae maxime, ad huius aevi publicasque civitatum utilitates. His namque obtentis, optimates ac locupletes aequitate simul et caritate tenuioribus aderunt, hi vero afflictioris fortunae angustias sedate ac patienter ferent; cives non cupiditati, sed legibus parebunt; principes et quotquot rempublicam gerunt, quorum *non est potestas nisi a Deo,* [3] vereri ac diligere sanctum erit. Quid plura? Tunc demum omnibus persuasum fuerit debere Ecclesiam, prouti ab auctore Christo est condita, plena integraque libertate frui nec alienae dominationi subiici; Nosque in hac ipsa libertate vindicanda, non religionis modo sanctissima tueri iura, verum etiam communi populorum bono ac securitati prospicere. Scilicet *pietas*

[1] Eccli., XVII, 12.
[2] Act., XX, 28.
[3] Rom., XIII, 1.

ad omnia utilis est; [1] eaque incolumi ac vigente, *sedebit* reapse *populus in pulchritudine pacis.* [2]

15. Deus, *qui dives est in misericordia,* [3] hanc humanarum gentium in Christo Iesu instaurationem benignus festinet; *non* enim *volentis* opus *neque currentis, sed miserentis est Dei.* [4] Nos vero, Venerabiles Fratres, *in spiritu humilitatis,* [5] quotidiana et instanti prece id ab Eo contendamus ob Iesu Christi merita. Utamur praeterea praesentissima Deiparae impetratione: cui conciliandae Nobis, quoniam has litteras die ipsa damus, quae recolendo Mariali Rosario est instituta, quidquid Decessor Noster de octobri mense Virgini augustae dicando edixit, publica per templa omnia eiusdem Rosarii recitatione, Nos pariter edicimus et confirmamus; monentes insuper ut deprecatores etiam adhibeantur castissimus Dei Matris Sponsus, catholicae Ecclesiae patronus, sanctique Petrus et Paulus apostolorum principes.

16. Quae omnia ut rite eveniant et cuncta vobis pro desiderio fortunentur, divinarum gratiarum subsidia uberrime exoramus. Testem vero suavissimae caritatis, qua vos et universos fideles, quos Dei providentia Nobis commendatos voluit, complectimur, vobis Venerabiles Fratres, clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

[Pii X Acta, vol. I, p. 1-16].

654.

Pius X, motu propr. *Inter pastoralis officii,* 22 nov. 1903.

Inter pastoralis officii sollicitudines, non modo de Suprema hac Cathedra, quam inscrutabili Providentissimi Dei voluntate, licet indigni, tenemus, sed etiam de Ecclesiis singulis, ea proculdubio est praecipua, ut decorem Domus Dei servemus atque promoveamus, ubi augusta Religionis mysteria celebrantur, populusque Christianus cogitur ad Sacramentorum gratiam excipiendam, sancto Altaris Sacrificio adstandum, augustissimam Eucharistiam adorandam, ut denique in publicis iisque solemnibus Sacris liturgicis communium Ecclesiae precum particeps fiat. Ne quid igitur occurrat in Templo necesse est, unde fidelium pietas ac devotio avocetur, vel tantum imminuatur, nihil in primis quod sacrarum Caeremoniarum gravitatem sanctitatemque offendat, atque ideo Domo orationis Deique maiestate indignum evadat.

Abusus, qui ex hac parte incidere possunt, omnes non attingimus; hodie enim animus ad unum ex frequentioribus convertitur, eumque inter difficillimos qui evellatur, talem immo, ut vel illic sic interdum deploran-

[1] I Tim., IV, 8.
[2] Is., XXXII, 18.
[3] Ephes., II, 4.
[4] Rom., IX, 16.
[5] Dan., III, 39.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

dus, ubi cetera omnia, tum ob Templi pulcritudinem atque magnificentiam, tum ob caeremoniarum splendorem ordinemque accuratum, et Cleri frequentia, et administrorum sacra agentium dignitate ac pietate, maximam laudem mereantur. Abusum dicimus de rebus quae ad cantum sacramque musicam spectant. Re quidem vera, sive huius artis ipsa natura nutanti atque varia, sive iudicii ac morum per saeculorum cursum secuta immutatione, sive funesta illa vi, quam in artem sacram ars profana atque theatralis exercet, sive voluptate quam musica directo producit, neque facile debitis finibus potest contineri, sive denique praeiudicatis opinionibus levi opera in rem sese ingerentibus, ac deinde vel in cordatis atque piis hominibus tenacius adhaerentibus, voluntas in id usque contendit, ut a recta via commode aberret, quam sibi statuit consilium, unde ars ad cultus famulatum adhiberetur, et Ecclesiastici canones, Conciliorum generalium provincialiumque iussa, praecepta pluries edita a Sacris Congregationibus et a Summis Pontificibus, qui Nobis praecessere, satis aperte declararunt.

Bono, nec eodem parvo, quod ultimis hisce decenniis in ipsa nostra alma Urbe pluribusque patriae nostrae Ecclesiis curatum est, valde quidem delectamur, eoque praesertim cui nonnullae nationes prospexere, ubi clarissimi viri divini cultus studiosi, ac Sancta Sede approbante, et Episcopis moderantibus, in florentes coetus quum convenissent, musicam sacram apud singulas fere Ecclesias sive Oratoria amplissimo honore retinuerunt. Hoc tamen bonum longe abest ut commune sit omnibus; itaque Nostra ipsi experientia edocti, et morem gerentes plurimis querelis brevi hoc temporis spatio ex quo Domino placuit humilitatem Nostram ad supremum Romani Pontificatus aspicem evehere, undique Nobis oblatis diuturnioris morae impatientes, muneri Nostri inter curas praecipuas hanc ducimus, in ea obloqui, eaque damnare, quae in cultus caeremoniis et ecclesiasticis officiis a recta norma divertant. Cum enim vehementer Nobis cordi sit ut spiritus vere christianus in fidelibus omnibus undequaque reflorescat inviolatusque servetur, ante omnia sacrarum Aedium sanctitati dignitatique provideamus oportet, ubi scilicet fideles congregantur ad eundem spiritum ex primo eoque necessario fonte hauriendum, hoc est ex actuosa cum sacrosanctis Mysteriis, publicis solemnibusque Ecclesiae precibus communicatione. Atqui frustra sperabimus fore ut ad huiusmodi finem assequendum Dei benedictio abunde in nos demittatur, si Dei obsequium, potius quam cum odore suavitatis ascedant, contra in manus Domini flagella committat, unde alias divinus Redemptor indignos e templo violatores eiecit.

Ne quis igitur in posterum officii sui ignorantiam excuset, utque circa praescripta de re nonnulla, ambiguitas quaevis tollatur, opportunum existimavimus, brevi ea principia indicare, quae in cultus caeremoniis musicam sacram moderantur, atque simul, veluti in unica tabula, praecipua Ecclesiae praecepta in abusus magis frequentes describere. Itaque, motu proprio et certa scientia, Nostram hanc *Instructionem* edi curavimus, cui tanquam *Codici musicae sacrae iuridico* ex plenitudine Auctoritatis Nostrae Apostolicae vim legis tribui volumus, Nostro hoc Chrirographo diligentissimam eius observantiam omnibus praecipientes.

INSTRUCTIO DE MUSICA SACRA.

I. – Principia generalia.

1. Musica sacra, utpote solemnis Liturgiae pars necessaria, huius finem generalem participat, qui gloria Dei est, sanctificatio exemplumque fidelium. Ad sacrarum caeremoniarum decus ac splendorem augendum ipsa concurrit, quumque peculiare eius officium in hoc versetur, ut aptis concentibus liturgicum textum exornet fidelium menti propositum, proprium ei munus addicitur maiorem vim eidem textui adiungendi, quo facilius inde fideles ad pietatem excitentur, meliusque animum disponat ad gratiae fructus consequendos, qui a celebratis divinis Mysteriis proveniunt.

2. Itaque musica sacra proprias Liturgiae qualitates possideat necesse est, in primisque *sanctitatem ac bonitatem formae;* unde alia nota suapte exoritur, *universitas.*

Cum *sancta* esse debeat, quidvis profanum occurrat, non modo ex re ipsa amovendum est, sed etiam ex ratione, quae per exsequutores proponitur.

Verae insuper *artis* specimen exhibeat; neque enim aliter in audientium animos influere tantum potest, quantum Ecclesia, concentuum artem in Liturgiam admittens, sibi pollicetur.

At simul *universalis* esto, ita quidem ut, concessa singulis nationibus facultate in sacris modis certas formas adhibendi, quae peculiarem quodammodo notam suae cuiusque musices constituant, hae tamen eo ritu musicae sacrae naturae generali subiiciantur, ut nemo ex exteris gentibus, eas accipiens, ingrate ferat.

II. – Musicae sacrae genera.

3. Qualitates hae in gregorianis concentibus maxime inveniuntur, igitur huiusmodi cantus Ecclesiae Romanae proprius est: unum hunc ab antiquis patribus haereditate accepit, hunc summa cura longo saeculorum cursu in Codicibus liturgicis custodivit, hunc tamquam suum directo fidelibus proponit, hunc in nonnullis Liturgiae partibus unice constituit, quem recentissima studia ad pristinam integritatem puritatemque tam feliciter reddiderunt.

His de causis gregorianus cantus tamquam musicae sacrae supremum exemplar ita habitus est, ut iure lex haec generalis enuntiari queat: *Eo magis musicum opus Ecclesiae inserviens sacrum esse atque liturgicum, quo magis ratione sua, afflatu, sapore ad melos gregorianum accedat; contra eo minus Templo dignum esse, quo magis ab exemplo illo recedat.*

Itaque vetus gregorianus cantus traditione perceptus late in sacris restituendus est, quum omnes pro certo habeant, divinam rem nihil magnificentiae suae amittere, licet unice cum hoc musico genere consocietur.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Nominatim autem gregorianus cantus in populi usum restituendus curetur, quo ad divinas laudes Mysteriaque celebranda magis agentium partem antiquorum more, fideles conferant.

4. Memoratas hactenus notas praeter modum possidet quoque *classica,* prouti vulgo dicitur, polyphonia, Romanae Scholae praesertim, cuius saeculo XVI Petrus Aloisius Praenestinus exstitit perfector; nec desiit postea exquisitae excellentiae, tum liturgicae tum musicae, opera proferre. Classica enim polyphonia ad gregorianos concentus, exemplum unicum musicae sacrae omnis, plane accedit, atque inde una cum gregoriano cantu ad sollemnia Ecclesiae maxima, quae in caeremoniis pontificiis habentur, excipi meruit. Quare et ipsa late in Sacris restituenda erit, apud insigniores Basilicas praesertim, apud cathedrales ecclesias, apud seminaria aliaque ecclesiastica collegia, ubi ad rem necessaria minime desiderentur.

5. Ecclesia artium progressum indesinenter coluit, eique favit, ad religionis usum omnia admittens, quae hominis mens bona pulcraque per saeculorum cursum invenit, salvis tamen liturgicis legibus. Recentissimum itaque musicae genus et ipsum probatur, quippe quod opera excellentiae, sapientiae, gravitatis plena exhibeat, sacris caeremoniis non indigna.

Quia vero recentioris musicae genus ad profanum usum praecipue ortum sit, in hoc maior erit collocanda cura, ne eiusmodi opera hodierno stylo accommodata quidquam profani afferant, neve theatralia argumenta redoleant, neu denique in ipsis formis externis ad exemplum profani cantus affingantur.

6. Inter varia recentioris musicae genera, theatralis stylus, superiore saeculo cum maxime in Italia vulgatus, ad divinas res prosequendas minus idoneus visus est; natura enim sua gregorianae rationi classicaeque polyphoniae, atque ideo supremae legi sacrae musices cuiusvis opponitur. Praeterea intima structura, rythmus, *conventionalismus,* ut aiunt, recentioris huius artis, nonnisi male respondet iis, quae cantus vere liturgicus postulat.

III. – De textu liturgico.

7. Proprius Romanae Ecclesiae sermo latinus est; itaque in sollemnibus sacris liturgicis prohibentur omnino cantus, vulgari eloquio editi; eoque magis circa partes variabiles, vel communes tum Missae, tum Officii.

8. Quum in sacris liturgicis singulis textus musices proponendi ac propositionis ordo apprime fuerint constituti, neque licet ordinem hunc subvertere, neque praescriptos textus ad nutum mutare, neque ex integro, vel tantum in parte omittere, nisi forte Rubricae concedant textus aliquot versus, dum simpliciter in choro recitantur, suppleri organo. Unum, iuxta Ecclesiae Romanae consuetudinem, conceditur, post sollemnis Missae ℣. *Benedictus,* canticulum Ssm̃ae Eucharistiae. Permittitur etiam, post rite cantatum Missae *Offertorium,* reliquum tempus dare brevi canticulo super verba ab Ecclesia approbata.

9. Textus liturgicus canendus est, prout exstat in libris, nullo verbo corrupto, nullo postposito, indebitis iterationibus et syllabarum abruptionibus prorsus amotis, atque ita semper, ut ab audientibus percipi possit.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

IV. – De forma externa sacrae musicae operum.

10. Singulae tum Missae tum divini Officii partes, musice quoque sensus formamque servare debent, qualem traditio ecclesiastica invexit, atque optime cantu gregoriano exprimitur. Alia est igitur ratio qua *Introitus*, alia qua *Graduale*, *Antiphona*, *Psalmus*, *Hymnus*, *Gloria in excelsis*, etc. componantur.

11. Peculiares autem hae normae serventur:

a) *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, etc. in Missa unitatem praeseferant sui cuiusque textus propriam. Non itaque licet ea partibus separatis componere, quasi unaquaeque pars musicum opus absolutum efficiat, quod a reliquis secerni possit in eorumve locum substitui.

b) In Vesperarum sacris peragendis, standum communiter normis *Caeremonialis Episcoporum*, cantum gregorianum in psalmodia iubentis, et musicam figuratam permittentis in ℣. *Gloria Patri* et Hymno.

Licebit tamen in sollemnioribus alternis psallere, et gregorianum cantum, et concentus eos, qui *falsibordoni* italice nuncupantur, sive versus simili modo apte dispositos.

Interdum etiam concedi poterit ut singuli psalmi ex integro musice proponantur, dummodo hisce in operibus psalmodiae forma propria servetur, id est talis ut cantores psallere inter sese videantur sive novis concentibus, sive modis e cantu gregoriano depromptis, vel eius similitudinem praeseferentibus.

Psalmi igitur symphoniaci (italice *di concerto*) excluduntur prorsus ac vetantur.

c) In Ecclesiae hymnis forma antiquitus tradita servetur. Quamobrem non licet cantico, ex. gr. *Tantum ergo*, eos modos aptare, qui in stropha priore flebiles illas formas exhibeant, vulgo *romanza*, *cavatina*, *adagio* appellatas, in altera vero, *Genitori*, etc., festivum genus.

d) Vesperarum Antiphonae gregorianis modis sibi propriis generatim proponantur. Quod si interdum, singulari aliquo in casu, musice canantur, numquam iis erit symphoniacus modus, neque canticuli vel cantionis amplitudo.

V. – De cantoribus.

12. Exceptis modis, qui sacerdotis ad altare sacra peragentis Administrorumque proprii sunt, ac semper ex uno gregoriano cantu nullaque organi modulatione constabunt, reliquus cantus liturgicus Chori Levitarum est, quorum vice ecclesiastici cantores proprie funguntur. Quae igitur musica opera ipsi ferunt, maxima saltem ex parte, ad choralis musicae normam procedere debent.

Non tamen unius vocis melos prorsus arcetur; ea vero ne in sacris ita umquam praevaleat, ut maxima textus pars hoc ritu perficiatur; sit imo ei nota significationis aut harmonici indicii, arcteque cum reliqua chorali compositione colligetur.

13. Quum cantoribus in ecclesia munus vere liturgicum sit, consequitur, mulieres, talis officii expertes, ad chori partem agendam, aut ullo modo in musicum chorum admitti non posse. Quod si acutae, vel acutis proximae voces adhiberi velint, antiquissimo Ecclesiae more, id pueri praestabunt.

14. Ne quis denique cantor in ecclesiae chorum inducatur, nisi constiterit de eius pietate atque integritate vitae, eumque modestiam religionemque praeferre, quae sanctum decent officium, cui ipse addicitur. Rei insuper conveniet, cantores, dum in templis canunt, vestibus ecclesiasticis ac superpelliceo indui; quod si in suggestu locum habeant, fidelium oculis ultra modum patente, eos clathris abscondi.

VI. – De organo et musicis instrumentis.

15. Quamvis musica ecclesiae propria solummodo vocalis sit, licet tamen musicam organo moderari. Speciali ratione, debitis terminis, servatisque tutelis servandis, alia musica instrumenta adhiberi poterunt; numquam vero sine speciali venia Ordinarii iuxta *Caeremonialis Episcoporum* praescripta. [1]

16. Quum cantus primum semper locum obtinere debeat, organum aliaque musica instrumenta cantum adiuvent, numquam opprimant.

17. Non licet cantui instrumentis late praeludere, neque iisdem exordiorum moram facere.

18. Organi sonus cantum socians, vel eidem praeludens, interludens, etc., non modo iuxta naturam huius instrumenti propriam perducatur, sed omnium qualitatum, quibus musica vere sacra pollet, quamque superius memoravimus, particeps esto.

19. In templis, tum musici instrumenti, cui vulgo *pianoforte* nomen inditum est, tum instrumentorum omnium maiorem vel minorem strepitum edentium, utpote tympanorum cuiusvis formae et molis, crotalium, tintinnabulorum et similium, usus vetatur.

20. Severe prohibetur symphoniacorum catervis (vulgo *bande musicali*) in templis psallere; tantum speciali aliqua ratione, ex venia Ordinarii, licebit admitti eorum manipulum delectum, numero circumscriptum, catum, loco congruentem, qui spiritalibus instrumentis ludant, dummodo et musicum opus et collata ad tibias vox gravem stylum redoleant, eundemque comparem et omnino similem vocis organi propriae.

21. In pompis extra templum ab Ordinario permitti potest symphoniacorum catervae participatio, dummodo ne quovis modo profanos psallat concentus. Optandum est, in huiusmodi vicibus, symphoniacis munus hoc unum tribui, ut spirituale aliquod canticum moderentur, sive latino sive vulgari eloquio a cantoribus propositum, aut a piis Congregationibus, quae pompae adsunt.

[1] L. I, c. XXVIII, n. 11.

VII. – Liturgicae musicae amplitudo.

22. Minime licet, cantus sive sonus causa, sacerdotem ad altare ultra tempus caeremoniae liturgicae conveniens immorari. Iuxta ecclesiastica monita, ℣. *Sanctus* in Missa ante « elevationem » absolvendus est; quamquam et ipse sacerdos, sacra peragens, cantorum rationem habere debet. *Gloria* et *Credo*, ad gregorianae traditionis normam, breviora sunto.

23. Damnandum denique habendumque loco abusus gravissimi, quod in sacris caeremoniis secundae partes deferri Liturgiae videantur, quasi haec famulatum musicae praestet: quum contra nonnisi pars Liturgiae musica sit, humilisque eiusdem ancilla.

VIII. – Modi ad rem exsequendam praecipui.

24. Ut constituta heic ad amussim perficiantur, Episcopi, ni iam id praestiterint, in suis Dioecesibus coetum virorum constituant, apprime musicam sacram callentium, quibus, opportuniore quo poterunt modo, munus committant inquirendi in musica opera, quae suis in templis canantur. Neque id solum curent, ut sint ipsa probabilia, sed etiam ut cantorum virtuti respondeant, atque optime exhibeantur.

25. In clericorum seminariis atque in ecclesiasticis collegiis, ex tridentinis decretis, [1] magna cum diligentia et amore ab omnibus colatur, quem supra laudavimus, gregorianus cantus traditione acceptus; quique praesunt rem adiuvent, late subiectorum animos confirmando, laudibusque cumulantes. Item, ubi fieri poterit, inter clericos *Scholae Cantorum* institutio provehatur ad sacram polyphoniam bonamque musicam liturgicam optime exsequendam.

26. In ordinariis praeceptionibus Liturgiae, moralis disciplinae, iuris canonici, quae theologiae tironibus impertiuntur, ea ne omittantur, quae ad principia legesque musicae sacrae propius accedant; imo curetur, ut eiusmodi institutio peculiari eruditione de pulchri specie, seu de aesthetica artis sacrae perficiatur, ne clerici e seminariis dimittantur harum cognitionum ignari, quae necessariae sunt ad cultum ecclesiasticum integre absolvendum.

27. Curae quoque sit ut, apud templa saltem praecipua, antiquae *Scholae Cantorum* restituantur, quemadmodum optimo fructu pluribus in locis factum est. Haud tamen divinae rei studioso clero difficile erit *Scholas* has vel in templis minoribus et rusticis condere; quin etiam modum facillimum inde inveniet apud se congregandi pueros atque grandiores natu, ad ipsorum utilitatem populique optimum exemplum.

28. Superiores musicae sacrae scholae pro viribus sustineantur atque evehantur; ubi autem non sint, ad ea constituenda opus conferatur. Maximi enim momenti est Ecclesiam ipsam ad suorum magistrorum, organicorum et cantorum institutionem incumbere, iuxta vera artis sacrae praecepta.

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

IX. – Conclusio.

29. Denique chori magistris, cantoribus, ecclesiasticis viris, seminariorum, collegiorum, sodaliumque religiosorum moderatoribus, Curionibus, templorum Rectoribus, collegialium cathedraliumque ecclesiarum Canonicis, atque praecipue Dioecesium Ordinariis commendatur, ut omni diligentia sapientibus hisce reformationibus faveant, iamdiu desideratis, atque ab omnibus constanter invocatis, ne ipsa Ecclesiae auctoritas, quae non semel eas proposuit, nunc autem rursus suadet, in contemptionem adducatur.

[S. R. C. Decr. Authent., n. 4121. — Cf. etiam Pii X Acta, vol. I, p. 75-87].

655.

Pius X, ep. *Opus a Catechismis*, 8 dec. 1903. [1]

Opus a Catechismis sollerti et actuosa egregiarum feminarum pietate apud vos ante annos octodecim institutum in gratiam puerorum, qui nihil iam de doctrina religionis in scholis publicis audirent, rogasti tu quidem nuper, ut voluntatis Nostrae significatione aliqua ornaremus. Nos vero ea legentes quae perscribenda curasti de ortu, progressione, fructibus istius operis, magnam scito cepisse animo voluptatem, praesertim quum in hoc etiam facto videremus divinae praesentiam bonitatis, tempestiva suggerentis et consilia et auxilia bonis ad communem salutem. Ac mirum non est, si hanc tam opportunam de regno Christi ac de proximis bene merendi rationem Decessor Noster illustris probavit admodum, et pontificalis indulgentiae muneribus ditavit; quum eadem celeberrimo civitatis iudicio, ut accepimus, in genere operum humanae societati utilium primas tulerit. Hinc dicere vix attinet, eam Nobis, non secus ac Decessori Nostro, caram acceptamque esse: eo magis quod ipsius nunquam fortasse tanta fuit, quanta est hodie non modo opportunitas sed necessitas. Quando enim, ut usuvenire istic dolemus, eripitur aut coangustatur sacro ordini nativum ius docendi publice, omnino res postulat ut sacerdotum ministerio navitas opituletur laicorum, quo puerilis saltem aetas fidei morumque principia incorrupta imbibat. Quare pias feminas saluberrimo deditas operi, de quo loquimur, cum pro merito dilaudamus, tum hortamur vehementer, velint nova quotidie alacritate studioque propositum persequi: simul oramus enixe Deum, ut earum fortunet labores, augeat numerum. Auspicem caelestium donorum ac singularis benevolentiae Nostrae testem habeant Apostolicam Benedictionem, quam tibi primum, dilecte Fili Noster, atque etiam clero populoque tuo universo peramanter in Domino impertimus.

[Pii X Acta, vol. I, p. 101, 102].

[1] Dilecto Filio Nostro Francisco S. R. E. Presbytero Cardinali Richard Archiepiscopo Parisiensi.

656.

Pius X, ep. *Quod Nobis*, 8 dec. 1903.[1]

Quod Nobis est in votis, ut detur ubique terrarum decorem et digni-
tatem nec non sanctitatem liturgicarum functionum reflorescentes videre;
id Nos permovit, ut Nostro peculiari Chrirographo, quaenam sit Nostra
voluntas de musica sacra, quae passim ad cultus famulatum adhibetur,
notum faceremus.[2] In hac optata instauratione omnes Nobis obsecundaturos
confidimus, nec modo caeca illa subiectione, laude quidem et ipsa semper
digna, qua, ex solo obedientiae studio, iussa onerosa et propriae cogitandi
et sentiendi rationi contraria accipiuntur, verum et illa voluntatis alacritate,
quae ab intima persuasione oritur, ita esse agendum ex rationibus, debito
modo conceptis, claris, evidentibus atque inexpugnabilibus.

Si vel parum sane ad finem sanctissimum intendatur, ob quem ars ad
cultus famulatum admittitur, ac summae convenientiae, non offerendi Do-
mino, nisi res per se bonas, et qua fieri possit, optimas, illico suasum habe-
bitur, Ecclesiae praescriptiones de musica sacra nonnisi immediatam appli-
cationem esse duorum, de quibus loquimur, principiorum fundamentalium.
Siquando Clerus et Chori magistri hisce fuerint plane imbuti, bonum musi-
cae sacrae genus sponte florescit, prout plurimis in locis, tum praeterita,
tum in dies repetita facta testantur; sin autem ab iis principiis declinetur,
non preces, non hortamenta, non iussa severiora vel repetita, non poena-
rum canonicarum comminatio efficient, ut quidquam immutetur; sic pas-
sio, aut saltem vituperabilis atque inexcusabilis ignorantia eludere Ecclesiae
volita contendit, et per annos plurimos in eodem vituperabili rerum statu
permanere.

Talem voluntatis alacritatem a Clero et a fidelibus huius Nostrae dile-
ctae Urbis, Christianae Reipublicae centri et supremae Ecclesiae Auctorita-
tis sedis, omni prorsus ratione opperimur. Minime sane inficiandum vide-
tur, neminem magis Nostrae vocis vim persentire debere, quam qui recta
ex ipso Nostro accipit ore; neminem insuper exemplum officiosae ac filia-
lis subiectionis Nostris paternis invitationibus maiori sollicitudine exhibere,
quam primum nobiliusque Christi gregis agmen, Romanam scilicet Eccle-
siam, Nostris pastoralibus Episcopi curis specialiter commissam. Hisce
addatur, istiusmodi exemplum universum per orbem clarescere oportere.
Huc undique conveniunt iugiter Pastores et fideles, ut Christi Vicarium
revereantur, atque spiritum reficiant, nostras venerandas Basilicas et Mar-
tyrum sepulcra visitantes, atque ardentissimo studio sacris solemniis, quae
magnifica pompa ac splendore hic per anni cursum celebrantur, adstantes.
Optamus, ne moribus nostris offensi recedant, iam sua aetate aiebat Benedi-

[1] Ad Virum Eminentissimum Petrum Card. Respighi in Urbe Vicarium in spiritua-
libus Generalem.

[2] Cf. N. 654.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

ctus XIV praedecessor Noster, in Litteris encyclicis *Annus qui*,[1] cum nimirum de musica sacra loqueretur: *optamus, ne moribus nostris offensi recedant*. Et ulterius, attingens abusum, qui tunc invaluerat, musicalium instrumentorum, idem Pontifex aiebat: *Quam igitur opinionem de nobis accepturi sunt, qui ex illis regionibus, ubi nullus musicorum instrumentorum usus est, ad nos, nostrasque urbes proficiscuntur, in quarum Ecclesiis concentus musicos audient, non secus ac in theatris aliisque profanis locis, facili quisque per se coniectura assequi potest. Venient etiam, haud dubium est, exteri ex illis regionibus, in quarum Ecclesiis, cantus et musica instrumenta adhibentur, perinde ac in aliquibus nostris fieri solet. Sed si isti homines prudentes et pii sint, dolebunt quidem, in cantu et sono nostrarum Ecclesiarum remedium illud, quod malo suarum Ecclesiarum curando afferri optabant, non invenisse.*

Anteacta aetate, in musicis compositionibus, quae in Ecclesiis solebant proponi, valde minus forsan quam hac nostra, earum difformitas a legibus et prascriptionibus ecclesiasticis persentiebatur, et scandalum forte minus patebat, quod esset nimirum inordinatio diffusa magis et frequentior.

Nunc tamen, cum tantum studium egregii viri, in rationibus Liturgiae atque artis in cultus servitium illustrandis, impenderint; cum tot in orbis Ecclesiis, in sacrae musicae restauratione, plane consolatorii et haud raro exquisiti fructus sint parti, gravissimis, quae interciperent opus quaeque feliciter sunt devictae, difficultatibus minime obstantibus; cum denique necessitas omnimodae rerum immutationis animos universim pervaserit, abusus omnis, hac ex parte, intolerabilis factus est, idemque removendus.

Tu igitur, pro eo, quod tibi demandatum est, Nostri in Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis, praenobili officio, ea ipsa suavitate, quae tua est, sed non minori fortitudine, efficies, nullum Nobis dubium, ut musicae, quae in ecclesiis et cappellis tam cleri saecularis, quam regularis huius Urbis proponuntur, Nostris plene respondeant Instructionibus.

Multa, in cantibus Missarum, Litaniarum, quae lauretanae nuncupantur, hymni eucharistici, removenda erunt aut corrigenda; ast qui omnimoda instauratione indiget, est cantus Vesperarum in Festis, quae in variis ecclesiis et in basilicis celebrantur. Liturgicae praescriptiones *Caeremonialis Episcoporum*, nec non scholae classicae romanae pulchrae traditiones frustra in iis requirerentur. Devotae cleri psalmodiae locum, cuius et populus particeps erat, interminabiles musicales compositiones super verba Psalmorum pervaserunt, omnes ad normam actae veterum operum theatralium, et, ut plurimum, quoad operis pretium, adeo infeliciter, ut ne inter peioris notae symphonicos profanos concentus quidem tolerari possent. Devotio et christiana pietas exinde certe non proficiunt; pascitur quidem nonnullorum minori ingenio pollentium curiositas, maior tamen pars offensionem et scandalum patitur, ac quomodo tam malus usus usque perseveret, miratur. Nos igitur volumus, illum radicitus exstirpari, et solemnitatem Vesperarum, iuxta liturgicas leges a Nobis indicatas, ubique celebrari.

[1] Cf. N. 395.

Basilicae patriarchales, ob Eminentissimorum Cardinalium ipsis praepositorum sollicitam curam providumque zelum, praecedent exemplo; easque aemulabuntur, prae ceteris, basilicae minores, ecclesiae collegiatae ac parochiales, itidemque ecclesiae et cappellae regularium Ordinum.

Et tu, vide, ne indulgentia utaris, ne moras concesseris. Difficultas, cunctando, non minuitur, quinimo augetur; et, quoniam manus securi apponenda, immediate firmiterque ictus feratur. Esto cunctis in Nobis Nostrisque verbis fides, quacum gratia ac caelestis benedictio coniungitur.

Inter initia, ob novitatem, quidam forte mirabuntur; inter musices magistros et chori directores, quidam forte impraeparatus exsistet; sed paulatim se res in bonam viam recipiet, et in perfecta musicae cum liturgicis legibus cum psalmodiae natura convenientia, omnes pulchritudinem bonitatemque conspicient, numquam antea fortasse perpensas.

Equidem Vesperarum solemnitas, hac de ratione, notabiliter contrahetur. At, si ecclesiarum rectores velint aliquando functiones aliquatenus protrahere, ut populum detineant, qui tam laudabiliter, horis vespertinis, ad Ecclesiam solet accedere, ubi Festum celebratur; nil vetat, imo maximo id fiet cum pietatis emolumento ac cum fidelium aedificatione, quominus aptus sermo Vesperas excipiat, et Festum coronet solemnis SSmi Sacramenti benedictio.

Percupimus tandem, ut sacra musica singulari tractetur cura ac iustis modis in omnibus et singulis Urbis Seminariis et Collegiis ecclesiasticis, ubi ingens illudque electissimum iuvenum clericorum agmen ex omni mundi regione, scientiis sacris et vero spiritu ecclesiastico foecundatur. Novimus, et id Nobis magno est solatio, in pluribus Institutis sacram musicen adeo florere, ut eadem aliis esse possint exemplo. Sed nonnulla Seminaria, nonnulla Collegia, aut superiorum neglectu, aut minima idoneitate gustuque haud sano eorum quibus cantus instructio et musices sacrae directio commissa sunt, plurimum desiderare sinunt.

Tuum erit, sollicite et huic rei omnem curam impendere, instando maxime, ut cantus gregorianus, iuxta Concilii Tridentini, et innumerabilium aliorum, ex omni regione, Provincialium et Dioecesanorum, praescriptiones, peculiari apprehendatur diligentia, et, ut plurimum, in publicis privatisque Instituti functionibus praeferatur.

Alias, ut verum fateamur, cantum gregorianum pars maior non noverat, nisi in libris erratis, corruptis, contractis. Verumtamen sedulum diuturnumque studium, quod circa illud insignes viri, iidemque de arte sacra maxime meriti, posuerunt, res penitus immutavit.

Cantus gregorianus suae primaevae puritati tam concinne, iuxta vota, restitutus, qualis a maioribus transmissus est, et in codicibus plurium Ecclesiarum invenitur, dulcis, suavis, facillimus intellectu apparet, et pulchritudine adeo nova ac inopinata praeditus, ut, ubi introductus fuit, veram in iuvenibus cantoribus animi voluptatem excitare minime retardaverit. Nunc autem, cum in iussis exsequendis voluptas immiscetur, cuncta maiori fiunt alacritate, fructuque durabiliori.

Volumus igitur, in omnibus Collegiis et Seminariis huius almae Urbis,

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

perantiquum cantum romanum rursus introduci, qui iamdudum in nostris ecclesiis et basilicis resonabat, et deliciae fuerunt praeteritarum generationum, pulchriori christianae pietatis aetate. Et quemadmodum olim e romana Ecclesia ille cantus in alias occidentis Ecclesias diffusus erat, ita est in votis, iuvenes clericos, sub Nostris ipsismet oculis instructos, rursus illum in suis Dioecesibus invehere ac diffundere, eo cum reversi fuerint sacerdotes, pro Dei gloria operaturi.

Nostrum oblectat animum hisce ordinationibus instare, quum proxime simus celebraturi centenarias tertia et decima vice redeuntes solemnitates ab obitu gloriosi et incomparabilis Pontificis S. Gregorii Magni, cui ecclesiastica plurium saeculorum traditio harum sanctarum compositionem tribuit melodiarum, et a quo ipsis inditum nomen.

Diligenter in illis Nostri carissimi iuvenes exerceantur, quos audientes laetabimur, si, prout Nobis relatum est, una simul convenient, in proximis centenariis solemniis ad sancti Pontificis sepulcrum in Vaticana Basilica, ut gregorianas melodias exsequantur, Liturgiae tempore, quam, Deo iuvante, Nos hac fausta opportunitate celebrabimus.

Interea, Nostrae peculiaris benevolentiae pignus, sit Apostolica Benedictio, quam Tibi, clero, omnique Nostro dilectissimo populo peramanter impertimus.

[S. R. C. Decr. Authent., n. 4125. — Cf. etiam Pii X Acta, vol. I, p. 68-74].

657.

Pius X, motu propr. *Romanis Pontificibus*, 17 dec. 1903.

1. Romanis Pontificibus maxime semper curae fuit, ut singulis in orbe terrarum Ecclesiis tales praeficerentur Pastores qui probe scirent strenueque valerent tantum sustinere *onus* vel ipsis *angelicis humeris formidandum*. Ex quo factum est ut ab antiquis temporibus plura iidem ediderint, quibus vel novae pro Episcoporum felici delectu traderentur normae vel iam traditarum observantia urgeretur.

2. Haec inter speciali quidem recordatione digna censemus quae, ante Sacrosanctum Tridentinum Concilium, Supremus Pontifex Leo X, [1] post illud vero, Xystus V, [2] Gregorius XIV [3] atque Urbanus VIII [4] de qualitatibus promovendorum deque forma in eorum promotione servanda sapientissime constituerunt; Nobis tamen in primis memorare libet quae a piae

[1] Bulla *Supernae dispositionis*, edita tertio Nonas maii 1514. — Cf. N. 65.

[2] Bulla *Immensa*, edita undecimo Kal. febr. 1587. — Cf. Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 392-401.

[3] Bulla *Onus*, edita Idibus maii 1591. — Cf. N. 171.

[4] Instructio circa modum servandi praescriptiones Conc. Trid. et Const. *Onus* Gregorii XIV in processibus de eligendis Episcopis, edita an. 1627 (Cf. Bull. Rom., tom. 6, I, p. 73-77). — In Conc. Trid. hac de re agitur sess. VII, cap. 1; sess. XXIV, cap. 2; sess. XXV, cap. 1.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

memoriae Decessoribus Nostris Benedicto XVI [1] et Leone XIII [2] decreta sunt. Quorum alter methodum hac in re gravissima a priore invectam ab usu paulatim recessisse dolens, eam instaurare cogitans, inde a primo sui Pontificatus anno, Constitutione *Immortalis memoriae* peculiarem S. R. E. Cardinalium Congregationem instituit, cuius esset, salva manente in omnibus forma et ratione in electione et confirmatione Episcoporum exterarum regionum eousque a Sancta hac Sede servata, operam suam ad promotionem praeficiendorum Italiae dioecesibus sedulo praestare.

3. Providentissimi huius instituti salutaribus effectibus experientia comprobatis, vix dum, licet inviti, universalis Ecclesiae gubernacula, Deo disponente, tractanda suscepimus, ad illud perficiendum provehendumque animum intendimus. Quem in finem praefatam de eligendis Italiae Episcopis a Leone XIII fundatam Congregationem Supremae Sacrae Congregationi S. Officii, cui Ipsimet immediate praesidemus, coagmentantes, decernimus ac statuimus ut, servatis ex integro rationibus et formis, quae in electione Episcoporum pro locis Sacris Congregationibus de Propaganda Fide et Negotiorum Ecclesiasticorum Extraordinariorum subiectis, vel ubi peculiaribus Constitutionibus aut Concordatis res moderatur, in praesens adhibentur, ceterorum omnium Episcoporum delectus ac promotio eidem Supremae S. Officii Congregationi, veluti materia ipsius propria, deferatur.

4. Et quoniam huius Congregationis id proprium est, quod eius membra et officiales ad suum munus fideliter obeundum inviolatumque in omnibus et cum omnibus secretum servandum sub poena teneantur excommunicationis maioris latae sententiae, ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua nonnisi a Nobis atque a Nostris pro tempore Successoribus Romanis Pontificibus, privative etiam quoad S. Poenitentiariam ipsumque D. Cardinalem Poenitentiarium, praeterquam in articulo mortis, absolvi queant; eadem prorsus obligatione sub iisdem omnino poenis et sanctionibus teneri in posterum volumus atque expresse declaramus omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis ac praeeminentiae sint, quos in negocio de eligendis per supradictam Supremam S. Officii Congregationem Episcopis, quovis modo, ratione vel titulo partem habere contingat.

5. Ut autem eidem Supremae Congregationi in gravissimo hoc expediendo negocio certa et constans norma praesto foret, methodum ea in re sequendam, opportuna Instructione, singillatim describi curavimus; qua, ea quae de accuratissima circa promovendorum fidem, vitam, mores prudentiamque inquisitione peragenda statuimus, in plenum vigorem revocavimus *periculum de doctrina*, quod ab ipsis promovendis, habita ratione praescriptionum S. Caroli Borromaei in Conc. Prov. Mediolan. I, p. 2, omnino faciendum praecipimus.

[1] Bulla *Ad Apostolicae*, edita decimo sexto Kal. nov. 1740 (Cf. N. 302), et *Gravissimum*, edita die 18 ian. 1757. — Cf. Bened. XIV Bull., tom 4, p. 509-514.

[2] Bulla *Immortalis memoriae*, edita undecimo Kal. oct. 1878. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. I, p. 147-151.

6. Quae quidem omnia ut per ipsammet Supremam Congregationem S. Officii plane adimpleri valeant, mandamus denique, ad quos spectat, ut Sedium Episcopalium, ut supra non exceptarum, vacatio eidem in posterum, litteris ad ipsius Cardinalem Secretarium datis, quamprimum ac recto tramite notificetur.

7. Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Pii X Acta, vol. I, p. 113-116].

658.

Piu X, const. *Commissum Nobis*, 20 ian. 1904.

[Cf. Codicis Iuris Canonici Docum. II. — Cf. etiam Pii X Acta, vol. III, p. 289-292].

659.

Pius X, litt. ap. *In praecipuis*, 23 ian. 1904.

1. In praecipuis laudibus Leonis XIII fel. rec. Decessoris nostri quisque aequus rerum aestimator hoc ponit, quod is adolescentis Cleri studia ordinare convenienter temporibus aggressus, Sancti Thomae Aquinatis disciplinam in primis instaurandam summa contentione curaverit. Etenim novo ingeniorum cursu commotus, quum videret genera quaedam philosophandi ac de gravioribus doctrinis disputandi invalescere, quae catholicae veritati nequaquam congruerent, mature occurrendum periculo censuit, quod inde alumnis sacrorum impenderet; eo magis quod statam rationem studiorum, Ecclesiae iudicio ac saeculorum usu probatam, animadverterat plurifariam ex cupidine recentiora consectandi defecisse. Itaque institutis praeceptisque philosophiae christianae ac theologiae Ducem Magistrumque suum restituit Doctorem Angelicum, cuius divinum ingenium arma elaborasset ad tuendam veritatem, multiplicesque errores hac etiam aetate profligandos perquam idonea: siquidem quae, nati ad utilitatem omnium temporum, Sancti Patres Doctoresque Ecclesiae tradiderunt principia sapientiae, ea nemo Thoma aptius, colligendo ex eorum scriptis, composuit, nemo luculentius illustravit. Haudquaquam tamen Pontifex bonas scientiae accessiones, quas hodierna pareret studiorum agitatio, neglexit; quin imo, ratus clericos non posse digne suum tenere locum, nisi apparatiore quodam doctrinae commeatu instruerentur, idcirco eorum de gravioribus rebus institutionem opportunis eruditionis incrementis ornatam voluit. Iamvero ad fovendam, quam Encyclicis litteris *Aeterni Patris* [1] indixerat instaurationem disciplinae Thomisticae, subinde in Urbe Roma, utpote quae catholico orbi hoc etiam in genere exemplo deberet esse, propriam Academiam instituit, a Sancto Thoma Aquinate eam nuncupans, cui propositum esset expli-

[1] Cf. N. 578.

care, tueri, propagare doctrinam, praesertim de philosophia Angelici Doctoris. Academiam ipsam annuis reditibus, qui satis essent ad stabilitatem eius confirmandam, munificus auxit. Eidem parem, quae ceteris vel Athenaeis vel Lyceis magnis attributa esset, attribuit facultatem promovendi ad doctoris in philosophia gradum suos alumnos, qui emenso studiorum curriculo laudabile scientiae specimen sollemni periculo dedissent. Denique anno MDCCCXCV statuta, quae Academiae ad tempus praescripserat, temperando, certas ei leges, quas diutinum experimentum commodas fore suasisset, in perpetuum dixit. [1]

2. Ad Nos quod attinet, quando Pontificatus Noster incidit in tempora, traditae a patribus sapientiae inimica fortasse magis, quam unquam antea, omnino oportere ducimus, ut quae Decessor illustris de cultu philosophiae doctrinaeque Thomisticae constituisset, ea religiosissime servanda atque etiam in spem uberiorum fructuum provehenda curemus. Huius rei gratia romanam a S. Thoma Academiam, quae in ceteris id genus institutis principem sibi locum iure vindicat, uti peculiari quadam Leonis floruit, similiter Nostra posthac florere providentia volumus.

3. Equidem novimus, ex eo coetu sodales quam diligenter utiliterque in mandata sibi provincia versari consueverint, vel Aquinatis sententiam doctis commentariis illustrando, vel eius cogitata evolvendo atque ex principiis ipsius nova investigando, vel eiusdem trutina pensando recentiorum placita philosophorum; propterea que gratulamur eis libenter, quod germanas philosophiae progressiones non mediocriter adiuvent. Verum ne nobilissimae contentioni diuturnitas remissionem afferat, magnopere cupimus, ut voce et auctoritate Nostra spiritus sumant etiam alacriores, ac tanquam renovatis auspiciis in propositum incumbant. Quae tamen cohortatio non ad hos tantummodo spectet, sed pertineat, uti debet, ad omnes, quicumque in catholicis orbis terrarum scholis philosophiam tradunt: nimirum curae habeant, a via et ratione Aquinatis nunquam discedere, in eandemque quotidie studiosius insistant. Vehementer autem universis auctores sumus, ut sollertiam laboresque suos conferant maxime ad coercendam pro virili parte communem illam rationis fideique pestem, quae longe lateque serpit: *neorationalismum* dicimus, cuius ne perniciosos afflatus sacra praesertim iuventus vel minimum sentiat, omni ope atque opera providendum est.

4. Ceterum statuta, bona, privilegia, iura, quae Decessor Noster Academiae romanae a Sancto Thoma dedit et attribuit, ea Nos omnia et singula rata et firma esse volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Pii X Acta, vol. I, p. 135-138].

[1] Litt. ap. *Quod iam*, 9 maii 1895. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. XV, p. 193-197.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

660.

Pius X, motu propr. *Nostro motu proprio*, 25 apr. 1904.

Nostro *Motu proprio* diei XXII novembris a. MCMIII, [1] ac subsequenti Decreto, iussu Nostro, edito a Sacrorum Rituum Congregatione, die VIII ianuarii a. MCMIV, [2] Romanae Ecclesiae vetustum cantum gregorianum restituimus, illum ipsum, quem a patribus accepit, quem in suis liturgicis codicibus fideliter servavit, quemque novissima studia ad pristinam puritatem felicissime revocarunt. Ut autem opus inceptum, sicuti decet, perficiatur, Nostraeque Romanae Ecclesiae omnibusque eiusdem ritus Ecclesiis communis textus liturgici cantus gregoriani suppeditetur, typis Nostri Typographei Vaticani, libros liturgicos, in quibus cantus Sacrosanctae Romanae Ecclesiae a Nobis restitutus continetur, edendos decrevimus.

Quo vero omnia eveniant pleno omnium consensu, qui a Nobis vocantur vel vocabuntur, ut rei tanti momenti operam suis studiis navent, et opus debita cum diligentia atque alacritate procedat, normas, quae sequuntur, statuimus:

a) Ecclesiae concentus, qui gregoriani dicuntur, in sua integritate ac puritate iuxta vetustiorum codicum fidem restituentur, ita tamen ut peculiaris etiam ratio habeatur legitimae traditionis, quae in variis codicibus continetur, atque praxeos hodiernae liturgiae.

b) Ob specialem Nostram erga Ordinem S. Benedicti praedilectionem, perspectam habentes operam a Monachis benedictinis adhibitam in genuinis Romanae Ecclesiae concentibus restaurandis, praesertim vero a Monachis Congregationis Gallicae et Monasterii Solesmensis, volumus, ut pro hac editione, redactio partium cantum continentium, peculiari modo Monachis Congregationis Gallicae et Monasterii Solesmensis concredatur.

c) Opera sic parata, examini ac revisioni subiicientur particularis Commissionis Romanae, a Nobis nuper in hunc finem institutae. Ipsa, quoad omnia, quae textuum compilationem et typographicam redactionem respiciunt, secreto iurato adstringitur; quae obligatio ad illos quoque extraneos extendenda erit, qui ad suam operam eidem fini dandam requirentur. Maxima insuper cum diligentia in suo examine procedet, cavens ne quid evulgetur, de quo sufficiens atque conveniens ratio reddi nequeat, et, in rebus dubiis, consilium exquirens aliorum virorum, extra Commissionem et Redactionem, qui quoad hoc studiorum genus praestantes habeantur, atque in suis iudiciis auctoritate polleant. Quod si in melodiae revisione difficultates ratione liturgici textus occurrerint, Commissioni consulenda erit altera Commissio historico-liturgica, iam antea apud Nostram Congregationem SS. Rituum instituta, ita ut ambae concordes procedant quoad eas librorum partes, quae obiectum utrique commune constituunt.

[1] Cf. N. 654.
[2] Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 4131.

d) Approbatio per Nos Nostramque SS. Rituum Congregationem danda libris cantus, ita exaratis atque editis, eiusmodi erit, ut deinceps nemini liceat libros liturgicos approbare, nisi hi, etiam in partibus cantum continentibus, vel sint omnino conformes editioni a Typographeo Vaticano editae sub Nostris auspiciis, vel saltem, iuxta Commissionis iudicium, sint ita conformes, ut allatae variantes ex auctoritate bonorum aliorum codicum gregorianorum provenire ostendantur.

e) Litteraria Vaticanae editionis proprietas Sanctae Sedi reservatur. Editoribus atque typographis cuiusvis regionis qui id petierint et sub statutis conditionibus sponsionem dederint, se opus rite absoluturos esse, permittemus, ut eam libere rursus imprimant, meliori quo libeat modo, ex ea partes extrahant, eiusque exemplaria ubique divulgent.

Sic, Deo adiuvante, Ecclesiae Nos restituturos esse confidimus unitatem traditionalis cantus iuxta scientiam, historiam, artem dignitatemque liturgici cultus, prouti saltem hodierna studia sinunt, Nobis Nostrisque Successoribus facultatem aliter disponendi reservantes.

[S. R. C. Decr. Authent., n. 4134. — Cf. etiam Pii X Acta, vol. I, p. 242-247].

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

661.

Pius X, litt. *La ristorazione*, 5 maii 1904.

La ristorazione d'ogni cosa in Cristo, che ci siano proposti coll'aiuto del Cielo nel governo della Chiesa, esige, come più volte abbiamo già manifestato, la buona istituzione del clero, la prova delle vocazioni, l'esame sull'integrità della vita degli aspiranti e la cautela per non aprir loro con troppa indulgenza le porte del santuario. Per far regnare Gesù Cristo nel mondo nessuna cosa è così necessaria come la santità del clero, perchè con l'esempio, con la parola e con la scienza esso sia guida ai fedeli, che, come dice un antico proverbio, saranno sempre quali sono i sacerdoti: *sicut sacerdos sic populus.*

Leggiamo infatti nel S. Concilio di Trento: *Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicaverunt; quum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur* (Sess. XXII, cap. 1, *de ref.*). Da questo emerge chiara la necessità, che i chiamati nella sorte del Signore, fin dai primi anni, siano non solo informati a quella pietà e a quella dottrina che li rendano sale della terra e luce del mondo, ma la santità della vita abbiano meditata e praticata sotto una vigilante osservanza ed una accurata disciplina nei Seminari. Nei Seminari infatti si educano le tenere piante, che, fatte alberi, daranno frutti copiosi; nei Seminari si preparano gli operai, che dovranno coltivare la vigna del Signore, e finalmente si esercitano i coraggiosi atleti, che dovranno sostenere con fortezza le divine battaglie.

[1] Al Signor Cardinale Pietro Respighi Vicario Generale per la Diocesi di Roma.

Con molta ragione pertanto i padri del S. Concilio di Trento, dopo la Sessione XXII (cap. 18, *de ref.*), in cui fu decretata l'istituzione di questi noviziati ecclesiastici, pieni di santa allegrezza si congratularono a vicenda, ripetendo che, se il Concilio di Trento non avesse stabilito che questo, non si sarebbe dovuto lamentare nè la sua lunga durata, nè le gravi difficoltà e pene, che si erano sostenute.

E qui Noi dobbiamo ringraziare la Provvidenza, che, per la sollecitudine e generosità dei Nostri Venerati Predecessori, la città nostra, non solo è provveduta di ottimi Seminari pei bisogni della Diocesi, ma è ricca di Seminari e Collegi per quasi tutte le nazioni: il che apre il cuore non solo alla speranza, ma alla certezza che la pietà e la scienza di questi alunni che si spargono per tutto il mondo produrranno frutti di benedizione.

Convinti pertanto e persuasi della necessità che quanti aspirano al Sacerdozio siano educati nei Seminari per mantenere e coltivare la vocazione allo stato ecclesiastico, ed affinchè le vocazioni vere si possano meglio conoscere dai Superiori, che devono rendere il *bonum testimonium* prima che sugli aspiranti stessi vengano imposte le mani; persuasi che quanti hanno la vera vocazione niente maggiormente desiderano che di entrare in questi cenacoli, dove pei celesti carismi dello Spirito Santo si preparano alla missione, a cui sono divinamente chiamati (e chi sente altrimenti lascia molto a dubitare sulla verità e sincerità della sua vocazione); col voto, che quanti si credono chiamati al Sacerdozio, fin dai primi anni, se fosse possibile, entrino in questi asili della pietà e dello studio; confermando pienamente quanto Ella, Sig. Cardinale, ha disposto in proposito con le lettere circolari dirette ai Revmi Ordinari d'Italia negli ultimi tre anni decorsi; siamo inoltre venuti nella determinazione di stabilire:

1° Tutti i Chierici della Diocesi di Roma, come quelli che dalle diverse Diocesi d'Italia vengono mandati a Roma dai loro Revmi Ordinari per attendere agli studi, debbono essere convittori in un Seminario o Collegio ecclesiastico.

2° Per provvedere, quanto è possibile, a quegli aspiranti della Diocesi di Roma che non potranno pagare la retta, vogliamo che i posti gratuiti nel Seminario Romano siano riservati agli studenti di Teologia che si trovino in detta condizione; e solo nel caso che non vi fossero aspiranti teologi, possano goderne studenti di Liceo. Vogliamo altresì che a tali posti possano essere nominati anche gli studenti non romani di nascita, purchè appartengano per domicilio a questa Diocesi.

3° I Sacerdoti che a domanda dei loro Vescovi verranno a Roma dalle Diocesi d'Italia, sia per un corso di perfezionamento nella Filosofia o Teologia, sia per frequentare le scuole di diritto canonico e civile negli istituti ecclesiastici, sia per gli studi universitari, od anche per la pratica nelle Sacre Congregazioni Romane, dovranno essi pure entrare come alunni in un seminario o collegio ecclesiastico.

4° Gli studenti esteri, con le commendatizie dei loro Revmi Ordinarî, dovranno procurarsi il posto nei Collegi delle rispettive nazioni, e, qualora questi mancassero, in un altro Collegio ecclesiastico.

5º In conseguenza di tali disposizioni non potranno essere accolti nei Collegi laici di Roma, quantunque retti da persone ecclesiastiche, i chierici e sacerdoti studenti per esercitare l'ufficio di prefetti dei convittori. È doloroso il dover privare siffatti Collegi dei giovani studenti, che coll'abito ecclesiastico vi esercitano tale officio; ma a questo bisogno, al quale potranno provvedere a tempo i Direttori dei singoli Istituti, deve prevalere la necessità di informare quei giovani allo spirito ecclesiastico con la disciplina dei Seminari.

6º In nessuno dei Seminari o Collegi ecclesiastici di Roma potrà essere accettato come alunno chi non presenti la domanda del suo Ordinario, il quale s'impegni di riceverlo in Diocesi a studi finiti, o quando per altre ragioni i Superiori stimassero di doverlo licenziare. Le suddette domande dovranno essere riconosciute da cotesto Vicariato.

7º Le Università Gregoriana e della Minerva, i Seminari Romano e Vaticano, e il Collegio di Propaganda non potranno ammettere alle lezioni, come uditore ordinario, nessun Chierico o Sacerdote, che non esibisca la prova scritta di essere convittore in un Collegio ecclesiastico, o in un Seminario. Per i Sacerdoti romani non appartenenti a comunità ecclesiastiche si richieda il permesso scritto di cotesto Vicariato. Tali disposizioni valgono anche per gli ecclesiastici che desiderano far pratica nelle Congregazioni romane.

8º Non potrà essere promosso al Sacerdozio chi non abbia compiuto il 4º anno di Teologia, e non ne abbia superata la prova, e non sia stato alunno, almeno per tre anni, in un Seminario o Collegio ecclesiastico.

Le comunichiamo, Signor Cardinale, per tempo queste disposizioni, perchè nel suo zelo illuminato pel governo della Nostra Diocesi, Ella ne intimi e ne sorvegli pel prossimo venturo anno scolastico la scrupolosa osservanza, derogando affatto a qualunque consuetudine o privilegio in contrario. E Le impartiamo con particolare affetto l'Apostolica Benedizione.

[Pii X Acta, vol. I, p. 257-261].

662.

Pius X, allocut. *Duplicem*, 14 nov. 1904.

1. Duplicem, nostis, ob causam amplissimum Collegium vestrum ad Nos convocavimus, ut de duobus Beatis viris in Sanctorum album rite referendis, simulque de novis creandis Episcopis hodierno die vobiscum ageremus. Utraque res cum sane magna, tum laeta atque iucunda: verum haud opportuna laetitiae sunt adiuncta temporum. Nam praeter calamitosissimum belli incendium, quo plures iam menses Orientis extrema flagrant, quod quidem Nos, qua sumus et esse debemus in homines universos caritate paterna, supplices obsecramus Deum ut restingui celeriter velit, propiora etiam quaedam sunt quae aegritudinem Nobis efficiant. Etenim a contemplanda christianarum excellentia virtutum divertere mentem cogimur ad ingentem hominum multitudinem, qui vix aliquam christiani nominis umbrarum reti-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

nent; quumque gestit Nobis animus, quod pastores bonos viduatis dare ecclesiis multis possumus, simul vehementer dolet, quod aliarum, nec ita paucarum, viduitati consulere iam nimium diu prohibemur.

2. Facile intelligitis nationem hoc loco spectari eam quae, quum sit inter catholicas nobilissima, tamen alienis a religione studiis multorum commovetur iamdudum et iactatur miserrime. Scilicet eo processit ibi malarum rerum audacia, ut de domiciliis disciplinarum aulisque iudiciorum simulacrum Eius, qui unus est Magister aeternusque hominum Iudex, exturbatum publice fuerit. In multis autem incommodis, quae ibidem Ecclesiam premunt, hoc in primis grave conquerimur, impedimenta omne genus inferri cooptationi Episcoporum; nisi quod graviora quoque agitari consilia videmus. Iamvero huius tantae offensionis idoneam causam frustra quaeras praeter illam, quam modo attigimus: nam quae in Apostolicam Sedem conicitur criminatio, non ipsam in conditionibus pactis mansisse, ea quidem quantum ab honesto, tantum distat a vero. Hanc porro propulsare calumniae labem in conspectu vestro, Venerabiles Fratres, necessarium ducimus, antequam ad ea, quae proposita sunt, accedamus.

3. Nonnulla memoramus ignota nemini. Superiore ineunte saeculo, quum teterrima novarum rerum procella, quae in Galliam incubuerat, veteri disciplina civitatis eversa, avitam late religionem afflixisset, Decessor Noster inclytae memoriae Pius VII et moderatores reipublicae, ille quidem salutis animarum divinaeque gloriae causa sollicitus, hi vero ut stabilitatem rebus ex religione quaererent, icto inter se foedere, pactionem fecerunt, quae ad sarcienda Ecclesiae gallicae damna, eamque in posterum tutela legum muniendam pertineret. [1] Ad pactum autem conventum accessere deinceps solo civilis potestatis arbitrio *organici* qui vocantur *articuli*; at contra accessionem eiusmodi non modo Pius repugnavit re recenti, [2] sed qui consequuti sunt Romani Pontifices, oblata sibi opportunitate, praesertim quum eorum vis articulorum urgeretur, acerrime restiterunt. Idque iure optimo, si quidem harum natura legum consideretur: legum, inquimus, non pactorum; quippe consensio Pontificum nulla unquam intercessit. Igitur hae leges nequaquam publicam securitatem spectant, de quo genere cautum erat in primo pactionis capite : *Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum, quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.* Neque enim est dubium, si leges *organicae* continerentur hoc genere, quin eas, memor obligatae fidei, receptura esset et servatura Ecclesia. Nunc vero legibus istis de disciplina atque de ipsa doctrina Ecclesiae statuitur; pugnantia conventis plura sanciuntur; abrogatisque magnam partem iis, quae in rei catholicae commodum pacta essent, ecclesiasticae potestatis iura vindicantur civili imperio: a quo proinde non tutela exspectanda sit Ecclesiae sed servitus. At praestat ea, quae inter Apostolicam Sedem et rempublicam gallicanam convenerunt, partite perstringere.

[1] Cf. Raccolta di Concordati, p. 561-565.
[2] Allocut. *Quam luctuosam*, 24 maii 1802. — Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 11, p. 335-339.

4. Pertinent illa ad definiendas utriusque potestatis rationes mutuas. — Respublica quidem spondet Ecclesiae liberam religiosi cultus facultatem: *Religio Catholica, Apostolica, Romana libere in Gallia exercebitur.* Eadem munere officioque suo alienam declarat totam sacrarum iurisdictionem rerum: tantum in hoc genere rata firmaque vult decreta, quae *politiae*, idest publicae securitatis nomine, sanciverit. Iamvero quum excipit ista, quorum non ita late campus patet, eo ipso confirmat, nihil se posse in cetera; utpote quae, quum supernaturalem vitam Ecclesiae attingant, terminos longe excedant civilis auctoritatis. Manet ergo, ipsa agnoscente et probante republica, quidquid fidem moresque spectet, id omne in dominatu esse arbitrioque Ecclesiae; ipsius esse instituenda curare atque instituta tueri, quaecumque fidei morumque in catholicis sanctitatem conservent et foveant; ipsam propterea, nec nisi ipsam, posse populo eos praeficere, qui christianae principia et instituta vitae pro officio custodiant ac promoveant, administros sacrorum dicimus et in primis Episcopos.

5. Nihilominus in hac re, nempe concordiae facilius retinendae gratia, aliquid de severitate iuris sui remittit Ecclesia, facultatemque tribuit reipublicae eos nominandi, quibus episcopale mandetur munus. At vero facultas eiusmodi nequaquam valet aut valere idem potest, quod *institutio canonica.* Etenim assumere et collocare quempiam in sacrae dignitatis gradu, eique parem dignitati attribuere potestatem, ius est Ecclesiae ita proprium et peculiare, ut id cum civitate communicare, salva ratione divini muneris sui, non possit. Relinquitur ut concessa reipublicae nominatio nihil sibi velit aliud, nisi designare et sistere Apostolicae Sedi quem Pontifex, si quidem idoneum et ipse agnoverit, ad episcopatus honorem promoveat. Neque enim ita nominatum canonica institutio necessario sequitur; sed ante religiose ponderanda personae sunt merita. Quae si forte obstent, quominus episcopatum Pontifex, pro conscientia officii, cuipiam conferat, nulla tamen lege cogi poterit rationum momenta patefacere, quare non conferendum putarit.

6. Ad haec, certas sollemnesque ad Deum preces Ecclesia pro summo magistratu civitatis adhibendas constituit; in quo amicam se civitati fore, qualiscumque demum huius fuerit temperatio publica, pollicetur.

7. Ista quidem pactum habet, de quo loquimur, in praesens et futurum statuta: quod vero ad praeteritum tempus, transactionem continet ultro citroque compositam. Versatur haec in bonis, Ecclesiae non multo ante detractis publice: quae bona Pontifex civitati condonat; civitas autem fidem dat, praebituram se Clero *sustentationem, quae cuiusque statum deceat.* Agitur hic, ut apparet, de veri nominis contractu, quo quum certa praestatio pro re certa stipulata sit, non est dubium, tametsi illa conventio foedusque resolvatur, tamen ius manere integrum Ecclesiae aut rem repetere aut iustam pro re praestationem exigere.

8. Exposuimus summa rerum capita, de quibus inter Galliam et Apostolicam Sedem, necessario maxime utrique tempore, convenit: quisque ex veritate res aestimat, iudex esto, utra conventis non steterit.

9. Num Ecclesia ius datum reipublicae nominandi Episcopos unquam

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

retractavit? Immo vero candidatos, quos respublica proposuisset, partem longe maximam, canonice instituit. Quodsi factum quandoque est, ut aliquos non institueret, maximis semper gravissimisque de caussis, eisque extra genus politicum positis, factum est; quas causas non semel ipsi magistratus reipublicae deinceps cognitas probavere: nimirum ne religio, cui quidem Pontifex summam curam diligentiamque necessario debet, aliquid detrimenti caperet.

10. Iam de legibus, publicae tranquillitatis ratione perlatis, obscurum non est Ecclesiam, in exercendo sacrorum cultu, quod promiserat praestitisse: cuius ceteroqui illustris ea est et pervagata doctrina, Deum esse cuiusvis in homines potestatis fontem, ideoque civilium quoque iussa et vetita legum, si quidem iusta et cum communi bono coniuncta sint, sancte inviolateque esse servanda.

11. Nec minus aequam se fidamque impertiit reipublicae Ecclesia, quaecumque usque adhuc extitit constitutio temperatioque civitatis. Semper enim iis qui praeerant, quum de statuta formula Deum precaretur, non caelestem modo, quod caput est, opem, sed etiam civium optimorum gratiam conciliare studuit.

12. Denique quam fideliter transactionem de facultatibus suis factam custodierit, vel ex hoc intelligi potest, quod nemo unus molestiam ab Ecclesia ullam unquam passus est ob eam causam, quod ipsius bona ad hastam publicam quaesita possideret.

13. Quaerere iam licet, utrum civitas pariter, quae sua essent ex foedere officia, impleverit.

14. Statutum principio est, catholicae religionis exercendae liberam in Gallia facultatem fore. — At suppetere libertatem istam hodie dixeris, quando ad Pontificem, summus qui est magister et custos catholici nominis, interdicitur Episcopis aditus atque etiam missio litterarum, inscia Republica? Quando sacrorum Consiliorum, a quibus, Pontificis auctoritate et nomine, negotia Ecclesiae universae in Urbe Roma administrari notum est, spernuntur publice ac refutantur acta, quin immo ipsius actis Pontificis vix parcitur? Quando id non dissimulanter agitur, ut nervi incidantur viresque religionis, detrahendis iis, quae, Dei providentis nutu, praesto sunt Ecclesiae utilissima ad suum fungendum munus adiumenta? Neque enim reputare, nisi magno cum angore, possumus religiosarum familiarum recentem cladem; quas quidem ad exterminandas finibus patriae haec una ratio valuit, avitae religionis in populo fautrices extitisse efficaces: non valuit ad retinendas, si minus ornandas ut oportebat, optimorum cogitatio meritorum, quae ab iis omni tempore essent in cives suos profecta. Ecquid tam contrarium iunctae cum Apostolica Sede amicitiae ac foederi, quam hac tanta iniuria et contumelia eos affectos esse, quibus nihil habet Ecclesia carius? Quin etiam ad ceteras id genus molestias ingens nuper cumulus accessit. Etenim certum accepimus circumferri edictum, quo Sodales illustris cuiusdam familiae et quidem ratae legibus, ab ipsis dioecesium Seminariis, quibus magna cum salute sacri ordinis praeesse diu consueverunt, abire excedere iubentur. Huc scilicet evasit promissa religioni libertas, ut Episcopis iam

non liceat, prout fuerit melius, institutioni prospicere sacrae iuventutis, iidemque in negotio tanti momenti ac ponderis cogantur adiutores ab se, quos semper experti sunt optimos, segregare.

15. Quamquam illud multo gravius est ministerio Apostolico iniectum vinculum. — Ipsa rei natura clamat, quod diximus, institutionem canonicam, praesertim si ad summum ecclesiastici ordinis gradum danda sit, non posse, salva maiestate religionis, cadere in quemquam, nisi qui pro moribus, ingenio, doctrina dignus tam celso munere videatur. Hac obstrictus sanctissima lege, Pontifex non omnes, quos respublica sibi designarit, continuo ad episcopatum promovendos putat; verum probe explorato qualis quisque sit, alios, quos repererit idoneos, assumit, alios, quos minus, relinquit scilicet: admonitamque de consilio suo rempublicam rogat, ut pro illis quidem legitime incepta perficere, his vero sufficere meliores velit. Huiusmodi consuetudinem Apostolica Sedes usque ad nostram memoriam tenuit sine offensione, quamdiu utriusque potestatis concordia stetit incolumis. Quid autem dudum respublica? Negat ius esse Pontifici repudiare quemquam ex iis, quos ipsa nominavisset; nominatos recipi promiscue vult omnes; propterea obstinat non ante sinere eos, qui probati sint Ecclesiae, canonice institui, quam qui repulsam ab ipsa tulerint, iidem probationem ferant. Iamvero usque eo extendere vim nominandi, ut facultas, concessu Pontificis facta reipublicae, nativum et sacrosanctum Ecclesiae ius elidat perscrutandi utrum qui nominati sint, digni sint, hoc profecto non est interpretari pactum, sed subvertere: contendere autem, ut, si qui praetereantur, ne aliis quidem canonica institutio detur, huc recidit admodum, nullos velle posthac constitui Episcopos in Gallia.

16. Quod denique ad eam attinet conventionis partem, qua honestae clericorum sustentationi consultum est, num ipsam servat Respublica, quum Episcopis aliisque sacrorum administris, nulla habita quaestione aut iudicio, inauditis et indefensis, quod saepissime usuvenire nostis, legitimum victum, ad libidinem suam, detrahit? Atqui non foederis tantum hic lex, sed iustitiae perfringitur. Neque enim civitas in eo, quod istiusmodi alimenta ministrat, putanda est voluntate gratificari Ecclesiae, verum portionem, nec ita magnam, debiti exsolvere.

17. Aegre induximus animum, Venerabiles Fratres, haec memoratu audituque tam tristia dicendo persequi. Nam moerorem, quem ex rebus Gallicis gravem patimur, etsi levari, communicando vobiscum, intelligebamus posse, maluissemus tamen silentio premere; etiam ob eam rem, ne tot pientissimis Ecclesiae filiis, quos in Gallia numeramus, aegritudinis morsum querimonia communis Parentis exacueret. Verumtamen iura sanctissima Ecclesiae improbe violata, ac dignitas praesertim Apostolicae Sedis alieno notata crimine, prorsus a Nobis expostulationem iniuriarum publicam requirebant. Idque praestitimus, nullo cum acerbitatis sensu adversus quemquam, paterna certe cum voluntate erga gentem Gallicam; in qua quidem diligenda Nos, quod ceteroqui non potest esse dubium, Decessorum Nostrorum nulli concedimus.

18. Enimvero sperandum non est, fore ut institutarum contra Ecclesiam

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

rerum cursus consistat. Quaedam his ipsis diebus eventa certissimum fecere indicium, eos qui ad gubernacula sedent Reipublicae, sic esse in rem catholicam animatos, ut ultima sint brevi metuenda. — Omnino, dum Sedis Apostolicae documenta non obscure loquuntur, professionem christianae sapientiae amice posse cum Reipublicae forma consistere, ii contra affirmare velle videntur, Rempublicam, quali nunc utitur Gallia, eiusmodi esse naturae, ut nullum habere possit cum christiana religione commercium: id quod dupliciter Gallos calumniose petit, ut catholicos nimirum et cives. — At eveniant licet quantumvis aspera; nequaquam Nos aut imparatos offendent aut pavidos, quos Christi Domini illa vox et hortatio confirmat: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur.*[1] *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.*[2] Interea tamen Nobiscum vos, Venerabiles Fratres, humilium instantia precum a Deo contendite, ut qui potest unus deducere unde velit et quo velit impellere hominum voluntates, auspice Virgine Immaculata, pacem tranquillitatemque Ecclesiae suae benignus maturet.

[Pii X Acta, vol. II, p. 184-196].

663.

Pius X, const. *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904.

[Cf. Codicis Iuris Canonici Docum. I. – Cf. etiam Pii X Acta, vol. III, pag. 239-288].

664.

Pius X, ep. *Experiendo*, 27 dec. 1904.[3]

Experiendo plus satis cognitum est, tam instabili hominem esse natura, ut vel diligentissimus quisque officii, nisi opportunis subinde stimulis excitetur, sensim frigeat ad virtutem, ac tandem languescat prorsus in vitiumque decidat. Ab hac naturae conditione quum sacerdotes profecto soluti non sint, idcirco ne suis partibus aliquando prae languore desint, certa adhibeant subsidia oportet, quibus identidem reparare vires et alacritatem redintegrare pristinam possint. Subsidia eiusmodi non obscure videtur Deus velle, ut potissimum in pio aliquo recessu, idest seorsum per dies aliquot anteactam vitam reputando, quaerantur. *Cogitavi vias meas: et converti pedes meos in testimonia tua.*[4] Perspicuum id quidem ratio facit, qua cum Apostolis se gessit Christus Dominus. Qui quum, doctrinae legisque suae destinatos orbi universo nuntios, interea in vicos et castella Iudaeae et Galilaeae,

[1] Ioan., XV, 20.
[2] Ioan., XVI, 33.
[3] Dilecto Filio Nostro Petro Titulo SS. Quatuor Coronatis S. R. E. Presbytero Cardinali Respighi Nostro in Urbe Vicario.
[4] Ps. CXVIII, 59.

praedicandi Evangelii causa, soleret mittere, reversos, ubi quae docuissent fecissentque audierat, ad solitudinem invitabat, quo, recreatis animis, parati laborando vel magis deinceps fierent. *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.*[1]

Iamvero non Apostolos tantum, quos coram alloquebatur, sed omnes, quicumque Apostolici ministerii participes futuri essent, hac invitatione excitasse Dominus putandus est; ut nimirum, qui ob sanctimoniam non modo officii, sed etiam vitae et sal terrae et lux mundi et quasi terrestres dii esse deberent, iidem praesidium retinendae augendaeque sanctimoniae maximum usurparent.

Etenim, si quaerimus, omnium ornamenta virtutum, quae Clericum decent, studium sacrarum rerum continet: id vero, ob eam, quam diximus, inconstantiam naturae, ex quo die sacris initiati sumus, diuturnitate in multis defervescit, in non paucis dissipatur misere et extinguitur. Ipsa etiam assuetudo, quae quotidie res easdem tractando gignitur, causa est quare paullatim sacerdos non diligentior ad sancta, quam ad cetera vitae munia evadat. Accedunt huc pericula et varia et magna, quae saepe sunt in administratione sacerdotalis officii subeunda. Denique, quum necesse sit de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere, multo magis necessitas haec sacerdotem tenent, in mediis mundi illecebris et miseriis habitantem. Quibus ex rebus omnino apparet oportere, ut, si rectos in nobis denuo excitare spiritus, si quamlibet vitiositatem corrigere in agendo contractam, si maiorem ad discrimina constantiam induere volumus, intermissis loco quotidianis curis, atque e magisterio parumper in disciplinam regressi, illuc revertamur, unde olim bono incensi studio prodivimus, docilesque excipiamus vocem, quae nos de officiis admoneat, salubriter corripiat, ad potiora hortetur atque urgeat. Quamobrem nihil tam proderit, quam longe a strepitu et agitatione communis vitae secedere; quippe animae ad Spiritus Sancti accipienda munera quies est amicissima: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.*[2]

Equidem non intelligimus sacerdotem ullum posse reperiri qui, in tantis difficultatibus, molestiis periculisque collocatus, non tamen sentiat subinde ex intervallo requirendum sibi esse praesidium, quod spiritualia, quae dicuntur, exercitia suppeditant. Atqui videmus haec ipsa ab iis quidem, quorum est actio vitae munerisque commendabilior, cupide expeti accurateque frequentari, ab aliis vero, utinam paucis, ita negligi, ut minimo aestimari videantur. Quid? mercator quivis, cui sunt sui negotia cordi, diligenter quotidie, diligentius quotannis acceptorum et expensorum rationes computabit; sacerdos autem quispiam curatorque animarum, qui, quum Dei negotia administret, Deo districtam rationem redditurus est, non, se colligens aliquando, aequa iudicii lance ponderabit hinc officia sua, hinc facta, atque dispiciet utrum vocationi suae congruat, an penitus discrepet?

[1] Marc., VI, 31.
[2] Osee, II, 14.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Imploranda quidem est divina benignitas, ut omnibus ad unum Clericis persuadeat huiusce opportunitatem instituti, quod tanta eis affert adiumenta, unde se rite praestent ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Nobis interea, qui in universa gubernanda Ecclesia praecipuam quandam curarum partem huic Almae Urbi debemus, ad temperandam, ut oportet, Romani disciplinam Cleri, visum est praesertim spiritualium exercitiorum morem fovendo dirigere.

Quare Sodalibus et e Societate Iesu et a Christi Passione et Vincentianis significavimus, gratum Nobis eos facturos, si per unam singulis mensibus hebdomadam (quantum spatii est a vespertinis diei dominici ad matutinas horas proximi Sabbati) in suo quique asceterio urbano sacerdotibus navare operam voluissent. Qui Sodales quum paratissimos responderint sese esse Nostris obsequi votis, iam tuum erit, Dilecte Fili Noster, usque ab initio appetentis anni opportuna praescribere, ut quotquot Romae, praeter religiosas familias, sacerdotes numerantur, omnes, nullo cuiquam suffragante privilegio, spiritualibus exercitiis in aliquo e ternis asceteriis, quae dicta sunt, saltem tertio quoque anno vacent.

Dubitandum minime est quin eiusmodi praescriptiones universi omnes, ad quos datae erunt, magna cum voluntate studeant perficere, atque hoc ipso consolari Nos; qui quidem ad propositum, quod, necessitatibus temporum adducti, urgemus, instaurandi omnia in Christo, nihil tam valere arbitramur, quam recta studia et exempla Clericorum. Auspicem divinorum munerum benevolentiaeque Nostrae testem, tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Pii X Acta, vol. I, p. 418-422].

665.

Pius X, motu propr. *Inter multiplices*, 21 febr. 1905.

Inter multiplices curas, quibus ob officium Nostrum Apostolicum premimur, illa etiam imponitur, ut Venerabilium Fratrum Nostrorum, qui episcopali charactere praefulgent, pontificales praerogativas, uti par est, tueamur. Ipsi enim Apostolorum sunt Successores; de iis loquitur Cyprianus (ep. 69, n. 8) dicens, *Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo;* nec ulla adunatur Ecclesia sine Episcopo suo, imo vero Spiritus ipse Sanctus *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act. XX, 28). Quapropter *Presbyteris superiores esse Episcopos*, iure definivit Tridentinum Concilium (Sess. XXIII, c. 7). Et licet Nos, non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis principatum supra ceteros Episcopos, ex Christi dispositione, tamquam Petri Successores, geramus, nihilominus Fratres Nostri sunt Episcopi, et sacra Ordinatione pares. Nostrum ergo est, illorum excelsae dignitati sedulo prospicere, eamque pro viribus coram christiano populo extollere.

Ex quo praesertim Pontificalium usus per Decessores Nostros Romanos Pontifices aliquibus Praelatis, episcopali charactere non insignitis, conces-

sus est, id saepe accidit, ut, vel malo hominum ingenio, vel prava aut lata nimis interpretatione, ecclesiastica disciplina haud leve detrimentum ceperit, et episcopalis dignitas non parum iniuriae.

Quum vero de huiusmodi abusibus ad hanc Apostolicam Sedem Episcoporum querelae delatae sunt, non abnuerunt Praedecessores Nostri iustis eorum postulationibus satisfacere, sive Apostolicis Litteris, sive S. Rituum Congregationis decretis pluries ad rem editis. In id maxime intenderunt Benedictus XIV, per epistolam S. Rituum Congregationis datam die xxii martii MDCCXLIV *SSmus Dominus Noster*, [1] iterumque idem Benedictus, die XXVIII februarii MDCCLII *In throno iustitiae;* [2] Pius VII, die XIII decembris MDCCCXVIII *Cum innumeri*, [3] et rursus idem Pius, die IV iulii MDCCCXXIII *Decet Romanos Pontifices*, [4] et Pius IX die XXIX augusti MDCCCLXXII *Apostolicae Sedis officium.* [5] E S. Rituum Congregatione memoranda in primis decreta quae sequuntur: de Praelatis Episcopo inferioribus, datum die XXVII mensis septembris MDCLIX et ab Alexandro VII confirmatum; [6] dein decreta diei XXII aprilis MDCLXXXIV de Canonicis Panormitanis; [7] diei XXIX ianuarii MDCCLII de Canonicis Urbinatibus; [8] diei XXVII aprilis MDCCCXVIII de Protonotariis Titularibus, a Pio Pp. VII approbatum; [9] ac diei XXVII augusti MDCCCXXII de Canonicis Barensibus. [10]

Hisce tamen vel neglectis, vel ambitioso conatu, facili aufugio, amplificatis, hac nostra aetate saepe videre est Praelatos, immoderato insignium et praerogativarum usu, praesertim circa Pontificalia, viliores reddere dignitatem et honorem eorum, qui sunt revera Pontifices.

Quamobrem, ne antiquiora posthabeantur sapienter a Praedecessoribus Nostris edita documenta, quin imo, ut iis novum robur et efficacia adiiciatur, atque insuper praesentis aevi indoli mos iuste geratur, sublatis omnibus consuetudinibus in contrarium, nec non amplioribus privilegiis, praerogativis, exemptionibus, indultis, concessionibus, a quibusvis personis, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, nominatim, collective, quovis titulo et iure, acquisitis, assertis, aut praetensis, etiam Praedecessorum Nostrorum et Apostolicae Sedis Constitutionibus, Decretis, aut Rescriptis, confirmatis, ac de quibus, ad hoc, ut infirmentur, necesse sit peculiariter mentionem fieri, exquisito voto aliquot virorum in canonico iure et liturgica scientia peritorum, reque mature perpensa, motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, declaramus, constituimus, praecipimus, ut in posterum, Praelati Episcopis inferiores, aliique, de qui-

[1] Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 2376.
[2] Cf. Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 443-446.
[3] Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 15, p. 141-145.
[4] Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 15, p. 618-621.
[5] Cf. Acta Pii IX, vol. VI, p. 69-81.
[6] Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 1131.
[7] Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 1728.
[8] Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 2418.
[9] Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 2583.
[10] Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 2624.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

bus infra, qua tales, non alia insignia, privilegia, praerogativas audeant sibi vindicare, nisi quae hoc in Nostro documento, Motu proprio dato, continentur, eademque ratione ac forma, qua hic subiiciuntur.

A) DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS.

1. – Quatuor horum habeantur ordines – I. Protonotarii Apostolici de numero Participantium, septem qui Collegium privative constituunt; – II. Protonotarii Apostolici Supranumerarii; – III. Protonotarii Apostolici ad instar Participantium; – IV. Protonotarii Apostolici Titulares, seu honorarii (extra Urbem).

I. – Protonotarii Apostolici de numero Participantium.

2. – Privilegia, iura, praerogativas et exemptiones quibus, ex Summorum Pontificum indulgentia, iamdudum gaudet Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium, in propriis Statutis nuperrime ab ipsomet Collegio iure reformatis inserta, libenter confirmamus, prout determinata inveniuntur in Apostolicis Documentis inibi citatis, ac praesertim in Constitutione *Quamvis peculiaris* Pii Pp. IX, diei IX mensis februarii MDCCCLIII, [1] paucis exceptis, quae, uti infra, moderanda statuimus:

3. – Protonotarii Apostolici de numero Participantium habitu praelatitio rite utuntur, et alio, quem vocant *pianum*, atque insignibus, prout infra numeris 16, 17, 18 describuntur.

4. – Habitu quotidiano incedentes, caligas, collare et pileum ut ibidem n. 17 gestare poterunt, ac insuper Annulum gemmatum, quo semper iure utuntur, etiam in privatis Missis aliisque sacris functionibus.

5. – Quod vero circa usum Pontificalium insignium, Xystus V in sua Constitutione *Laudabilis Sedis Apostolicae sollicitudo*, diei VI mensi februarii MDLXXXIV, [2] Protonotariis Participantibus concessit: « Mitra et quibuscumque aliis Pontificalibus insignibus, etiam in Cathedralibus Ecclesiis, de illorum tamen Praesulum, si praesentes sint, si vero absentes, absque illorum consensu, etiam illis irrequisitis, extra Curiam uti »; in obsequium praestantissimae Episcoporum dignitatis, temperandum censuimus, ut pro Pontificalibus, extra Urbem tantum agendis, iuxta S. R. C. declarationem quoad Episcopos extraneos vel Titulares, die IV mensis decembris MCMIII, [3] ab Ordinario loci veniam semper exquirere teneantur, ac insuper consensum Praelati Ecclesiae exemptae, si in ea sit celebrandum.

6. – In Pontificalibus peragendis, semper eis inhibetur usus throni, pastoralis baculi et cappae; item septimi candelabri super altari, et plurium diaconorum assistentia; Faldistorio tantum utentur; apud quod sacras vestes assumere valeant. Pro concessis enim in citata Xysti V Constitutione,

[1] Cf. Acta Pii IX, vol. I, p. 409-415.
[2] Cf. Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 163-166.
[3] Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 4124.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

« quibuscumque aliis Pontificalibus insignibus », non esse sane intelligenda declaramus ea, quae ipsis Episcopis extra dioecesim sunt interdicta. Loco *Dominus vobiscum* numquam dicent *Pax vobis;* trinam benedictionem impertientur numquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium*, sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos*, de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt, assistente Episcopo loci Ordinario, aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, ad quem pertinet eam impertiri.

7. – Ad Ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra Mantellettum Crucem gestare possunt pectoralem, a qua alias abstinebunt; et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores Ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario ac duobus clericis, non tamen Canonicis seu Dignitatibus; seipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio illis porrecto, et per ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

8. – Crux pectoralis, a Protonotariis Participantibus in pontificalibus functionibus adhibenda, aurea erit, cum unica gemma, pendens a funiculo serico *rubini* coloris commixto cum auro, et simili flocculo retro ornato.

9. – Mitra in ipsorum Pontificalibus erit ex tela aurea (numquam tamen pretiosa) quae cum simplici alternari possit, iuxta *Caerem. Episcop.* (I, XVII, nn. 2 et 3); nec alia Mitra, nisi simplici, diebus poenitentialibus et in exsequiis eis uti licebit. Pileolo nigri coloris sub Mitra dumtaxat uti poterunt.

10. – Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare, in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere, aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros. Fas erit praeterea Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvim cum Manutergio in lance adhibere. In aliis Missis lectis, a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae. In Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone et Urceo cum Pelvi et lance ad Manutergium.

11. – Testimonium autem exhibere cupientes propensae voluntatis Nostrae in perinsignem hunc coetum, qui inter cetera praelatorum Collegia primus dicitur et est in romana Curia, Protonotariis Participantibus, qui a locorum Ordinariis sunt exempti, et ipsos Abbates praecedunt, facultatem facimus declarandi omnibus, qui Missae ipsorum intererunt, ubivis celebrandae, sive in oratoriis privatis, sive in altari portatili, per eiusdem Missae auditionem diei festi praecepto rite planeque satisfieri.

12. – Protonotarius Apostolicus de numero Participantium, qui ante decimum annum ab adepto Protonotariatu Collegium deseruerit, aut qui a decimo saltem discesserit, et per quinque alios, iuxta Xysti V Constitutionem, iisdem privilegiis gavisus fuerit, inter Protonotarios *ad instar* eo ipso erit adscriptus.

II. – Protonotarii Apostolici supranumerarii.

13. – Ad hunc Protonotariorum ordinem nemo tamquam privatus aggregabitur, sed iis tantum aditus fiet, qui Canonicatu potiuntur in tribus Capitulis Urbis Patriarchalium, id est Lateranensis Ecclesiae, Vaticanae ac Liberianae; itemque iis, qui Dignitate aut Canonicatu potiuntur in Capitulis aliarum quarumdam extra Urbem ecclesiarum, quibus privilegia Protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda. Qui enim aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi, de quibus hoc in Nostro documento, nn. 80 et 81, erit sermo.

14. – Canonici omnes, etiam Honorarii, tum Patriarchalium Urbis, tum aliarum ecclesiarum, de quibus supra, tamquam singuli, insignibus et iuribus Protonotariorum ne fruantur, nec gaudeant nomine et honore Praelatorum, nisi prius a Summo Pontifice inter Praelatos Domesticos per Breve adscripti sint, et alia servaverint, quae infra n. 34 dicuntur. Protonotarius autem *ad instar*, qui Canonicis eiusmodi accenseatur, eo ipso privilegia Protonotarii Supranumerarii acquiret.

15. Protonotarii Apostolici Supranumerarii subiecti remanent proprio Ordinario, ad formam Concilii Tridentini (Sess. 24, c. 11), ac eorum beneficia extra Romanam Curiam vacantia Apostolicae Sedi minime reservantur.

16. – Habitum praelatitium gestare valent coloris violacei, in sacris functionibus, idest caligas, collare, talarem vestem cum cauda, nunquam tamen explicanda, neque in ipsis Pontificalibus celebrandis: sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis a laeva pendentibus, et Palliolum, seu Mantellettum supra Rocchettum: insuper nigrum biretum flocculo ornatum coloris *rubini:* pileum item nigrum cum vitta serica, opere reticulato exornata, eiusdem *rubini* coloris, cuius coloris et serici erunt etiam ocelli, globuli, exiguus torulus collum et anteriores extremitates vestis ac Mantelletti exornans, eorum subsutum, itemque reflexus (*paramani*) in manicis (etiam Rocchetti).

17. – Alio autem habitu uti poterunt, Praelatorum proprio, vulgo *piano*, in congregationibus, conventibus, solemnibus audientiis, ecclesiasticis et civilibus: idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, *rubini* coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non undulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis *rubini* coloris. Communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur.

18. – Propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem *rubini* coloris, sine Cruce vel Mitra.

19. – Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Rocchetti et Mantelletti in choro, attendatur utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, praelatitio habitu assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent.

20. – Cappam laneam violaceam, pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo autem *rubini* coloris serico ornatam, induent in Cappellis Pontificiis, in quibus locum habebunt post Protonotarios Participantes. Ii vero Canonici Protonotarii, qui Praelati non sunt, seu nomine tantum Protonotariorum, non vero omnibus iuribus gaudent, ut nn. 13 et 14 dictum est, in Cappellis locum non habebunt, neque ultra limites Pontificiae concessionis habitu praelatitio et *piano*, de quibus nn. 16 et 17, uti unquam poterunt.

21. – Habitu praelatitio induti, clericis quibusvis, Presbyteris, Canonicis, Dignitatibus, etiam collegialiter unitis, atque Praelatis Ordinum Regularium, quibus Pontificalium privilegium non competat, antecedunt, minime vero Vicariis Generalibus vel Capitularibus, Abbatibus, et Canonicis Cathedralium collegialiter sumptis. Ad Crucem et ad Episcopum non genuflectent, sed tantum sese inclinabunt; duplici ductu thurificabuntur: item si sacris vestibus induti functionibus in choro adsistant.

22. – Gaudent indulto Oratorii privati domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam solemnioribus diebus (exceptis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, nec non loci Patroni principalis festis) celebrare ipsi Missam poterunt vel alius Sacerdos, in propriam, consanguineorum, affinium, familiarium et cohabitantium commoditatem, etiam ad praeceptum implendum. Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant.

23. – Licet iisdem acta conficere de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei, quo tamen privilegio uti non poterunt, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium.

24. – Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium aliorumque piorum Institutorum, in Iudices Synodales, in Commissarios et Iudices Apostolicos, etiam pro causis beneficialibus et ecclesiasticis. Item apud ipsos professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eam adiguntur. Ut autem iuribus et praerogativis, hic et num. 23 expressis, frui possint, Canonici Protonotarii in S. Theologia aut in Iure Canonico doctorali laurea insigniti sint oportet.

25. – Extra Urbem, et impetrata venia Ordinarii loci, cui erit arbitrium eam tribuendi quoties et pro quibus Solemnitatibus voluerit, atque obtento etiam consensu Praelati ecclesiae exemptae, in qua forte celebrandum sit, pontificali ritu Missas et Vesperas aliasque sacras functiones peragere poterunt. Quod functiones attinet collegialiter, seu Capitulo praesente, celebrandas, a propriis Constitutionibus, de Ordinarii consensu, provideatur, iuxta Apostolica Documenta.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

26. – Ad ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra Mantellettum Crucem gestare possunt pectoralem (a qua alias abstinebunt): et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario et duobus clericis, non tamen a Canonicis seu Dignitatibus: seipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio sibi porrecto, et per ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

27. – Pontificalia agent ad Faldistorium, sed vestes sacras in sacrario assument et deponent, quae in Missis erunt: *a*) Caligae et sandalia serica cum orae textu ex auro; *b*) Tunicella et Dalmatica; *c*) Crux pectoralis sine gemmis, e chordula serica *rubini* ex integro coloris pendens, auro non intertexta, simili flocculo retro ornata; *d*) Chirothecae sericae, sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro distinctae; *e*) Annulus cum unica gemma; *f*) Mitra ex serico albo, sine ullo opere phrygio, sed tantum cum orae textu ex auro, et cum laciniis similiter aureis, quae cum simplici ex lino alternari poterit, iuxta *Caerem. Episcopor.* (I, XVII, nn. 2 et 3); haec vero simplex, diebus poenitentialibus et in exsequiis una adhibebitur; *g*) Canon et Palmatoria, a qua abstinendum coram Ordinario seu maiori; *h*) Urceus et Pelvis cum Mantili in lance; *i*) Gremiale.

28. – In Vesperis solemnibus (post quas benedictionem non impertientur) aliisque sacris functionibus pontificaliter celebrandis, Mitra, Cruce pectorali, Annulo utentur, ut supra. Pileolus nigri dumtaxat coloris, nonnisi sub Mitra ab eis poterit adhiberi.

29. – In pontificalibus functionibus eisdem semper interdicitur usus throni, pastoralis baculi et cappae; in Missis autem pontificalibus, septimo candelabro super altari non utentur, nec plurium diaconorum assistentia; Presbyterum assistentem pluviali indutum habere poterunt, non tamen coram Episcopo Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior; intra Missam manus lavabunt ad Ps. *Lavabo* tantum. Loco *Dominus vobiscum*, nunquam dicent *Pax vobis;* trinam benedictionem impertientur nunquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium*, sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos*, de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt assistente Episcopo loci Ordinario, aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, cuius erit eam impertiri. Coram iisdem, in pontificalibus celebrantes, Mitra simplici solummodo utantur, et dum illi sacra sumunt paramenta, aut solium petunt vel ab eo recedunt, stent sine Mitra.

30. – De speciali commissione Ordinarii, Missam quoque pro defunctis, pontificali ritu, celebrare poterunt Protonotarii Supranumerarii, cum Absolutione in fine, Mitra linea utentes; numquam tamen eamdem Absolutionem impertiri illis fas erit, post Missam ab alio celebratam; quod ius uni reservatur Episcopo loci Ordinario.

31. – Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere (non tamen Crucem pec-

toralem et Annulum), aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros; Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvim cum Manutergio in lance adhibere; sed ante ℣. *Communio* manus ne lavent. In aliis Missis lectis, a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae: in Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone, Urceo cum Pelvi, ac lance ad Manutergium, nisi ex statutis vel consuetudine in propria ecclesia haec prohibeantur.

32. – Canonico Protonotario Apostolico Supranumerario Pontificalia peragere cum ornamentis ac ritu superius enunciatis fas non erit, nisi intra terminos propriae dioecesis; extra autem, nonnisi ornatu et ritu, prout Protonotariis *ad instar*, ut infra dicetur, concessum est.

33. – Cum tamen Canonicos trium Patriarchalium Urbis, ob earumdem praestantiam, aequum sit excellere privilegiis, eo vel magis quod in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalium privilegium exercere nequeunt, illis permittitur, ut in ecclesiis totius terrarum orbis, impetrata Ordinariorum venia, ac Praesulum ecclesiarum exemptarum consensu, Pontificalia agant cum ritu atque ornamentis nn. 27, 28, 29 recensitis. Insuper, licet aliquis ex ipsis inter Praelatos nondum fuerit adscriptus, Palmatoria semper, etiam in privatis Missis, uti poterit.

34. – Recensita hactenus privilegia illa sunt, quibus dumtaxat Protonotarii Apostolici Supranumerarii fruuntur. Verum, cum eadem collective coetui Canonicorum conferantur, Canonici ipsi, tamquam singuli, iis uti nequibunt, nisi Praelati Urbani fuerint nominati, et antea suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis et auspicatae iam possessionis, atque inter Praelatos aggregationis, ut num. 14 dicitur, testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint; coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum de more praestiterint, ac de his postea, exhibito documento proprium Ordinarium certiorem fecerint. Quibus expletis, eorum nomen in sylloge Protonotariorum Apostolicorum recensebitur.

35. – Canonici ecclesiarum extra Urbem, qui ante Nostri huius documenti Motu proprio editi publicationem, privilegia Protonotariorum, una cum Canonicatu, sunt assequuti, ab expeditione Brevis, de quo supra, n. 14, dispensantur; iusiurandum tamen fidelitatis coram Ordinario suo praestabunt intra duos menses.

36. – Collegialiter, tamquam Canonici, pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti adsistentes non alia Mitra utantur, quam simplici, nec unquam hoc et ceteris fruantur Protonotariorum insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in diplomate concessionis aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, neque in choro cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt Episcopo solemniter

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus: quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

37. – Protonotarius Supranumerarius defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, neque haec eius feretro imponi.

38. – Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive intra, sive extra dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

39. – Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

40. – Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii conveniant, non idcirco Collegium praelatitium constituere; verum, quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificia Cappella, tunc quasi unum corpus cum ipsis effecti censentur, sine ullo tamen amplissimi, Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

41. – Si quis (exceptis Canonicis trium Patriarchalium Urbis) quavis ex causa Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotarii Apostolici Supranumerarii adnexa sint, ab eiusmodi titulo, honore et praerogativis statim decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

III. – Protonotarii Apostolici « ad instar ».

42. – Inter Protonotarios Apostolicos *ad instar* Participantium illi viri ecclesiastici adnumerantur, quibus Apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit, ac praeterea Dignitates et Canonici alicuius Capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et privilegia Protonotariorum, cum addito *ad instar*, ubique utenda, fuerint ab eadem Apostolica Sede collata. Canonici enim, qui aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatus Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento, nn. 80 et 81, erit sermo.

43. – Qui Protonotarii Apostolici *ad instar*, tamquam singuli, iuribus honorantur, eo ipso sunt Praelati Domus Pontificiae; qui vero ideo sunt Protonotarii quia alicuius ecclesiae Canonici, Praelatis Domesticis non adnumerantur, nisi per Breve Pontificium, ut num. 14 dictum est. Omnes Protonotarii *ad instar* subiecti remanent, ad iuris tramitem, Ordinario loci.

44. – Beneficia illorum, qui Protonotarii *ad instar* titulo et honore gaudent tamquam Canonici alicuius Capituli, si vacent extra Romanam Curiam, Apostolicae Sedi minime reservantur. Beneficia vero eorum, qui tali titulo

et honore fruuntur tamquam privata persona, non poterunt nisi ab Apostolica Sede conferri.

45. – Quod pertinet ad habitum praelatitium, *pianum* et communem, stemmata et choralia insignia, habitum et locum in Pontificia Cappella, omnia observabunt, uti supra dictum est de Protonotariis Supranumerariis, nn. 16, 17, 18, 19, 20.

46. – Iisdem iuribus gaudebunt, praecedentiae, privati oratorii, conficiendi acta Beatificationis et Canonizationis, passivae electionis in Conservatores, ceterisque; item recipiendae Fidei professionis, reverentiae ad Crucem, thurificationis, quibus omnibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, ut supra nn. 21, 22, 23, 24, ac iisdem sub conditionibus.

47. – De venia Ordinarii et Praesulis consensu ecclesiae exemptae, extra Urbem, Missas, non tamen de requie, pontificali ritu et ornatu celebrare poterunt, prout supra notatur, ubi de Protonotariis Supranumerariis, nn. 25, 26, 27, 28, 29; verum his legibus: Nec Faldistorio, nec Gremiali unquam utantur, sed una cum ministris in scamno, cooperto panno coloris diei, sedeant; caligis et sandaliis utantur sericis tantum, cum orae textu item serico flavi coloris ornato, et similiter sericis chirothecis sine alio ornamento; Mitra simplici ex serico damasceno, nullo ornamento, ne in oris quidem distincta, cum rubris laciniis ad vittas. Extra Cathedrales ecclesias tantum, assistentem Presbyterum habere poterunt pluviali indutum; dummodo non assistat Episcopus Ordinarius, aut alius Praesul ipso Episcopo maior. Crucem pectoralem auream sine gemmis gerent, appensam funiculo serico violacei ex integro coloris, auro non intertexto. Omnia, quae in Missa cantanda vel legenda sunt, nunquam ad scamnum, sed ad altare cantabunt et legent. Manus intra Missam lavent tantum ad Ps. *Lavabo*.

48. – Poterunt insuper, pariter extra Urbem, de venia Ordinarii et cum Praesulis ecclesiae exemptae consensu, Mitra, Cruce pectorali et Annulo ornati, ad scamnum, more Presbyterorum, celebrare Vesperas illius festi, cuius Missam ipsi pontificaliter acturi sint, vel peregerint (absque benedictione in fine). Iisdem ornamentis eodemque ritu uti licebit, de speciali tamen commissione Ordinarii, in Vesperis festi, cuius Missa in pontificalibus ab alio quolibet Praelato celebretur, itemque in benedictione cum Sanctissimo Sacramento solemniter (non tamen trina) impertienda, in Processionibus, et in una ex quinque absolutionibus in solemnioribus exsequiis, de quibus in Pontificali Romano.

49. – Romae Missam lectam aliqua cum solemnitate celebrantes, si praelatitio habitu sint induti, ea retineant, quae de Protonotariis Supranumerariis, n. 31, constituta sunt; extra Urbem, de speciali tamen commissione Ordinarii, eodem modo se gerent; aliis in Missis et functionibus, tamquam Praelati Domestici, ut n. 78, Palmatoriam tantum, si velint, adhibeant.

50. – Qui Canonicorum coetui adscriptus, cui hactenus recensita Protonotariorum *ad instar* privilegia concessa sint, tamquam privata persona iisdem uti velit, prius Breve Pontificium, ut dicitur nn. 14 et 43, de sua inter Praelatos Domesticos aggregatione, servatis servandis, obtineat, simul-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

que suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis, initaeque possessionis ac inter Praelatos aggregationis testimonium Collegium Protonotariorum Participantium exhibeat. Tum coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem ac fidelitatis iusiurandum, de more, praestet; de his denique, exhibito documento, proprium Ordinarium certiorem faciat. Qui vero tamquam privata persona huiusmodi titulum rite fuerit consecutus, non ante privilegiis eidem titulo adnexis uti poterit, quam legitimum suae nominationis testimonium memorato Collegio exhibuerit, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum, uti supra, ediderit, de hisque omnibus authenticum documentum suo Ordinario attulerit. Haec ubi praestiterint, eorum nomen in sylloge Protonotariorum recensebitur.

51. – Qui ante has Litteras, Motu proprio editas, iuribus gaudebant Protonotarii *ad instar*, tamquam alicuius ecclesiae Canonici, a postulatione Brevis, de quo in superiori numero, dispensantur, quemadmodum et a iureiurando, ut ibidem dicitur, praestando, quod tamen proprio Ordinario intra duos menses dabunt.

52. – Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis, tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Rocchetti et Mantelletti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, habitu praelatitio assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones acquiret, quae sodalibus accrescent.

53. – Collegialiter, tamquam Canonici, pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti, assistentes, non alia Mitra utentur quam simplici, nec unquam hoc aliisve supra memoratis insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam uti poterunt, nisi in concessionis diplomate aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, ne in choro quidem cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt, Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus; quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

54. – Protonotarius *ad instar* defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, nec eius feretro ipsa imponi.

55. – Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive intra, sive extra dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

56. – Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint,

eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

57. – Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non idcirco Collegium Praelatitium constituere: verum, quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificiis Cappellis, tunc quasi unum corpus cum ipsis censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

58. – Si quis, quavis ex causa, Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotariorum *ad instar* adnexa sint, statim ab iisdem titulo, honore et praerogativis decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

IV. – Protonotarii Apostolici titulares seu honorarii.

59. – Cum Apostolica Sedes non sibi uni ius reservaverit Protonotarios Titulares seu honorarios nominandi, sed Nuntiis Apostolicis, Collegio Protonotariorum Participantium et forte aliis iamdiu illud delegaverit; antequam de eorum privilegiis ac praerogativis aliquid decernamus, leges seu conditiones renovare placet, quibus rite honesteque ad eiusmodi dignitatem quisque candidatus valeat evehi, iuxta Pii Pp. VII Praedecessoris Nostri Constitutionem *Cum innumeri*, Idibus decembr. MDCCCXVIII datam. [1]

60. – Quoties igitur de honorario Protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, proferantur, ab Ordinario recognita, testimonia, quibus constet indubie: 1° de honesta familiae conditione; 2° de aetate saltem annorum quinque et viginti; 3° de statu clericali ac caelibe; 4° de Laurea doctoris in utroque, aut canonico tantum Iure, vel in S. Theologia, vel in S. Scriptura; 5° de morum honestate et gravitate, ac de bona apud omnes aestimatione; 6° de non communibus in Ecclesiae bonum provehendum laudibus comparatis; 7° de idoneitate ad Protonotariatum cum decore sustinendum, habita etiam annui census ratione, iuxta regionis cuiusque aestimationem.

61. – Quod si huiusmodi Protonotariatus honor alicui Canonicorum coetui collective ab Apostolica Sede conferatur (quod ius, collective Protonotarios nominandi, nemini censeri posse delegatum declaramus), eo ipso, quo quis Dignitatem aut Canonicatum est legitime consequutus, Protonotarius nuncupabitur.

62. – Pariter, qui Vicarii Generalis aut etiam Capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit Protonotarius Titularis; hinc, si Dignitate aut Canonicatu in Cathedrali non gaudeat, quando choro interesse velit, habitu Protonotarii praelatitio, qui infra describitur, iure utetur.

[1] Cf. Bull. Rom. Cont., tom. 15, p. 141-145.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

63. – Protonotarii Apostolici Titulares sunt Praelati extra Urbem, qui tamen subiecti omnino manent locorum Ordinariis; Praelatorum Domus Pontificiae honoribus non gaudent, neque inter Summi Pontificis Familiares adnumerantur.

64. – Extra Urbem, dummodo Summus Pontifex eo loci non adsit, in sacris functionibus rite utuntur habitu praelatitio, nigri ex integro coloris, idest veste talari, etiam, si libeat, cum cauda (numquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a laeva pendentibus, Rocchetto, Mantelletto et bireto, absque ulla horum omnino parte subsutum aut ornamentum alterius coloris ferente.

65. – Extra Urbem, praesente Summo Pontifice, descripto habitu indui possunt, si hic tamquam chorale insigne concessus sit, vel si quis uti Vicarius adfuerit.

66. – Habitu praelatitio induti, omnibus clericis, Presbyteris, etiam Canonicis, singulatim sumptis, praeferantur, non vero Canonicis, etiam Collegiatarum, collegialiter convenientibus, neque Vicariis Generalibus et Capitularibus, aut Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, et Abbatibus, ac Praelatis Romanae Curiae; non genuflectunt ad Crucem vel ad Episcopum, sed tantum se inclinant, ac duplici ductu thurificantur.

67. – Super habitu quotidiano, occasione solemnis conventus, audientiae et similium, etiam Romae et coram Summo Pontifice zonam tantum sericam nigram, cum laciniis item nigris, gestare poterunt, cum pileo chordula ac floccis nigris ornato.

68. – Propriis insignibus, seu stemmatibus, pileum imponere valeant, sed nigrum tantummodo, cum lemniscis et sex hinc sex inde flocculis pendentibus, item ex integro nigris.

69. – Si quis Protonotarius Titularis, Canonicatus aut Dignitatis ratione, choro intersit, circa habitum se gerat iuxta normas Protonotariis *ad instar* constitutas, n. 52, vestis colore excepto.

70. – Sacris operantes, a simplicibus Sacerdotibus minime differant; attamen extra Urbem in Missis et Vesperis solemnibus, pariterque in Missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, Palmatoria tantum ipsis utenda conceditur, excluso Canone aliave pontificali supellectili.

71. – Quod pertinet ad acta in causis Beatificationis et Canonizationis, et ad passivam electionem in Conservatores ac cetera, iisdem iuribus, gaudent, quibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, uti nn. 23 et 24 supra dictum est.

72. – Beneficia eorum qui, tamquam privatae personae, Protonotariatum Titularem assequuti sunt, non vero qui ratione Vicariatus, Canonicatus sive Dignitatis eodem gaudent, ab Apostolica tantum Sede conferantur.

73. – Noverint autem, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non ideo Collegium constituere.

74. – Tandem qui Protonotariatu Apostolico honorario donati sunt tamquam privatae personae, titulo, honoribus et privilegiis Protonotariatus uti nequeunt, nisi antea diploma suae nominationis Collegio Protonotariorum

Participantium exhibuerint, Fideique professionem, ac fidelitatis iusiurandum coram Ordinario, aut alio viro in ecclesiastica dignitate constituto emiserint. Qui vero ob Canonicatum, Dignitatem, aut Vicariatum eo potiti fuerint, nisi idem praestiterint, memoratis honoribus et privilegiis, quae superius recensentur, tantummodo intra propriae dioecesis limites uti poterunt.

75. – Qui secus facere, aliisque, praeter descripta, privilegiis uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso honore et iuribus Protonotarii privatos se sciant: quod si Protonotariatum tamquam privata persona adepti sint, etiam titulo.

76. – Vicarii Generales vel Capitulares, itemque Dignitates et Canonici nomine atque honoribus Protonotariatus Titularis gaudentes, si, quavis ex causa, a munere, Dignitate aut Canonicatu cessent, eo ipso, titulo, honoribus et iuribus ipsius Protonotariatus excident.

B) DE CETERIS PRAELATIS ROMANAE CURIAE.

77. – Nihil detractum volumus honoribus, privilegiis, praeeminentiis, praerogativis, quibus alia Praelatorum Romanae Curiae Collegia, Apostolicae Sedis placito, exornantur.

78. – Insuper concedimus, ut omnes et singuli Praelati Urbani seu Domestici, etsi nulli Collegio adscripti, ii nempe, qui tales renunciati, Breve Apostolicum obtinuerint, Palmatoria uti possint (non vero Canone aut alia pontificali supellectili) in Missa cum cantum, vel etiam lecta, cum aliqua solemnitate celebranda; item in Vesperis aliisque solemnibus functionibus.

79. – Hi autem habitum sive praelatitium, sive, quem vocant, *pianum*, gestare poterunt, iuxta Romanae Curiae consuetudinem, prout supra describitur nn. 16, 17; numquam tamen vestis talaris caudam explicare, neque sacras vestes ex altari assumere valeant, nec alio uti colore, quam violaceo, in bireti flocculo et pilei vitta, opere reticulato distincta, sive chordulis et flocculis, etiam in pileo stemmatibus imponendo, ut n. 18 dictum est, nisi, pro eorum aliquo, constet de maiori particulari privilegio.

C) DE DIGNITATIBUS, CANONICIS ET ALIIS, QUI NONNULLIS PRIVILEGIIS PRAELATORUM PROPRIIS FRUUNTUR.

80. – Ex Romanorum Pontificum indulgentia, insignia quaedam praelatitia aut pontificalia aliis Collegiis, praesertim Canonicorum, eorumve Dignitatibus, quocumque nomine nuncupentur, vel a priscis temporibus tribui consueverunt; cum autem eiusmodi privilegia deminutionem quamdam episcopali dignitati videantur afferre, idcirco ea sunt de iure strictissime interpretanda. Huic principio inhaerentes, expresse volumus, ut, in pontificalium usu, nemini ad aliquod ex supra memoratis Collegiis pertinenti in posterum ampliora suffragentur privilegia, quam quae, superius descripta, competunt

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Protonotariis sive Supranumerariis, sive *ad instar*, et quidem non ultra propriae ecclesiae, aut ad summum dioeceseos, si hoc fuerit concessum, limites; neque ultra dies iam designatos, aut determinatas functiones; et quae arctiora sunt, ne augeantur.

81. – Quoniam vero de re agitur haud parvi momenti, quippe quae ecclesiasticam respicit disciplinam, ne quis audeat, arbitraria interpretatione, maiora quam in concedentis voluntate fuerint, sibi privilegia vindicare; quin potius paratum sese ostendat, quatenus illa excesserint, minoribus coarctari; singulis locorum Ordinariis, quorum sub iurisdictione vel quorum in territorio, si de exemptis agatur, aliquis ex praedictis coetibus inveniatur, demandamus, ut, tamquam Apostolicae Sedis Delegati, Apostolicarum Concessionum documenta ipsis faventia, circa memorata privilegia, intra bimestre tempus ab hisce Nostris Ordinationibus promulgatis, sub poena immediatae amissionis eorum quae occultaverint, ad se transmitti curent, quae intra consequentem mensem ad Nostram SS. Rituum Congregationem mittant. Haec autem, pro suo munere, omnia et singula hisce Nostris dispositionibus aptans, declarabit et decernet, quaenam in posterum illis competant.

Haec omnia rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Pii X Acta, vol. II, p. 26-27].

666.

Pius X, litt. encycl. *Acerbo nimis*, 15 apr. 1905.[1]

1. Acerbo nimis ac difficili tempore ad supremi pastoris munus, in universum Christi gregem gerendum, arcanum Dei consilium tenuitatem Nostram evexit. Inimicus namque homo sic gregem ipsum iam diu obambulat vaferrimaque insidiatur astutia, ut nunc vel maxime illud factum esse videatur, quod senioribus Ecclesiae Ephesi praenuntiabat Apostolus: *Ego scio quoniam intrabunt... lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.*[2] Cuius quidem religiosae rei inclinationis, quicumque adhuc divinae gloriae studio feruntur, causas rationesque inquirunt; quas dum alii alias afferunt, diversas, pro sua quisque sententia, ad Dei regnum in hisce terris tutandum restituendumque sequuntur vias. Nobis, Venerabiles Frates, quamvis cetera non respuamus, iis maxime assentiendum videtur, quorum iudicio et praesens animorum remissio ac veluti imbecillitas, quaeque inde gravissima oriuntur mala, ex divinarum ignoratione rerum praecipue sunt repetenda. Congruit id plane cum eo, quod Deus ipse per Oseam prophetam dixit... *Et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homi-*

[1] Ad Venerabiles Fratres Patriarchas Primates Archiepiscopos Episcopos aliosque locorum Ordinarios cum Apostolica Sede pacem et communionem habentes.
[2] Act. XX, 29.

cidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis, qui habitat in ea. [1]

2. Et re quidem vera, aetate hac nostra esse quamplurimos in christiano populo, qui in summa ignoratione eorum versentur, quae ad salutem aeternam nosse oportet, communes, eaeque pro dolor! non iniustae, sunt querimoniae. — Quum vero christianum dicimus populum, non plebem tantum aut sequioris coetus homines significamus, qui saepenumero aliquam ignorantiae excusationem ex eo admittunt, quod immitium dominorum imperio cum pareant, vix sibi suisque temporibus servire queunt: sed illos etiam et maxime, qui etsi ingenio cultuque non carent, profana quidem eruditione affatim pollent, ad religionem tamen quod attinet, temere omnino atque imprudenter vivunt. Difficile dictu est quam crassis hi saepe tenebris obvolvantur; quodque magis dolendum est, in iis tranquille iacent! De summo rerum omnium auctore ac moderatore Deo, de christianae fidei sapientia nulla fede ipsis cogitatio. Hinc vero nec de Verbi Dei incarnatione, nec de perfecta ab ipso humani generis restauratione quidquam norunt; nihil de Gratia, quae potissimum est adiumentum ad aeternorum adeptionem, nihil de Sacrificio augusto aut de Sacramentis, quibus gratiam ipsam assequimur ac retinemus. Peccato autem quid nequitiae insit, quid turpitudinis nullo pacto aestimatur; unde nec eius vitandi nec deponendi sollicitudo ulla: sicque ad supremum usque diem venitur, ut sacerdos, ne spes absit salutis, extrema agentium animam momenta, quae fovendae maxime caritati in Deum impendi oporteret, edocendo summatim religionem tribuat: si tamen, quod fere usuvenit, usque adeo culpabili ignorantia moriens non laboret ut et sacerdotis operam supervacaneam arbitretur, et minime placato Deo, tremendam aeternitatis viam securo animo ingrediendam putet. Unde merito scripsit Benedictus XIV, Decessor Noster: *Illud affirmamus, magnam eorum partem, qui aeternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei, quae scire et credere necessario debent, ut inter electos cooptentur.* [2]

3. Haec quum ita sint, Venerabiles Fratres, quid quaeso mirabimur, si tanta sit modo inque dies augescat, non inter barbaras inquimus nationes, sed in ipsis gentibus, quae christiano nomine feruntur, corruptela morum et consuetudinum depravatio? Paulus quidem apostolus ad Ephesios scribens haec edicebat: *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo aut stultiloquium.* [3] At vero sanctimoniae huic ac pudori cupiditatum moderatori, divinarum rerum sapientiae fundamentum posuit: *Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes... Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei.* [4]

4. Et plane id merito. Voluntas namque hominis inditum ab ipso auctore Deo honesti rectique amorem, quo in bonum non adumbratum sed

[1] Os., IV, 1 ss.
[2] Instit., XXVI, 18.
[3] Ephes., V, 3 s.
[4] Ephes., V, 15 ss.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

sincerum veluti rapiebatur, vix retinet adhuc. Corruptela primaevae labis depravata, ac Dei factoris sui quasi oblita, eo affectum omnem convertit ut diligat vanitatem et quaerat mendacium. Erranti igitur pravisque obcaecatae cupiditatibus voluntati duce opus est qui monstret viam, ut male desertas repetat iustitiae semitas. Dux autem, non aliunde quaesitus, sed a natura comparatus, mens ipsa est: quae si germana careat luce, divinarum nempe rerum notitia, illud habebitur, quod coecus coeco ducatum praestabit et ambo in foveam cadent. Sanctus rex David, quum Deum de veritatis lumine laudaret, quod menti hominum indidisset: *Signatum est*, aiebat, *super nos lumen vultus tui, Domine.* [1] Quid porro ex hac largitione luminis sequatur addidit, inquiens: *Dedisti laetitiam in corde meo;* laetitiam videlicet, qua dilatatum cor nostrum, viam mandatorum divinorum currat.

5. Quod revera ita esse facile consideranti patet. Deum namque eiusque infinitas quas perfectiones nominamus, longe exploratius, quam naturae vires scrutentur, christiana nobis sapientia manifestat. Quid porro? Iubet haec simul summum ipsum Deum officio *fidei* nos revereri, quae mentis est; *spei* quae voluntatis; *caritatis* quae cordis: sicque totum hominem supremo illi Auctori ac moderatori mancipat. Similiter una est Iesu Christi doctrina, quae germanam praestabilemque hominis aperit dignitatem, quippe qui sit filius Patris caelestis qui in caelis est, ad imaginem eius factus cumque eo aeternum beateque victurus. At vero ex hac ipsa dignitate eiusdemque notitia infert Christus debere homines se amare invicem ut fratres, vitam heic degere, ut lucis filios decet, *non in commessationibus, et ebrietatibus; non in cubilibus, et impudicitiis; non in contentione, et aemulatione;* [2] iubet pariter omnem sollicitudinem nostram proiicere in Deum, quoniam ipsi cura est de nobis; iubet tribuere egenis, benefacere iis qui nos oderunt, aeternas animi utilitates fluxis huius temporis bonis anteponere. Ne autem omnia singulatim attingamus, nonne ex Christi institutione homini superbius audenti demissio animi, quae verae gloriae origo est, suadetur ac praecipitur? *Quicumque ... humiliaverit se ..., hic est maior in regno caelorum.* [3] Ex ea prudentiam spiritus docemur, qua prudentiam carnis caveamus; iustitiam, qua ius tribuamus cuique suum; fortitudinem, qua parati simus omnia perpeti, erectoque animo pro Deo sempiternaque beatitate patiamur; temperantiam denique, qua vel pauperiem pro regno Dei adamemus, quin et in ipsa cruce gloriemur, confusione contempta. Stat igitur, ab christiana sapientia, non modo intellectum nostrum mutuari lumen, quo veritatem assequatur, sed voluntatem etiam ardorem concipere, quo evehamur in Deum cumque Eo virtutis exercitatione iungamur.

6. Longe equidem absumus ut ex his asseramus, pravitatem animi corruptionemque morum non posse cum religionis scientia coniungi. Utinam non id plus nimio probarent facta! Contendimus tamen, ubi crassae ignorantiae tenebris sit mens circumfusa, nullatenus posse aut rectam volun-

[1] Ps. IV, 7.
[2] Rom., XIII, 13.
[3] Matth., XVIII, 4.

tatem esse aut mores bonos. Apertis namque oculis si quis incedat, poterit ille sane de recto tutoque itinere declinare: qui tamen caecitate laborat, huic periculum certe quidem imminet. Adde porro: corruptionem morum, si fidei lumen penitus non sit extinctum, spem facere emendationis; quod si utrumque iungitur et morum pravitas et fidei ob ignorationem defectio, vix erit medicinae locus, patetque ad ruinam via.

7. Quum igitur ex ignorantia religionis tam multa tamque gravia deriventur damna; alia vero ex parte, quum tanta sit religiosae institutionis necessitas atque utilitas, frustra enim christiani hominis officia impleturus speratur qui illa ignoret: iam ulterius inquirendum venit, cuius demum sit perniciosissimam hanc ignorantiam cavere mentibus, adeoque necessaria scientia animos imbuere. — Quae res, Venerabiles Fratres, nullam habet dubitationem: gravissimum namque id munus ad omnes pertinet, quotquot sunt animarum pastores. Hi sane, ex Christi praecepto, creditas sibi oves agnoscere tenentur ac pascere; pascere autem hoc primum est, docere; *Dabo vobis*, sic nempe Deus per Ieremiam promittebat, *pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* [1] Unde et Apostolus Paulus aiebat: *Non... misit me Christus baptizare, sed evangelizare,*[2] indicans videlicet primas eorum partes, qui regendae aliquo modo Ecclesiae sunt positi, esse in instituendis ad sacra fidelibus.

8. Cuius quidem institutionis laudes persequi supervacaneum ducimus, quantique ea sit apud Deum ostendere. Certe miseratio, quam pauperibus ad levandas angustias tribuimus, magnam a Deo habet laudem. At longe maiorem quis neget habere studium et laborem, quo, non fluxas corporibus utilitates, sed aeternas animis docendo monendoque conciliamus? Nihil profecto optatius, nihil gratius queat Iesu Christo animarum servatori accidere, qui de se per Isaiam professus est: *Evangelizare pauperibus misit me.* [3]

9. Hic tamen praestat, Venerabiles Fratres, hoc unum consectari atque urgere, nullo sacerdotem quemlibet graviori officio teneri, nullo arctiori nexu obligari. Etenim in sacerdote ad vitae sanctimoniam debere scientiam adiici, quis neget? *Labia... sacerdotis custodient scientiam.* [4] Atque illam reapse severissime Ecclesia requirit in iis qui sint sacerdotio initiandi. Quorsum id vero? Quia scilicet ab eis divinae legis notitiam christiana plebs expectat, illosque ad eam impertiendam destinat Deus: *Et legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.* [5] Quamobrem Episcopus, in sacra initiatione, sacerdotii candidatos alloquens: *Sit*, inquit, *doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sint providi cooperatores ordinis nostri; ut in lege sua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant.* [6]

[1] Ier., III, 15.
[2] I Cor., I, 17.
[3] Luc., IV, 18.
[4] Malach., II, 7.
[5] Ibid.
[6] Pontif. Rom.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

10. Quod si nemo est sacerdos, ad quem haec non pertineant, quid porro de illis censebimus, qui, nomine ac potestate curionum aucti, animarum rectoris munere, vi dignitatis et quodam quasi pacto inito, funguntur? Hi quodammodo pastoribus et doctoribus sunt accensendi, quos dedit Christus ut fideles iam non sint parvuli fluctuantes, et circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum; veritatem autem facientes in caritate, crescant in illo per omnia, qui est caput Christus. [1]

11. Quapropter sacrosancta Tridentina Synodus, de animarum pastoribus agens, officium eorum hoc primum et maximum esse edicit, christianam plebem docere. [2] Hinc iubet illos, dominicis saltem diebus festisque sollemnioribus, de religione ad populum dicere, sacri vero Adventus tempore et Quadragesimae quotidie, vel saltem ter in hebdomada. Neque id modo: addit namque teneri parochos, eisdem saltem dominicis festisque diebus, per se vel per alios in fidei veritatibus erudire pueros, eosque ad obedientiam in Deum ac parentes instituere. Quum vero sacramenta fuerint administranda, praecipit, ut qui sunt suscepturi, de eorumdem vi, facili vulgarique sermone, doceantur.

12. Quas sacrosanctae Synodi praescriptiones Benedictus XIV decessor Noster, in sua Constitutione *Etsi minime*, [3] sic brevi complexus est ac distinctius definivit: *Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum, ut festis diebus de rebus divinis sermones ad populum habeant; alterum, ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudimentis informent.* — Iure autem sapientissimus Pontifex duplex hoc officium distinguit, sermonis videlicet habendi, quem vulgo Evangelii explicationem vocitant, et christianae doctrinae tradendae. Non enim fortasse desint qui, minuendi laboris cupidi, persuadeant sibi homiliam pro catechesi esse posse. Quod quam putetur perperam, consideranti patet. Qui enim sermo de sacro Evangelio habetur, ad eos instituitur, quos fidei elementis imbutos iam esse oportet. Panem diceres, qui adultis frangatur. Catechetica e contra institutio lac illud est, quod Petrus Apostolus concupisci sine dolo a fidelibus volebat, quasi a modo genitis infantibus. — Hoc scilicet catechistae munus est, veritatem aliquam tractandam suscipere vel ad fidem vel ad christianos mores pertinentem, eamque omni ex parte illustrare: quoniam vero emendatio vitae finis docendi esse debet, oportet catechistam comparationem instituere ea inter quae Deus agenda praecipit quaeque homines reapse agunt; post haec, exemplis opportune usum, quae vel e Scripturis sacris, vel ex Ecclesiastica historia vel e sanctorum virorum vita sapienter hauserit, suadere auditores eisque, intento veluti digito, commonstrare quo pacto componant mores; finem denique hortando facere, ut qui adstant horreant vitia ac declinent, virtutem sectentur.

13. Scimus equidem eiusmodi tradendae christianae doctrinae munus haud paucis invidiosum esse, quod minoris vulgo aestimetur nec forte ad

[1] Ephes., IV, 14, 15.
[2] Sess. V, cap. 2, *de ref.*; Sess. XXII, cap. 8; Sess. XXIV, cap. 4 et 7, *de ref.*
[3] Cf. N. 324.

popularem laudem captandam aptum. Nos tamen hoc esse iudicium eorum censemus, qui levitate magis quam veritate ducuntur. Oratores profecto sacros, qui, sincero divinae gloriae studio, vel vindicandae tuendaeque fidei, vel Sanctorum laudationibus dent operam, probandos esse non recusamus. Verum illorum labor laborem alium praevium desiderat, scilicet catechistarum; qui si deest, fundamenta desunt, atque in vanum laborant qui aedificant domum. Nimium saepe orationes ornatissimae, quae confertissimae concionis plausu excipiuntur, hoc unum assequuntur ut pruriant auribus; animos nullatenus movent. E contra catechetica institutio, humilis quamvis et simplex, verbum illud est, de quo Deus ipse testatur per Isaiam: *Quomodo descendit imber, et nix de caelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud.*[1] — Similiter arbitrandum putamus de sacerdotibus iis, qui, ad religionis veritates illustrandas, libros operosos conscribunt; digni plane qui ideo commendatione multa exornentur. Quotus tamen quisque est, qui eiusmodi volumina verset, fructumque inde hauriat auctorum labori atque optatis respondentem? Traditio autem christianae doctrinae, si rite fiat, utilitatem audientibus nunquam non affert.

14. Etenim (quod ad inflammandum studium ministrorum Dei iterum advertisse iuverit) ingens modo eorum est numerus atque in dies augetur, qui de religione omnino ignorant, vel eam tantum de Deo christianaeque fidei notitiam habent, quae illos permittat, in media luce catholicae veritatis, idololatrarum more vivere. Quam multi eheu! sunt, non pueros dicimus, sed adulta, quin etiam devexa aetate, qui praecipua fidei mysteria nesciant prorsus; qui Christi nomine audito, respondeant: *Quis est,... ut credam in eum?*[2] — Hinc odia in alios struere ac nutrire, pactiones conflare iniquissimas, inhonestas negotiorum procurationes gerere, aliena gravi foenore occupare, aliaque id genus flagitiosa haud sibi vitio ducunt. Hinc Christi legem ignorantes, quae non modo turpia damnat facinora, sed vel ea cogitare scienter atque optare; etsi forte, qualibet demum de causa, obscoenis voluptatibus fere abstinent, inquinatissimas tamen cogitationes, nulla sibi religione iniecta, suscipiunt; iniquitates super capillos capitis multiplicantes. — Haec porro, iterasse iuvat, non in agris solum vel inter miseram plebeculam occurrunt, verum etiam ac forte frequentius inter homines amplioris ordinis, atque adeo apud illos quos inflat scientia, qui vana freti eruditione religionem ridere posse autumant et *quaecumque quidem ignorant, blasphemant.*[3]

15. Iam, si frustra seges e terra speratur quae semen non exceperit, qui demum bene moratas progenies expectes, si non tempore fuerint christiana doctrina institutae? — Ex quo colligimus iure, quum fides id aetatis

[1] Is., LV, 10, 11.
[2] Ioan., IX, 36.
[3] Iud., 10.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

usque eo languerit ut in multis pene sit intermortua, sacrae catechesis tradendae officium vel negligentius persolvi, vel praetermitti omnino. Perperam enim ad habendam excusationem quis dixerit, esse fidem gratuito munere donatam nobis atque in sacro baptismate cuique inditam. Equidem utique quotquot in Christo baptizati sumus fidei habitu augemur; sed divinissimum hoc semen non *ascendit... et facit ramos magnos*[1] permissum sibi ac veluti virtute insita. Est et in homine, ab exortu, intelligendi vis: ea tamen materno indiget verbo, quo quasi excitata in actum, ut aiunt, exeat. Haud aliter christiano homini accidit qui, renascens ex aqua et Spiritu Sancto, conceptam secum affert fidem; eget tamen Ecclesiae institutione, ut ea ali augerique possit fructumque ferre. Idcirco Apostolus scribebat: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi;*[2] institutionis autem necessitudinem ut ostenderet, addit: *Quomodo... audient sine praedicante?*[3]

16. Quod si, ex huc usque explicatis, religiosa populi eruditio quanti momenti sit ostenditur, curae Nobis quam quod maxime esse oportet, ut Doctrinae sacrae praeceptio, qua, ut Benedicti XIV decessoris Nostri verbis utamur, ad Dei gloriam et ad animarum salutem nihil utilius est institutum,[4] vigeat semper, aut, sicubi negligitur, restituatur. — Volentes igitur, Venerabiles Fratres, huic gravissimo supremi apostolatus officio satisfacere, atque unum paremque morem in re tanta ubique esse; suprema Nostra auctoritate, quae sequuntur, in dioecesibus universis, observanda et exequenda constituimus districteque mandamus.

I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas de iis, quae quisque credere agereque debeat ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

II. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad Sacramenta Poenitentiae et Confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione.

III. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa Paschalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent.

IV. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae christianae. Ea parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriae Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

V. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam

[1] Marc., IV, 32.
[2] Rom., X, 17.
[3] Ibid., 14.
[4] Constit. *Etsi minime*, § 13. — Cf. N. 324.

fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur.

VI. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione; parochi universi ceterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re Catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de praeceptis Ecclesiae.

17. Haec Nos quidem, Venerabiles Fratres, auctoritate apostolica constituimus et iubemus. Vestrum modo erit efficere ut, in vestra cuiusque dioecesi, nulla mora atque integre executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra cavere, ne quae praecipimus oblivioni dentur, vel, quod idem est, remisse oscitanterque impleantur. Quod ut reapse vitetur, illud assidue commendetis et urgeatis oportet, ut parochi ne imparati catechesis praeceptiones habeant, sed diligenti prius adhibita praeparatione; ut ne loquantur humanae sapientiae verba, sed, *in simplicitate cordis et sinceritate Dei,* [1] Christi exemplum sectentur, qui quamvis *abscondita* eructaret *a constitutione mundi,* [2] loquebatur tamen omnia *in parabolis ad turbas et sine parabolis non loquebatur eis.* [3] Id ipsum et Apostolos, a Domino institutos, praestitisse novimus; de quibus Gregorius Magnus aiebat: *Curaverunt summopere rudibus populis plana et capabilia, non summa atque ardua, praedicare.* [4] Ad religionem autem quod attinet, homines magnam partem rudibus, hac tempestate nostra, sunt accensendi.

18. Nolimus porro, ne ex eiusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi, in hoc genere tractando, nullo labore nullaque meditatione opus esse: quin immo maiorem plane, quam quodvis genus aliud, requirit. Facilius longe est reperire oratorem, qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam, qui praeceptionem habeat omni ex parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, nunquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodet, quibus aeque ac sapientibus, ad aeternam beatitatem adipiscendam sunt necessariae.

[1] II Cor., I, 12.
[2] Matth., XIII, 35.
[3] Ibid., 34.
[4] Moral., I, XVII, cap. 26.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

19. Iam igitur, Venerabiles Fratres, Mosis verbis, in hac postrema litterarum Nostrarum parte, liceat vos alloqui: *Si quis est Domini, iungatur mihi.* [1] Advertite, rogamus quaesumusque, quanta animarum clades ex una divinarum rerum ignoratione veniat. Multa forte utilia planeque laudatione digna, in vestra cuiusque dioecesi, sunt a vobis instituta in commissi gregis commodum: velitis tamen, prae omnibus, quanta potestis contentione, quanto studio, quanta assiduitate hoc curare atque urgere, ut doctrinae christianae notitia cunctorum pervadat animos penitusque imbuat. *Unusquisque,* Petri Apostoli utimur verbis, *sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.* [2]

20. Diligentiam industriasque vestras, beatissima Virgine immaculata intercedente, fortunet vobis Apostolica Benedictio, quam, testem caritatis Nostrae ac caelestium gratiarum auspicem, vobis et clero ac populo cuique credito amantissime impertimus.

[Pii X Acta, vol. II, p. 69-84].

667.

Pius X, ep. *Sollicito*, 5 maii 1905. [3]

Sollicito vehementer animo hisce vos litteris alloquimur, adducti, ut intelligitis, earum indignitate rerum, quae, non uno quidem nomine improbandae, claram Lusitaniae urbem recens commoverunt. Hae nimirum cum pro ea cura, quam de alumnis sacrorum gerimus, incredibilem quamdam Nobis aegritudinem afferunt, tum causam nimis idoneam dant, quam memores Nostrarum partium, capimus, cohortandi vos, ut ipsam sacrae iuventutis institutionem studiosissime accuretis. Equidem non diffitemur, huic vos officio haudquaquam deesse solitos, ac praesertim his viginti annis studuisse vestrorum disciplinam temperationemque Seminariorum melius constituere. At in hoc genere, etsi bonos cepistis adhuc laborum fructus, videtis tamen ipsi, multa esse reliqua, in quibus elaborare necesse sit. Iamvero desiderari aliquid vestrae, in hac causa, diligentiae pastoralis, quaesumus, ne patiamini. Nimium quantum Ecclesiae populique christiani interest, talia esse clericorum Seminaria, qualia Tridentina Synodus providentissime voluit: [4] pietatis nempe artiumque bonarum domicilia, ubi rite atque ordine lecta in spem divini ministerii iuventus virtutibus doctrinisque debitis instruatur. Ut enim ex illis, si quidem instituti sui rationem inviolate retineant, praeclarae sunt utilitates in commune expectandae, ita si vel paullum ab ea ratione deficiant, maxima sunt ex iisdem metuenda incommoda: id quod tristis rerum experientia confirmat. — Quare si vobis est, quod sum-

[1] Exod., XXXII, 26.
[2] I Petr., IV, 10.
[3] Dilecto Filio Nostro Ioseph Sebastiano S. R. E. Presb. Card. Neto Patriarchae Olisiponensi ac Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Regni Lusitaniae.
[4] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

mopere debet esse, cordi, suppleri Clerum vestrum sacerdotibus iis, qui non inscientia aut desidia aut probrosis moribus sanctissimum munus dedecorent, verum scientiae ornatu, studio animarum, integritate vitae eo se nomine dignos praestent, similiter vestrum cuiusque Seminarium vobis esse cordi patet oportere. Hoc igitur omni ope excolite, hunc, inquimus, praecipuum industriae vestrae campum, in quo quum sancte studioseque versati eritis, tum putate cetera officii vestri munia magnam partem vos exsecutos. — Quamquam ad parandam sacerdotum copiam, qui dignitatem decusque Cleri retineant, non satis fuerit eam tantam curam in Seminario collocasse: magnum profecto istud, sed nequaquam in isto omnia. Relinquitur enim, ut in adsciscendis ministris sacrorum nihil temere, nihil nisi ex conscientia officii fiat. Religiosissime servandum est Episcopo quod Paullus Apostolus graviter admonuit: *Manus cito nemini imposueris;* quippe periculorum plena est omnis, in negotio huius momenti ac ponderis, festinatio: at multo magis cavendum, ne quo studio et favore hominum adducatur, ut manus cuipam, minus digno, imponat. Enimvero hoc adeo tetrum est facinus, ut minime suspicio eius cadere in quemquam vestrum possit: illud potius, ut in consecrandis clericis nullum cautionis genus supervacaneum vobis videatur, etiam atque etiam rogamus. — Verum in tota hac re, quae ita unumquemque vestrum attingit, ut attingat universos, propterea quod ad ipsius Lusitanae Ecclesiae salutem pertinet, ne satis habetote, pro viribus contendere et eniti singulos, sed consilia inter vos conferendo, deliberetis identidem, cupimus, quid maxime ad commune propositum conducat. Itaque, quoniam intermissum istic accepimus esse morem solemnes Episcoporum coetus habendi, dabitis operam, ut eum quamprimum atque ob hanc potissimum causam, de qua loquimur, revocetis.

Auspicem divinorum munerum et paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Pii X Acta, vol. II, p. 92-94].

668.

Pius X, ep. *Acre nefariumque*, 14 maii 1905.[1]

1. Acre nefariumque bellum ab iis, qui rempublicam Aequatorianam temperant, iamdudum adversus Ecclesiam susceptum, tantum abest ut diuturnitate defervescat, ut flammam potius concipiat in dies maiorem. Iam horum consilia huc spectare, ad religionem Catholicam non modo iniustis vinculis impediendam sed evertendam funditus, clare indicant istae quae rogantur et sanciuntur leges; si tamen leges ea sunt decreta nominanda, quibus civilis auctoritas perperam de rebus, a ratione et potestate sua remotis, quid statuerit.

[1] Venerabilibus Fratribus et Dilectis Filiis Episcopis ceterisque locorum Ordinariis in Republica Aequatoriana.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

2. Apostolica quidem Sedes, pro paterna sua in civitatem vestram benevolentia, permultis perque magnis testata exemplis, quum nihil praetermisit, quod hostiles mitigare animos posset, tum de reliquo facilitatem indulgentiamque omnem paratissima est ad redintegrandam pacem adhibere. — Interim vero Apostolici sanctitas officii, quemadmodum decessorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII impulit, ut, datis ad vos litteris,[1] violata Dei et Ecclesiae iura vehementer expostularet, ita nunc, quando novae maioresque dolendi causae in hoc genere existunt, impellit Nos, ut illatas religioni iniurias eo magis conqueramur.

3. Sane haec talia deplorare satis non possumus, de quibus iam nonnulli vestrum, valde se Nobis probantes, questi sunt: sanctitudinem stabilitatemque matrimonii christiani inique attentatam; exturbatum bonorum possessionibus Clerum; disiectas religiosorum familias, nativamque potestatem sollemnia Deo vota nuncupandi coangustatam improbe; varia perfunctioni sacri ministerii allata impedimenta. Atque ad ista omnia, quae quidem maximo Nobis moerori sunt, vobisque, quotquot estis sacrorum Antistites, intolerandam rerum conditionem creant, cumulus quidam accedit ex eo, quod pleraeque dioeceses diutius iam Episcopos suos desiderant. Iamvero huic ipsi incommodo, singularem in modum gravi, quod multorum causa malorum continet, ne fiat remedii cunctatione gravius, sentimus mature ratione aliqua medendum esse.

4. Sed alia praeterea est cura, quae Nos magnopere sollicitat: veremur quippe, nec sine causa, ne istorum, qui in civitate praesunt, exempla sensim in iis, qui subsunt, tantum possint, ut veterem exploratamque istorum cum Romano Pontifice coniunctionem extenuent. Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, omnem operam diligentiamque conferre in populum, et efficere, ut catholici homines, arctius in dies vobis et per vos Apostolicae Sedi adhaereant: iidemque, vobis auctoribus, concordi nisu et salva verecundia civili auctoritati debita, contendant quavis legitima ope sarcire damna, quae religioni publice importata sint.

5. In primis vero excitate omnes et hortamini ad officia rite servanda christianae vitae, illa praesertim, quorum custodiam praesens rerum perturbatio difficiliorem facit. Quibus ex officiis duo nominatim commendanda sunt. Alterum, ut ista direptione ecclesiasticorum bonorum quidquam deminui de sacrosancto iure dominioque Ecclesiae ne putent, ideoque religiose videant obtemperandum esse sacrorum canonum in hac re praescriptis, nisi statutas subire poenas adversus huius sacrilegii reos gravissimas, velint. Alterum, ut, quoniam divini cultus necessitatibus consulere, redacta ad inopiam, Ecclesia non potest, subsidio huic veniant catholici, uti par est, ac sumptus eiusmodi, pro sua quisque facultate, suppeditent.

6. Ceterum nolumus, propter has temporum acerbitates despondeatis animum. Adspicite in auctorem fidei et consummatorem Iesum; qui cum, ipse tentatus per omnia, Ecclesiae suae similia perpetienda fore denuntiavit, tum, quod ipse vicisset mundum, in se confidere eam iussit. Hac igi-

[1] Cf. N. 651.

tur fiducia subnixi, vos alacres, Ecclesiae sanctae causa, contendite; Nosque interea Deum implorabimus, ut et vobis opportunam det opem, et meliorem Reipublicae istius moderatoribus mentem iniiciat. — Horum auspicem bonorum et paternae Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, et Clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

[Pii X Acta, vol. II, p. 95-97].

669.

Pius X, motu propr. *Crux pectoralis*, 24 maii 1905.

Crux pectoralis, quamvis sit peculiare dignitatis episcopalis insigne, haud ita tamen est Episcoporum propria, ut ea nullus alius Praelatus legitime usus sit vel utatur; omnibus quippe compertum est, eam compluribus dignitatibus Cleri saecularis ac regularis, variis temporibus, a S. Sede indultam esse, opportunis cum cautelis et restrictionibus, atque cum amplitudine plus minusve notabili. Quod admittitur et confirmatur Nostro Motu proprio diei 21 februarii currentis anni, [1] quo permisimus, ut Protonotarii Apostolici de numero Participantium, nec non Supranumerarii atque illi qui ad instar Participantium appellari solent, ad Ecclesiam accedentes, pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, Crucem gestare possint pectoralem, ea forma, quae ibi expresse memoratur. Itaque Nos animadvertentes, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, iuxta sententias a Summis Pontificibus Nostris Praedecessoribus adhibitas, « esse praecipua Papae membra; repraesentare Apostolos, cum Christi erant ministri; tamquam consiliarios atque coadiutores Vicarium Dei assistere in catholico orbe regendo; ad Apostolicum Collegium vocatos, totius mundi coniudices fieri; regibus similes esse, et iure veros cardines vocari, quibus Ecclesiae ianua verti, atque firma stabilisque manere debet »; censemus maxime et omnino convenire, ut ipsi, in sacris insignibus utendis, nulli Praelato inferiori sint aut videantur quoquo modo secundi. Cum igitur ius publice privateque Crucis pectoralis deferendae competat omnibus Episcopis, atque, praesertim pro sacris functionibus solemnibus, non paucis aliis Praelatis, saecularibus et regularibus: quo magis honorata appareat tum publice tum privatе sublimis cardinalitia dignitas, in iis quoque S. Collegii membris, quae consecrationem episcopalem non habeant; Nos omnibus Cardinalibus praesentibus et futuris ex Ordine presbyterali ac diaconali, episcopali charactere non insignitis, concedimus, in perpetuum ac sine ulla limitatione, ut publice ac privatim se Cruce pectorali ornare valeant; atque volumus et iubemus, ut, quoad hoc, nullum adsit discrimen inter Cardinales, charactere episcopali insignitos et Cardinales, eodem charactere non insignitos; ita ut omnibus concedatur, omnibusque gestanda sit praefata Crux pectoralis, etiam coram Romano Pontifice; et ab hac die, ius illam ferendi competat non

[1] Cf. N. 665.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

minus Cardinalibus, episcopali charactere non insignitis, quam ceteris, atque totius orbis Episcopis. Irritam atque nullam declaramus quamlibet contrariam exceptionem seu restrictionem, et decernimus, ut, quod in hoc Nostro Motu proprio continetur, semper stabile ac firmum teneatur.

[S. R. C. Decr. Authent., n. 4160. — Cf. etiam Pii X Acta, vol. II, p. 98-100].

670.

Pius X, litt. ap. *Provida*, 18 ian. 1906.

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit quae ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina [1] clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino Decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput *Tametsi* non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coeperit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo, plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones quae in iudicibus quidem persaepe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus, huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens, praecepit ut ceterorum quoque Germaniae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officio intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus ac mandamus:

[1] Sess. XXIV, cap. I, *de ref.*

I. In universo hodierno Imperio Germaniae caput *Tametsi* Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (idest a die decimaquinta aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti omnes catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. Matrimonia mixta quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica datis integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.

III. Ut autem iudicibus Ecclesiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia, ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici Ordinariis ut illud per ephemerides dioecesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschae anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

[Pii X Acta, vol. III, p. 9-12].

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

671.

Pius X, ep. encycl. *Vehementer Nos*, 11 febr. 1906.[1]

1. Vehementer Nos esse sollicitos et praecipuo quodam dolore angi, rerum vestrarum causa, vix attinet dicere; quando ea perlata lex est, quae quum pervetustam civitatis vestrae cum Apostolica Sede necessitudinem violenter dirimit, tum vero indignam miserrimamque Ecclesiae in Gallia conditionem importat. Gravissimum sane facinus, idemque, ob ea quae civili societati allaturum est aeque ac religioni detrimenta, omnibus bonis deplorandum. Quod tamen nemini arbitramur inopinatum accidisse, qui quidem postremis temporibus, quemadmodum sese adversus Ecclesiam rei publicae moderatores gererent, attenderit. Vobis certe nec subitum accidit nec novum, Venerabiles Fratres; quibus ipsis testibus, christiana instituta plagas tam multas tamque magnas, alias ex aliis, accepere publice. Vidistis violatam legibus christiani sanctitudinem ac stabilitatem coniugii; dimotam de scholis de valetudinariis publicis religionem; abstractos a sacra studiorum et virtutum disciplina clericos et sub arma compulsos; disiectas spoliatasque bonis religiosas Familias, earumque sodales ad inopiam plerumque redactos rerum omnium. Illa etiam decreta nostris: ut aboleretur consuetudo vetus vel auspicandi, propitiato Deo, legumlatorum ac iudicum coetus, vel ob memoriam mortis Christi lugubria induendi navibus; ut sacramentis in iure dicendis forma speciesque abrogaretur religiosae rei; ut in iudiciis, in gymnasiis, in terrestribus maritimisque copiis, in rebus denique omnibus ditionis publicae, ne quid esset aut fieret, quod significationem aliquam christianae professionis daret. Iamvero ista quidem et id genus cetera, quum ab Ecclesia sensim rem publicam seiungerent, nihil fuisse aliud apparet, nisi gradus quosdam consulto iactos ad plenum discidium lege propria inducendum: id quod ipsi harum rerum auctores profiteri plus semel et prae se ferre non dubitarunt. — Huic tanto malo ut occurreret Apostolica Sedes, quantum in se habuit facultatis, totum eo contulit. Nam ex una parte admonere atque hortari gubernatores Galliae non destitit, etiam atque etiam considerarent, hunc quem instituissent discessionis cursum, quanta esset incommodorum consecutura moles; ex altera autem suae in Galliam indulgentiae benevolentiaeque singularis illustria duplicavit documenta; non absurde confisa, se ita posse, qui praeerant, tamquam iniecto officii gratiaeque vinculo retinere in declivi, atque ab incoeptis demum abducere. — At huiusmodi studia, officia, conata et Decessoris et Nostra recidisse ad nihilum omnia cernimus; siquidem inimica religioni vis, quod contra iura catholicae gentis

[1] Dilectis Filiis Nostris Francisco Mariae S. R. E. Presb. Card. Richard Archiepiscopo Parisiensi, Victori Luciano S. R. E. Presb. Card. Lecot Archiepiscopo Burdigalensi, Petro Hectori S. R. E. Presb. Card. Coullié Archiepiscopo Lugdunensi, Ioseph Guilelmo S. R. E. Presb. Card. Labouré Archiepiscopo Rhedonensi ceterisque Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis atque universo Clero et populo Galliae.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

vestrae ac vota recte sentientium diu contenderat, expugnavit. Hoc igitur tam gravi Ecclesiae tempore, ut conscientia Nos officii sanctissimi iubet, Apostolicam vocem tollimus, et mentem animumque Nostrum vobis, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, patefacimus: quos quidem universos omnes semper consuevimus peculiari quadam caritate prosequi, nunc vero, uti par est, eo vel amantius complectimur.

2. Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae segregari oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est. — Primum enim, quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati esse curae, magnam infert iniuriam Deo: qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; proptereaque non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice. — Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam reipublicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. — Praeterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis, religiosae, et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eas saepe existant eiusmodi, quarum cognitio et diiudicatio utriusque sit. Iamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum; quae iudicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. — Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum; haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest.

3. Itaque Romani Pontifices huiusmodi refellere atque improbare opiniones, quae ad dissociandam ab Ecclesia rempublicam pertinerent, quoties res tempusque tulit, non destiterunt. Nominatim Decessor illustris, Leo XIII, pluries magnificeque exposuit, quanta deberet esse, secundum christianae principia sapientiae, alterius societatis convenientia cum altera: inter quas « quaedam, ait, intercedat necesse est ordinata colligatio, quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur ». Addit autem: « Civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere ... Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error ». [1]

4. Iamvero, si contra omne ius fasque agat quaevis christiana civitas, quae Ecclesiam ab se segreget ac removeat, quam non est probandum,

[1] Epist. enc. *Immortale Dei*, data die I nov. an. MDCCCLXXXV. — Cf. N. 592.

egisse hoc ipsum Galliam, quod sibi minime omnium licuit! Galliam dicimus, quam longo saeculorum spatio haec Apostolica Sedes praecipuo quodam ac singulari semper amore dilexerit; Galliam, cuius fortuna omnis et amplitudo nominis et gloriae religioni humanitatique christianae cognata semper fuerit! Apte idem Pontifex: « Illud Gallia meminerit, quae sibi cum Apostolica Sede sit, Dei providentis numine, coniunctio, arctiorem esse vetustioremque, quam ut unquam audeat dissolvere. Inde enim verissimae quaeque laudes, atque honestissima decora profecta ... Hanc velle turbari necessitudinem idem foret sane, ac velle de auctoritate gratiaque nationis Gallicae in populis non parum detrahi ». [1]

5. Accedit autem quod haec ipsa summae necessitudinis vincula eo sanctiora iubebat esse sollemnis pactorum fides. Nempe Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventio eiusmodi intercesserat, [2] cuius ultro et citro constaret obligatio; cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare et Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in iis quae pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure, ac ceterae quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est, iure gentium; ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset. Apostolicam autem Sedem summa semper fide conditionibus stetisse, omnique tempore postulasse, ut fide pari staret eisdem civitas, nemo prudens suique iudicii homo negaverit. Ecce autem Respublica pactionem adeo sollemnem et legitimam suo tantum arbitrio rescindit; violandaque religione pactorum, nihil quidquam pensi habet, dum sese ab Ecclesiae complexu amicitiaque expediat, et insignem Apostolicae Sedi iniuriam imponere, et ius gentium frangere, et ipsam commovere graviter disciplinam socialem et politicam; siquidem nihil tam interest humani convictus et societatis ad secure explicandas rationes populorum mutuas, quam ut pacta publica sancte inviolateque serventur.

6. Ad magnitudinem autem iniuriae, quam Apostolica Sedes accepit, accessionem non mediocrem factam esse liquet, si modus inspiciatur, quo modo Respublica pactum resolvit. Est hoc ratum similiter iure gentium atque in moribus positum institutisque civilibus, ut non ante liceat conventa inter civitates solvi, quam civitas altera, quae hoc velit, alteri se id velle clare aperteque ipsi legitime denuntiarit. Iamvero hic voluntatis huiusmodi apud Apostolicam ipsam Sedem legitima, non modo denuntiatio, sed ne ulla quidem significatio intercessit. Ita non dubitarunt gubernatores Galliae adversus Apostolicam Sedem communia urbanitatis officia deserere, quae vel minimae cuique minimique momenti civitati praestari solent; neque iidem veriti sunt, quum nationis catholicae personam gererent, Pontificis, summi Ecclesiae catholicae Capitis, dignitatem potestatemque contemnere; quae quidem potestas eo maiorem ab iis verecundiam, quam civilis ulla

[1] In alloc. ad peregr. Gallos hab. die XIII apr. an. MDCCCLXXXVIII. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. VIII, p. 455, 456.
[2] Cf. Raccolta di Concordati, p. 561-565.

potestas postulabat, quod aeterna animorum bona spectat, neque ullis locorum finibus circumscribitur.

7. Sed iam ipsam in se legem considerantibus, quae modo promulgata est, novae Nobis multoque gravioris querelae nascitur causa. Principio Respublica quum revulsis pactionis vinculis ab Ecclesia discederet, consequens omnino erat, ut eam quoque missam faceret et concessa iure communi frui libertate sineret. At nihil minus factum est: nam plura hic videmus esse constituta, quae, odiosum privilegium Ecclesiae irrogando, eam civili imperio subesse cogant. Nos vero cum graviter molesteque ferimus, quod hisce sanctionibus civilis potestas in eas res invasit, quarum iudicium et arbitrium unius est sacrae potestatis; tum etiam eoque magis dolemus, quod eadem, aequitatis iustitiaeque oblita, Ecclesiam Gallicam in conditionem ac fortunam coniecit duram incommodamque maxime, atque eam sacrosanctis ipsius iuribus adversissimam.

8. Nam primum huius decreta legis constitutionem ipsam offendunt, qua Christus Ecclesiam conformavit. Scriptura enim eloquitur et tradita a Patribus doctrina confirmat, Ecclesiam mysticum esse Christi corpus *pastorum* et *doctorum* auctoritate administratum,[1] id est societatem hominum, in qua aliqui praesunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi, iudicandi potestate.[2] Est igitur haec societas, vi et natura sua, *inaequalis;* duplicem scilicet complectitur personarum ordinem, pastores et gregem, id est eos, qui in variis hierarchiae gradibus collocati sunt, et multitudinem fidelium: atque hi ordines ita sunt inter se distincti, ut in sola hierarchia ius atque auctoritas resideat movendi ac dirigendi consociatos ad propositum societati finem; multitudinis autem officium sit, gubernari se pati, et rectorum sequi ductum obedienter. Praeclare Cyprianus Martyr: « Dominus noster, cuius praecepta metuere et servare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus*, etc. Inde per temporum et successionum vice Episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur »; idque ait « divina lege fundatum ».[3] Contra ea, legis huius praescripto, administratio tuitioque cultus publici non hierarchiae divinitus constitutae relinquitur, sed certae cuidam defertur consociationi civium: cui quidem forma ratioque imponitur personae legitimae, quaeque in universo religiosi cultus genere sola habetur civilibus uti instructa iuribus, ita obligationibus obstricta. Igitur ad consociationem huiusmodi templorum aedificiorumque sacrorum usus, rerum ecclesiasticarum tum moventium tum solidarum possessio respiciet; ipsi de Episcoporum, de Curionum, de Seminariorum aedibus liberum, licet ad tempus, permittetur arbitrium; ipsius erit administrare bona, corrogare

[1] Ephes., IV, 11 seqq.
[2] Matth., XXVIII, 18-20; XVI, 18, 19; XVIII, 17; Tit., II, 15; II Cor., X, 6; XIII, 10, et alibi.
[3] S. Cypr., Epist. XXXIII (al. XXVII, ad lapsos), n. 1.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

stipes, pecuniam et legata percipere, sacrorum causa. De hierarchia vero silentium est. Statuitur quidem, istas consociationes ita conflandas esse, quemadmodum cultus religiosi, cuius exercendi gratia instituuntur, propria disciplina ratioque vult; verumtamen cavetur, ut si qua forte de ipsarum rebus controversia inciderit, eam dumtaxat apud *Consilium Status* diiudicari oporteat. Perspicuum est igitur ipsas consociationes adeo civili potestati obnoxias esse, nihil ut in eis ecclesiasticae auctoritati loci relinquatur. Quantopere haec omnia sint Ecclesiae aliena dignitati, contraria iuribus et constitutioni divinae, nemo non videt: eo magis, quod non certis definitisque formulis, verum tam vagis tamque late patentibus perscripta lex est in hoc capite, ut iure sint ex eius interpretatione peiora metuenda.

9. Praeterea nihil hac ipsa lege inimicius libertati Ecclesiae. — Etenim, si prohibentur sacri magistratus, ob interiectas consociationes quas diximus, plenam muneris sui exercere potestatem; si in easdem consociationes summa vindicatur *Consilio Status* auctoritas, eaeque parere alienissimis a iure communi statutis iubentur, ita ut difficile coalescere, difficilius queant consistere; si data divini cultus exercendi copia, multiplici exceptione minuitur; erepta Ecclesiae studio vigilantiaeque, custodia templorum Reipublicae attribuitur; ipsum coercetur Ecclesiae munus de fide ac morum sanctitate concionandi, et severiores irrogantur clericis poenae; si haec et talia sanciuntur, in quibus multum etiam libido interpretandi possit, quid hic aliud agitur, quam ut Ecclesia in humili abiectaque conditione locetur, et pacificorum civium, quae quidem est pars Galliae multo maxima, per speciem conservandi publici ordinis, sanctissimum ius violetur profitendae, uti velint, religionis suae? Quamquam Civitas non comprimenda solum divini cultus professione, qua totam vim rationemque definit religionis, Ecclesiam vulnerat; sed eius etiam vel virtuti beneficae intercludendo aditus ad populum, vel actionem multipliciter debilitando. Igitur satis non habuit, praeter cetera, Ordines submovisse religiosorum, unde in sacri ministerii perfunctione, in institutione atque eruditione adolescentis aetatis, in christianae procuratione beneficentiae praeclara adiumenta suppetebant Ecclesiae: nam humanis eam opibus, id est necessario quodam ad vitam et ad munus subsidio, intervertit.

10. Sane, ad ea quae conquesti sumus damna et iniurias, hoc accedit, ut ista de discidio lex ius Ecclesiae sua sibi habendi bona violet atque imminuat. Etenim de patrimonii, magnam partem, possessione, probatissimis quibusque titulis quaesiti, Ecclesiam, alte iustitia reclamante, deturbat; quidquid rite constitutum sit, addicta pecunia in divinum cultum aut in stata defunctorum solatia, tollit atque irritum iubet esse; quas facultates catholicorum liberalitas christianis utique scholis aut variis christianae beneficentiae institutis sustinendis destinarat, eas ad instituta laicorum transfert, ubi plerumque aliquod catholicae religionis vestigium frustra quaeras: in quo quidem patet, una cum Ecclesiae iuribus, testamenta voluntatesque apertas auctorum everti. Quod vero per summam iniuriam edicit, quibus aedificiis Ecclesia ante pactum conventum utebatur, ea posthac civitatis aut provinciarum aut municipiorum fore, singulari Nobis est sollicitudini. Nam

si consociationibus divino cultui exercendo usus templorum, ut videmus, gratuitus nec definitus conceditur, concessum tamen huiusmodi tot tantis-que exceptionibus extenuatur, ut reapse templorum arbitrium omne civiles magistratus obtineant. Vehementer praeterea timemus sanctitati templorum: neque enim cernimus abesse periculum, ne augusta divinae maiestatis domi-cilia, eademque carissima memoriae religionique Gallorum loca, profanas in manus quum deciderint, profanis ritibus polluantur. In eo autem, quod Rempublicam lex officio solvit suppeditandi annuos sacrorum sumptus, simul fidem sollemni pacto obligatam, simul iustitiam laedit gravissime. Etenim nullam dubitationem hoc habet, quod ipsa rei gestae testantur monu-menta, Rempublicam Gallicam, quum pacto convento sibi suscepit onus praebendi Clero unde vitam decenter ipse agere, ac publicam religionis dignitatem curare posset, non id fecisse comitatis benignitatisque gratia; verum ut eam, quam proximo tempore Ecclesia passa esset publice dire-ptionem bonorum, saltem ex parte aliqua sarciret. Similiter eodem convento, quum Pontifex, concordiae studens, recepit, se successoresque suos nullam molestiam exhibituros iis, ad quos direpta Ecclesiae bona pervenissent, sub ea conditione constat recepisse, ut per ipsam Rempublicam perpetuo esset honestae et Cleri et divini cultus tuitioni consultum.

11. Postremo, ne illud quidem silebimus, hanc legem, praeterquam Ecclesiae rebus, vestrae etiam civitati non exiguo futuram damno. Neque enim potest esse dubium, quin multum habitura sit facultatis ad eam labe-factandam coniunctionem et conspirationem animorum, quae si desit, nulla stare aut vigere queat civitas; et quam, his maxime Europae temporibus, quisquis est in Gallia vir bonus vereque amans patriae, salvam et incolu-mem velle debet. Nos quidem, exemplo Decessoris, a quo exploratissimae erga nationem vestram caritatis eximiae cepimus haereditatem, quum avitae religionis tueri apud vos integritatem iurium niteremur, hoc simul specta-vimus semper et contendimus, communem omnium vestrum pacem con-cordiamque, cuius nullum vinculum arctius quam religio, confirmare. Qua-propter intelligere sine magno angore non possumus, eam auctoritate publica patratam esse rem, quae, concitatis iam populi studiis funestarum de rebus religiosis contentionum faces adiiciendo, perturbare funditus civitatem posse videatur.

12. Itaque, Apostolici Nostri officii memores, quo sacrosancta Ecclesiae iura a quavis impugnatione defendere ac servare integra debemus, Nos pro suprema, quam obtinemus divinitus, auctoritate, sancitam legem, quae Rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat, reprobamus ac damnamus; idque ob eas quas exposuimus causas; quod maxima afficit iniuria Deum, quem sollemniter eiurat, principio declarans Rempublicam cuiusvis religiosi cultus expertem; quod naturae ius gentiumque violat et publicam pactorum fidem; quod constitutioni divinae et rationibus intimis et libertati adversatur Ecclesiae; quod iustitiam evertit, ius opprimendo dominii, multiplici titulo ipsaque conventione legitime quaesitum; quod graviter Apostolicae Sedis dignitatem ac personam Nostram, Episcoporum Ordinem, Clerum et Catholicos Gallos offendit. Propterea de rogatione,

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

latione, promulgatione eiusdem legis vehementissime expostulamus; in eaque testamur nihil quidquam inesse momenti ad infirmanda Ecclesia iura, nulla hominum vi ausuque mutabilia.

13. Haec ad istius detestationem facti vobis, Venerabiles Fratres, Gallicano populo, atque adeo christiani nominis universitati edicere habuimus. — Equidem molestissime, ut diximus, afficimur, mala prospicientes quae ab hac lege dilectae nationi impendent; maximeque commovemur miseriis, aerumnis, laboribus omne genus, in quibus fore vos, Venerabiles Fratres, Clerumque vestrum cernimus. Attamen, ne his tantis curis affligi Nos frangique patiamur, prohibet divinae benignitatis providentiaeque cogitatio, atque exploratissima spes, nunquam fore ut Ecclesiam Iesus Christus ope praesentiaque sua destituat. Itaque longe id abest a Nobis, ut quidquam formidemus, Ecclesiae causa. Divina est virtutis eius stabilitas atque constantia, eaque satis, opinamur, tot saeculorum experimento cognita. Nemo enim unus ignorat, asperitates rerum hac temporis diuturnitate in eam incubuisse et plurimas et maximas; atque, ubi virtutem non humana maiorem deficere necesse fuisset, Ecclesiam inde validiorem semper auctioremque emersisse. Ac de legibus in perniciem Ecclesiae conditis, hoc ferme usuvenire, historia teste, scimus, ut quas invidia conflaverit, eas postea, utpote noxias in primis civitati, prudentia resolvat: idque ipsum in Gallia haud ita veteri memoria constat contigisse. Quod insigne maiorum exemplum utinam sequi inducant animum, qui rerum potiuntur: matureque religionem, effectricem humanitatis, fautricem prosperitatis publicae, in possessionem dignitatis libertatisque suae, omnibus plaudentibus bonis, restituant.

14. Interea tamen, dum opprimendi exagitandi libido dominabitur, filii Ecclesiae, si unquam alias, oportet, *induti arma lucis*,[1] pro veritate ac iustitia, omni qua possunt ope nitantur. In quo vos, magistri auctoresque ceterorum, profecto, Venerabiles Fratres, omnem eam studii alacritatem, vigilantiam, constantiamque praestabitis, quae Galliae Episcoporum vetus ac spectatissima laus est. Sed hoc potissime studere vos volumus, quod maxime rem continet, ut omnium vestrum in tutandis Ecclesiae rationibus summa sit sententiarum consiliorumque consensio. Nobis quidem certum deliberatumque est, qua norma dirigendam esse in his rerum difficultatibus operam vestram arbitremur, opportune vobis praescribere; nec dubitandum, quin praescripta vos Nostra diligentissime executuri sitis. Pergite porro, ut instituistis, atque eo etiam impensius, roborare pietatem communem; praeceptionem doctrinae christianae promovere vulgatioremque facere; errorum fallacias, corruptelarum illecebras, tam late hodie fusas, a vestro cuiusque grege defendere; eidem ad docendum, monendum, hortandum, solandum adesse, omnia denique pastoralis caritatis officia conferre. — Nec vero elaborantibus vobis non se adiutorem strenuissimum praebebit Clerus vester: quem quidem, viris affluentem pietate, eruditione, obsequio in Apostolicam Sedem eximiis, promptum paratumque esse novimus, se totum

[1] Rom., XIII, 12.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

vobis pro Ecclesia sempiternaque animorum salute dedere. Certe autem, qui sunt huius Ordinis, in hac tempestate sentient sic se animatos esse oportere, quemadmodum fuisse Apostolos accepimus, *gaudentes ..., quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* [1] Itaque iura libertatemque Ecclesiae fortiter vindicabunt, omni tamen adversus quempiam asperitate remota: quin imo, caritatis memores, ut Christi ministros in primis addecet, aequitate iniuriam, lenitate contumaciam, beneficiis maleficia pensabunt.

15. Iam vos compellamus, catholici quotquot estis in Gallia; vobisque vox Nostra tum testimonio effusissimae benevolentiae, qua gentem vestram diligere non desinimus, tum in calamitosissimis rebus quae imminent, solatio sit. — Hoc sibi destinasse pravas hominum sectas, cervicibus vestris impositas, imo hoc denuntiasse insigni audacia se velle, nostis: delere catholicum in Gallia nomen. Eam nempe contendunt extrahere radicitus ex animis vestris fidem, quae avis et maioribus gloriam, patriae prosperitatem verendamque amplitudinem peperit, vobis levamenta aerumnarum ministrat, pacem tuetur tranquillitatemque domesticam, viam munit ad beatitatem adipiscendam sine fine mansuram. In huius defensionem fidei summa vi incumbendum vobis putatis esse scilicet: sed hoc habete, inani vos nisu laboraturos, si dissociatis viribus propulsare hostiles impetus nitemini. Abiicite igitur, si quae insident inter vos, discordiarum semina; ac date operam, ut tanta omnes conspiratione voluntatum et agendi similitudine coniuncti sitis, quanta esse decet homines, quibus una eademque est causa propugnanda, atque ea causa, pro qua quisque non invite debeat, si opus fuerit, aliquam privati iudicii iacturam facere. — Omnino magna generosae virtutis exempla detis oportet, si, quantum est in vobis, vultis, ut officium est, avitam religionem a praesenti discrimine eripere: in quo benigne facientes ministris Dei, divinam peculiari modo benignitatem vobis conciliabitis.

16. At vobis ad patrocinium religionis digne suscipiendum, recte utiliterque sustinendum, illa esse maxima arbitremini: christianae sapientiae praeceptis vosmetipsos conformari adeo, ut ex moribus atque omni vita professio catholica eluceat; et arctissime cum iis cohaerere, quorum propria est religiosae rei procuratio, cum sacerdotibus nimirum et Episcopis vestris et, quod caput est, cum hac Apostolica Sede, in qua, tamquam centro, catholicorum fides et conveniens fidei actio nititur. Sic ergo parati atque instructi, ad hanc pro Ecclesia propugnationem fidenter accedite; sed videte, ut fiduciae vestrae tota ratio in Deo consistat, cuius agitis causam: eius idcirco opportunitatem auxilii implorare ne cessetis. Nos vero, quamdiu ita vobis erit periclitandum, vobiscum praesentes cogitatione animoque versabimur; laborum, curarum, dolorum participes: simulque prece atque obsecratione humili ac supplici apud Auctorem Statoremque Ecclesiae instabimus, ut respiciat Galliam misericors, eamque tantis iactatam fluctibus celeriter, deprecante Maria Immaculata, in tranquillum redigat.

[1] Act., V, 41.

17. Auspicem divinorum munerum, ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

[Pii X Acta, vol. III, p. 24-39].

672.

Pius X, allocut. *Gravissimum*, 21 febr. 1906.

1. Gravissimum apostolici muneris officium impleturi, vos hodierno die ad Nos convocandos censuimus. — Multa profecto acerba aeque atque iniusta, per calamitosissimam hanc tempestatem, Ecclesiae quotidie inferuntur ac Nobis, qui, quantumvis immeriti, illius regimen, Christi vice, tenemus. At memores tamen eiusdem Christi patientiae, certisque illius promissis tuti, adversa quaeque miti animo tolerare nitimur, ut sicut ille ambulavit et Nos ambulemus in spe gloriae filiorum Dei. — Sed enim, tam grave atque vehemens Ecclesiae ac Nobis impositum nuperrime est vulnus, ut illud nequeamus silentio premere, nec, si velimus, nisi neglecto officio, liceret. Praecipitis plane, Venerabiles Fratres, de ea lege velle Nos loqui, iniuriae plena atque in perniciem catholici nominis excogitata, quae paullo ante de seiuganda civitate ab Ecclesia in Galliis sancita est. Equidem in encyclicis litteris, quas paucis ante diebus ad Galliarum Episcopos, Clerum ac populum dedimus, [1] fusius iam ostendimus, quam ea invidiosa sit, ac Dei atque Ecclesiae infesta iuribus. Sed ne muneris apostolici quotamcumque praeterivisse partem videamur, propositum est ea quae ediximus, in amplissimo conspectu vestro strictim persequi, graviterque confirmare.

2. Enimvero qui eam non reprobare legem possimus, quam ipsa, quam praefert, inscriptio malitiae convincit ac damnat? Agitur, Venerabiles Fratres, de civitatis ab Ecclesia invehendo discidio. Lex igitur tota quanta est in aeterni summique Dei contemptu nititur, cum nullum deberi Illi a civitate honorem pietatis contendat. Atqui non singularium modo hominum dominus ac dominator, sed gentium etiam ac civitatum Deus est: quem proinde agnoscere, vereri, colere ipsas nationes, quique illis praesunt, oportet publice. Quae si quidem oblivio ac discessio iniuriose adversus divini Numinis maiestatem ubique fieret; in Galliis vero ingrate magis longeque perniciosius. Nam si veteres Gallorum laudes pro veritate quis aestimet, eas partem longe maximam ex religione profluxisse fatebitur atque ex perpetua, quae inde oriebatur, cum Sede hac Apostolica necessitudine.

3. Accedit, civitatis cum Ecclesia coniunctionem solemni in Galliis pactorum fide fuisse firmatam. [2] At vero, quod nulli civitatum fere usuvenit, tametsi dignitatis perexiguae, id factum est cum Apostolica Sede, cuius tanta est in orbe auctoritas et amplitudo. Etenim pactio illa, solemnis adeo ac legitima, nullo servato urbanitatis officio, nulla, quod tamen iure gen-

[1] Cf. N. 671.
[2] Cf. Raccolta di Concordati, p. 561-565.

tium cavetur atque in civilibus institutis est positum, nulla, inquimus, solvendae conventionis significatione, unius tantum partis arbitrio, violata fidei religione, rescissa est.

4. Nunc autem si porro legis ipsius decreta spectamus, ecquis non videt eius rogatione constitutionem ipsam labefactari, qua Christus acquisitam sanguine Ecclesiam conformavit? Nimirum nulla in ea Romani Pontificis, nulla Episcoporum incidit mentio: e contra administratio tota publicique cultus tuitio civium consociationibus defertur, quas unas in universo religioso genere Respublica civilibus instructas iuribus agnoscit. Quod si inter ipsas controversiam contigerit oriri, illa non Episcoporum iudicio, non Nostro, sed ab uno *Status Consilio* cognoscenda est ac dirimenda.

5. Quid insuper, hac lege lata, de libertate Ecclesiae censendum sit, Venerabiles Fratres, in memoratis encyclicis litteris uberius exposuimus. Heic autem ut pressius dicamus: prohibentur, ex parte altera, Antistites sacrorum christianum populum pro plena muneris potestate regere; ex altera, christiano populo profitendae libere, uti debet, religionis suae sanctissimum ius adimitur: actio vero Ecclesiae in hominum consociationem multiplici ex capite debilitatur aut omnino intercipitur.

6. Quae profecto violatio iurium ac libertatis diminutio postremam inde accessionem habet non levem quod, uno legis imperio, frustra reclamante iustitia, frustra obsistente pactorum fide, Ecclesia de patrimonii sui legitima possessione deturbatur. Respublica vero omni solvitur officio annuos suppeditandi religionis sumptus, quos pacto convento, ad sarciendam publicae direptionis iniuriam, suppeditandos susceperat.

7. His igitur vobiscum pro gravitate rei communicatis, apostolici memores officii, quo sanctissima Ecclesiae iura tutari omni ope ac propugnare tenemur, sententiam Nostram de lege hac, in amplissimo etiam coetu vestro, solemniter proferimus. Eam videlicet, suprema auctoritate qua Christi vice fungimur, uti Deo optimo maximo iniuriosam, divinae constitutioni Ecclesiae infestam, schismati faventem. Nostrae ac legitimorum pastorum auctoritati adversam, bonorum Ecclesiae direptricem, iuri gentium oppositam, Nobis et Apostolicae Sedi invidiosam, Episcopis, clero et catholicis Galliarum universis infensissimam, damnamus et reprobamus; simulque edicimus et declaramus, eamdem legem nunquam nulloque in eventu adversus perpetua Ecclesiae iura esse valituram.

8. Nunc vero ad catholicam Gallorum gentem patet cor Nostrum: cum afflicta affligimur, cum flente flemus. Nullus esto, qui, quod tam acerbe simus habiti, caritatem Nostram erga illos deferbuisse putet. Religiosorum familias, suis extorres aedibus et patria, sollicite cogitamus: adolescentium agmina, christianam institutionem desiderantia, paterna trepidatione prosequimur: Episcopos fratres Nostros et clerum omnem in tribulatione positos et graviora metuentes, in oculis ferimus: fideles ea lege oppressos diligimus: universos denique paterno amantissimoque corde complectimur. Praeclara, per aetates omnes, Galliarum in Religionem sanctissimam merita nullorum audacia ac nequitia obliterabit unquam: spes autem est, mitescente tempore, praeclariora fore. — Interea filios dilectissimos vehementissime hortamur ne, per asperitates et angustias rerum, fracto demissove sint animo. Vigilent, stent in fide, viriliter agant, maiorum sententiae memores: *Christus amat Francos*. Aderit illis semper Apostolica haec Sedes, quae primigenam Ecclesiae filiam providentiam, caritatemque suam desiderare nunquam permittet.

[Pii X Acta, vol. III, p. 44-47].

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

673.

Pius X, motu propr. *Religiosorum Ordinum*, 19 mart. 1906.

Religiosorum Ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint Ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; in primisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergant, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugiferae. Hanc ob causam, quoniam ipsae, praeterquam sanctarum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude floreant necesse est, Nos e re esse haud ita pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, noveramus quidem Sacram Congregationen, Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, auctoritate Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII die IV novembris MDCCCXCII, prudentissime praescripsisse, [1] ut « professi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a Iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ». Sed praescriptiones huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus efferre posse, quam si candidati ad sacros Ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod ceteroqui sacrosancta Tridentina Synodus iusserat: nam Sess. XXIII, cap. 7, *de reform.*, haec habet generatim: « Episcopus ordinandorum omnium mores et doctrinam diligenter investiget et examinent »; nominatim autem de Regularibus eiusd. Sess. cap. 12: « Regulares non sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis ». Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset: idque Nos anno superiore praestitimus pro Urbe, quum die XVI mensis iulii Motu proprio decrevimus, [2] ut quicumque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros Ordines promovendi essent, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facerent in Curia Cardinalis Vicarii Nostri.

[1] Cf. N. 2020.
[2] Cf. Pii X Acta, vol. II, p. 149-151.

Nunc vero placet, etiam ex consulto Moderatorum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, memoratum Nostrum decretum per has litteras extendere. Quare Nos, Motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italiae ditioni subiectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium, vel ad votorum solemnium pertinentes, ne ante ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei: sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemoriali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, Episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe Motu proprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad Ordinem adeundum pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Pii X Acta, vol. III, p. 58-60].

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

674.

Pius X, litt. ap. *Quoniam in re biblica*, 27 mart. 1906.

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum fortasse numquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter; ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quidquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litt. Encycl. *Providentissimus,*[1] recte Decessor Noster illustris edixit: « Prima cura sit, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent ». In eamdem autem rem haec Nos, quae magnopere videntur profutura, praescribimus:

I. Sacrae Scripturae praeceptio, in quoque Seminario impertienda, ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Bibliorum, textum primigenium potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utriusque Testamenti; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Librorum analysim et exegesim.

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partiendum est, quot annos debent alumni Ecclesiae intra Seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut, horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

III. Magisteria Scripturae tradendae ita constituentur, quemadmodum cuiusque Seminarii conditio et facultates ferent: ubique cavebitur, ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sacerdoti non licet.

[1] Cf. N. 621.

IV. Quum ex una parte fieri non possit, ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, praeceptoris erit, peculiares et proprios habere tractatus seu *introductiones* in singulos Libros, eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere, ac analysim tradere: qui tamen aliquanto plus, quam in ceteris, in eis Libris immorabitur ac Librorum partibus, quae graviores sunt.

V. Atque is ad Testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebraeus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

VI. Praesertim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque Psalmos exempli causa interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

VII. Quod vero ad novum Testamentum, presse dilucideque docebit, quatuor Evangelia quas habeant singula proprias tanquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in Epistolis ceterisque Libris comprehensam exponet.

VIII. Singularem quandam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque Testamenti locis, qui ad fidem moresque christianos pertinent.

IX. Illud semper, maxime vero in novi Testamenti expositione meminerit, suis se praeceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitae erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quae sit optima via Evangelii praedicandi: eosque ex occasione ad exequenda diligenter Christi Domini et Apostolorum praescripta alliciet.

X. Alumni, qui meliorem de se spem facient, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi. « Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis de ceteris item antiquis, maxime semiticis, sint magisteria ». (Litt. Encycl. *Providentissimus*).

XI. In Seminariis, quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de Sacra Scriptura numerum; altiusque propterea generales specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae vel archeologiae, vel geographiae, vel chronologiae, vel theologiae, itemque historiae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit.

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti alumni ad academicos Sacrae Scripturae gradus comparentur: quod quidem ad idoneos divinarum Litterarum magistros Seminariis quaerendos non parum valebit.

XIII. Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit, nunquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere: uti-

que vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget: idem eas duntaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum conducat: denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur.

XIV. Alumni autem quod scholae praelectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Quum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister prae angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, veteris novique Testamenti attentam lectionem continuabunt; in quo optimum factu erit, breve aliquod adhiberi commentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, difficiliores explicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiae, quantum nimirum e scholae praelectionibus profecerint, periculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint.

XVI. Omnibus in Academiis quisque candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus, ad *introductionem* historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit; atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblici scientem.

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, praeter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina coniunctis tractant; ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palestinensibus: ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent.

XVIII. Huius rei gratia, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quovis Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumnis in promptu sint.

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

[Pii X Acta, vol III. p. 72-76].

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

675.

Pius X, motu propr. *Dei providentis*, 16 iul. 1906.

Dei providentis benignitatem, opportune Ecclesiae temporibus subvenientem, cum alia multa ostendunt, tum hoc praeclare, quod veteribus religiosorum Ordinibus ob conversionem publicarum rerum dispersis afflictisque, nova instituta accessere, quae, professionem religiosae vitae retinendo, ingravescentibus christiani populi necessitatibus multipliciter deserviunt. Illas hoc loco, ut apparet, utriusque sexus Familias dicimus, proprio et titulo et habitu distinctas easdemque solo simplicium votorum aut nullo id genus vinculo adstrictas, quarum sodales, licet in plures distributi domos, eisdem tamen legibus ac sub uno summo praeside omnes vivunt, eo proposito, ut perfectionem virtutis ipsi assequantur, seque proximorum

causa in variis religionis aut misericordiae operibus exerceant. Profecto sodalitatum istiusmodi, tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate merentium, sperandum est, numquam defuturam copiam: hodieque libet agnoscere, usque adeo eas increbuisse, ut nullum videatur esse ministrandae caritatis christianae genus, quod illae reliquum fecerint. Verumtamen, quae est humanae conditionis infirmitas, ex ipsa ista talium sodalitatum frequentia, nisi temperatio aliqua iuris accesserit, fieri non potest quin aliquando sacrae disciplinae perturbatio quaedam oriatur et confusio. Itaque ad hoc avertendum incommodum plura iam Apostolica Sedes edixit; nominatimque cavit, ne ibi sodalitas nova conderetur, ubi per alias iam conditas necessitatibus loci satis consultum esset; neve ulla usquam sineretur institui, quae aut redditibus careret, ad sodalium victum necessariis, aut quidquam minus decorum in titulo, in habitu, in opere exercendo prae se ferret. Praeterea Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum nonnulla praescripsit antea servanda, quam hae sodalitates earumque constitutiones approbatione aut laude Sedis Apostolicae honestarentur. At vero experimentis compertum est, nondum per has praescriptiones satis esse provisum, ne sodalitates ab suis exordiis in eo statu collocentur, unde postea, quum Apostolicae Sedis comprobatio erit assequenda, debeant magno saepe cum detrimento recedere. Quare, de eiusdem Sacri Consilii sententia, haec Nos quae infra scripta sunt, motu proprio statuimus:

I. Nullus Episcopus aut cuiusvis loci Ordinarius, nisi habita Apostolicae Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem condat aut in sua dioecesi condi permittat.

II. Ordinarius, huius licentiae impetrandae gratia, Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum adeat per libellum supplicem, quo haec docebit: quis qualisque sit novae sodalitatis auctor, et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit sodalitatis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia, partes habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similia in dioecesi sint instituta, et quibus illa operibus insistant.

III. Accepta Sacri Consilii venia, nihil iam obstabit, quominus Ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat, eo tamen titulo, habitu, proposito ceterisque rebus ab ipso Sacro Consilio recognitis, probatis designatisve: quae numquam deinceps, nisi eodem consentiente, immutari licebit.

IV. Conditae sodalitatis constitutiones Ordinarius recognoscat: verum ne prius approbet, quam eas ad normam eorum, quae Sacrum Consilium in hac causa decrevit, exigendas curaverit.

V. Instituta sodalitas, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, Ordinariorum iurisdictioni subiaceat, ut Decessoris Nostri Constitutione *Conditae* sancitum est. [1]

[1] Cf. N. 644.

Quae vero per has litteras decreta sunt, ea Nos rata et firma esse volumus, contrariis quibusvis minime obstantibus.

[Pii X Acta, vol. III, p. 141-143].

676.

Pius X, litt. encycl. *Pieni l'animo*, 28 iul. 1906.[1]

1. Pieni l'animo di salutare timore per la ragione severissima, che dovremo rendere un giorno al Principe dei pastori Gesù Cristo a riguardo del gregge da lui affidatoci, passiamo i dì Nostri in una continua sollecitudine, a preservare, quanto è possibile, i fedeli dai mali perniciosissimi, onde è afflitta di presente l'umana società. Teniamo perciò come detta a Noi la parola del Profeta: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam;*[2] e non manchiamo, ora di viva voce ed ora per lettere, di avvertire, di pregare, di riprendere, eccitando soprattutto lo zelo dei Nostri Fratelli nell'episcopato, onde spieghi ciascuno la più sollecita vigilanza sulla porzione dell'ovile, a cui lo Spirito Santo lo ebbe preposto.

6. Iam, ut a philosopho exordiamur, philosophiae religiosae fundamentum in doctrina illa modernistae ponunt, quam vulgo *agnosticismum* vocant. Vi huius humana ratio *phaenomenis* omnino includitur, rebus videlicet quae apparent eaque specie qua apparent: earumdem praetergredi terminos nec ius nec potestatem habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est, nec illius exsistentiam, ut ut per ea quae videntur, agnoscere. Hinc infertur, Deum scientiae obiectum directe nullatenus esse posse; ad historiam vero quod attinet, Deum subiectum historicum minime censendum esse. — His autem positis, quid de *naturali theologia*, quid de *motivis credibilitatis*, quid de *externa revelatione* fiat, facile quisque perspiciet. Ea nempe modernistae penitus e medio tollunt, et ad *intellectualismum* amandant; ridendum, inquiunt, systema ac iamdiu emortuum. Neque illos plane retinet quod eiusmodi errorum portenta apertissime damnarit Ecclesia: siquidem Vaticana Synodus sic sanciebat: *Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, anathema sit;*[1] itemque: *Si quis dixerit fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, anathema sit;*[2] ac demum: *Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, anathema sit.*[3] — Qua vero ratione ex *agnosticismo*, qui solum est in ignoratione, ad *atheismum* scientificum atque historicum modernistae transeant, qui contra totus est in inficiatione positus: quo idcirco ratiocinationis iure, ex eo quod ignoretur utrum humanarum gentium historiae intervenerit Deus necne, fiat gressus ad eamdem historiam neglecto omnino Deo explicandam, ac si reapse non intervenerit; novit plane qui possit. Id tamen ratum ipsis fixumque est, atheam debere esse scientiam itemque historiam; in quarum finibus non nisi *phaenomenis* possit esse locus, exturbato penitus Deo et quidquid divinum est. — Qua ex doctrina absurdissima quid de sanctissima Christi persona, quid de ipsius vitae mortisque mysteriis, quid pariter de anastasi deque in caelum ascensu tenendum sit, mox plane videbimus.

7. Hic tamen *agnosticismus*, in disciplina modernistarum, non nisi ut pars negans habenda est: positiva, ut aiunt, in *immanentia vitali* constituitur. Harum nempe ad aliam ex altera sic procedunt. — Religio, sive ea naturalis est sive supra naturam, ceu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta adituque ad revelationem ob reiecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda: et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiae religiosae* principium asseritur. Vitalis porro cuiuscumque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia

[1] *De Revel.*, can. I.
[2] Ibid., can. II.
[3] *De Fide*, can. III.

quapiam seu impulsione est repetenda: primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur. Eam ob rem, cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oratur. Haec porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, in *subconscientia*, ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa. — Petet quis forsan, haec divini indigentia, quam homo in se ipse percipiat, quo demum pacto in religionem evadat. Ad haec modernistae: Scientia atque historia, inquiunt, duplici includuntur termino; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultra quo procedant non habent: hos enim praeter fines adest *incognoscibile*. Coram hoc *incognoscibili*, sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in *subconscientia* lateat, indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum *fideismi* scita, praevertente mentis iudicio, peculiarem quemdam commovet *sensum:* hic vero divinam ipsam *realitatem*, tum tamquam obiectum tum tamquam sui caussam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo coniungit. Est porro hic *sensus* quem modernistae fidei nomine appellant, estque illis religionis initium.

8. Sed non hic philosophandi, seu rectius delirandi, finis. In eiusmodi enim *sensu* modernistae non fidem tantum reperiunt; sed, cum fide inque ipsa fide, prout illam intelligunt, *revelationi* locum esse affirmant. Enimvero ecquid amplius ad revelationem quis postulet? An non revelationem dicemus, aut saltem revelationis exordium, *sensum* illum religiosum in conscientia apparentem; quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese, in eodem religioso *sensu*, animis manifestantem? Subdunt vero: cum fidei obiectum sit aeque et caussa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est: habet Deum videlicet revelantem simul ac revelatum. Hinc autem, Venerabiles Fratres, affirmatio illa modernistarum perabsurda, qua religio quaelibet, pro diverso adspectu, naturalis una ac supernaturalis dicenda est. Hinc lex, qua *conscientia religiosa* ut regula universalis traditur, cum revelatione penitus aequanda, cui subesse omnes oporteat, supremam etiam in Ecclesia potestatem, sive haec doceat sive de sacris disciplinave statuat.

9 Attamen in toto hoc processu, unde, ex modernistarum sententia, fides ac revelatio prodeunt, unum est magnopere attendendum, non exigui quidem momenti ob consequutiones historico-criticas, quas inde illi eruunt. — Nam *Incognoscibile*, de quo loquuntur, non se fidei sistit ut nudum quid aut singulare; sed contra in phaenomeno aliquo arcte inhaerens, quod quamvis ad campum scientiae aut historiae pertinet, ratione tamen aliqua pratergreditur; sive hoc phaenomenon sit factum aliquod naturae, arcani quidpiam in se continens, sive sit quivis unus ex hominibus, cuius ingenium acta verba cum ordinariis historiae legibus componi haud posse viden-

tur. Tum vero fides, ab *Incognoscibili* allecta quod cum phaenomeno iungitur, totum ipsum phaenomenon compectitur ac sua vita quodammodo permeat. Ex hoc autem duo consequuntur. Primum, quaedam phaenomeni *transfiguratio*, per elationem scilicet supra veras illius conditiones, qua aptior fiat materia ad induendam divini formam, quam fides est inductura. Secundum, phaenomeni eiusdem aliquapiam, sic vocare liceat, *defiguratio* inde nata, quod fides illi, loci temporisque adiunctis exempto, tribuit quae reapse non habet: quod usuvenit praecipue, quum de phaenomenis agitur exacti temporis, eoque amplius quo sunt vetustiora. Ex gemino hoc capite binos iterum modernistae eruunt canones; qui, alteri additi iam ex agnosticismo habito, critices historicae fundamenta constituunt. Exemplo res illustrabitur; sitque illud e Christi persona petitum. In persona Christi, aiunt, scientia atque historia nil praeter hominem offendunt. Ergo, vi primi canonis ex agnosticismo deducti, ex eius historia quidquid divinum redolet delendum est. Porro, vi alterius canonis, Christi persona historica *transfigurata* est a fide: ergo subducendum ab ea quidquid ipsam evehit supra conditiones historicas. Demum, vi tertii canonis, eadem persona Christi a fide *defigurata* est: ergo removenda sunt ab illa sermones, acta: quidquid, uno verbo, ingenio, statui, educationi eius, loco ac tempori quibus vixit, minime respondet. — Mira equidem ratiocinandi ratio: sed haec modernistarum critice.

10. *Religiosus*, igitur *sensus*, qui per *vitalem immanentiam* e latebris *subconscientiae* erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium, quae in religione quavis fuere aut sunt futura. Rudis quidem initio ac fere informis, eiusmodi *sensus*, paullatim atque influxu arcani illius principii unde ortum habuit, adolevit una cum progressu humanae vitae, cuius, ut diximus, quaedam est forma. Habemus igitur religionis cuiuslibet, etsi supernaturalis, originem: sunt nempe illae *religiosi sensus* merae explicationes. Nec quis catholicam exceptam putet; immo vero ceteris omnino parem: nam ea in conscientia Christi, electissimae naturae viri, cuiusmodi nemo unus fuit nec erit, *vitalis* processu *immanentiae*, non aliter, nata est, — Stupent profecto, qui haec audiant, tantam ad asserendum audaciam, tantum sacrilegium! Attamen, Venerabiles Fratres, non haec sunt solum ab incredulis effutita temere. Catholici homines, immo vero e sacerdotibus plures, haec palam edisserunt; talibusque deliramentis Ecclesiam se instauraturos iactant! Non heic iam de veteri errore agitur, quo naturae humanae supernaturalis ordinis veluti ius tribuebatur. Longius admodum processum est: ut nempe sanctissima religio nostra, in homine Christo aeque ac in nobis, a natura, ex se suaque sponte, edita affirmetur. Hoc autem nil profecto aptius ad omnem supernaturalem ordinem abolendum. Quare a Vaticana Synodo iure summo sancitum fuit: *Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere, anathema sit.* [1]

[1] *De Revel.*, can. III.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

11. Huc usque tamen, Venerabiles Fratres, nullum dari vidimus intellectui locum. Habet autem et ipse, ex modernistarum doctrina, suas in actu fidei partes. Quo dein pacto, advertisse praestat. — In *sensu* illo, inquiunt, quem saepius nominavimus, quoniam *sensus* est non cognitio, Deus quidem se homini sistit; verum confuse adeo ac permixte, ut a subiecto credente vix aut minime distinguatur. Necesse igitur est aliquo eumdem sensum collustrari lumine, ut Deus inde omnino exsiliat ac secernatur. Id nempe ad intellectum pertinet, cuius est cogitare et analysim instituere; per quem homo vitalia phaenomena in se exsurgentia in species primum traducit, tum autem verbis significat. Hinc vulgata modernistarum enunciatio: debere religiosum hominem fidem suam *cogitare*. — Mens ergo, illi *sensui* adveniens, in eumdem se inflectit, inque eo elaborat pictoris instar, qui obsoletam tabulae cuiusdam diagraphen collustret ut nitidius efferat: sic enim fere quidam modernistarum doctor rem explicat. In eiusmodi autem negotio mens dupliciter operatur; primum naturali actu et spontaneo, redditque rem sententia quadam simplici ac vulgari; secundo vero, reflexe ac penitius, vel, ut aiunt, *cogitationem elaborando*, eloquiturque cogitata *secundariis* sententiis, derivatis quidem a prima illa simplici, limatioribus tamen ac distinctioribus. Quae *secundariae* sententiae, si demum a supremo Ecclesiae magisterio sancitae fuerint, constituent *dogma*.

12. Sic igitur in modernistarum doctrina ventum est ad caput quoddam praecipuum, videlicet ad originem dogmatis atque ad ipsam dogmatis naturam. Originem enim dogmatis ponunt quidem in primigeniis illis formulis simplicibus, quae, quodam sub respectu, necessariae sunt fidei: nam revelatio, ut reapse sit, manifestam Dei notitiam in conscientia requirit. Ipsum tamen dogma *secundariis* proprie contineri formulis affirmare videntur. — Eius porro ut assequamur naturam, ante omnia inquirendum est, quaenam intercedat relatio inter *formulas religiosas* et *religiosum* animi *sensum*. Id autem facile intelliget, qui teneat *formularum* eiusmodi non alium esse finem, quam modum suppeditare credenti, quo sibi suae fidei rationem reddat. Quamobrem mediae illae sunt inter credentem eiusque fidem: ad fidem autem quod attinet, sunt inadaequatae eius obiecti notae, vulgo *symbola* vocitant, ad credentem quod spectat, sunt mera *instrumenta*. — Quocirca nulla confici ratione potest, eas veritatem absolute continere: nam, qua *symbola*, imagines sunt veritatis, atque idcirco sensui religioso accommodandae, prout hic ad hominem refertur; qua *instrumenta* sunt veritatis vehicula, atque ideo accommodanda vicissim homini, prout refertur ad religiosum sensum. Obiectum autem *sensus religiosi*, utpote quod *absoluto* continetur, infinitos habet adspectus, quorum modo hic modo alius apparere potest. Similiter homo, qui credit, aliis atque aliis uti potest conditionibus. Ergo et formulas, quas dogma appellamus, vicissitudini eidem subesse oportet, ac propterea varietati esse obnoxias. Ita vero ad intimam *evolutionem* dogmatis expeditum est iter. — Sophismatum profecto coacervatio infinita, quae religionem omnem pessumdat ac delet!

13. Evolvi tamen ac mutari dogma non posse solum sed oportere, et modernistae ipsi perfracte affirmant, et ex eorum sententiis aperte conse-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

quitur. — Nam inter praecipua doctrinae capita hoc illi habent, quod ab im-
manentiae vitalis principio deducunt: *formulas religiosas*, ut *religiosae* reapse
sint nec solum intellectus commentationes, vitales esse debere vitamque
ipsam vivere *sensus religiosi*. Quod non ita intelligendum est, quasi hae
formulae, praesertim si mere imaginativae, sint pro ipso religioso sensu
inventae; nihil enim refert admodum earum originis, ut etiam numeri vel
qualitatis: sed ita, ut eas *religiosus sensus*, mutatione aliqua, si opus est,
adhibita, *vitaliter* sibi adiungat. Scilicet, ut aliis dicamus, necesse est ut
formula primitiva acceptetur a corde ab eoque sanciatur; itemque sub cor-
dis ductu sit labor, quo *secundariae formulae* progignuntur. Hinc accidit
quod debeant hae formulae, ut vitales sint, ad fidem pariter et ad creden-
tem accommodatae esse ac manere. Quamobrem, si quavis ex causa huius-
modi accommodatio cesset, amittunt illae primigenias notiones ac mutari
indigent. — Haec porro formularum dogmaticarum cum sit vis ac fortuna
instabilis, mirum non est illas modernistis tanto esse ludibrio ac despectui;
qui nihil e contra loquuntur atque extollunt nisi religiosum sensum vitam-
que religiosam. Ideo et Ecclesiam audacissime carpunt tamquam devio
itinere incedentem, quod ab externa formularum significatione religiosam
vim ac moralem minime distinguat, et formulis notione carentibus casso
labore ac tenacissime inhaerens, religionem ipsam dilabi permittat. — *Caeci*
equidem *et duces caecorum*, qui superbo scientiae nomine inflati usque eo
insaniunt ut aeternam veritatis notionem et germanum religionis sensum
pervertant: novo invecto systemate, *quo ex proiecta et effrenata novitatum
cupiditate, veritas, ubi certo consistit, non quaeritur sanctisque et apostolicis
traditionibus posthabitis, doctrinae aliae inanes, futiles, incertae nec ab Eccle-
sia probatae adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi
homines perperam arbitrantur.* [1]

14. Atque haec, Venerabiles Fratres, de modernista ut philosopho. —
Iam si, ad credentem progressus, nosse quis velit unde hic in modernistis a
philosopho distinguatur, illud advertere necesse est, etsi philosophus *reali-
tatem* divini ut fidei obiectum admittat, hanc tamen ab illo *realitatem* non
alibi reperiri nisi in credentis animo, ut obiectum sensus est et affirmations
atque ideo phaenomenorum ambitum non excedit: utrum porro in se illa
extra sensum existat atque affirmationem huiusmodi, praeterit philosophus
ac negligit. E contra modernistae credenti ratum ac certum est, *realitatem*
divini reapse in se ipsam exsistere nec prorsus a credente pendere. Quod
si postules, in quo tandem haec credentis assertio nitatur; reponent: in
privata cuiusque hominis *experientia*. — In qua affirmatione, dum equidem
hi a rationalistis dissident, in protestantium tamen ac pseudo-mysticorum
opinionem discedunt. Rem enim sic edisserunt: in *sensu religioso* quendam
esse agnoscendum cordis intuitum; quo homo ipsam, sine medio, Dei *rea-
litatem* attingit, tantamque de exsistentia Dei haurit persuasionem deque
Dei tum intra tum extra hominem actione, ut persuasionem omnem, quae

[1] Gregor. XVI, Ep. Encycl. *Singulari Nos*, 7 kal. iul. 1834. — Cf. Acta Greg. XVI, vol. I, p. 433, 434.

ex scientia peti possit, longe antecellat. Veram igitur ponunt experientiam, eamque rationali qualibet experientia praestantiorem: quam si quis, ut rationalistae, inficiatur, inde fieri affirmant, quod nolit is in eis se ipse constituere moralibus adiunctis, quae ad experientiam gignendam requirantur. Haec porro *experientia*, cum quis illam fuerit assequutus, proprie vereque credentem efficit. — Quam hic longe absumus a catholicis institutis! Commenta eiusmodi a Vaticana Synodo improbata iam vidimus. — His semel admissis una cum erroribus ceteris iam memoratis, quo pacto ad atheismum pateat via, inferius dicemus. Nunc statim advertisse iuverit, ex hac *experientiae* doctrina, coniuncta alteri de *symbolismo*, religionem quamlibet, ethnicorum minime excepta, ut veram esse habendam. Quidni etenim in religione quavis experientiae huiusmodi occurrant? occurrisse vero non unus asserit. Quo iure autem modernistae veritatem experientiae abnuent, quam turca affirmet; verasque experientias unis catholicis vindicabunt? Neque id reapse modernistae denegant; quin immo subobscure alii, alii apertissime, religiones omnes contendunt esse veras. Secus autem sentire nec posse, manifestum est. Nam religioni cuipiam quo tandem ex capite, secundum illorum praecepta, foret falsitas tribeunda? Certe vel ex fallacia *sensus religiosi*, vel quod falsiloqua sit formula ab intellectu prolata. Atqui *sensus religiosus* unus semper idemque est, etsi forte quandoque imperfectior: formula autem intellectus, ut vera sit, sufficit ut *religioso sensui* homini que credenti respondeat, quidquid de huius perspicuitate ingenii esse queat. Unum, ad summum, in religionum diversarum conflictu, modernistae contendere forte possint, catholicam, utpote vividiorem, plus habere veritatis; itemque christiano nomine digniorem eam esse, ut quae christianismi exordiis respondeat plenius. — Has consecutiones omnes ex datis antecedentibus fluere, nemini erit absonum. Illud stupendum cummaxime, catholicos dari viros ac sacerdotes, qui, etsi ut autumari malumus, eiusmodi portenta horrent, agunt tamen ac si plene probent. Eas etenim errorum talium magistris tribuunt laudes, eos publice habent honores, ut sibi quisque suadeat facile, illos non homines honorare, aliquo forsan numero non expertes, sed errores potius, quos hi aperte asserunt inque vulgus spargere omni ope nituntur.

15. Est aliud praeterea in hoc doctrinae capite, quod catholicae veritati est omnino infestum. — Nam istud de *experientia* praeceptum ad *traditionem* etiam transfertur, quam Ecclesia huc usque asseruit, eamque prorsus adimit. Enimvero modernistae sic traditionem intelligunt, ut sit *originalis experientiae* quaedam cum aliis communicatio per praedicationem, ope formulae intellectivae. Cui formulae propterea, praeter vim, ut aiunt, *repraesentativam, suggestivam* quandam adscribunt virtutem, tum in eo qui credit, ad *sensum religiosum* forte torpentem excitandum, instaurandamque *experientiam* aliquando habitam, tum in eis qui nondum credunt, ad *sensum religiosum* primo gignendum et *experientiam* producendam. Sic autem experientia religiosa late in populos propagatur; nec tantummodo in eos qui nunc sunt per praedicationem, sed in posteros etiam, tam per libros quam per verborum de aliis in alios replicationem. — Haec vero experientiae commu-

nicatio radices quandoque agit vigetque; senescit quandoque statim ac mori-
tur. Vigere autem, modernistis argumentum veritatis est: veritatem enim ac
vitam promiscue habent. Ex quo inferre denuo licebit: religiones omnes
quotquot exstant veras esse, nam secus nec viverent.

16. Re porro huc adducta, Venerabiles Fratres, satis superque habemus
ad recte cognoscendum, quem ordinem modernistae statuant inter fidem
et scientiam; quo etiam scientiae nomine historia apud illos notatur. —
Ac primo quidem tenendum est, materiam uni obiectam materiae obiectae
alteri externam omnino esse ab eaque seiunctam. Fides enim id unice
spectat, quod scientia *incognoscibile* sibi esse profitetur. Hinc diversum
utrique pensum: scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus fidei locus,
fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat. Unde demum
conficitur, inter fidem et scientiam nunquam esse posse discidium: si enim
suum quaeque locum teneat, occurrere sibi invicem nunquam poterunt,
atque ideo nec contradicere. — Quibus si qui forte obiiciant, quaedam in
aspectabili occurrere natura rerum quae ad fidem etiam pertineant, uti
humanam Christi vitam: negabunt. Nam, etsi haec phaenomenis accensen-
tur, tamen, quatenus vita fidei imbuuntur, et a fide, quo supra dictum est
modo, *transfigurata* ac *defigurata* fuerunt, a sensibili mundo sunt abrepta
et in divini materiam translata. Quamobrem poscenti ulterius, an Christus
vera patrarit miracula vereque futura praesenserit, an vere revixerit atque
in caelum conscenderit: scientia agnostica abnuet, fides affirmabit: ex hoc
tamen nulla erit inter utramque pugna. Nam abnuet alter ut philosophus
philosophos alloquens, Christum scilicet unice contemplatus secundum *rea-
litatem historicam:* affirmabit alter ut credens cum credentibus loquutus,
Christi vitam spectans prout *iterum vivitur* a fide et in fide.

17. Ex his tamen fallitur vehementer qui reputet posse opinari, fidem
et scientiam alteram sub altera nulla penitus ratione esse subiectam. Nam
de scientia quidem recte vereque existimabit; secus autem de fide, quae,
non uno tantum sed triplici ex capite, scientiae subiici dicenda est. Primum
namque advertere oportet, in facto quovis religioso, detracta *divina reali-
tate* quamque de illa habet *experientiam* qui credit, cetera omnia, praeser-
tim vero *religiosas formulas*, phaenomenorum ambitum minime transgredi,
atque ideo cadere sub scientiam. Liceat utique credenti, si volet, de mundo
excedere; quamdiu tamen in mundo deget, leges, obtutum, iudicia scientiae
atque historiae numquam, velit nolit, effugiet. — Praeterea, quamvis dictum
est Deum solius fidei esse obiectum, id de divina quidem *realitate* conce-
dendum est, non tamen de *idea* Dei. Haec quippe scientiae subest; quae,
dum in ordine, ut aiunt, logico philosophatur, quidquid etiam absolutum
est attingit atque ideale. Quocirca philosophia seu scientia cognoscendi de
idea Dei ius habet, eamque in sui evolutione moderandi et, si quid extra-
rium invaserit, corrigendi. Hinc modernistarum effatum: evolutionem reli-
giosam cum morali et intellectuali componi debere; videlicet, ut quidam
tradit quem magistrum sequuntur, eisdem subdi. — Accedit demum quod
homo dualitatem in se ipse non patitur: quamobrem credentem quaedam
intima urget necessitas fidem cum scientia sic componendi, ut a generali

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

ne discrepet idea, quam scientia exhibet de hoc mundo universo. Sic ergo
conficitur, scientiam a fide omnino solutam esse, fidem contra, ut ut scien-
tiae extranea praedicetur, eidem subesse. — Quae omnia, Venerabiles Fratres,
contraria prorsus sunt iis quae Pius IX Decessor Noster tradebat, docens:[1]
*Philosophiae esse, in iis quae ad religionem pertinent, non dominari sed ancil-
lari, non praescribere quid credendum sit, sed rationabili obsequio amplecti,
neque altitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed illam pie humiliterque reve-
reri.* Modernistae negotium plane invertunt: quibus idcirco applicari queunt,
quae Gregorius IX item Decessor Noster de quibusdam suae aetatis theo-
logis scribebat:[2] *Quidam apud vos, spiritu vanitatis ut uter distenti, positos
a Patribus terminos profana transferre satagunt novitate; caelestis paginae
intellectum... ad doctrinam philosophicam rationalium inclinando ad ostenta-
tionem scientiae, non profectum aliquem auditorum... Ipsi, doctrinis variis et
peregrinis abducti, redigunt caput in caudam, et ancillae cogunt famulari regi-
nam.*

18. Quod profecto apertius patebit intuenti quo pacto modernistae agant,
accommodate omnino ad ea quae docent. Multa enim ab eis contrarie
videntur scripta vel dicta, ut quis facile illos aestimet ancipites atque incer-
tos. Verumtamen consulte id et considerate accidit; ex opinione scilicet
quam habent de fidei atque scientiae seiunctione mutua. Hinc in eorum
libris quaedam offendimus quae catholicus omnino probet; quaedam, aversa
pagina, quae rationalistam dictasse autumes. Hinc, historiam scribentes,
nullam de divinitate Christi mentionem iniiciunt; ad concionem vero in
templis eam firmissime profitentur. Item, enarrantes historiam, Concilia
et Patres nullo loco habent; catechesim autem si tradunt, illa atque illos
cum honore afferunt. Hinc etiam exegesim theologicam et pastoralem a
scientifica et historica secernunt. Similiter, ex principio quod scientia a
fide nullo pacto pendeat, quum de philosophia, de historia, de critice dis-
serunt, Lutheri sequi vestigia non exhorrentes,[3] despicientiam praecepto-
rum catholicorum, sanctorum Patrum, oecumenicarum synodorum, magi-
sterii ecclesiastici omnimodis ostentant; de qua si carpantur, libertatem
sibi adimi conquerunt. Professi demum fidem esse scientiae subiiciendam,
Ecclesiam passim aperteque reprehendunt quod sua dogmata philosophiae
opinionibus subdere et accommodare obstinatissime renuat: ipsi vero, veteri
ad hunc finem theologia sublata, novam invehere contendunt, quae philo-
sophorum delirationibus obsecundet.

19. Hic iam, Venerabiles Fratres, nobis fit aditus ad modernistas in
theologico agone spectandos. Salebrosum quidem opus: sed paucis absol-
vendum. — Agitur nimirum de concilianda fide cum scientia idque non

[1] Brev. ad Ep. Wratislav. 15 iun. 1857.

[2] Ep. ad Magistros theol. Paris, non. iul. 1228. — Cf. Baronius, *Annales Eccles.*, tom. 20, p. 555, n. 29.

[3] Prop. 29 damn. a Leone X, Bull. *Exsurge Domine*, 15 iun. 1520. *Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.* — Cf. N. 76.

aliter quam una alteri subiecta. Eo in genere modernista theologus eisdem utitur principiis, quae usui philosopho esse vidimus, illaque ad credentem aptat: principia inquimus *immanentiae* et *symbolismi*. Sic autem rem expeditissime perficit. Traditur a philosopho *principium fidei esse immanens*; a credente additur *hoc principium Deum esse*: concludit ipse *Deus ergo est immanens in homine*. Hinc *immanentia theologica*. Iterum: philosopho certum est *repraesentationes obiecti fidei esse tantum symbolicas*; credenti pariter certum est *fidei obiectum esse Deum in se*: theologus igitur colligit: *repraesentationes divinae realitatis esse symbolicas*. Hinc *symbolismus theologicus*. — Errores profecto maximi: quorum uterque quam sit perniciosus, consequentiis inspectis patebit. — Nam, ut de *symbolismo* statim dicamus, cum symbola talia sint respectu obiecti, respectu autem credentis sint instrumenta; cavendum primum, inquiunt, credenti, ne ipsi formulae ut formula est plus nimio inhaereat, sed illa utendum unice ut absolutae adhaerescat veritati, quam formula retegit simul ac tegit nititurque exprimere quin unquam assequatur. Addunt praeterea, formulas eiusmodi esse a credente adhibendas quatenus ipsum iuverint; ad commodum enim datae sunt non ad impedimentum: incolumi utique honore qui, ex sociali respectu, debetur formulis, quas publicum magisterium aptas ad communem conscientiam exprimendam iudicarit, qnemdiu scilicet idem magisterium secus quidpiam non edixerit. — De *immanentia* autem quid reapse modernistae sentiant, difficile est indicare; non enim eadem omnium opinio. Sunt qui in eo collocant, quod Deus agens intime adsit in homine, magis quam ipse sibi homo; quod plane, si recte intelligitur, reprehensionem non habet. Alii in eo ponunt, quod actio Dei una sit cum actione naturae ut causae primae cum causae secundae; quod ordinem supernaturalem reapse delet. Alii demum sic explicant, ut suspicionem efficiant pantheisticae significationis; id autem cum ceteris eorum doctrinis cohaeret aptius.

20. Huic vero *immanentiae* pronunciato aliud adiicitur, quod de *permanentia divina* vocare possumus: quae duo inter se eo fere modo differunt, quo *experientia* privata ab *experientia* per traditionem transmissa. Exemplum rem collustrabit: sitque ab Ecclesia et Sacramentis deductum. Ecclesia, inquiunt, et Sacramenta a Christo ipso instituta minime credenda sunt. Cavet id agnosticismus, qui in Christo nil praeter hominem novit, cuius conscientia religiosa, ut ceterorum hominum, sensim efformata est: cavet lex immanentiae, quae externas, ut aiunt, *applicationes* respuit: cavet item lex evolutionis, quae ut germina evolvantur tempus postulat et quandam adiunctorum sibi succedentium seriem: cavet demum historia, quae talem reapse rei cursum fuisse ostendit. Attamen Ecclesiam et Sacramenta *mediate* a Christo fuisse instituta retinendum est. Qui vero? Conscientias christianas omnes in Christi conscientia virtute quodammodo inclusas affirmant, ut in semine planta. Quoniam autem germina vitam seminis vivunt; christiani omnes vitam Christi vivere dicendi sunt. Sed Christi vita, secundum fidem, divina est: ergo et christianorum vita. Si igitur haec vita, decursu aetatum, Ecclesiae et Sacramentis initium dedit: iure omnino dicetur initium huiusmodi esse a Christo ac divinum esse. Sic omnino conficiunt divinas esse

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

etiam Scripturas sacras, divina dogmata. — His porro modernistarum theologia ferme absolvitur. Brevis profecto supellex: sed ei perabundans, qui profiteatur, scientiae, quidquid praeceperit, semper esse obtemperandum. — Horum ad cetera quae dicemus applicationem quisque facile per se viderit.

21. De origine fidei deque eius natura attigimus huc usque. Fidei autem cum multa sint germina, praecipua vero Ecclesia, dogma, sacra et religiones, libri quos sanctos nominamus; de his quoque quid modernistae doceant, inquirendum. — Atque ut dogma initium ponamus, huius quae sit origo et natura iam supra indicatum est. Oritur illud ex impulsione quadam seu necessitate, vi cuius qui credit in suis cogitatis elaborat, ut conscientia tam sua quam aliorum illustretur magis. Est hic labor in rimando totus expoliendoque primigeniam mentis *formulam*, non quidem in se illam secundum logicam explicationem, sed secundum circumstantia, seu, ut minus apte ad intelligendum inquiunt, *vitaliter*. Inde fit ut, circa illam, *secundariae* quaedam, ut iam innuimus, sensim enascantur formulae; quae postea in unum corpus coagmentatae vel in unum doctrinae aedificium, cum a magisterio publico sancitae fuerint utpote communi conscientiae respondentes, dicuntur dogma. Ab hoc secernendae sunt probe theologorum commentationes: quae ceteroqui, quamvis vitam dogmatis non vivunt, non omnino tamen sunt inutiles, tum ad religionem cum scientia componendam et oppositiones inter illas tollendas, tum ad religionem ipsam extrinsecus illustrandam protuendamque; forte etiam utilitati fuerint novo cuidam futuro dogmati materiam praeparando. — De cultu sacrorum haud foret multis dicendum, nisi eo quoque nomine Sacramenta venirent; de quibus maximi modernistarum errores. Cultum ex duplici impulsione seu necessitate oriri perhibent; omnia etenim, ut vidimus, in eorum systemate impulsionibus intimis seu necessitatibus gigni asseruntur. Altera est ad sensibile quiddam religioni tribuendum; altera ad eam proferendam, quod fieri utique nequaquam possit sine forma quadam sensibili et consecrantibus actibus, quae Sacramenta dicimus. Sacramenta autem modernistis nuda sunt symbola seu signa; quamvis non vi carentia. Quam vim ut indicent, exemplo ipsi utuntur verborum quorundam; quae vulgo fortunam dicuntur sortita, eo quod virtutem conceperint ad notiones quasdam propagandas, robustas maximeque percellentes animos. Sicut ea verba ad notiones, sic Sacramenta ad sensum religiosum ordinata sunt: nihil praeterea. Clarius profecto dicerent, si Sacramenta unice ad nutriendam fidem instituta affirmarent. Hoc tamen Tridentina Synodus damnavit: [1] *Si quis dixerit haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.*

22. De librorum etiam sacrorum natura et origine aliquid iam delibavimus. Eos, ad modernistarum scita, definire probe quis possit syllogen *experientiarum*, non cuique passim advenientium, sed extraordinariarum atque insignium, quae in quapiam religione sunt habitae. — Sic prorsus modernistae docent de libris nostris tum veteris tum novi testamenti. Ad suas tamen opiniones callidissime notant: quamvis experientia sit praesentis

[1] Sess. VII, *de Sacramentis in genere*, can. 5.

temporis, posse tamen illam de praeteritis aeque ac de futuris materiam sumere, prout videlicet qui credit vel exacta rursus per recordationem in modum *praesentium vivit*, vel futura per praeoccupationem. Id autem explicat quomodo historici quoque et apocalyptici in libris sacris censeri queant. — Sic igitur in hisce libris Deus quidem loquitur per credentem; sed, uti fert theologia modernistarum, per *immanentiam* solummodo et *permanentiam vitalem*. — Quaeremus, quid tum de inspiratione? Haec, respondent, ab impulsione illa, nisi forte vehementia, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur. Simile quid habemus in poetica inspiratione; quare quidam aiebat: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis sacrorum librorum. — De qua praeterea inspiratione modernistae addunt, nihil omnino esse in sacris libris quod illa careat. Quod quum affirmant, magis eos crederes orthodoxos quam recentiores alios, qui inspirationem aliquantulum coangustant, ut, exempli causa, quum *tacitas* sic dictas *citationes* invehunt. Sed haec illi verbo tenus ac simulate. Nam si Biblia ex agnosticismi praeceptis iudicamus, humanum scilicet opus, ab hominibus pro hominibus exaratum, licet ius theologo detur ea per *immanentiam* divina praedicandi; qui demum inspiratio coarctari possit? Generalem utique modernistae sacrorum librorum inspirationem asseverant, catholico tamen sensu nullam admittunt.

23. Largiorem dicendi segetem offerunt, quae modernistarum schola de Ecclesia imaginatur. — Ponunt initio eam ex duplici necessitate oriri, una in credente quovis, in eo praesertim qui primigeniam ac singularem aliquam sit nactus experientiam, ut fidem suam cum aliis communicet; altera, postquam fides communis inter plures evaserit, in *collectivitate*, ad coalescendum in societatem et ad commune bonum tuendum, augendum, propagandum. Quid igitur Ecclesia? partus est *conscientiae collectivae* seu consociationis conscientiarum singularium; quae, vi *permanentiae vitalis*, a primo aliquo credente pendeant, videlicet, pro catholicis, a Christo. — Porro societas quaepiam moderatrice auctoritate indiget, cuius sit officium consociatos omnes in communem finem dirigere, et compagis elementa tueri prudenter, quae, in religioso coetu, doctrina et cultu absolvuntur. Hinc in Ecclesia catholica auctoritas tergemina; *disciplinaris*, *dogmatica*, *cultualis*. — Iam auctoritatis huius natura ex origine colligenda est; ex natura vero iura atque officia repetenda. Praeteritis aetatibus vulgaris fuit error quod auctoritas in Ecclesiam extrinsecus accesserit, nimirum immediate a Deo; quare *autocratica* merito habebatur. Sed haec nunc temporis obsolevere. Quo modo Ecclesia e conscientiarum collectivitate emanasse dicitur, eo pariter auctoritas ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat. Auctoritas igitur, sicut Ecclesia, ex conscientia religiosa oritur, atque ideo eidem subest; quam subiectionem si spreverit, in tyrannidem vertitur. Ea porro tempestate nunc vivimus, quum libertatis sensus in fastigium summum excrevit. In civili statu conscientia publica populare regimen invexit. Sed conscientia in homine aeque atque vita, una est. Nisi ergo in hominum conscientiis intestinum velit excitare bellum ac fovere, auctoritati Ecclesiae officium inest democra-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

ticis utendi formis; eo vel magis quod, ni faxit, exitium imminet. Nam amens profecto fuerit, qui in sensu libertatis, qualis nunc viget, regressum posse fieri aliquando autumet. Constrictus vi atque inclusus, fortior se profundet, Ecclesia pariter ac religione deleta. — Haec omnia modernistae ratiocinantur; qui propterea toti sunt in indagandis viis ad auctoritatem Ecclesiae cum credentium libertate componendam.

24. Sed enim non intra domesticos tantum parietes habet Ecclesia, quibuscum amice cohaerere illam oporteat; habet et extra. Non una namque ipsa occupat mundum; occupant aeque consociationes aliae, quibuscum commercium et usus necessario intercedat. Quare iura igitur, quae sint Ecclesiae officia cum civilibus consociationibus determinandum est etiam, nec aliter determinandum nisi ex ipsius Ecclesiae natura, qualem nimirum modernistae nobis descripsere. — In hoc autem eisdem plane regulis utuntur, quae supra pro scientia atque fide sunt allatae. Ibi de *obiectis* sermo erat, heic de *finibus*. Sicut igitur *ratione obiecti* fidem ac scientiam extraneas ab invicem vidimus, sic Status et Ecclesia alter ab altera extranea sunt ob fines quos persequuntur, temporalem ille, haec spiritualem. Licuit profecto alias temporale spirituali subiici; licuit de *mixtis* quaestionibus sermonem interseri, in quibus Ecclesia ut domina ac regina intereràt, quia nempe Ecclesia a Deo, sine medio, ut ordinis supernaturalis est auctor, instituta ferebatur. Sed iam haec a philosophis atque historicis respuuntur. Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a cive. Quamobrem catholicus quilibet, quia etiam civis, ius atque officium habet, Ecclesiae auctoritate neglecta, eius optatis, consiliis praeceptisque posthabitis, spretis immo reprehensionibus, ea persequendi quae civitatis utilitati conducere arbitretur. Viam ad agendum civi praescribere praetextu quolibet, abusus ecclesiasticae potestatis est, toto nisu reiiciendus. — Ea nimirum, Venerabiles Fratres, unde haec dimanant, eadem profecto sunt, quae Pius VI decessor Noster, in Constitutione apostolica *Auctorem fidei*, solemniter damnavit.[1]

25. Sed modernistarum scholae satis non est debere Statum ab Ecclesia seiungi. Sicut fidem, quoad elementa, ut inquiunt, phaenomenica scientiae subdi oportet, sic in temporalibus negotiis Ecclesiam subesse Statui. Hoc quidem illi aperte nondum forte asserunt; ratiocinationis tamen vi coguntur admittere. Posito etenim quod in temporalibus rebus Status possit unus, si accidat credentem, intimis religionis actibus haud contentum, in externos exilire, ut puta administrationem susceptionemve Sacramentorum; necesse erit haec sub Status dominium cadere. Ecquid tum de ecclesiastica auctoritate? Cum haec nisi per externos actus non explicetur; Statui, tota quanta est, erit obnoxia. Hac nempe consecutione coacti, multi

[1] Prop. 2. *Propositio, quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae ut communicaretur Pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: haeretica.* — Prop. 3. *Insuper, quae statuit Romanum Pontificem esse caput ministeriale; sic explicata ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia: haeretica.* — Cf. N. 475.

e protestantibus *liberalibus* cultum omnem sacrum externum, quia etiam externam quamlibet religiosam consociationem e medio tollunt, religionemque, ut aiunt, *individualem* invehere adnituntur. — Quod si modernistae nondum ad haec palam progrediuntur, petunt interea ut Ecclesia quo ipsi impellunt sua se sponte inclinet seseque ad civiles formas aptet. Atque haec de auctoritate *disciplinari*. — Nam de *doctrinali* et *dogmatica* potestate longe peiora sunt ac perniciosiora quae sentiunt. De magisterio Ecclesiae sic scilicet commentantur. Consociatio religiosa in unum vere coalescere nequaquam potest, nisi una sit consociatorum conscientia, unaque, qua utantur, formula. Utraque autem haec unitas mentem quandam quasi communem expostulat, cuius sit reperire ac determinare formulam, quae communi conscientiae rectius respondeat; cui quidem menti satis auctoritatis inesse oportet ad formulam quam statuerit communitati imponendam. In hac porro coniunctione ac veluti fusione tum mentis formulam eligentis tum potestatis eamdem perscribentis, magisterii ecclesiastici notionem modernistae collocant. Cum igitur magisterium ex conscientiis singularibus tandem aliquando nascatur, et publicum officium in earumdem conscientiarum commodum mandatum habeat; consequitur necessario, illud ab eisdem conscientiis pendere, ac proinde ad populares formas esse inflectendum. Quapropter singularium hominum conscientias prohibere quominus impulsiones quas sentiunt palam aperteque profiteantur, et criticae viam praepedire qua dogma ad necessarias evolutiones impellat, potestatis ad utilitatem permissae non usus est sed abusus. — Similiter in usu ipso potestatis modus temperatioque sunt adhibenda. Librum quamlibet auctore inscio, notare ac proscribere, nulla explicatione admissa, nulla disceptatione, tyrannidi profecto est proximum. — Quare heic etiam medium est quoddam iter reperiendum, ut auctoritati simul ac libertati integra sint iura. Interea temporis catholico sic est agendum, ut auctoritatis quidem observantissimum se publice profiteatur, suo tamen obsequi ingenio non intermittat. — Generatim vero sic de Ecclesia praescribunt: quoniam ecclesiasticae potestatis finis ad spiritualia unice pertinet: externum apparatum omnem esse tollendum, quo illa ad intuentium oculos magnificentius ornatur. In quo illud sane negligitur, religionem, etsi ad animos pertineat, non tamen unice animis concludi; et honorem potestati impensum in Christum institutorem recidere.

26. Porro ut totam hanc de fide deque vario eius germine materiam absolvamus, restat, Venerabiles Fratres, ut de utrorumque explicatione postremo loco modernistarum praecepta audiamus. — Principium hic generale est: in religione, quae vivat, nihil variabile non esse, atque idcirco variandum. Hinc gressum faciunt ad illud, quod in eorum doctrinis fere caput est, videlicet ad *evolutionem*. Dogma igitur, ecclesia, sacrorum cultus, libri, quos ut sanctos veremur, quin etiam fides ipsa, nisi intermortua haec omnia velimus, evolutionis teneri legibus debent. Neque hoc mirum videri queat, si ea prae oculis habeantur, quae sunt de horum singulis a modernistis tradita. Posita igitur evolutionis lege, evolutionis rationem a modernistis ipsis descriptam habemus. Et primo quoad fidem. Primigenia,

inquiunt, fidei forma rudis et universis hominibus communis fuit, ut quae ex ipsa hominum natura atque vita oriebatur. Evolutio vitalis progressum dedit; nimirum non novitate formarum extrinsecus accedentium, sed ex pervasione in dies auctiore sensus religiosi in conscientiam. Dupliciter autem progressio ipsa est facta: *negative* primum, elementum quodvis extraneum, ut puta ex familia vel gente adveniens, eliminando; dehinc *positive*, intellectiva ac morali hominis expolitione, unde notio divini amplior ac lucidior *sensusque religiosus* exquisitior evasit. Progredientis vero fidei eaedem sunt causae afferendae, quam quae superius sunt allatae ad eius originem explicandam. Quibus tamen extraordinarios quosdam homines addi oportet (quos nos prophetas appellamus, quorumque omnium praestantissimus est Christus); tum quia illi in vita ac sermonibus arcani quidpiam praesetulerunt, quod fides divinitati tribuebat; tum quia novas nec ante habitas *experientias* sunt nacti, religiosae cuiusque temporis indigentiae respondentes. — Dogmatis autem progressus inde potissimum enascitur, quod fidei impedimenta sint superanda, vincendi hostes, contradictiones refellendae. Adde his nisum quemdam perpetuum ad melius penetranda quae in arcanis fidei continentur. Sic, ut exempla cetera praetereamus, de Christo factum est: in quo, divinum illud qualecumque, quod fides admittebat, ita pedetentim et gradatim amplificatum est, ut demum pro Deo haberetur. — Ad evolutionem cultus facit praecipue necessitas ad mores traditionesque populorum sese accommodandi; item quorumdam virtute actuum fruendi, quam sunt ex usu mutuati. — Tandem pro Ecclesia evolutionis causa inde oritur, quod componi egeat cum adiunctis historicis cumque civilis regiminis publice invectis formis. — Sic illi de singulis. Hic autem, antequam procedamus, doctrina haec de *necessitatibus* seu *indigentiis* (vulgo *dei bisogni* significantius appellant) probe ut notetur velimus; etenim, praeterquam omnium quae vidimus, est veluti basis ac fundamentum famosae illius methodi, quam historicam dicunt.

27. In evolutionis doctrina ut adhuc sistamus, illud praeterea est advertendum quod, etsi indigentiae seu necessitates ad evolutionem impellunt; his tamen unis acta, evolutio, transgressa facile traditionis fines atque ideo a primigenio vitali principio avulsa, ad ruinam potius quam ad progressionem traheret. Hinc, modernistarum mentem plenius sequuti, evolutionem ex conflictione duarum virium evenire dicemus, quarum altera ad progressionem agit, altera ad conservationem retrahit.— Vis conservatrix viget in Ecclesia, continetur que traditione. Eam vero exerit religiosa auctoritas; idque tam iure ipso, est enim in auctoritatis natura traditionem tueri; tam re, auctoritas namque, a commutationibus vitae reducta, stimulis ad progressionem pellentibus nihil aut vix urgetur. E contra vis ad progrediendum rapiens atque intimis indigentiis respondens latet ac molitur in privatorum conscientiis, illorum praecipue qui vitam, ut inquiunt, proprius atque intimius attingunt. — En hic, Venerabiles Fratres, doctrinam illam exitiosissimam efferre caput iam cernimus, quae laicos homines in Ecclesiam subinfert ut progressionis elementa. — Ex convento quodam et pacto inter binas hasce vires, conservatricem et progressionis fautricem, inter auctoritatem

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

videlicet et conscientias privatorum, progressus ac mutationes oriuntur. Nam privatorum conscientiae, vel harum quaedam, in conscientiam collectivam agunt; haec vero in habentes auctoritatem, cogitque illos pactiones conflare atque in pacto manere. — Ex his autem pronum est intelligere, cur modernistae mirentur adeo, quum reprehendi se vel puniri sciunt. Quod eis culpae vertitur, ipsi pro officio habent religiose explendo. Necessitates conscientiarum nemo melius novit quam ipsi, eo quod propius illas attingunt, quam ecclesiastica auctoritas. Eas igitur necessitates omnes quasi in se colligunt: unde loquendi publice ac scribendi officio devinciuntur. Carpat eos, si volet, auctoritas; ipsi conscientia officii fulciuntur, intimaque experientia norunt non sibi reprehensiones deberi sed laudes. Utique non ipsos latet progressiones sine certaminibus haud fieri, nec sine victimis certamina: sint ergo ipsi pro victimis, sicut prophetae et Christus. Nec ideo quod male habentur, auctoritati invident: suum illam exsequi munus ultro concedunt. Queruntur tantum quod minime exaudiuntur; sic enim cursus animorum tardatur: hora tamen rumpendi moras certissime veniet, nam leges evolutionis coerceri possunt, infringi omnino non possunt. Instituto ergo itinere pergunt; pergunt, quamvis redarguti et damnati; incredibilem audaciam fucatae demissionis velamine obducentes. Cervices quidem simulate inflectunt; manu tamen atque animo quod susceperunt persequuntur audacius. Sic autem volentes omnino prudentesque agunt: tum quia tenent, auctoritatem stimulandam esse non evertendam; tum quia necesse illis est intra Ecclesiae septa manere, ut collectivam conscientiam sensim immutent: quod tamen quum aiunt, fateri se non advertunt conscientiam collectivam ab ipsis dissidere, atque ideo nullo eos iure illius se interpretes venditare.

28. Sic igitur, Venerabiles Fratres, modernistis auctoribus atque actoribus, nihil stabile nihil immutabile in Ecclesia esse oportet. Qua equidem in sententia praecursoribus non caruere, illis nimirum, de quibus Pius IX decessor Noster iam scribebat: *Isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat.* [1] — De revelatione praesertim ac dogmate nulla doctrinae modernistarum novitas; sed eadem illa est, quam in Pii IX syllabo reprobatam reperimus, sic enunciatam: *Divina revelatio est imperfecta et idcirco subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat:* [2] solemnius vero in Vaticana Synodo per haec verba: *Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine*

[1] Encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846. — Cf. N. 504.
[2] Syll., prop. 5. — Cf. N. 543.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

recedendum: [1] quo profecto explicatio nostrarum notionum, etiam circa fidem, tantum abest ut impediatur, ut imo adiuvetur ac provehatur. Quamobrem eadem Vaticana Synodus sequitur: *Crescat igitur et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum et saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia.* [2]

29. Sed postquam modernismi assectatoribus philosophum, credentem, theologum observavimus, iam nunc restat ut pariter historicum, criticum, apologetam, reformatorem spectemus.

30. Modernistarum quidam, qui componendis historiis se dedunt, solliciti magnopere videntur ne credantur philosophi; profitentur quin immo philosophiae se penitus expertes esse. Astute id quam quod maxime: ne scilicet cuipiam sit opinio, eos praeiudicatis imbui philosophiae opinationibus, nec esse propterea, ut aiunt, omnino *obiectivos*. Verum tamen est, historiam illorum aut criticen meram loqui philosophiam; quaeque ab iis inferuntur, ex philosophicis eorum principiis iusta ratiocinatione concludi. Quod equidem facile consideranti patet. — Primi tres huiusmodi historicorum aut criticorum canones, ut diximus, eadem illa sunt principia, quae supra ex philosophis attulimus: nimirum *agnosticismus*, theorema de *transfiguratione* rerum per fidem, itemque aliud quod de *defiguratione* dici posse visum est. Iam consecutiones ex singulis notemus. — Ex *agnosticismo* historia, non aliter ac scientia, unice de phaenomenis est. Ergo tam Deus quam quilibet in humanis divinus interventus ad fidem reiiciendus est, utpote ad illam pertinens unam. Quapropter si quid occurrat duplici constans elemento, divino atque humano, cuiusmodi sunt Christus, Ecclesia, Sacramenta aliaque id genus multa; sic partiendum erit ac secernendum, ut quod humanum fuerit historiae, quod divinum tribuatur fidei. Ideo vulgata apud modernistas discretio inter Christum historicum et Christum fidei, Ecclesiam historiae et Ecclesiam fidei, Sacramenta historiae et Sacramenta fidei, aliaque similia passim. — Deinde hoc ipsum elementum humanum, quod sibi historicum sumere videmus, quale illud in monumentis apparet, a fide per *transfigurationem* ultra conditiones historicas elatum dicendum est. Adiectiones igitur a fide factas rursus secernere oportet, easque ad fidem ipsam amandare atque ad historiam fidei: sic, quum de Christo agitur, quidquid conditionem hominis superat, sive naturalem, prout a psychologia exhibetur, sive ex loco atque aetate, quibus ille vixit, conflatam. — Praeterea, ex tertio philosophiae principio, res etiam, quae historiae ambitum non excedunt, cribro veluti cernunt, eliminantque omnia ac pariter ad fidem amandant quae, ipsorum iudicio, in factorum *logica*, ut inquiunt, non sunt vel personis apta non fuerint. Sic volunt Christum ea non dixisse, quae audientis vulgi captum excedere videntur. Hinc de *reali* eius historia delent et fidei permittunt allegorias omnes quae in sermonibus eius occurrunt. Quaeremus forsitan qua lege haec segregentur? Ex ingenio homi-

[1] Const. *Dei Filius*, cap. IV. — Cf. N. 10.
[2] Loc. cit.

nis, ex conditione qua sit in civitate usus, ex educatione, ex adiunctorum facti cuiusquam complexu: uno verbo, si bene novimus, ex norma, quae tandem aliquando in mere *subiectivam* recidit. Nituntur scilicet Christi personam ipsi capere et quasi gerere: quidquid vero paribus in adiunctis ipsi fuissent acturi, id omne in Christum transferunt. — Sic igitur, ut concludamus, *a priori* et ex quibusdam philosophiae principiis, quam tenent quidem sed ignorare asserunt, in *reali*, quam vocant, historia Christum Deum non esse affirmant nec quidquam divini egisse; ut hominem vero ea tantum patrasse aut dixisse, quae ipsi, ad illius se tempora referentes, patrandi aut dicendi ius tribuunt.

31. Ut autem historia ab philosophia, sic critice ab historia suas accipit conclusiones. Criticus namque, indicia sequutus ab historico praebita, monumenta partitur bifariam. Quidquid post dictam triplicem obtruncationem superat, *reali* historiae assignat; cetera ad fidei historiam seu *internam* ablegat. Has enim binas historias accurate distinguunt; et historiam fidei, quod bene notatum volumus, historiae *reali* ut realis est opponunt. Hinc, ut iam diximus, geminus Christus; realis alter, alter qui nunquam reapse fuit sed ad fidem pertinet; alter qui certo loco certaque vixit aetate, alter qui solummodo in piis commentationibus fidei reperitur: eiusmodi, exempli causa, est Christus, quem Ioannis evangelium exhibet; quod utique, aiunt, totum quantum est commentatio est.

32. Verum non his philosophiae in historiam dominatus absolvitur. Monumentis, ut diximus, bifariam distributis, adest iterum philosophus cum suo dogmate *vitalis immanentiae;* atque omnia edicit, quae sunt in ecclesiae historia, per *vitalem emanationem* esse explicanda. Atqui vitalis cuiuscumque emanationis aut caussa aut conditio est in necessitate seu indigentia quapiam ponenda: ergo et factum post necessitatem concipi oportet, et illud historice huic esse posterius. — Quid tum historicus? Monumenta iterum, sive quae in libris sacris continentur sive aliunde adducta, scrutatus, indicem ex iis conficit singularum necessitatum, tum ad dogma tum ad cultum sacrorum tum ad alia spectantium, quae in Ecclesia, altera ex altera, locum habuere. Confectum indicem critico tradit. Hic vero ad monumenta, quae fidei historiae destinantur, manum admovet; illaque per aetates singulas sic disponit, ut dato indici respondeant singula: eius semper praecepti memor, factum necessitate, narrationem facto anteverti. Equidem fieri aliquando possit, quasdam Bibliorum partes, ut puta epistolas, ipsum esse factum a necessitate creatum. Quidquid tamen sit, lex est, monumenti cuiuslibet aetatem non aliter determinandam esse, quam ex aetate exortae in Ecclesia uniuscuiusque necessitatis. — Distinguendum praeterea est inter facti cuiuspiam exordium eiusdemque explicationem: quod enim uno die nasci potest, non nisi decursu temporis incrementa suscipit. Hanc ob causam debet criticus monumenta, per aetates, ut diximus, iam distributa bipartiri iterum, altera quae ad originem rei altera quae ad explicationem pertineant secernens; eaque rursus ordinare per tempora.

33. Tum denuo philosopho locus est; qui iniungit historico sua studia sic exercere, uti evolutionis praecepta legesque praescribunt. Ad haec historicus monumenta iterum scrutari; inquirere curiose in adiuncta conditionesque, quibus Ecclesia per singulas aetates sit usa, in eius vim conservatricem, in necessitates tam internas quam externas quae ad progrediendum impellerent, in impedimenta quae obfuerunt, uno verbo, in ea quaecumque quae ad determinandum faxint quo pacto evolutionis leges fuerint servatae. Post haec tandem explicationis historiam, per extrema veluti lineamenta, describit. Succurrit criticus aptatque monumenta reliqua. Ad scriptionem adhibetur manus: historia confecta est. — Cui iam, petimus, haec historia inscribenda? Historico ne an critico? Neutri profecto; sed philosopho. Tota ibi per *apriorismum* res agitur; et quidem per apriorismum haeresibus scatentem. Miseret sane hominum eiusmodi de quibus Apostolus diceret: *Evanuerunt in cogitationibus suis... dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt:* [1] at bilem tamen commovent quum Ecclesiam criminantur monumenta sic permiscere ac temperare ut suae utilitati loquantur. Nimirum affingunt Ecclesiae, quod sua sibi conscientia apertissime improbari sentiunt.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETR'

34. Ex illa porro monumentorum per aetates partitione ac dispositione sequitur sua sponte non posse libros sacros iis auctoribus tribui, quibus reapse inscribuntur. Quam ob causam modernistae passim non dubitant asserere, illos eosdem libros, Pentateuchum praesertim ac prima tria Evangelia, ex brevi quadam primigenia narratione, crevisse gradatim accessionibus, interpositionibus nempe in modum interpretationis sive theologicae sive allegoricae, vel etiam iniectis ad diversa solummodo inter se iungenda. — Nimirum, ut paucis clariusque dicamus, admittenda est *vitalis evolutio* librorum sacrorum, nata ex evolutione fidei eidemque respondens. — Addunt vero, huius evolutionis vestigia adeo esse manifesta, ut illius fere historia describi possit. Quin immo et reapse describunt, tam non dubitanter, ut suis ipsos oculis vidisse crederes scriptores singulos, qui singulis aetatibus ad libros sacros amplificandos admorint manum. — Haec autem ut confirment, criticen, quam *textualem* nominant, adiutricem appellant; nitunturque persuadere hoc vel illud factum aut dictum non suo esse loco, aliasque eiusmodi rationes proferunt. Diceres profecto eos narrationum aut sermonum quosdam quasi typos praestituisse sibi, unde certissime iudicent quid suo quid alieno stet loco. — Hac via qui apti esse queant ad decernendum, aestimet qui volet. Verumtamen qui eos audiat de suis exercitationibus circa sacros libros affirmantes, unde tot ibi incongrue notata datum est deprehendere, credet fere nullum ante ipsos hominum eosdem libros volutasse, neque hos infinitam propemodum Doctorum multitudinem quaquaversus rimatam esse, ingenio plane et eruditione et sanctitudine vitae longe illis praestantiorem. Qui equidem Doctores sapientissimi tantum abfuit ut Scripturas sacras ulla ex parte reprehenderent, ut immo, quo illas scrutabantur penitius, eo maiores divino Numini agerent gratias, quod ita cum hominibus loqui dignatum esset. Sed heu! non iis adiumentis Doctores nostri in sacros libros incubuerunt, quibus modernistae! scilicet magistram et

[1] Ad Rom., I, 21, 22.

ducem non habuere philosophiam, quae initia duceret a negatione Dei, nec se ipsi iudicandi normam sibi delegerunt. — Iam igitur patere arbitramur, cuiusmodi in re historica modernistarum sit methodus. Praeit philosophus; illum historicus excipit; pone ex ordine legunt critice tum interna tum textualis. Et quia primae causae hoc competit ut virtutem suam cum sequentibus communicet; evidens fit, criticen eiusmodi non quampiam esse criticen, sed vocari iure *agnosticam, immanentistam, evolutionistam*: atque ideo qui eam profitetur eaque utitur, errores eidem implicitos profiteri et catholicae doctrinae adversari. — Quam ob rem mirum magnopere videri possit, apud catholicos homines id genus critices adeo hodie valere. Id nempe geminam habet causam: foedus in primis, quo historici criticique huius generis arctissime inter se iunguntur, varietate gentium ac religionum dissensione posthabita: tum vero audacia maxima, qua, quae quisque effutiat, ceteri uno ore extollunt et scientiae progressioni tribuunt; qua, qui novum portentum aestimare per se volet, facto agmine adoriuntur; qui neget, ignorantiae accusent; qui amplectitur, ac tuetur laudibus exornent. Inde haud pauci decepti: qui, si rem attentius considerarent, horrerent. — Ex hoc autem praepotenti errantium dominio, ex hac levium animorum incauta assensione quaedam circumstantis aeris quasi corruptio gignitur, quae per omnia permeat luemque diffundit. — Sed ad apologetam transeamus.

35. Hic apud modernistas dupliciter a philosopho et ipse pendet. *Non directe* primum, materiam sibi sumens historiam, philosopho, ut vidimus, praecipiente conscriptam: *directe* dein, mutuatus ab illo dogmata ac iudicia. Inde illud vulgatum in schola modernistarum praeceptum, debere novam apologesim controversias de religione dirimere historicis inquisitionibus et psychologicis. Quamobrem apologetae modernistae suum opus aggrediuntur rationalistas monendo, se religionem vindicare non sacris libris neve ex historiis vulgo in Ecclesia adhibitis, quae veteri methodo descriptae sint; sed ex historia *reali*, modernis praeceptionibus modernaque methodo conflata. Idque non quasi *ad hominem* argumentati asserunt, sed quia reapse hanc tantum historiam vera tradere arbitrantur. De adserenda vero sua in scribendo sinceritate securi sunt: iam apud rationalistas noti sunt, iam, ut sub eodem vexillo stipendia merentes, laudati: de qua laudatione, quam verus catholicus respueret, ipsi sibi gratulantur, eamque reprehensionibus Ecclesiae opponunt. — Sed iam quo pacto apologesim unus aliquis istorum perficiat videamus. Finis, quem sibi assequendum praestituit, hic est: hominem fidei adhuc expertem eo adducere, ut eam de catholica religione *experientiam* assequatur, quae ex modernistarum scitis unicum fidei est fundamentum. Geminum ad hoc patet iter: *obiectivum* alterum, alterum *subiectivum*. Primum ex agnosticismo procedit; eoque spectat, ut eam in religione, praesertim catholica, vitalem virtutem inesse monstret, quae psychologum quemque itemque historicum bonae mentis suadeat, oportere in illius historia *incogniti* aliquid celari. Ad hoc, ostendere necessum est, catholicam religionem, quae modo est, eam omnino esse quam Christus fundavit, seu non aliud praeter progredientem eius germinis explicationem, quod Christus invexit. Primo igitur germen illud quale sit, determinandum. Idipsum porro

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

hac formula exhiberi volunt: Christum adventum regni Dei nunciasse, quod brevi foret constituendum, eiusque ipsum fore Messiam, actorem nempe divinitus datum atque ordinatorem. Post haec demonstrandum, qua ratione id germen, semper *immanens* in catholica religione ac *permanens*, sensim ac secundum historiam sese evolverit aptaritque succedentibus adiunctis, ex iis ad se *vitaliter* trahens quidquid doctrinalium, cultualium, ecclesiasticarum formarum sibi esset utile; interea vero impedimenta si quae occurrerent superans, adversarios profligans, insectationibus quibusvis pugnisque superstes. Postquam autem haec omnia, impedimenta nimirum, adversarios, insectationes, pugnas, itemque vitam foecunditatemque Ecclesiae id genus fuisse monstratum fuerit, ut, quamvis evolutionis leges in eiusdem Ecclesiae historia incolumes appareant, non tamen eidem historiae plene explicandae sint pares; *incognitum* coram stabit, suaque sponte se offeret. — Sic illi. In qua tota ratiocinatione unum tamen non advertunt, determinationem illam germinis primigenii deberi unice *apriorismo* philosophi agnostici et evolutionistae, et germen ipsum sic gratis ab eis definiri ut eorum causae congruat.

36. Dum tamen catholicam religionem recitatis argumentationibus asserere ac suadere elaborant apologetae novi, dant ultro et concedunt, plura in ea esse quae animos offendant. Quin etiam, non obscura quadam voluptate, in re quoque dogmatica errores contradictionesque reperire se palam dictitant: subdunt tamen, haec non solum admittere excusationem, sed quod mirum esse oportet, iuste ac legitime esse prolata. Sic etiam, secundum ipsos, in sacris libris, plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur. Sed, inquiunt, non ibi de scientiis agi aut historia, verum de religione tantum ac re morum. Scientiae illic et historia integumenta sunt quaedam, quibus experientiae religiosae et morales obteguntur ut facilius in vulgus propagarentur; quod quidem vulgus cum non aliter intelligeret, perfectior illi scientia aut historia non utilitati sed nocumento fuisset. Ceterum, addunt, libri sacri, quia natura sunt religiosi, vitam necessario vivunt: iam vitae sua quoque est veritas et logica, alia profecto a veritate et logica rationali, quin immo alterius omnino ordinis, veritas scilicet comparationis ac proportionis tum ad *medium* (sic ipsi dicunt) in quo vivitur, tum ad finem ob quem vivitur. Demum eo usque progrediuntur ut, nulla adhibita temperatione, asserant, quidquid per vitam explicatur, id omne verum esse ac legitimum. — Nos equidem, Venerabiles Fratres, quibus una atque unica est veritas, quique sacros libros sic aestimamus *quod Spiritus Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem*, [1] hoc idem esse affirmamus ac mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere; verbisque Augustini asserimus: *Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur.* [2] Unde fiet quod idem sanctus

[1] Conc. Vat., *de Rev.*, c. 2. — Cf. N. 10.
[2] Epist. 28.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Doctor adiungit: *In eis*, scilicet Scripturis, *quod vult quisque credet, quod non vult non credet.* — Sed modernistae apologetae progrediuntur alacres. Concedunt praeterea, in sacris libris eas subinde ratiocinationes occurrere ad doctrinam quampiam probandam, quae nullo rationali fundamento regantur; cuiusmodi sunt quae in prophetiis nituntur. Verum has quoque defendunt quasi artificia quaedam praedicationis quae a vita legitima fiunt. Quid amplius? Permittunt, immo vero asserunt, Christum ipsum in indicando tempore adventus regni Dei manifeste errasse: neque id mirum, inquiunt, videri debet; nam et ipse vitae legibus tenebatur! — Quid post haec de Ecclesiae dogmatibus? Scatent haec etiam apertis oppositionibus: sed, praeterquamquod a logica vitali admittuntur, veritati symbolicae non adversantur; in iis quippe de infinito agitur, cuius infiniti sunt respectus. Demum, adeo haec omnia probant tuenturque, ut profiteri non dubitent, nullum Infinito honorem haberi excellentiorem quam contradicentia de ipso affirmando! — Probata vero contradictione, quid non probabitur?

37. Attamen qui nondum credat non *obiectivis* solum argumentis ad fidem disponi potest, verum etiam *subiectivis*. Ad quem finem modernistae apologetae ad *immanentiae* doctrinam revertuntur. Elaborant nempe ut homini persuadeant, in ipso atque in intimis eius naturae ac vitae recessibus celari cuiuspiam religionis desiderium et exigentiam, nec religionis cuiuscumque sed talis omnino qualis catholica est; hanc enim *postulari* prorsus inquiunt ab explicatione vitae perfecta. — Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus, qui quamvis *immanentiae* doctrinam ut doctrinam reiiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur; idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam. — Ut tamen verius dicamus, haec catholicae religionis exigentia a modernistis invehitur, qui volunt moderatiores audiri. Nam qui *integralistae* appellari queunt, ii homini nondum credenti ipsum germen, in ipso latens, demonstrari volunt, quod in Christi conscientia fuit atque ab eo hominibus transmissum est. — Sic igitur, Venerabiles Fratres, apologeticam modernistarum methodum, summatim descriptam, doctrinis eorum plane congruentem agnoscimus: methodum profecto, uti etiam doctrinas, errorum plenas, non ad aedificandum aptas sed ad destruendum, non ad catholicos efficiendos, sed ad catholicos ipsos ad haeresim trahendos, immo etiam ad religionis cuiuscumque omnimodam eversionem!

38. Pauca demum superant addenda de modernista ut reformator est. Iam ea, quae huc usque loquuti sumus, abunde manifestant quanto et quam acri innovandi studio hi homines ferantur. Pertinet autem hoc studium ad res omnino omnes, quae apud catholicos sunt. — Innovari volunt philosophiam in sacris praesertim seminariis: ita ut, amandata philosophia scholasticorum ad historiam philosophiae inter cetera quae iam obsoleverunt systemata, adolescentibus moderna tradatur philosophia, quae una vera nostraeque aetati respondens. — Ad theologiam innovandam, volunt, quam

nos rationalem dicimus, habere fundamentum modernam philosophiam. Positivam vero theologiam, niti maxime postulant in historia dogmatum. — Historiam quoque scribi et tradi expetunt ad suam methodum praescriptaque moderna. — Dogmata eorumdemque evolutionem cum scientia et historia componenda edicunt. — Ad catechesim quod spectat, ea tantum in catecheticis libris notari postulant dogmata, quae innovata fuerint sintque ad vulgi captum. — Circa sacrorum cultum, minuendas inquiunt externas religiones prohibendumve ne crescant. Quamvis equidem alii, qui symbolismo magis favent, in hac re indulgentiores se praebeant. — Regimen Ecclesiae omni sub respectu reformandum clamitant, praecipue tamen sub disciplinari ac dogmatico. Ideo intus forisque cum moderna, ut aiunt, conscien tia componendum, quae tota ad democratiam vergit: ideo inferiori clero ipsisque laicis suae in regimine partes tribuendae, et collecta nimium contractaque in centrum auctoritas dispertienda. — Romana consilia sacris negotiis gerendis immutari pariter volunt; in primis autem tum quod a *sancto officio* tum quod ab *indice* appellatur. — Item ecclesiastici regiminis actionem in re politica et sociali variandam contendunt, ut simul a civilibus ordinationibus exsulet, eisdem tamen se aptet ut suo illas spiritu imbuat. — In re morum, illud asciscunt americanistarum scitum, activas virtutes passivis anteponi oportere, atque illas prae istis exercitatione promoveri. — Clerum sic comparatum petunt ut veterem referat demissionem animi et paupertatem cogitatione insuper et facto cum modernismi praeceptis consentiant. — Sunt demum qui, magistris protestantibus dicto lubentissime audientes, sacrum ipsum in sacerdotio coelibatum sublatum desiderent. — Quid igitur in Ecclesia intactum relinquunt, quod non ab ipsis nec secundum ipsorum pronunciata sit reformandum?

39. In tota hac modernistarum doctrina exponenda, Venerabiles Fratres, videbimur forte alicui diutius immorati. Id tamen omnino oportuit, tum ne, ut assolet, de ignoratione rerum suarum ab illis reprehendamur; tum ut pateat, quum de modernismo est quaestio, non de vagis doctrinis agi nulloque inter se nexu coniunctis, verum de uno compactoque veluti corpore, in quo si unum admittas, cetera necessario sequantur. Ideo didactica fere ratione usi sumus, nec barbara aliquando respuimus verba, quae modernistae usurpant. — Iam systema universum uno quasi obtutu respicientes, nemo mirabitur si sic illud definimus, ut omnium haereseon conlectum esse affirmemus. Certe si quis hoc sibi proposuisset, omnium quotquot fuerunt circa fidem errores succum veluti ac sanguinem in unum conferre; rem nunquam plenius perfecisset, quam modernistae perfecerunt. Immo vero tanto hi ulterius progressi sunt, ut, non modo catholicam religionem, sed omnem penitus, quod iam innuimus, religionem deleverint. Hinc enim rationalistarum plausus: hinc qui liberius apertiusque inter rationalistas loquuntur, nullos se efficaciores quam modernistas auxiliatores invenisse gratulantur. — Redeamus enimvero tantisper, Venerabiles Fratres, ad exitiosissimam illam *agnosticismi* doctrinam. Ea scilicet, ex parte intellectus, omnis ad Deum via praecluditur homini, dum aptior sterni putatur ex parte cuiusdam animi sensus et actionis. Sed hoc quam perperam, quis

non videat? Sensus enim animi actioni rei respondet, quam intellectus vel externi sensus proposuerint. Demito intellectum; homo externos sensus, ad quos iam fertur, proclivius sequetur. Perperam iterum; nam phantasiae quaevis de sensu religioso communem sensum non expugnabunt: communi autem sensu docemur, perturbationem aut occupationem animi quampiam, non adiumento sed impedimento esse potius ad investigationem veri, veri inquimus ut in se est; nam verum illud alterum *subiectivum*, fructus interni sensus et actionis, si quidem ludendo est aptum, nihil admodum homini confert, cuius scire maxime interest sit necne extra ipsum Deus, cuius in manus aliquando incidet. — *Experientiam* enimvero tanto operi adiutricem inferunt. Sed quid haec ad sensum illum animi adiiciat? Nil plane, praeterquam quod vehementiorem faciat; ex qua vehementia fiat proportione firmior persuasio de veritate obiecti. Iam haec duo profecto non efficiunt ut sensus ille animi desinat esse sensus, neque eius immutant naturam, semper deceptioni obnoxiam, nisi regatur intellectu; immo vero illam confirmant et iuvant, nam sensus quo intensior, eo potiore iure est sensus. — Cum vero de religioso sensu hic agamus deque experientia in eo contenta, nostis probe, Venerabiles Fratres, quanta in hac re prudentia sit opus, quanta item doctrina quae ipsam regat prudentiam. Nostis ex animorum usu, quorumdam praecipue in quibus eminet sensus: nostis ex librorum consuetudine, qui de ascesi tractant; qui quamvis modernistis in nullo sunt pretio, doctrinam tamen longe solidiorem, subtilioremque ad observandum sagacitatem praeseferunt, quam ipsi sibi arrogant. Equidem Nobis amentis esse videtur aut saltem imprudentis summopere pro veris, nulla facta investigatione, experientias intimas habere, cuiusmodi modernistae venditant. Cur vero, ut per transcursum dicamus, si harum experientiarum tanta vis est ac firmitas, non eadem tribuatur illi, quam plura catholicorum millia se habere asserunt de devio itinere, quo modernistae incedunt? Haec ne tantum falsa atque fallax? Hominum autem pars maxima hoc firmiter tenet tenebitque semper, sensu solum et experientia, nullo mentis ductu atque lumine ad Dei notitiam pertingi nunquam posse. Restat ergo iterum atheismus ac religio nulla. — Nec modernistae meliora sibi promittant ex asserta *symbolismi* doctrina. Nam si quaevis intellectualia, ut inquiunt, elementa nihil nisi Dei symbola sunt; ecquid symbolum non sit ipsum Dei nomen aut personalitatis divinae? quod si ita, iam de divina personalitate ambigi poterit, patetque ad pantheismum via. — Eodem autem, videlicet ad purum putumque pantheismum, ducit doctrina alia de *immanentia divina*. Etenim hoc quaerimus: an eiusmodi *immanentia* Deum ab homine distinguat necne. Si distinguit, quid tum a catholica doctrina differt, aut doctrinam de externa revelatione cur reiicit? Si non distinguit, pantheismum habemus. Atqui *immanentia* haec modernistarum vult atque admittit omne conscientiae phaenomenon ab homine ut homo est proficisci. Legitima ergo ratiocinatio inde infert unum idemque esse Deum cum homine: ex quo pantheismus. — Distinctio demum, quam praedicant, inter scientiam et fidem, non aliam admittit consecutionem. Obiectum enim scientiae in cognoscibilis realitate ponunt; fidei e contra in incognoscibilis. Iamvero incognoscibile inde omnino constituitur, quod inter

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

obiectam materiam et intellectum nulla adsit proportio. Atqui hic proportionis defectus nunquam, nec in modernistarum doctrina, auferri potest. Ergo incognoscibile credenti aeque ac philosopho incognoscibile semper manebit. Ergo si qua habebitur religio, haec erit realitatis incognoscibilis; quae cur etiam mundi animus esse nequeat, quem rationalistae quidam admittunt, non videmus profecto. — Sed haec modo sufficiant ut abunde pateat quam multiplici itinere doctrina modernistarum ad atheismum trahat et ad religionem omnem abolendam. Equidem protestantium error primus hac via gradum iecit; sequitur modernistarum error; proxime atheismus ingredietur.

40. Ad penitiorem modernismi notitiam, et ad tanti vulneris remedia aptius quaerenda, iuvat nunc, Venerabiles Fratres, causas aliquantum scrutari unde sit ortum aut nutritum malum. — Proximam continentemque causam in errore mentis esse ponendam, dubitationem non habet. Remotas vero binas agnoscimus, curiositatem et superbiam. — Curiositas, ni sapienter cohibeatur, sufficit per se una ad quoscumque explicandos errores. Unde Gregorius XVI decessor Noster iure scribebat:[1] *Lugendum valde est quonam prolabantur humanae rationis deliramenta, ubi quis novis rebus studeat, atque contra Apostoli monitum nitatur plus sapere quam oporteat sapere, sibique nimium praefidens, veritatem quaerendam autumet extra catholicam Ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris coeno ipsa invenitur.* — Sed longe maiorem ad obcaecandum animum et in errorem inducendum cohibet efficientiam superbia: quae in modernismi doctrina quasi domicilio collocata, ex ea undequaque alimenta concipit, omnesque induit aspectus. Superbia enim sibi audacius praefidunt, ut tamquam universorum normam se ipsi habeant ac proponant. Superbia vanissime gloriantur quasi uni sapientiam possideant, dicuntque elati atque inflati: *Non sumus sicut ceteri homines;* et ne cum ceteris comparentur, nova quaeque etsi absurdissima amplectuntur et somniant. Superbia subiectionem omnem abiiciunt contenduntque auctoritatem cum libertate componendam. Superbia sui ipsorum obliti, de aliorum reformatione unice cogitant, nullaque est apud ipsos gradus, nulla vel supremae potestatis reverentia. Nulla profecto brevior et expeditior ad modernismum est via, quam superbia. Si qui catholicus ex laicorum coetu, si qui etiam sacerdos christianae vitae praecepti sit immemor, quo iubemur abnegare nos ipsi si Christum sequi velimus, nec auferat superbiam, de corde suo; nae is ad modernistarum errores amplectendos aptissimus est quam qui maxime! — Quare, Venerabiles Fratres, hoc primum vobis officium esse oportet superbis eiusmodi hominibus obsistere, eos tenuioribus atque obscurioribus muneribus occupare, ut eo amplius deprimantur quo se tollunt altius et ut, humiliore loco positi, minus habeant ad nocendum potestatis. Praterea tum ipsi per vos tum per seminariorum moderatores, alumnos sacri cleri scrutemini diligentissime; et si quos superbo ingenio repereritis, eos fortissime a sacerdotio repellatis. Quod utinam peractum semper fuisset ea qua opus erat vigilantia et constantia!

[1] Ep. Encycl. *Singulari Nos*, 7 kal. iul. 1834. — Cf. Acta Greg. XVI, vol. I, p. 433, 434.

41. Quod si a moralibus causis ad eas quae ab intellectu sunt veniamus, prima ac potissima occurret ignorantia. — Enimvero modernistae quotquot sunt, qui doctores in Ecclesia esse ac videri volunt, modernam philosophiam plenis buccis extollentes aspernatique scholasticam, non aliter illam, eius fuco et fallaciis decepti, sunt amplexi, quam quod alteram ignorantes prorsus, omni argumento caruerunt ad notionum confusionem tollendam et ad sophismata refellenda. Ex connubio autem falsae philosophiae cum fide illorum systema, tot tantisque erroribus abundans, ortum habuit.

42. Cui propagando utinam minus studii et curarum impenderent! Sed eorum tanta est alacritas, adeo indefessus labor, ut plane pigeat tantas insumi vires ad Ecclesiae perniciem, quae, si recte adhibitae, summo forent adiumento. — Gemina vero ad fallendos animos utuntur arte; primum enim complanare quae obstant nituntur, tum autem quae prosint studiosissime perquirunt atque impigre patientissimeque adhibent. — Tria sunt potissimum quae suis illi conatibus adversari sentiunt: scholastica philosophandi methodus, Patrum auctoritas et traditio, magisterium ecclesiasticum. Contra haec acerrima illorum pugna. Idcirco philosophiam ac theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt. Sive id ex ignoratione faciant sive ex metu, sive potius ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniugi semper; nullumque est indicium manifestius quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam quum incipit scholasticam horrere methodum. Meminerint modernistae ac modernistarum studiosi damnationem, qua Pius IX censuit reprobandam propositionem quae diceret: [1] *Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.* — Traditionis vero vim et naturam callidissime pervertere elaborant, ut illius momentum ac pondus elidant. Stabit tamen semper catholicis auctoritas Nicaenae Sinodi II, quae damnavit *eos, qui audent... secundum scelestos haereticos ecclesisticas traditiones spernere et novitatem quamlibet excogitare... aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiae catholicae.* [2] Stabit Synodi Constantinopolitanae IV professio: *Igitur regulas, quae sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae tam a sanctis famosissimis Apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus necnon et localibus Conciliis vel etiam a quolibet deiloquo Patre ac magistro Ecclesiae traditae sunt, servare ac custodire profitemur.* [3] Unde Romani Pontifices Pius IV itemque huius nominis IX in professione fidei haec quoque addi voluerunt: *Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.* [4] — Nec secus quam de Traditione, iudicant modernistae de sanctissimis Ecclesiae Patribus. Eos temeritate summa traducunt vulgo ut omni quidem cultu dignissimos, ast in re critica et historica ignorantiae summae, quae, nisi ab aetate qua vixerunt, excusationem non

[1] Syll., prop. 13. — Cf. N. 543.
[2] Cf. N. 5.
[3] Cf. Mansi, tom. 16, col. 160.
[4] Cf. N. 108.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

habeat. — Denique ipsius ecclesiastici magisterii auctoritatem toto studio minuere atque infirmare conantur, tum eius originem, naturam, iura sacrilege pervertendo, tum contra illam adversariorum calumnias libere ingeminando. Valent enim de modernistarum grege, quae moerore summo Decessor Noster scribebat: *Ut mysticam Sponsam Christi, qui lux vera est, in contemptum et invidiam vocarent tenebrarum filii consuevere in vulgus eam vecordi calumnia impetere, et, conversa rerum nominumque ratione et vi, compellare obscuritatis amicam, altricem ignorantiae, scientiarum lumini et progressui infensam.* [1] — Quae cum sint ita, Venerabiles Fratres, mirum non est, si catholicos homines, qui strenue pro Ecclesia decertant, summa malevolentia et livore modernistae impetunt. Nullum est iniuriarum genus, quo illos non lacerent: sed ignorantiae passim pervicaciaeque accusant. Quod si refellentium eruditionem et vim pertimescant: efficaciam derogant coniurato silentio. Quae quidem agendi ratio cum catholicis eo plus habet invidiae, quod, eodem tempore nulloque modo adhibito, perpetuis laudibus evehunt quotquot cum ipsis consentiunt; horum libros nova undique spirantes grandi plausu excipiunt ac suspiciunt: quo quis audentius vetera evertit, traditionem et magisterium ecclesiasticum respuit, eo sapientiorem praedicant; denique, quod quisque bonus horreat, si quem Ecclesia damnatione perculerit, hunc, facto agmine, non solum palam et copiosissime laudant, sed ut veritatis martyrem pene venerantur. — Toto hoc, tum laudationum tum improperiorum strepitu, percussae ac turbatae iuniorum mentes, hinc ne ignorantes audiant inde ut sapientes videantur, cogente intus curiositate ac superbia, dant victas saepe manus ac modernismo se dedunt.

43. Sed iam ad artificia haec pertinent, quibus modernistae merces suas vendunt. Quid enim non moliuntur ut asseclarum numerum augeant? In sacris seminariis, in Universitatibus studiorum magisteria aucupantur, quae sensim in pestilentiae cathedras vertunt. Doctrinas suas, etsi forte implicite, in templis ad concionem dicentes inculcant; apertius in congressibus enunciant; in socialibus institutis intrudunt atque extollunt. Libros, ephemeridas, commentaria suo vel alieno nomine edunt. Unus aliquando idemque scriptor multiplici nomine utitur, ut simulata auctorum multitudine incauti decipiantur. Brevi, actione, verbis, proelo nihil non tentant, ut eos febri quadam phreneticos diceres. — Haec autem omnia quo fructu? Iuvenes magno numero deflemus, egregiae quidem illos spei, quique Ecclesiae utilitatibus optimam navarent operam, a recto tramite deflexisse. Plurimos etiam dolemus, qui, quamvis non eo processerint, tamen, corrupto quasi aere hausto, laxius admodum cogitare, eloqui, scribere consuescunt quam catholicos decet. Sunt hi de laicorum coetu, sunt etiam de sacerdotum numero; nec, quod minus fuisset exspectandum, in ipsis religiosorum familiis desiderantur. Rem biblicam ad modernistarum leges tractant. In conscribendis historiis, specie adserendae veritatis, quidquid Ecclesiae maculam videtur aspergere, id, manifesta quadam voluptate, in lucem diligen-

[1] Motu proprio *Ut mysticam*, 14 martii 1891. — Cf. Leonis XIII, Acta, vol. XI, p. 60-66.

tissime ponunt. Sacras populares traditiones, apriorismo quodam ducti, delere omni ope conantur. Sacras reliquias vetustate commendatas despectui habent. Vano scilicet desiderio feruntur ut mundus de ipsis loquatur; quod futurum non autumant si ea tantum dicant, quae semper quaeve ab omnibus sunt dicta. Interea suadent forte sibi obsequium se praestare Deo et Ecclesiae: reapse tamen offendunt gravissime, non suo tantum ipsi opere, quantum ex mente qua ducuntur, et quia perutilem operam modernistarum ausibus conferunt.

44. Huic tantorum errorum agmini clam aperteque invadenti Leo XIII decessor Noster fel. rec. praesertim in re biblica, occurrere fortiter dictis actuque conatus est. Sed modernistae, ut iam vidimus, non his facile terrentur armis: observantiam demissionemque animi affectantes summam, verba Pontificis Maximi in suas partes detorserunt, actus in alios quoslibet transtulere. Sic malum robustius in dies factum. Quamobrem, Venerabiles Fratres, moras diutius non interponere decretum est, atque efficaciora moliri. — Vos tamen oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et expectamus, idipsum et petimus aeque et expectamus a ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris.

I. Primo igitur ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur. — Utique, *si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi.* [1] Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse.

Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium exstruatur diligentissime. — Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e seminariis egredientes praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupidae obiicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientium effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur.* [2] — Addimus heic, eos

[1] Leo XIII, Enc. *Aeterni Patris.* — Cf. N. 578.
[2] Leo XIII, Litt. ap. *In magna,* 10 dec. 1889. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. IX, p. 267-270.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur.

De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit: [1] *In rerum naturalium consideratione strenue adlaboretis: quo in genere nostrorum temporum ingeniosa inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt.* Id tamen nullo sacrorum studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis prosequutus monuit: [2] *Quorum causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur.* Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris seminariis temperari praecipimus.

II. His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de seminariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. — Quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur; eo si iam funguntur, removeantur: item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati in quocumque ea demum sit, obedientiam detrectando: item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova student: item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur. — Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re at fortiter agitote.

Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac deligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces animos odit Deus! — Theologiae ac iuris canonici laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto. — Quae de celebrandis Universitatibus sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis prepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno MDCCCXCVI, [3] ea ad nationes omnes posthac pertinere

[1] Alloc. 7 martii 1880. — Cf. Acta S. Sedis, vol. XII, p. 486-488.
[2] Loc. cit.
[3] Cf. N. 2031.

decernimus. — Clerici et sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus. — Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus imperavimus, ea constanter serventur.

III. Episcoporum pariter officium est modernistarum scripta quaeve modernismum olent provehuntque, si in lucem edita ne legantur cavere, si nondum edita prohibere ne edantur. — Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in seminariis neve auditoribus in Universatibus permittantur: non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta; immo etiam magis, quod christianae vitae initia vitiant. — Nec secus iudicandum de quorumdam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroqui non malae mentis, sed qui theologicae disciplinae expertes ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exsulent fortiter contendite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat; adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis deposita, malorum clamoribus posthabitis, suaviter quidem sed constanter suas quisque partes suscipiant; memores quae Leo XIII in Constitutione Apostolica *Officiorum* [1] praescribebat: *Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant.* Ius quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii implevisse autumet, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervulgari sinuntur. — Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo *Imprimatur* appellant: tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data vel benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta, quod postremum in religiosorum forte ordinibus aliquando evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint adiaphori, nocentes in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coercendo; integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo

[1] Cf. N. 632.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

notatos minime venales habendi. — Et quoniam de his sermo incidit, vigilent Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem: certe in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si obedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitent; item potioreque iure si episcopales audiant: qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. — Universis demum in memoriam revocamus, quae memorata apostolica Constitutio *Officiorumm* habet, articulo XXVI: *Omnes qui facultatem Apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in Apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impedire ac venditionem; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa impertiant. — Quoniam vero magno numero ea sunt ex Constitutione *Officiorum*, quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecognoscere universa potest; in quibusdam dioecesibus ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortamur modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis XLI et XLII memoratae Constitutionis venia ut edantur indigent. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur*, cui tamen praeponetur formula *Nihil obstat*, adscripto censoris nomine. — In Curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo, Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur nec non a Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa a censore, prout supra diximus, approbationis formula, adiectoque ipsius censoris nomine. — Extraordinariis tantum in adiunctis ac per quam raro, prudenti Episcopi arbitrio censoris mentio intermitti poterit. — Auctoribus censoris nomen patebit nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeatur vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit. — Censores e religiosorum familiis nunquam eligantur, nisi prius moderatoris provinciae vel, si de Urbe agatur, moderatoris generalis secreto sententia audiatur: is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur. — Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus numquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit. — Postremum edicimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil

valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

His universe dictis, nominatim servari diligentius praecipimus, quae articulo XLII Constitutionis *Officiorum* in haec verba edicuntur: *Viri e clero saeculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant*. Qua si qui venia perniciose utantur, ea, moniti primum, priventur. — Ad sacerdotes quod attinet, qui *correspondentium* vel *collaboratorum* nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere modernismi labe infecta; videant Episcopi ne quid hi peccent, si peccarint moneant atque a scribendo prohibeant. Idipsum religiosorum moderatores ut praestent gravissime admonemus: qui si negligentius agant, Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant. — Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, opportune perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id quamprimum corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

V. Congressus publicosque coetus iam supra memoravimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student. Sacerdotum conventus Episcopi in posterum haberi ne siverint nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum tractatio, quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacrae potestatis occupationem inferat; ut quidquid modernismum sapit, quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat. — Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi commendatus. — Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant, quae Leo XIII gravissime commendavit:[1] *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum.*

VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite firmiterque serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi,[2] ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. *Ad errores*, sic illi, *iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgentur, aut adhuc exstent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione manarunt; sacer conventus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpant aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere, ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio exstingui possit, ne ad*

[1] Litt. Enc. *Nobilissima Gallorum*, 8 febr. 1884. — Cf. N. 590.
[2] Act. Consess. Epp. Umbriae, novembri 1849, tit. II, art. 6.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

animarum perniciem magis magisque diffundatur, vel quod peius est in dies confirmetur et crescat. — Tale igitur Consilium, quod *a vigilantia* dici placet, in singulis dioecesibus institui quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur, eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient: quae tractarint decreverint, ea arcani lege custodiunto. — Officii munere haec sibi demandata habeant. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigent vigilanter; pro cleri iuventaeque incolumitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescribant. — Vocum novitatem caveant meminerintque Leonis XIII monita:[1] *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur loquaturque novum christianae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa.* Haec in libris praelectionibusque ne patiantur. — Libros ne negligant, in quibus piae cuiusque loci traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi quaestiones agitari in ephemeridibus vel in commentariis fovendae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut despectum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praesertim, ut fere accidit, si quae affirmantur probabilitatis fines non excedunt vel praeiudicatis nituntur opinionibus. — De sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in hac re possunt, certi norint Reliquiam esse subditiciam, fidelium cultu removeant. Si Reliquiae cuiuspiam auctoritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu, interierint; ne publice ea proponatur nisi rite ab Episcopo recognita. Praescriptionis argumentum vel fundatae praesumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate commendetur; nimirum pro decreto, anno MDCCCXCVI a sacro Consilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito,[2] quo edicitur: *Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel suppositicias esse.* — Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita;[3] quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc annis XXX, edicebat:[4] *Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam.* Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, con-

[1] Instruct. S. C. NN. EE. EE., 27 ian. 1902. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. XXII, p. 8-28.
[2] Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1911.
[3] Cf. N. 719.
[4] Decr. 12 maii 1877. — Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 3419.

ditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur. Similiter de Reliquiis affirmandum. — Illud demum Consilio *vigilantiae* demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adiiciant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Romanorum Pontificum praeceptionibus respondeant.

VII. Haec quae praecepimus ne forte oblivioni dentur, volumus et mandamus ut singularum dioecesum Episcopi, anno exacto ab editione praesentium litterarum, postea vero tertio quoque anno, diligenti ac iurata enarratione referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero vigent, praesertim autem in seminariis ceterisque catholicis institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritati non subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum religiosorum pro suis iniungimus.

45. Haec vobis, Venerabiles Fratres, scribenda duximus ad salutem omni credenti. Adversarii vero Ecclesiae his certe abutentur ut veterem calumniam refricent, qua sapientiae atque humanitatis progressioni infesti traducimur. His accusationibus, quas christianae religionis historia perpetuis argumentis refellit, ut novi aliquid opponamus, mens est peculiare Institutum omni ope provehere, in quo iuvantibus quotquot sunt inter catholicos sapientiae fama insignes, quidquid est scientiarum, quidquid omne genus eruditionis, catholica veritate duce et magistra, promoveatur. Faxit Deus ut proposita feliciter impleamus, suppetitias ferentibus quicumque Ecclesiam Christi sincero amore amplectuntur. Sed de his alias. — Interea vobis, Venerabiles Fratres, de quorum opera et studio vehementer confidimus, superni luminis copiam toto animo exoramus ut, in tanto animorum discrimine ex gliscentibus undequaque erroribus, quae vobis agenda sint videatis, et ad implenda quae videritis omni vi ac fortitudine incumbatis. Adsit vobis virtute sua Iesus Christus, auctor et consummator fidei nostrae; adsit prece atque auxilio Virgo immaculata, cunctarum haeresum interemptrix. — Nos vero, pignus caritatis Nostrae divinique in adversis solatii, Apostolicam Benedictionem vobis, cleris populisque vestris amantissime impertimus.

[Pii X Acta, vol. IV, p. 47-114].

681.

Pius X, motu propr. *Praestantia Scripturae*, 18 nov. 1907.

1. Praestantia Scripturae Sacrae enarrata, eiusque commendato studio, Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus*, datis XIV kalendas decembres anno MDCCCLXXXXIII,[1] Leo XIII, Noster immortalis memoriae Decessor, leges descripsit quibus Sacrorum Bibliorum studia ratione proba regerentur; Librisque divinis contra errores calumniasque Rationalistarum assertis, simul et ab opinionibus vindicavit falsae doctrinae, quae *critica sublimior* audit; quas quidem opiniones nihil esse aliud palam est, nisi *Rationalismi commenta*, quemadmodum sapientissime scribebat Pontifex *e philologia et finitimis disciplinis detorta*.

[1] Cf. N. 621.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

2. Ingravescenti autem in dies periculo prospecturus, quod inconsultarum deviarumque sententiarum propagatione parabatur, Litteris Apostolicis *Vigilantiae studiique memores*, tertio kalendas novembres anno MDCCCCII datis,[1] Decessor idem Noster Pontificale Consilium seu *Commissionem* de re Biblica condidit, aliquot doctrina et prudentia claros S. R. E. Cardinales complexam, quibus, Consultorum nomine, complures e sacro ordine adiecti sunt viri, e doctis scientia theologiae Bibliorumque Sacrorum delecti, natione varii, studiorum exegeticorum methodo atque opinamentis dissimiles. Scilicet id commodum Pontifex, aptissimum studiis et aetati, animo spectabat, fieri in Consilio locum sententiis quibusvis libertate omnimoda proponendis, expendendis disceptandisque; neque ante, secundum eas Litteras, certa aliqua in sententia debere Purpuratos Patres consistere, quam quum cognita prius et in utramque partem examinata rerum argumenta forent, nihilque esset posthabitum, quod posset clarissimo collocare in lumine verum sincerumque propositarum de re Biblica quaestionum statum: hoc demum emenso cursu, debere sententias Pontifici Summo subiici probandas, ac deinde pervulgari.

3. Post diuturna rerum iudicia consultationesque diligentissimas, quaedam feliciter a Pontificio de re Biblica Consilio emissae sententiae sunt, provehendis germane biblicis studiis, iisdemque certa norma dirigendis perutiles. At vero minime deesse conspicimus qui, plus nimio ad opiniones methodosque proni perniciosis novitatibus affectas, studioque praeter modum abrepti falsae libertatis, quae sane est licentia intemperans, probatque se in doctrinis sacris equidem insidiosissimam maximorumque malorum contra fidei puritatem fecundam, non eo, quo par est, obsequio sententias eiusmodi, quamquam a Pontifice probatas, exceperint aut excipiant.

4. Quapropter declarandum illud praecipiendumque videmus, quemadmodum declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae sive quae posthac edentur, *perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiiciendi;* nec posse notam tum detrectatae oboedientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent; idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis, ut plurimum, temere in his erratque pronunciatis.

5. Ad haec, audentiores quotidie spiritus complurium modernistarum repressuri, qui sophismatibus artificiisque omne genus vim efficacitatemque nituntur adimere non Decreto solum *Lamentabili sane exitu*, quod

[1] Cf. N. 649.

v nonas iulias anni vertentis S. R. et U. Inquisitio, Nobis iubentibus, edidit,[1]
verum etiam Litteris Encyclicis Nostris *Pascendi Dominici gregis*, datis die
VIII mensis septembris istius eiusdem anni,[2] Auctoritate Nostra Apostolica
iteramus confirmamusque tum *Decretum* illud Congregationis Sacrae Supre-
mae, tum *Litteras* eas Nostras *Encyclicas*, addita *excommunicationis* poena
adversus contradictores; illudque declaramus ac decernimus, si quis, quod
Deus avertat, eo audaciae progrediatur ut quamlibet e propositionibus,
opinionibus doctrinisque in alterutro documento, quod supra diximus,
improbatis tueatur, censura ipso facto plecti Capite *Docentes* Constitutionis
Apostolicae Sedis irrogata,[3] quae prima est in excommunicationibus latae
sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis. Haec autem excommu-
nicatio salvis poenis est intelligenda, in quas, qui contra memorata docu-
menta quidpiam commiserint, possint uti propagatores defensoresque hae-
resum, incurrere, si quando eorum propositiones, opiniones doctrinaeve
haereticae sint, quod quidem de utriusque illius documenti adversariis plus
semel usuvenit, tum vero maxime quum modernistarum errores, id est
omnium haereseon collectum, propugnant.

6. His constitutis, Ordinariis dioecesum et Moderatoribus Religiosarum
Consociationum denuo vehementerque commendamus, velint perviliges in
magistros esse, Seminariorum in primis; repertosque erroribus modernista-
rum imbutos, novarum nocentiumque rerum studiosos, aut minus ad prae-
scripta Sedis Apostolicae, utcumque edita, dociles, magisterio prorsus inter-
dicant: a sacris item ordinibus adolescentes excludant, qui vel minimum
dubitationis iniiciant doctrinas se consectari damnatas novitatesque malefi-
cas. Simul hortamur, observare studiose ne cessent libros aliaque scripta,
nimium quidem percrebrescentia, quae opiniones proclivitatesque gerant
tales, ut improbatis per Encyclicas Litteras Decretumque supra dicta con-
sentiant: ea summovenda curent ex officinis librariis catholicis multoque
magis e studiosae iuventutis Clerique manibus. Id si sollerter accuraverint,
verae etiam solidaeque faverint institutioni mentium, in qua maxime debet
sacrorum Praesulum sollicitudo versari.

7. Haec Nos universa rata et firma consistere auctoritate Nostra volu-
mus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Pii X Acta, vol. IV, p. 233-236].

682.

Pius X, const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908.

Sapienti consilio sa. me. Pontifex Xystus V, Decessorum vestigiis inhae-
rens eorumque coepta perficiens, sacros Cardinalium coetus, seu Romanas
Congregationes, quarum aliquot iam erant ad certa negotia institutae, augeri
numero voluit, ac suis quamque finibus contineri. Quare Apostolicis Litte-

[1] Cf. N. 1283.
[2] Cf. N. 680.
[3] Cf. N. 552.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

ris, die XXII mensis ianuarii an. MDLXXXVII, queis initium *Immensa*,[1] eius-
modi Congregationes constituit quindecim, ut, « partita inter eas aliosque
Romanae Curiae magistratus ingenti curarum negociorumque mole », quae
solet ad Sanctam Sedem deferri, iam necesse non esset tam multa in Con-
sistorio agi ac deliberari, simulque possent controversiae diligentius expendi,
et celerius faciliusque eorum expediri negotia, qui undique, sive studio
religionis ac pietatis, sive iuris persequendi, sive gratiae impetrandae, aliisve
de causis ad Summum Pontificem confugerent.

Quantum vero utilitatis ex sacris his Congregationibus accesserit sive
ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, sive ad iustitiam administrandam,
sive ad ipsos Romanos Pontifices relevandos, crescentibus in dies curis
negotiisque distentos, compertum ex Ecclesiae historia exploratumque omni-
bus est.

Verum decursu temporis ordinatio Romanae Curiae a Xysto V potissi-
mum per memoratas Apostolicas Litteras constituta, haud integra perstitit.
Nam et sacrarum Congregationum numerus, pro rerum ac temporum neces-
sitatibus, modo auctus est, modo deminutus: atque ipsa iurisdictio unicuique
Congregationi primitus attributa, modo novis Romanorum Pontificum prae-
scriptis, modo usu aliquo sensim inducto ratoque habito, mutationibus
obnoxia fuit. Quo factum est ut hodie singularum iurisdictio, seu *competen-
tia*, non omnibus perspicua nec bene divisa evaserit; plures ex sacris Con-
gregationibus eadem de re ius dicere valeant, et nonnullae ad pauca tantum
negotia expedienda redactae sint, dum aliae negotiis obruuntur.

Quapropter haud pauci Episcopi ac sapientes viri, maxime vero S. R. E.
Cardinales, tum scriptis tum voce, et apud Decessorem Nostrum fel. rec.
Leonem XIII, et apud Nos ipsos saepe institerunt ut opportuna remedia
hisce incommodis afferrentur. Quod Nos quidem pro parte praestare cura-
vimus datis Litteris die XVII mensis decembris anno MCMIII *Romanis Pon-
tificibus*;[2] aliisque datis die XXVIII mensis ianuarii anno MCMIV *Quae in
Ecclesiae bonum*;[3] itemque aliis datis die XXVI mensis maii anno MCMVI
Sacrae Congregationi super negotiis.[4]

Cum vero in praesenti res quoque sit de ecclesiasticis legibus in unum
colligendis, maxime opportunum visum est a Romana Curia ducere initium,
ut ipsa, modo apto et omnibus perspicuo ordinata, Romano Pontifici Eccle-
siaeque operam suam praestare facilius valeat et suppetias ferre perfectius.

Quamobrem, adhibitis in consilium pluribus S. R. E. Cardinalibus, sta-
tuimus ac decernimus, ut Congregationes, Tribunalia et Officia, quae Roma-
nam Curiam componunt et quibus Ecclesiae universae negotia pertractanda
reservantur, post ferias autumnales decurrentis anni, hoc est a die III men-
sis Novembris MDCCCCVIII, non alia sint, praeter consueta sacra Consisto-
ria, quam quae praesenti Constitutione decernuntur, eaque numero, ordine,
competentia, divisa et constituta maneant his legibus, quae sequuntur.

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 392-401.
[2] Cf. N. 657.
[3] Cf. Pii X Acta, vol. I, p. 141-144.
[4] Cf. Pii X Acta, vol. III, p. 136, 137.

§ I.

SACRAE CONGREGATIONES.

1. – Congregatio Sancti Officii.

1. Haec sacra Congregatio, cui Summus Pontifex praeest, doctrinam fidei et morum tutatur.

2. Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducunt.

3. Ad ipsam quoque devoluta est universa res de indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat.

4. Quidquid ad Ecclesiae praecepta refertur, uti abstinentiae, ieiunia, festa servanda, id omne, huic sacro Consilio sublatum, Congregationi Concilii tribuitur: quidquid ad Episcoporum electionem spectat, sibi vindicat Congregatio Consistorialis; relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum, Congregatio Negotiis sodalium religiosorum praeposita.

5. Etsi peculiaris Congregatio sit constituta de disciplina Sacramentorum, nihilominus integra manet Sancti Offici facultas ea cognoscendi quae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, praeter ea quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis Sacramentis doctrinam.

2. – Congregatio Consistoriali.

1. Duas haec sacra Congregatio, easque distinctas partes complectitur.

2. Ad primam spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxiis novas dioeceses et *capitula* tum *cathedralia* tum *collegiata* constituere; dioeceses iam constitutas dividere; Episcopos, Administratores Apostolicos, Adiutores et Auxiliarios Episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu *processus* super eligendis indicere actosque diligenter expendere; ipsorum periclitari doctrinam. At si viri eligendi vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, administri Officii a publicis Negotiis, vulgo *Secretariae Status*, ipsi documenta excipient et *positionem* conficient, Congregationi Consistoriali subiiciendam.

3. Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularum dioecesium regimen, modo Congregationi de Propaganda Fide subiectae non sint, universim referuntur, quaeque ad Congregationes Episcoporum et Concilii hactenus pertinebant, et modo Consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; cognitio eorum quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium; indictio Apostolicarum visitationum, exa-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

menque earum quae fuerint absolutae, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos delatam singulis vicibus, praescriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna; denique ea omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent.

4. Huius Congregationis erit, in conflictatione iurium, dubia solvere circa competentiam sacrarum Congregationum.

5. Huius sacri Consilii Summus Pontifex perget esse Praefectus. Eique Cardinales a secretis S. Officii et Secretarius Status semper ex officio accensentur, praeter alios, quos Summus Pontifex eidem adscribendos censuerit.

6. A secretis semper esto Cardinalis a Summo Pontifice ad id munus eligendus; alter ab ipso erit Praelatus, cui *Adsessoris* nomen, qui idem fungetur munere a secretis sacri Collegii Patrum Cardinalium, et sub ipso sufficiens administrorum numerus.

7. Consultores huius Congregationis erunt Adsessor Sancti Officii, et a secretis Congregationis pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis, durante munere: quibus accedent alii, quos Summus Pontifex elegerit.

3. – Congregatio de disciplina Sacramentorum.

1. Est huic sacrae Congregationi proposita universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis Sancti Officii, secundum ea quae superius statuta sunt, et sacrorum Rituum Congregationis circa caeremonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

2. Itaque eidem Congregationi tribuuntur ea omnia, quae huc usque ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Romanae Curiae decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio prolis; tum in disciplina aliorum Sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Congregationis Negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorumdem ordinationem; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones Eucharistiae sumendae, Sacri litandi, adservandi Augustissimi Sacramenti; aliaque id genus.

3. Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae Ordinationis aliasque ad Sacramentorum disciplinas spectantes, eadem Congregatio dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad sacrae Romanae Rotae tribunal remittat.

4. Congregationi huic, quemadmodum ceteris omnibus quae sequuntur, erit Cardinalis Praefectus, qui praeerit sacro Ordini, aliquot Patribus Cardinalibus a Pontifice Summo eligendis conflato, cum Secretario aliisque necessariis administris et Consultoribus.

4. – CONGREGATIO CONCILII.

1. Huic sacrae Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur.

2. Quamobrem ipsius est curare ut Ecclesiae praecepta serventur, cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico, quod ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles; moderari quae parochos et canonicos spectant; item quae pias sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet.

3. Ad eamdem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu *conferentia* referuntur, suppressa Congregatione speciali, quae hactenus fuit, pro Conciliorum revisione.

4. Est autem haec Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinae, seu, ut vulgo dicitur, *in linea disciplinari* pertractandas iudicaverit; cetera ad sacram Romanam Rotam erunt deferenda.

5. Congregationi Concilii adiungitur et unitur, qua Congregatio specialis, ea quae *Lauretana* dicitur.

5. – CONGREGATIO NEGOTIIS RELIGIOSORUM SODALIUM PRAEPOSITA.

1. Haec sacra Congregatio iudicium sibi vindicat de iis tantum, quae ad sodales religiosos utriusque sexus tum solemnibus tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines saeculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

2. Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quae sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae, seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore; ceterae ad sacram Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi semper iure Sancti Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes.

3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

6. – CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE.

1. Sacrae huius Congregationis iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra Hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Verum, quia regiones nonnullae, etsi Hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt, eas Congregationi de Propaganda Fide subiecta esse volumus.

2. Itaque iurisdictione Congregationis de Propaganda Fide exemptas et ad ius commune deductas decernimus — in *Europa* — ecclesiasticas provincias Angliae, Scotiae, Hiberniae, et Hollandiae, ac dioecesim Luxemburgensem; — in *America* — provincias ecclesiasticas dominii Canadensis, Terrae Novae et Foederatarum Civitatum seu *Statuum Unitorum*. Negotia proinde quae ad haec loca referuntur, tractanda in posterum non erunt penes Congregationem de Propaganda Fide, sed, pro varia eorumdem natura, penes Congregationes ceteras.

3. Reliquae ecclesiasticae provinciae ac dioeceses, iurisdictioni Congregationis de Propaganda Fide hactenus subiectae, in eius iure ac potestate maneant. Pariter ad eam pertinere decernimus Vicariatus omnes Apostolicos, Praefecturas seu missiones quaslibet, eas quoque quae Congregationi a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis modo subsunt.

4. Nihilominus, ut unitati regiminis consulatur, volumus ut Congregatio de Propaganda Fide ad peculiares alias Congregationes deferat quaecumque aut fidem attingunt, aut matrimonium aut sacrorum rituum disciplinam.

5. Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicet quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos, sive simul sumptos tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos, sive simul sumptos attingit, ad Congregationem religiosorum Negotiis praepositam remittat aut relinquat.

6. Unitam habet Congregationem pro Negotiis rituum orientalium, cui integra manent quae huc usque servata sunt.

7. Praefectura specialis pro re oeconomica esse desinit; omnium vero bonorum administratio, etiam *reverendae Camerae Spoliorum*, ipsi Congregationi de Propaganda Fide committitur.

8. Cum hac Congregatione coniungitur coetus pro *unione Ecclesiarum dissidentium*.

7. – CONGREGATIO INDICIS.

1. Huius sacrae Congregationis in posterum erit non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos si oportuerit prohibere, et exemptiones concedere; sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis, damnanda; et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere, eaque Sanctae Sedi denunciare, ad normam Const. *Officiorum*, XXV ian. MDCCCXCVII. [1]

[1] Cf. N. 632.

2. Cum vero librorum prohibitio persaepe propositam habeat catholicae fidei defensionem, qui finis est etiam Congregationis Sancti Officii, decernimus ut in posterum omnia quae ad librorum prohibitionem pertinent, eaque sola, utriusque Congregationis Patres Cardinales, Consultores, administri secum invicem communicare possint, et omnes hac de re eodem secreto adstringantur.

8. – Congregatio sacrorum Rituum.

1. Haec sacra Congregatio ius habet videndi et statuendi ea omnia, quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura, aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive ratione disciplinae, hoc est, uti aiunt, *in linea disciplinari* disceptetur.

2. Eius proinde est praesertim advigilare ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.

3. Denique ea omnia exsequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad sacras Reliquias quoquo modo referuntur.

4. Huic Congregationi adiunguntur coetus *liturgicus*, coetus *historico-liturgicus* et coetus *pro sacro concentu*.

9. – Congregatio Caeremonialis.

Haec sacra Congregatio iura hactenus ipsi tributa integra servat; ideoque ad eam pertinet moderatio caeremoniarum in sacello aulaque pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quaestiones cognoscit de praecedentia tum Patrum Cardinalium, tum Legatorum, quos variae nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

10. – Congregatio pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis.

In ea tantum negotia sacra haec Congregatio incumbit, quae eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem Secretarium Status, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur.

11. – Congregatio Studiorum.

Est huic sacrae Congregationi commissa moderatio studiorum in quibus versari debeant maiora athenaea, seu quas vocant Universitates, seu Facul-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tates, quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

§ II.

TRIBUNALIA.

1. – Sacra Poenitentiaria.

Huius sacri iudicii seu tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Itaque, externi fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina Sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit praeterea quaestiones conscientiae, easque dirimit.

2. – Sacra Romana Rota.

Quum sacrae Romanae Rotae tribunal, anteactis temporibus omni laude cumulatum, hoc aevo variis de causis iudicare ferme destiterit, factum est ut sacrae Congregationes forensibus contentionibus nimium gravarentur. Huic incommodo ut occurratur, iis inhaerentes, quae a Decessoribus Nostris Xysto V, Innocentio XII et Pio VI sancita fuerunt, non solum iubemus « per sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes » (Litterae Secretariae Status, XVII aprilis MDCCXXVIII); sed praeterea decernimus, ut causae omnes contentiosae non maiores, quae in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad sacrae Romanae Rotae tribunal, quod hisce litteris rursus in exercitium revocamus iuxta *Legem propriam*,[1] quam in appendice praesentis Constitutionis ponimus, salvo tamen iure sacrarum Congregationum, prout superius praescriptum est.

3. – Signatura Apostolica.

Item supremum Signaturae Apostolicae tribunal restituendum censemus, et praesentibus litteris restituimus, seu melius instituimus, iuxta modum qui in memorata *Lege* determinatur, antiqua ordinatione tribunalium *Signaturae papalis gratiae et iustitiae* suppressa.

[1] Cf. Pii X Acta, vol. IV, p. 162-182; cf. etiam Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 20-35.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

§ III.

OFFICIA.

1. – Cancellaria Apostolica.

1. Huic Officio praesidet unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui posthac Cancellarii, non autem Vice-Cancellarii, nomen assumet. Ipse iuxta pervetustam consuetudinem in sacris Consistoriis, ex officio, notarii munere fungitur.

2. Ad Cancellariae officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum dioecesium et capitulorum institutionem, et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis.

3. Unus erit earum expediendarum modus, hoc est per *viam Cancellariae*, iuxta normam seorsim dandam, sublatis iis modis qui dicuntur per *viam secretam*, *de Camera* et *de Curia*.

4. Expedientur memoratae litterae seu *Bullae* de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius iurisdictionem spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis ad unguem in singulis casibus ipsius mandati terminis.

5. Suppresso collegio Praelatorum, qui dicuntur *Abbreviatores maioris* vel *minoris residentiae*, seu *de parco maiori* vel *minori*, quae ipsius erant munia in subscribendis Apostolicis Bullis transferuntur ad collegium Protonotariorum Apostolicorum, qui vocantur *participantes de numero*.

2. – Dataria Apostolica.

1. Huic Officio praeest unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui in posterum Datarii, non vero Pro-Datarii, nomen obtinebit.

2. Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata; conficere et expedire Apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

3. In his omnibus agendis normas peculiares sibi proprias aliasque seorsim dandas servabit.

3. – Camera Apostolica.

Huic Officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei Officio praeest S. R. E. Cardinalis Camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitas a Const. *Vacante Sede Apostolica*, XXV dec. MDCCCCIV. [1]

4. – Secretaria Status.

Officium hoc, cuius est supremus moderator Cardinalis a secretis Status, hoc est a publicis Negotiis, triplici parte constabit. Prima pars in negotiis extraordinariis versabitur, quae Congregationi iisdem praepositae examinanda subiici debent, ceteris, pro diversa eorum natura, ad peculiares Congregationes remissis; altera in ordinaria negotia incumbet, ad eamque, inter cetera, pertinebit honoris insignia quaeque concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quae Antistiti pontificali domui praeposito sunt reservata; tertia expeditioni Apostolicorum *Brevium*, quae a variis Congregationibus ei committuntur, vacabit. — Primae praeerit Secretarius Congregationis pro Negotiis extraordinariis; alteri *Substitutus* pro Negotiis ordinariis; tertiae *Cancellarius* Brevium Apostolicorum. Inter harum partium praesides primus est Secretarius sacrae Congregationis Negotiis extraordinariis praepositae, alter Substitutus pro ordinariis Negotiis.

5. – Secretariae Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum.

Duplex hoc Officium sua munia, ut antea, servabit, latine scribendi acta Summi Pontificis.

In posterum vero in omnibus Apostolicis litteris, sive a Cancellaria sive a Dataria expediendis, initium anni ducetur, non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die XXV mensis martii, sed a kalendis ianuariis.

Itaque Congregationes, Tribunalia, Officia, quae diximus, posthac Romanam Curiam constituent, servata eorum, quae ante Nostras has Litteras exstabant, propria constitutione, nisi immutata fuerit secundum superius praescripta aut secundum legem ac normas sive generales sive speciales quae Constitutioni huic adiiciuntur. [2]

Congregatio, quae dicitur *Reverendae Fabricae S. Petri*, in posterum unam sibi curandam habebit rem familiarem Basilicae Principis Apostolorum, servatis ad unguem in hac parte normis a Benedicto XIV statutis Const. *Quanta curarum* die XV mensis novembris MDCCLI data. [3]

Coetus *studiis provehendis* sive *sacrae Scripturae*, sive *historiae; obulo S. Petri* administrando; *Fidei in Urbe praeservandae*, permanent in statu quo ante.

Sublata Congregatione *Visitationis Apostolicae Urbis*, quae ipsius erant iura et munia, ad peculiarem Patrum Cardinalium coetum, penes Urbis Vicariatum constituendum, deferimus.

[1] Cf. N. 663.
[2] Cf. Pii X Acta, vol. IV, p. 183-232; cf. etiam Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 36-108.
[3] Cf. Bened. XIV Bull., tom. 3, p. 412-416.

In omnibus autem et singulis superius recensitis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis hoc in primis solemne sit, ut nil grave et extraordinarium agatur, nisi a Moderatoribus eorumdem Nobis Nostrisque pro tempore Successoribus fuerit ante significatum.

Praeterea, sententiae quaevis, sive gratiae via, sive iustitiae, Pontificia approbatione indigent, exceptis iis pro quibus eorumdem Officiorum, Tribunalium et Congregationum Moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque semper sententiis tribunalis sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae de ipsarum competentia latis.

Huic Constitutioni accedunt leges propriae, ac normae tum generales tum particulares, quibus disciplina et modus tractandi negotia in Congregationibus, Tribunalibus, Officiis praestituitur; quas leges et normas ad unguem ab omnibus observari mandamus.

Atque haec valere quidem debent Apostolica Sede plena; vacua enim standum legibus et regulis in memorata Constitutione *Vacante Sede Apostolica* statutis.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et illis ad quos spectat aut pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis firmitate alia roboratis statutis consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuslibet etiam specialissima mentione dignis.

[Pii X Acta, vol. IV, p. 146-161. — Cf. etiam Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 7-19].

683.

Pius X, exhortatio *Haerent animo*, 4 aug. 1908.[1]

Haerent animo penitus, suntque plena formidinis, quae gentium Apostolus ad Hebraeos scribebat,[2] quum illos commonens de obedientiae officio praepositis debitae, gravissime affirmabat: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Haec nimirum sententia si ad omnes pertinet, quotquot in Ecclesia praesunt at maxime in Nos cadit, qui, licet impares, supremam in ea auctoritatem, Deo dante, obtinemus. Quare noctu atque interdiu sollicitudine affecti, meditari atque eniti non intermittimus quaecumque ad incolumitatem faciant et incrementa dominici gregis. Inter haec unum praecipue Nos occupat: homines sacri ordinis eos omnino esse, qui pro muneris officio esse debent. Persuasum enim habemus, hac maxime via de religionis statu bene esse laetiusque sperandum. Idcirco, statim ut

[1] Ad Clerum Catholicum in quinquagesimo natali sacerdotii sui.
[2] XIII, 17.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Pontificatum inivimus, quamquam, universitatem cleri contuentibus, multiplices eius laudes elucebant, tamen venerabiles fratres catholici orbis Episcopos impensissime hortandos censuimus, ut nihil constantius, nihil efficacius agerent, quam ut Christum formarent, in iis, qui formando in ceteris Christo rite destinantur.[1] Sacrorum autem Antistitum quae fuerint in hac re voluntates probe novimus. Novimus qua providentia, qua navitate in excolendo ad virtutem clero assidue connituntur: de quo illis non tam laudem impertivisse, quam gratias palam habuisse libet.

At vero, quum ex huiusmodi Episcoporum curis iam plures e clero gratulamur caelestes concepisse ignes, unde gratiam Dei, ex impositione manuum presbyterii susceptam, vel resuscitarunt vel acuerunt; tum adhuc conquerendum superest, alios quosdam per diversas regiones non ita se probare, ut in ipsos tamquam in speculum, prout dignum est, plebs christiana coniiciens oculos, sumere possit quod imitetur. Ad hos porro cor Nostrum per hasce litteras patere volumus; videlicet ut cor patris, quod in conspectu aegrotantis filii anxia palpitat caritate. Hac igitur suadente, hortationibus Episcoporum hortationes addimus Nostras: quae, quamvis eo spectent potissimum ut devios torpentesque ad meliora revocent, tamen etiam ceteris admoveant velimus incitamenta. Commonstramus iter quo quisque studiosius in dies contendant ut vere sit, qualem Apostolus nitide expressit, *homo Dei*,[2] iustaeque exspectationi Ecclesiae respondeat. — Nihil plane inauditum vobis aut cuiquam novum dicemus, sed quae certe commeminisse omnes oportet: spem autem indit Deus, vocem Nostram fructum non exiguum esse habituram. Id equidem flagitamus: *Renovamini... spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis:*[3] eritque hoc a vobis a quinquagesimo sacerdotii Nostri natali pulcherrimum acceptissimumque munus. Quumque Nos, *in animo contrito et spiritu humilitatis*[4] exactos in sacerdotio annos recogitabimus Deo; quidquid humani dolendum sit, videbimur quodammodo expiare admonendo vos et cohortando *ut ambuletis digne Deo per omnia placentes*[5] Qua tamen in hortatione, non vestras tantum utilitates tuebimur, sed communes etiam catholicarum gentium; quum aliae ab aliis dissociari nequaquam possint. Etenim non eiusmodi est sacerdos, qui bonus malusve uni sibi queat; sed eius ratio et habitus vitae sane quantum habet consequentis effectus in populum. Sacerdos reapse bonus ubi est, quale ibi donum et quantum est!

Hinc porro, dilecti filii, hortationis Nostrae exordium capimus, ut vos nimirum ad eam vitae sanctimoniam, quam dignitatis gradus postulat, excitemus. Quicumque enim sacerdotio potitur, eo non sibi tantum, sed aliis potitur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus con-*

[1] Cf. N. 653.
[2] I Tim., VI, 11.
[3] Ephes., IV, 23, 24.
[4] Dan., III, 39.
[5] Coloss., I, 10.

stituitur in iis, quae sunt ad Deum.[1] Idipsum et Christus indicavit, qui, ad significandum quo demum actio sacerdotum spectet, eos cum sale itemque cum luce comparatos voluit. Lux ergo mundi, sal terrae sacerdos est. Neminem sane fugit id praecipue fieri christiana veritate tradenda: at vero quem pariter fugiat, institutionem eiusmodi pro nihilo fere esse, si, quae sacerdos verbo tradat, exemplo suo non comprobet? Qui audiunt, contumeliose ii quidem, sed non immerito obiicient: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant;*[2] doctrinamque respuent, nec sacerdotis fruentur luce. Quam ob rem ipse Christus, factus sacerdotum forma, re primum, mox verbis docuit: *Coepit Iesus facere et docere.*[3] — Item, sanctimonia posthabita, nihil admodum sacerdos sal terrae esse poterit; corruptum enim et contaminatum integritati minime aptum est conferendae: unde autem sanctitas abest, ibi corruptionem inesse oportet. Quapropter Christus, eamdem insistens similitudinem, sacerdotes tales sal infatuatum dicit, quod *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras,* atque adeo *conculcetur ab hominibus.*[4]

Quae quidem eo apertius patent, quod sacerdotali munere haud nostro nos fungimur nomine, sed Christi Iesu. *Sic nos,* inquit Apostolus, *existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei:*[5] *pro Christo ergo legatione fungimur.*[6] — Hac nempe de causa Christus ipse, non ad servorum, sed ad amicorum numerum nos adscripsit: *Iam non dicam vos servos... Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis... Elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis.*[7] — Est igitur nobis persona Christi gerenda: legatio vero ab ipso data sic obeunda, ut quo ille intendit, eo nos pertingamus. Quoniam vero *idem velle idem nolle, ea demum firma amicitia est;* tenemur, ut amici, hoc sentire in nobis, quod et in Christo Iesu, qui est *sanctus, innocens, impollutus:*[8] ut legati ab eo, debemus doctrinis eius ac legi conciliare fidem hominum, easdem nimirum nos ipsi primum servantes: ut potestatis eius participes ad animos vinculis culparum levandos, conari nos omni studio oportet ne illis implicemur. At maxime ut ministri eius in praecellentissimo sacrificio, quod perenni virtute pro mundi vita innovatur, debemus ea animi conformatione, uti qua ille ad aram crucis seipsum obtulit hostiam immaculatam Deo. Nam si olim in specie solummodo ac figura, tanta a sacerdotibus postulabatur sanctitas; ecquid a nobis, quum victima est Christus? *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igni spirituali repletur, linguam quae tremendo nimis sanguine rubescit?*[9] Perapte S. Carolus Borromaeus, in orationibus ad clerum, sic instabat: «Si meminissemus, dilectissimi fratres, quanta et quam

[1] Hebr., V, 1.
[2] Tit., I, 16.
[3] Act., I, 1.
[4] Matth., V, 13.
[5] I Cor., IV, 1.
[6] II Cor., V, 20.
[7] Ioan., XV, 15, 16.
[8] Hebr., VII, 26.
[9] S. Ioan. Chrysost., hom. LXXXII in Matth., n. 5.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

digna in manibus nostris posuerit Dominus Deus, quantam istiusmodi consideratio vim haberet ad nos impellendum ut vitam ecclesiasticis hominibus dignam duceremus! Quid non posuit in manu mea Dominus, quando proprium Filium suum unigenitum, sibi coaeternum et coaequalem, posuit? In manu mea posuit thesauros suos omnes, sacramenta et gratias; posuit animas, quibus illi nihil est carius, quas sibi ipsi praetulit in amore, quas sanguine suo redemit: in manu mea posuit caelum, quod et aperire et claudere ceteris possim... Quomodo ergo adeo ingratus esse potero tantae dignationi et dilectioni, ut peccem contra ipsum? ut illius honorem offendam? ut hoc corpus, quod suum est, inquinem? ut hanc dignitatem, hanc vitam, eius obsequio consecratam, maculem? »

Ad hanc ipsam vitae sanctimoniam, de qua iuvat paulo fusius dicere, magnis Ecclesia spectat perpetuisque curis. Sacra idcirco Seminaria instituta: ubi, si litteris ac doctrinis imbuendi sunt qui in spem cleri adolescunt, at simul tamen praecipueque ad pietatem omnem a teneris annis sunt conformandi. Subinde vero, dum ipsa candidatos diuturnis intervallis gradatim promovet, nusquam, ut mater sedula, hortationibus de sanctitate assequenda parcit. Iucunda quidem ea sunt ad recolendum. Quum enim primo in sacram militiam cooptavit, voluit nos ea rite profiteri: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.*[1] Quibus, inquit Hieronymus, monetur *clericus* ut *qui, vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se* exhibeat, *ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino.*[2] — Subdiaconis accensendos ipsa quam graviter est allocuta! *Iterum atque iterum considerare debetis attente quod onus hodie ultro appetitis,... quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo... perpetuo famulari, et castitatem, illo adiuvante, servare oportebit.* Tum denique: *Si usque fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui: si usque nunc somnolenti, amodo vigiles: ... si usque nunc inhonesti, amodo casti... Videte cuius ministerium vobis traditur!* — Diaconatu porro augendis sic per Antistitem a Deo precata est: *Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas et spiritualis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirant.* — Sed eo acrius movet commonitio initiandis sacerdotio facta: *Cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet... Sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, idest familiam Dei.* Maximeque omnium urget illud gravissime additum; *Imitamini quod tractatis:* quod profecto cum Pauli praecepto congruit: *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.*[3]

Talis igitur quum sit mens Ecclesiae de sacerdotum vita, mirum nemini esse possit, quod sancti Patres ac Doctores omnes ita de ea re consentiant,

[1] Ps. XV, 5.
[2] Ep. LII, ad Nepotianum, n. 5.
[3] Coloss., I, 28.

ut illos fere nimios quis arbitretur: quos tamen si prudenter aestimemus, nihil eos nisi apprime verum rectumque docuisse iudicabimus. Eorum porro sententia haec summatim est. Tantum scilicet inter sacerdotem et quemlibet probum virum intercedere debet discriminis, quantum inter caelum et terram: ob eamque causam, virtuti sacerdotali cavendum non solum ne gravioribus criminibus sit affinis, sed ne minimis quidem. In quo virorum tam venerabilium iudicio Tridentina Synodus stetit, quum monuit clericos ut fugerent *levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent:*[1] maxima scilicet, non re ipsa, sed respectu peccantis, in quem, potiore iure quam in templorum aedificia, illud convenit: *Domum tuam decet sanctitudo.*[2]

Iam sanctitas eiusmodi, qua sacerdotem carere sit nefas, videndum est in quo sit ponenda: id enim si quis ignoret vel praepostere accipiat, magno certe in discrimine versatur. Equidem sunt qui putent, quin etiam profiteantur, sacerdotis laudem in eo collocandam omnino esse, ut sese aliorum utilitatibus totum impendat: quamobrem, dimissa fere illarum cura virtutum, quibus homo perficitur ipse (eas ideo vocitant *passivas*), aiunt vim omnem atque studium esse conferenda ut *activas* virtutes quis excolat exerceatque. Haec sane doctrina mirum quantum fallaciae habet atque exitii. De ea Decessor noster fel. rec. sic pro sua sapientia edixit:[3] « Christianas... virtutes, alias temporibus aliis accommodatas esse, is solum velit, qui Apostoli verba non meminerit: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.*[4] Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri. Iamvero haud mutatur Christus progredientibus saeculis, sed idem *heri, et hodie: ipse et in saecula.*[5] Ad omnium igitur aetatum homines pertinet illud: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde;*[6] nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum obedientem usque ad mortem;*[7] valetque quavis aetate Apostoli sententia: *Qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* ».[8] — Quae documenta si quidem spectant unumquemque fidelium, propius tamen ad sacerdotes attinent; ipsique prae ceteris dicta sibi habeant quae idem Decessor Noster apostolico ardore subiecit: « Quas utinam virtutes multo nunc plures sic colerent, ut homines sanctissimi praeteritorum temporum! qui demissione animi, obedientia, abstinentia, *potentes* fuerunt *opere et sermone*, emolumento maximo, nedum religiosae rei, sed publicae ac civilis ». Ubi animadvertere non abs re fuerit, Pontificem prudentissimum iure optimo singularem abstinentiae mentionem intulisse, quam evangelico verbo dicimus, abnegationem sui. Quippe hoc praesertim capite, dilecti filii, robur et vir-

[1] Sess. XXII, *de ref.*, c. 1.
[2] Ps. XCII, 5.
[3] Ep. *Testem benevolentiae*, ad Archiep. Baltimor., 22 ian. 1899. — Cf. N. 640.
[4] Rom., VIII, 29.
[5] Hebr., XIII, 8.
[6] Matth., XI, 29.
[7] Philipp., II, 8.
[8] Gal., V, 24.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tus et fructus omnis sacerdotalis muneris continetur: hoc neglecto, exoritur quidquid in moribus sacerdotis possit oculos animosque fidelium offendere. Nam si turpis lucri gratia quis agat, si negotiis saeculi se involvat, si primos appetat accubitus ceterosque despiciat, si carni et sanguini acquiescat, si quaerat hominibus placere, si fidat persuasibilibus humanae sapientiae verbis: haec omnia inde fluunt, quod Christi mandatum negligit conditionemque respuit ab ipso latam: *Si quis vult post me venire abneget semetipsum.*[1]

Ista Nos quum adeo inculcamus, illud nihilo minus sacerdotem admonemus, non sibi demum soli vivendum sancte: ipse enimvero est operarius, quem Christus *exiit... conducere in vineam suam.*[2] Eius igitur est fallaces herbas evellere, serere utiles, irrigare, tueri ne inimicus homo superseminet zizania. Cavendum propterea sacerdoti ne, inconsulto quodam intimae perfectionis studio adductus, quidquam praetereat de muneris partibus quae in aliorum bonum conducant. Cuiusmodi sunt verbum Dei nuntiare, confessiones rite excipere, adesse infirmis praesertim morituris, ignaros fidei erudire, solari moerentes, reducere errantes, usquequaque imitari Christum: *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.*[3] — Inter haec vero insigne Pauli monitum sit menti defixum: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus.*[4] Liceat quidem euntes et flentes mittere semina; liceat ea labore multo fovere: sed ut germinent edantque optatos fructus, id nempe unius Dei est eiusque praepotentis auxilii. Hoc accedit magnopere considerandum, nihil praeterea esse homines nisi instrumenta, quibus ad animorum salutem utitur Deus; ea oportere idcirco ut apta sint quae a Deo tractentur. Qua sane ratione? Num ulla putamus vel insita vel parta studio praestantia moveri Deum ut opem adhibeat nostram ad suae gloriae amplitudinem? Nequaquam: scriptum est enim: *Quae stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret.*[5] Unum nimirum est quod hominem cum Deo coniungat, unum quod gratum efficiat, atque non indignum eius misericordiae administrum: vitae morumque sanctimonia. Haec, quae demum est supereminens Iesu Christi scientia, sacerdoti si desit, desunt ei omnia. Nam, ab ea disiunctae, ipsa exquisitae doctrinae copia (quam Nosmetipsi nitimur in clero provehere), ipsaque agendi dexteritas et sollertia, etiamsi emolumenti aliquid vel Ecclesiae vel singulis afferre possint, non raro tamen detrimenti iisdem sunt flebilis causa. Sanctimonia vero qui ornetur et affluat, is quam multa possit, vel infimus, mirifice salutaria in populo Dei aggredi et perficere, complura ex omni aetate testimonia loquuntur: praeclare, non remota memoria, Ioannes Baptista Vianney, animarum in exemplum curator, cui honores Caelitum Bea-

[1] Matth., XVI, 24.
[2] Matth., XX, 1.
[3] Act. X, 38.
[4] I Cor., III, 7.
[5] I Cor., I, 27, 28.

torum Nosmet decrevisse laetamur. — Sanctitas una nos efficit, quales voca-
tio divina exposcit: homines videlicet mundo crucifixos, et quibus mundus
ipse sit crucifixus; homines in novitate vitae ambulantes, qui, ut Paulus
monet, [1] *in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longa-
nimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veri-
tatis* seipsos exhibeant ut ministros Dei; qui unice in caelestia tendant, et
alios eodem adducere omni ope contendant.

Quoniam vero, ut nemo unus ignorat, vitae sanctitas eatenus fructus
est voluntatis nostrae, quoad haec gratiae subsidio roboretur a Deo, abunde
nobis Deus ipse providit, ne gratiae munere, si velimus, ullo tempore
careamus; idque in primis assequimur studio precandi. — Sane precatio-
nem inter et sanctimoniam is necessario intercedit usus, ut altera esse
sine altera nullo modo possit. Quocirca consentanea omnino veritati est ea
sententia Chrysostomi: *Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter
impossibile sit absque precationis praesidio cum virtute degere:* [2] acuteque Augu-
stinus conclusit: *Vere novit recte vivere, qui recte novit orare.* [3] Quae nobis
documenta Christus ipse et crebra hortatione et maxime exemplo suo fir-
mius persuasit. Nempe orandi causa vel in deserta secedebat, vel montes
subibat solus; noctes solidas totus in eo exigebat; templum frequenter adi-
bat: quin etiam, stipantibus turbis, ipse erectis in caelum oculis palam
orabat; denique suffixus cruci, medios inter mortis dolores, cum clamore
valido et lacrimis supplicavit Patri. — Hoc igitur certum ratumque habea-
mus, sacerdotem, ut gradum officiumque digne sustineat suum, precandi
studio eximie deditum esse oportere. Saepius quidem dolendum quod ipse
ex consuetudine potius id faciat quam ex animi ardore; qui statis horis
oscitanter psallat vel pauculas interserat preces, nec deinde ullam de die
partem tribuat alloquendo Deo, pie sursum adspirans. Sed enim sacerdos
multo impensius ceteris paruisse debet Christi praecepto: *Oportet semper
orare*; [4] cui inhaerens Paulus tantopere suadebat: *Orationi instate, vigilan-
tes in ea in gratiarum actione:* [5] *Sine intermissione orate.* [6] Animo quippe
sanctimoniae propriae aeque ac salutis alienae cupido quam multae per diem
sese dant occasiones ut in Deum feratur! Angores intimi, tentationum vis
ac pertinacia, virtutum inopia, remissio ac sterilitas operum, offensiones et
negligentiae creberrimae, timor demum ad iudicia divina; haec omnia valde
incitant ut ploremus coram Domino, ac, praeter impetratam opem, bonis
ad ipsum meritis facile ditescamus. Neque nostra tantummodo ploremus
causa oportet. In ea, quae latius ubique funditur, scelerum colluvione,
nobis vel maxime imploranda exorandaque est divina clementia; nobis in-
standum apud Christum, sub mirabili Sacramento omnis gratiae benignis-
sime prodigum: *Parce, Domine, parce populo tuo.*

[1] II Cor., VI, 5 et seqq.
[2] De precatione, orat. 1.
[3] Hom. IV ex 50.
[4] Luc., XVIII, 1.
[5] Coloss., IV, 2.
[6] I Thess., V, 17.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Illud in hac parte caput est, ut aeternarum rerum meditationi certum
aliquod spatium quotidie concedatur. Nemo est sacerdos qui possit hoc sine
gravi incuriae nota et animae detrimento praetermittere. Ad Eugenium III,
sibi quondam alumnum, tunc vero romanum Pontificem, Bernardus Abbas
sanctissimus scribens, eum libere obnixeque admonebat, ne unquam a quo-
tidiana divinorum meditatione vacaret, nulla admissa excusatione curarum,
quas multas et maximas supremus habet apostolatus. Id autem se iure
exposcere contendebat, utilitates eiusdem exercitationis ita enumerans pru-
dentissime: *Fontem suum, id est mentem, de qua oritur, purificat considera-
tio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam
honestat et ordinat; postremo divinarum pariter et humanarum rerum scien-
tiam confert. Haec est quae confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit,
secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat.
Haec est quae agenda praeordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat
aut incorrectum aut correctione egens. Haec est quae in prosperis adversa
praesentit, in adversis quasi non sentit; quorum alterum fortitudinis, alterum
prudentia est.* [1] Quae quidem magnarum utilitatum summa, quas medita-
tio parere est nata, nos item docet atque admonet, quam sit illa, non modo
in omnem partem salutaris, sed admodum necessaria.

Quamvis enim varia sacerdotii munia augusta sint et plena veneratio-
nis, usu tamen frequentiore fit ut ipsa tractantes non ea plane qua par
est religione perpendant. Hinc, sensim defervescente animo, facilis gressus
ad socordiam, atque adeo ad fastidium rerum sacerrimarum. Accedit, quod
sacerdotem quotidiana consuetudine versari necesse sit quasi *in medio natio-
nis pravae*; ut saepe, in pastoralis ipsa caritatis perfunctione, sit sibi perti-
mescendum ne lateant inferni anguis insidiae. Quid, quod tam est proclive,
de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere? Apparet igitur quae
et quanta urgeat necessitas ad aeternorum contemplationem quotidie red-
eundi, ut adversus illecebras mens et voluntas, renovato subinde robore,
obfirmentur. — Praeterea expedit sacerdoti quadam instrui facilitate assur-
gendi nitendique in caelestia; qui caelestia sapere, eloqui, suadere omnino
debet; qui sic debet vitam suam omnem supra humana instituere, ut, quid-
quid pro sacro munere agit, secundum Deum agat, instinctu ductuque
fidei. Iamvero hunc animi habitum, hanc veluti nativam cum Deo coniun-
ctionem efficit maxime ac tuetur quotidianae meditationis praesidium; id
quod prudenti cuique tam perspicuum est, ut nihil opus sit longius perse-
qui. — Quarum rerum confirmationem petere licet, sane tristem, ex eorum
vita sacerdotum, qui divinorum meditationem vel parvi pendunt vel plane
fastidiunt. Videas enim homines, in quibus *sensus Christi*, illud tam prae-
stabile bonum, oblanguit; totos ad terrena conversos, vana consectantes,
leviora effutientes; sacrosancta obeuntes remisse, gelide, fortasse indigne.
Iampridem ipsi, unctionis sacerdotalis recenti charismate perfusi, diligen-
ter parabant ad psallendum animam, ne perinde essent ac qui tentant
Deum; opportuna quaerebant tempora locaque a strepitu remotiora; divina

[1] De consid., l. I, c. 7.

scrutari sensa studebant; laudabant, gemebant, exsultabant, spiritum effundebant cum Psalte. Nunc vero, quantum mutati ab illis sunt?... — Itemque vix quidquam in ipsis residet de alacri ea pietate quam spirabant erga divina mysteria. Quam dilecta erant olim tabernacula illa! gestiebat animus adesse in circuitu mensae Domini, et alios ad eam atque alios advocare pios. Ante sacrum quae mundities, quae preces desiderantis animae! tum in ipso agendo quanta erat reverentia, augustis caeremoniis decore suo integris; quam effusae ex praecordiis gratiae; feliciterque manabat in populum bonus odor Christi!... *Rememoramini*, obsecramus, dilecti filii, *rememoramini... pristinos dies:* [1] tunc nempe calebat anima, sanctae meditationis studio enutrita.

In his autem ipsis, qui *recogitare corde* [2] gravantur vel negligunt, non desunt sane qui consequentem animi sui egestatem non dissimulent, excusentque, id causae obtendentes, se totos agitationi ministerii dedidisse, in multiplicem aliorum utilitatem. Verum falluntur misere. Nec enim assueti cum Deo colloqui, quum de eo ad homines dicunt vel consilia christianae vitae impertiunt, prorsus carent divino afflatu; ut evangelicum verbum videatur in ipsis fere intermortuum. Vox eorum, quantavis prudentiae vel facundiae laude clarescat, vocem minime reddit Pastoris boni, quam oves salutariter audiant: strepit enim diffluitque inanis, atque interdum damnosi fecunda exempli, non sine religionis dedecore et offensione bonorum. Nec dissimiliter fit in ceteris partibus actuosae vitae: quippe vel nullus inde solidae utilitatis proventus, vel brevis horae, consequitur, imbre deficiente caelesti, quem sane devocat uberrimum *oratio humiliantis se.* [3] — Quo loco facere quidem non possumus quin eos vehementer doleamus, qui pestiferis novitatibus abrepti, contra haec sentire non vereantur, impensamque meditando et precando operam quasi perditam arbitrentur. Proh funesta caecitas! Utinam, secum ipso probe considerantes, aliquando cognoscerent quorsum evadat neglectus iste contemptusque orandi. Ex eo nimirum germinavit superbia et contumacia; unde nimis amari excrevere fructus, quos paternus animus et commemorare refugit et omnino resecare exoptat. Optatis annuat Deus; qui benigne devios respiciens, tanta in eos copia *spiritum gratiae et precum* effundat, ut errorem deflentes suum, male desertas vias communi cum gaudio volentes repetant, cautiores persequantur. Item ut olim Apostolo, [4] ipse Deus sit Nobis testis, quo modo eos omnes cupiamus in visceribus Iesu Christi!

Illis igitur vobisque omnibus, dilecti filii, alte insideat hortatio Nostra, quae Christi Domini est: *Videte, vigilate, et orate.* [5] Praecipue in pie meditandi studio uniuscuiusque elaboret industria: elaboret simul animi fiducia, identidem rogantis: *Domine, doce nos orare.* [6] Nec parvi quidem momenti

[1] Hebr., X, 32.
[2] Ierem., XII, 11.
[3] Eccli., XXXV, 21.
[4] Philipp., I, 8.
[5] Marc., XIII, 33.
[6] Luc., XI, 1.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

esse nobis ad meditandum debet peculiaris quaedam causa; scilicet quam magna vis consilii virtutisque inde profluat, bene utilis ad rectam animarum curam, opus omnium perdifficile. — Cum re cohaeret, et est memoratu dignum, Sancti Caroli pastorale alloquium: « Intelligite, fratres, nil aeque ecclesiasticis omnibus viris esse necessariun ac est oratio mentalis, actiones nostras omnes praecedens, concomitans et subsequens: *Psallam*, inquit propheta, *et intelligam.* [1] Si Sacramenta ministras, o frater, meditare quid facis, si Missam celebras, meditare quid offers; si psallis, meditare cui et quid loqueris; si animas regis, meditare quonam sanguine sint lavatae ». [2] Quapropter recte ac iure Ecclesia nos ea davidica sensa iterare frequentes iubet: *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur; voluntas eius permanet die ac nocte; omnia quaecumque faciet semper prosperabuntur.* — Ad haec, unum denique instar omnium sit nobile incitamentum. Sacerdos enim, si *alter Christus* vocatur et est communicatione potestatis, nonne talis omnino et fieri et haberi debat etiam imitatione factorum?... *Summum igitur studium nostrum sit in vita Iesu Christi meditari.* [3]

Cum divinarum rerum quotidiana consideratione magni refert ut sacerdos piorum librorum lectionem, eorum in primis qui divinitus inspirati sunt, coniungat assiduus. Sic Paulus mandabat Timotheo: *Attende lectioni.* [4] Sic Hieronymus, Nepotianum de vita sacerdotali instituens, id inculcabat: *Nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur:* cuius rei hanc subtexebat causam: *Disce quod doceas: obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere.* Quantum enimvero proficiunt sacerdotes qui constanti hoc praestant assuetudine; ut sapide praedicant Christum, utque mentes animosque audientium, potius quam emolliant et mulceant, ad meliora impellunt, ad superna erigunt desideria? — Sed alia quoque de causa, atque ea in rem vestram, dilecti filii, frugifera, praeceptio valet eiusdem Hieronymi: *Semper in manu tua sacra sit lectio.* [5] Quis enim nesciat maximam esse in amici animum vim cuiuspiam amici qui candide moneat, consilio iuvet, carpat, excitet, ab errore avocet? *Beatus, qui invenit amicum verum* [6] ... *qui autem invenit illum, invenit thesaurum.* [7] Iamvero amicos vere fideles adscribere ipsi nobis pios libros debemus. De nostris quippe officiis ac de praescriptis legitimae disciplinae graviter commonefaciunt; repressas in animo caelestes voces suscitant; desidiam propositorum castigant; dolosam obturbant tranquillitatem; minus probabiles affectiones, dissimulatas, coarguunt; pericula detegunt, saepenumero incautis patentia. Haec autem omnia sic illi tacita cum benevolentia praestant, ut se nobis non modo amicos praebeant, sed amicorum perquam optimos praebeant. Siquidem habemus, quum libeat, quasi lateri

[1] Ps. C, 2.
[2] Ex orationib. ad clerum.
[3] De imit. Chr., I, 1.
[4] I Tim., IV, 13.
[5] Ep. LVIII ad Paulinum, n. 6.
[6] Eccli., XXV, 12.
[7] Ibid., VI, 14.

adhaerentes, intimis necessitatibus nulla non hora promptos; quorum vox nunquam est acerba, consilium nunquam cupidum, sermo nunquam timidus aut mendax. — Librorum piorum saluberrimam efficacitatem multa quidem eaque insignia declarant exempla: at exemplum profecto eminet Augustini, cuius promerita in Ecclesiam amplissima inde auspicium duxerunt: *Tolle, lege; tolle, lege... Arripui* (epistolas Pauli apostoli), *aperui et legi in silentio... Quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebrae diffugerunt.* [1] Sed contra heu! saepius accidit nostra aetate, ut homines e clero tenebris dubitationis sensim offundantur et saeculi obliqua sectentur, eo praesertim quod piis divinisque libris longe alios omne genus atque ephemeridum turbam praeoptent, ea quidem scatentia errore blando ac lue. Vobis, dilecti filii, cavete: adultae provectaeque aetati ne fidite, neve sinite spe fraudulenta illudi, ita vos posse aptius communi bono prospicere. Certi custodiantur fines, tum quos Ecclesiae leges praestituant, tum quos prudentia cernat et caritas sui; nam venena istaec semel quis animo imbiberit, concepti exitii perraro quidem effugiet damna.

Porro emolumenta, tum a sacra lectione, tum ex ipsa meditatione caelestium quaesita, futura certe sunt sacerdoti uberiora, si argumenti quidpiam accesserit, unde ipsemet dignoscat an lecta et meditata religiose studeat in usu vitae perficere. Est apposite ad rem egregium quoddam documentum Chrysostomi, sacerdoti presertim exhibitum. Quotidie sub noctem, antequam somnus obrepat, *excita iudicium conscientiae tuae, ab ipsa rationem exige, et quae interdiu mala cepisti consilia... fodica et dilania, et de eis poenam sume.* [2] Quam rectum id sit ac fructuosum christianae virtuti, prudentiores pietatis magistri luculenter evincunt, optimis quidem monitis et hortamentis. Praeclarum illud referre placet e disciplina Sancti Bernardi: *Integritatis tuae curiosus exploratur, vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias... Stude cognoscere te... Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te, tamquam ante alium; et sic te ipsum plange.* [3]

Etiam in hac parte probrosum vere sit, si Christi dictum eveniat: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis!* [4] Videre licet quanta illi sedulitate sua negotia procurent: quam saepe data et accepta conferant; quam accurate restricteque rationes subducant; iacturas factas ut doleant, seque ipsi acrius excitent ad sarciendas. Nos vero, quibus fortasse ardet animus ad aucupandos honores, ad rem familiarem augendam, ad captandam praesidio scientiae praedicationem unice et gloriam; negotium maximum idemque perarduum, sanctimoniae videlicet adeptionem, languentes, fastidiosi tractamus. Nam vix interdum apud nos colligimus et exploramus animum; qui propterea paene silvescit, non secus ac vinea pigri, de qua scriptum: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticae, et operuerunt superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa*

[1] Conf., l. VIII, c. 12.
[2] Exposit. in Ps. IV, n. 8.
[3] Meditationes piissimae, c. V, *de quotid. sui ipsius exam.*
[4] Luc., XVI, 8.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

erat. [1] — Ingravescit res, crebrescentibus circum exemplis pravis, sacerdotali ipsi virtuti haud minime infestis; ut opus sit vigilantius quotidie incedere ac vehementius obniti. Iam experiendo cognitum est, qui frequentem in se censuram et severam de cogitatis, de dictis, de factis peragat, eum plus valere animo, simul ad odium et fugam mali, simul ad studium et ardorem boni. Neque minus experiendo compertum, quae incommoda et damna fere accidant declinanti tribunal illud, ubi sedeat iudicans iustitia, stet rea et ipsum accusans conscientia. In ipso frustra quidem desideres eam agendi circumspectionem, quae adeo in christiano homine probatur, de minoribus quoque noxis vitandis, eamque verecundiam animi, maxime sacerdotis propriam, ad omnem vel levissimam in Deum offensam expavescentis. Quin immo indiligentia atque neglectus sui nonnunquam eo deterius procedit, ut ipsum negligant poenitentiae sacramentum: quo nihil sane opportunius infirmitati humanae suppeditavit Christus insigni miseratione. — Diffitendum certe non est, acerbeque est deplorandum, non ita raro contingere, ut qui alios a peccando fulminea sacri eloquii vi deterret, nihil tale metuat sibi culpisque obcallescat; qui alios hortatur et incitat ut labes animi ne morentur debita religione detergere, id ipse tam ignave faciat atque etiam diuturno mensium spatio cunctetur; qui aliorum vulneribus oleum et vinum salutare novit infundere, saucius ipse secus viam iaceat, nec medicam fratris manum, eamque fere proximam, providus sibi requirat. Heu quae passim consecuta sunt hodieque consequuntur, prorsus indigna coram Deo et Ecclesia, perniciosa christianae multitudini, indecora sacerdotali ordini!

Haec Nos, dilecti filii, pro conscientiae officio quum reputamus, opplecur animus aegritudine, et vox cum gemitu erumptit: Vae sacerdoti, qui suum tenere locum nesciat, et nomen Dei sancti, cui esse sanctus debet, infideliter polluat! Optimorum corruptio, teterrimum: *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant; laetemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti moeroris de sublimioribus corruisse!* [2] Vae igitur sacerdoti, qui, immemor sui, precandi studium deserit; qui piarum lectionum pabulum respuit; qui ad se ipse nunquam regreditur ut accusantis conscientiae exaudiat voces! Neque crudescentia animi vulnera, neque Ecclesiae matris ploratus movebunt miserum, donec eae feriant terribiles minae: *Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava: et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* [3] — Triste omen ab unoquoque vestrum, dilecti filii, avertat dives in misericordia Deus, ipse qui Nostrum intuetur cor, nulla prorsus in quemquam amaritudine affectum, sed omni pastoris et patris caritate in omnes permotum: *Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum?* [4]

[1] Prov., XXIV, 30, 31.
[2] S. Hieron. in Ezech., l. XIII, c. 44, v. 30.
[3] Is., VI, 10.
[4] I Thess., II, 19.

At videtis ipsi, quotquot ubique estis, quaenam in tempora, arcano Dei consilio, Ecclesia inciderit. Videte pariter et meditamini quam sanctum officium vos teneat, ut a qua tanto dignitatis honore donati estis, eidem contendatis adesse et succurrere laboranti. Itaque in clero, si unquam alias, nunc opus maxime est virtute non mediocri; in exemplum integra, exper- recta, operosa, paratissima demum facere pro Christo et pati fortia. Neque aliud quidquam est quod cupidiore Nos animo precemur et optemus vobis, singulis et universis. — In vobis igitur intemerato semper honore floreat castimonia, nostri ordini lectissimum ornamentum; cuius nitore sacerdos, ut adsimilis efficitur angelis, sic in christiana plebe venerabilior praestat san- ctisque fructibus fecundior. — Vigeat perpetuis auctibus reverentia et obe- dientia, iis sollemni ritu promissa, quos divinus Spiritus rectores consti- tuit Ecclesiae: praecipue in obsequio huic Sedi Apostolicae iustissime debito mentes animique arctioribus quotidie fidelitatis nexibus devinciantur. — Excellatque in omnibus caritas, nullo modo quaerens quae sua sunt: ut, stimulis qui humanitus urgent invidae contentionis cupidaeve ambitionis cohibitis, vestra omnium studia ad incrementa divinae gloriae fraterna aemu- latione conspirent. Vestrae beneficia caritatis *multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum*, quam miserrima, expectat; vel maxime expe- ctant densi adolescentum greges, civitatis et religionis spes carissima, falla- ciis undique cincti et corruptelis. Studete alacres, non modo, sacra catechesi impertienda, quod rursus enixiusque commendamus, sed, omni quacumque liceat ope consilii et sollertiae, bene optimeque mereri de omnibus. Suble- vando, tutando, medendo, pacificando, hoc demum velitis ac propemodum sitiatis, lucrari vel obstringere animas Christo. Ab inimicis eius heu quam impigre, quam laboriose, quam non trepide agitur, instatur, exitio anima- rum immenso! — Ob hanc potissime caritatis laudem Ecclesia catholica gaudet et gloriatur in clero suo, christianam pacem evangelizante, salutem atque humanitatem afferente, ad gentes usque barbaras: ubi ex magnis eius laboribus, profuso nonnumquam sanguine consecratis, Christi regnum latius in dies profertur, et fides sancta enitet novis palmis augustior. — Quod si, dilecti filii, effusae caritatis vestrae officiis simultas, convicium, calumnia, ut persaepe, fit, responderit, nolite tristitiae succumbere, *nolite deficere bene facientes.*[1] Ante oculos obversentur illorum agmina, numero meritisque insignia, qui per Apostolorum exempla in contumeliis pro Christi nomine asperrimis, *ibant gaudentes, maledicti benedicebant*. Nempe filii sumus fratresque Sanctorum, quorum nomina splendent in libro vitae, quorum laudes nuntiat Ecclesia: *Non inferamus crimen gloriae nostrae!* [2]

Instaurato et aucto in ordinibus cleri spiritu gratiae sacerdotalis, multo quidem efficacius valebunt Nostra, Deo adspirante, proposita ad cetera, quaecumque late sunt, instauranda. — Quapropter ad ea quae supra expo- suimus, certa quaedam adiicere visum est, tamquam subsidia eidem gra- tiae custodiendae et alendae opportuna. Est primum, quod nemini sane

[1] II Thess., III, 13.
[2] I Mach., IX, 10.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETR'

non cognitum et probatum, sed non item omnibus re ipsa exploratum est, pius animae recessus ad Exercitia, quae vocant, spiritualia; annuus, si fieri possit, vel apud se singulatim, vel potius una cum aliis, unde largior esse fructus consuevit; salvis Episcoporum praescriptis. Huius instituti utilita- tes iam Ipsi satis laudavimus, quum nonnulla in eodem genere ad cleri romani disciplinam pertinentia ediximus. [1] — Nec minus deinde proficiet animis, si consimilis recessus, ad paucas horas, menstruus, vel privatim vel communiter habeatur: quem morem libentes videmus pluribus iam locis inductum, ipsis Episcopis faventibus, atque interdum praesidentibus coetui. — Aliud praeterea cordi est commendare: adstrictiorem quamdam sacerdo- tum, ut fratres addecet, inter se coniunctionem, quam episcopalis auctoritas firmet ac moderetur. Id sane commendabile, quod in societatem coalescant ad mutuam opem in adversis parandam, ad nominis et munerum integri- tatem contra hostiles astus tuendam, ad alias istiusmodi causa. At pluris profecto interest, consociationem eos inire ad facultatem doctrinae sacrae excolendam, in primisque ad sanctum vocationis propositum impensiore cura retinendum, ad animarum provehendas rationes, consiliis viribusque collatis. Testantur Ecclesiae annales, quibus temporibus sacerdotes passim in communem quamdam vitam conveniebant, quam bonis fructibus id genus societas abundarit. Tale aliquid quidni in hanc ipsam aetatem, con- gruenter quidem locis et muniis, revocari queat? pristini etiam fructus, in gaudium Ecclesiae, nonne sint recte sperandi? — Nec vero desunt instituti similis societates, sacrorum Antistitum comprobatione auctae; eo utiliores, quo quis maturius, sub ipsa sacerdotii initia, amplectatur. Nosmetipsi unam quamdam, bene aptam experti, fovimus in episcopali munere; eamdem etiamnum aliasque singulari benevolentia prosequimur. — Ista sacerdotalis gratiae adiumenta, eaque item quae vigil Episcoporum prudentia pro rerum opportunitate suggerat, vos, dilecti filii, sic aestimate, sic adhibete, ut magis in dies magisque *digne ambuletis vocatione qua vocati estis*, [2] ministerium vestrum honorificantes, et perficientes in vobis Dei voluntatem, quae nempe est *sanctificatio vestra.*

Huc enimvero feruntur praecipuae cogitationes curaeque Nostrae: prop- terea sublatis in caelum oculis, supplices Christi Domini voces super uni- versum clerum frequenter iteramus: *Pater sancte... sanctifica eos.* [3] In qua pietate laetamur permultos ex omni fidelium ordine Nobiscum comprecan- tes habere, de communi vestro et Ecclesiae bono vehementer sollicitos: quin etiam iucundum accidit, haud paucas esse generosioris virtutis ani- mas, non solum in sacratis septis, sed in media ipsa saeculi consuetudine, quae ob eamdem causam sese victimas Deo votivas non intermissa conten- tione exhibeant. Puras eximiasque eorum preces in odorem suavitatis sum- mus Deus accipiat, neque humillimas abnuat preces Nostras. Faveat, exo- ramus, clemens idem et providus: atque e sanctissimo dilecti Filii sui

[1] Ep. *Experiendo*, ad Card. in Urbe Vicarium, 27 dec. 1904. — Cf. N. 664.
[2] Ephes., IV, 1.
[3] Ioan., XVII, 11, 17.

Corde divitias gratiae, caritatis, virtutis omnis universum in clerum largiatur. — Postremo, libet gratam ex animo vicem referre vobis, dilecti filii, de votis faustitatis quae, appetente sacerdotii Nostri natali quinquagesimo, multiplici pietate obtulistis: votaque pro vobis Nostra, quo cumulatius eveniant, magnae Virgini Matri concredita volumus, Apostolorum Reginae. Haec etenim illas sacri ordinis felices primitias exemplo suo edocuit quemadmodum perseverarent unanimes in oratione, donec induerentur superna virtute: eamdemque ipsis virtutem multo sane ampliorem sua deprecatione impetravit, consilio auxit et communivit, ad fertilitatem laborum laetissimam. — Optamus interea, dilecti filii, ut pax Christi exultet in cordibus vestris cum gaudio Spiritus Sancti; auspice Apostolica Benedictione, quam vobis omnibus peramanti voluntate impertimus.

[Pii X Acta, vol. IV, p. 237-264].

684.

Pius X, const. *Promulgandi*, 29 sept. 1908.

Promulgandi Pontificias Constitutiones ac leges non idem semper decursu temporis in Ecclesia catholica fuit modus; a pluribus tamen saeculis consuetudo invaluit, ut earum exemplaria publice proponerentur frequentioribus quibusdam Urbis affixa locis, praesertim ad Vaticanae ac Lateranensis Basilicae valvas. Quae autem Romae, tamquam in christianae reipublicae centro et communi patria fidelium, promulgarentur, ea ubique promulgata censebantur, vimque legis plenissimam obtinebant. Verum, quum promulgandae legis ratio et modus a legislatoris voluntate pendeat, cui integrum est constitutas innovare ac moderari formas, aliasque pro temporum ac locorum opportunitate sufficere; idcirco factum est, ut, vel anteactis temporibus, non omnes Apostolicae Sedis leges ac Constitutiones, memorata forma, hoc est consuetis Urbis affixae locis promulgarentur. Recentius, sacrarum praesertim Congregationum opera, quibus Romani Pontifices, ad leges iam latas declarandas aut ad novas constituendas, utebantur, id fere in consuetudinem venit, ut acta Sanctae Sedis eiusque decreta, in Officio a secretis a quo edita essent legitima auctoritate vulgata, hoc ipso promulgata haberentur. Publici sic iuris effecta, dubitari quidem nequit, quin acta ipsa rata firmaque essent, tum quod plerumque munita clausulis, contrariis quibusvis derogantibus, tum quod id genus promulgatio esset vel expresse vel tacite approbata a Pontifice Maximo. Huic tamen promulgandi rationi etsi plena vis esset, solemnitas illa deerat, quam par est supremae auctoritatis actis accedere. Ea de causa complures Episcopi, non modo a Nobis, sed a Nostris etiam Decessoribus, quum saepe alias, tum novissime in postulatis circa Ius canonicum in codicem redigendum, flagitarunt, ut a suprema Ecclesiae auctoritate Commentarium proponeretur, in quo novae promulgarentur ecclesiasticae leges, et Apostolicae Sedis acta vulgarentur.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Re igitur mature perpensa, adhibitisque in consilium aliquot S. R. E. Cardinalibus, Antistitum, quos diximus, excipienda vota rati, auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, edicimus, ut, ineunte proximo anno MDCCCCIX, Commentarium officiale de Apostolicae Sedis actis edatur Vaticanis typis. Volumus autem Constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Praelati a secretis aut maioris administri eius Congregationis vel Officii, a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, hac una, eaque unica, ratione legitime promulgata haberi, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Sancta Sede provisum. Volumus praeterea in idem Commentarium cetera Sanctae Sedis acta referri, quae ad communem cognitionem, videantur utilia, quantum certe ipsorum natura sinat; eique rei perficiendae sacrarum Congregationum, Tribunalium et aliorum Officiorum moderatores opportune consulere.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibusvis non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 5, 6].

685.

Pius X, motu propr. *Cum per Apostolicas*, 7 apr. 1910.

Cum per Apostolicas Nostras Litteras *de Romana Curia* quae incipiunt *Sapienti Consilio*, III kal. iul. an. MDCCCCVIII datas, [1] *universam rem de indulgentiis*, ideoque et curam circa rectam et prudentem earum moderationem et onus invigilandi super earumdem publicatione et impressione, *uni* Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii devolutam voluerimus; ad praecavendas dubitationes quascumque quae ex concessionibus hac in materia aliter quam per praefatam Sacram Congregationem forte obtentis facile oriri possent, utque omnibus plane constet de earumdem authenticitate et efficacia, Suprema Nostra Auctoritate, motu proprio atque ex certa scientia, declaramus ac decernimus:

1° Indulgentias quascumque, sive generales sive particulares, quae non respiciant ipsas personas petentium tantum, a supradicta Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii esse recognoscendas;

2° Idem dicendum de facultatibus concessis quibusvis sacerdotibus cuiuscumque gradus et dignitatis benedicendi pia obiecta eisque adnectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque christifidelibus;

3° Concessiones indulgentiarum et facultatum, de quibus supra, vim habere tantum postquam Sacra Congregatio Sancti Officii illas authentice recognoverit;

4° Quoad praeteritas, demum, concessiones, eas efficaciam tantum

[1] Cf. N. 682.

habituras, si intra sex menses ab huius Nostri Decreti publicatione eidem Sacrae Congregationi exhibitae ab eaque recognitae fuerint;

5° Idcirco impetrantes posthac huiusmodi concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem dictae Supremae Sacrae Sancti Officii Congregationi exhibere, ut rite recognosci ac ratae haberi possint.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 224, 226].

686.

Pius X, const. *Apostolicae*, 15 apr. 1910.

Apostolicae Romanorum Pontificum sollicitudinis, vel ab ipsis Ecclesiae primordiis, praecipua pars fuit ut christiani populi salus efficaci et constanti ministerio illorum esset commendata, de quibus scriptum est: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Inter hos principem sane locum obtinent qui, e numero Patrum Cardinalium, sedes occupant Urbi propiores, quibus proinde nomen inditum est Suburbicariis.

Hi Antistites et amplitudine dignitatis et excellentia doctrinae, non minus quam ceteris virtutibus, praesertim liberalitate, munificentia, studio provehendae fidelium salutis, quantum splendoris et opis in loca contulerint ipsorum iurisdictioni subiecta, ad haec usque tempora historiae monumenta testantur. Verum recentius rerum hominumque adiuncta longe immutata, ipsorum regimen effecerunt in dies difficilius. Hinc enimvero memoratae dioeceses graviore in necessitate versantur et impensiorem curam vigilantiamque desiderant. Nam qui anteactis temporibus suburbani populi, colendis agris plerique dediti, quietam vitam tutamque ducebant, hodie, multiplicatis commerciis, expeditioribus itineribus, auctoque proinde numero confluentium hominum, in quotidianum vocantur Fidei morumque discrimen. Ex altera vero parte obeunda Cardinalibus in Urbe negotia adeo sunt multiplicata, ut eorum paene mole obruantur, praesertim ob tot tantasque quibus Ecclesia nunc premitur necessitates. Quo fit ut suppeditandis auxiliis et impendendis curis, quibus, commissae iisdem dioeceses in praesenti rerum conditione maxime indigent, ac praestandae operae in negotiis quae apud Apostolicam Sedem pertractantur, ingravescente praesertim aetate, tempus et vires interdum non sufficiant. His de causis Apostolicae Sedi opportunum et necessarium visum est suburbicariis dioecesibus eorumque regimini aliquam temperationem afferre, qua Cardinales Episcopi Suburbicarii, sarcta tectaque eorum dignitate in dioecesibus sibi commissis, per efficacius Suffraganeorum ministerium suppetias haberent, atque ita et pastoralis sollicitudo ipsis fieret aliquanto levior et suarum dioecesum spiritualibus necessitatibus melius consuleretur.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Quare omnia matura deliberatione complexi, adhibitisque in consilium pluribus S. R. E. Cardinalibus, quos inter Suburbicariis, firmo manente iure constituto de optione et nominatione Patrum Cardinalium ad suburbicarias dioeceses, vi praesentium Litterarum constituimus ac praecipimus ut circa Episcopos Cardinales Suburbicarios eorumque Suffraganeos legum capita, quae infra scripta sunt, perpetuo inviolateque serventur.

I. Cardinalis, ad Sedem suburbicariam promotus, ipse verus est Episcopus dioecesis, cuius possessionem inibit eadem ratione qua ceteri episcopi residentiam habentes.

II. Disciplina quae huc usque viguit ut Emis Episcopis Sabinensi et Veliterno adiutor daretur suffraganeus Episcopus, ad omnes extenditur Cardinales Suburbicarios, quibus idcirco singulis suus erit in posterum suffraganeus Episcopus cum sede titulari.

III. Suffraganeus a Summo Pontifice nominabitur et sui officii possessionem capiet, litteras nominationis exhibendo Episcopo Cardinali.

IV. Cardinalis Suffraganeo adtribuat et vi praesentis Constitutionis irrevocabiliter adtribuisse praesumitur, omnia ad regendam dioecesim necessaria ita ut uni Suffraganeo sint in dioecesi gubernanda eadem iura et officia ac Episcopo residenti, quae hisce litteris contraria non sint.

V. Suffraganeus dioecesim gubernat nomine et vice Cardinalis.

VI. Cardinali vita functo vel renuntiante vel ad aliam dioecesim translato, Suffraganei iurisdictio non cessat, sed ipse dioecesim tunc regit nomine Sanctae Sedis ad instar Administratoris Apostolici.

VII. Ipse debet quotannis de statu dioecesis etiam oeconomico ad Cardinalem referre.

VIII. Ubi fieri poterit pars aedium episcopalium a Sancta Sede destinabitur Suffraganeo et Curiae.

IX. Ad unum Cardinalem pertinent solemnes oleorum benedictiones et pontificalia in festis anni maioribus, prout in *Caeremoniali episcoporum* descripta sunt;[1] nisi forte Cardinalis ipse velit ea Suffraganeo committere.

X. Cardinalis debet Missam, sicuti ceteri episcopi residentes, pro populo applicare.

XI. Insigne tantum Cardinalis domui episcopali, cathedrali aedi, aliisque templis, piisve de more locis et actis Curiae apponatur.

XII. Solium in dioecesi et nomen in canone Cardinali uni competit.

XIII. Cardinalis, etiam absens, facultate pollet per universam dioecesim largiendae indulgentiae dierum biscentum.

XIV. Uni Cardinali, quo tempore in dioecesi commoratur, ius est pontificalia in eadem peragendi aut permittendi.

XV. Beneficia Capitulorum sive cathedralium sive collegialium et beneficia parochialia Sanctae Sedi non reservata, nequeunt a Suffraganeo, servatis servandis, conferri absque Episcopi Cardinalis consensu.

XVI. Cardinalis ius est vigilandi dioecesim, et, si opportunum duxerit, etiam lustrandi, ne quid fides aut ecclesiastica disciplina detrimenti patiatur.

[1] L. II, c. XXXIV.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

XVII. Potest in sua dioecesi Cardinalis matrimoniis assistere et reliqua sacramenta ministrare omnia. Candidati tamen ad tonsuram et ad ordines doctrinae periculo subiiciantur et probentur a Suffraganeo; cui ceterum non licet ordines conferre, aut conferendos alii committere absque venia Cardinalis.

XVIII. Synodus haberi nequit sine consensu Cardinalis; eiusque nomine convocanda est. Synodi autem decreta antequam promulgentur, Cardinali cognoscenda deferantur, eiusque nomine promulgari debent.

XIX. Beneficia etiam parochialia in dioecesi ne uniantur, dividantur, dismembrentur, inaudito Cardinali.

XX. Idem Cardinalis audiri debet, antequam Seminarii rector, professores, oeconomus nominentur.

XXI. Vita functo Suffraganeo vel renuntiante vel ad aliam dioecesim translato, Cardinalis per vicarium dioecesis administrationi providebit, donec a Sancta Sede nominetur successor.

XXII. Vita functo Cardinali eadem debentur iusta funebria quae Cardinali Episcopo residenti.

Igitur quaecumque his Litteris decreta, declarata, sancita sunt, ab omnibus ad quos pertinet servari volumus ac mandamus, eaque rata, valida, firma in omnes partes esse ac fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis. Cardinales autem qui modo Suburbicariis dioecesibus praesunt, eas regere pergant, ut ante, nisi velint ac petant praesenti Constitutioni se accommodare.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 277-281].

687.

Pius X, litt. encycl. *Editae saepe*, 26 maii 1910.[1]

1. Editae saepe Dei ore sententiae et sacris expressae litteris in hunc fere modum, iusti memoriam fore cum laudibus sempiternam eundemque loqui etiam defunctum,[2] diuturna Ecclesiae opera et voce maxime comprobantur. Haec namque sanctitatis parens et altrix, iuvenili robore vigens ac Numinis afflatu semper acta *propter inhabitantem spiritum eius in nobis*,[3] quemadmodum iustorum sobolem nobilissimam ipsa una gignit, enutrit ulnisque complectitur suis, ita materni amoris instinctu de ipsorum retinenda memoria atque honore instaurando se praebet apprime sollicitam. Ex ea recordatione superna quadam suavitate perfunditur et a mortalis huius peregrinationis miseriis contuendis abducitur, quod beatos illos caelicolas *gaudium suum et coronam* esse iam cernat; quod in ipsis eminentem agnoscat Sponsi caelestis imaginem; quod novo testimonio suis filiis anti-

[1] Venerabilibus Fratribus Patriarchis Primatibus Archiepiscopis Episcopis aliisque locorum Ordinariis pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus.
[2] Ps. CXI, 7; Prov., X, 7; Hebr., XI, 4.
[3] Rom., VIII, 11.

qua dicta confirmet: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.*[1] Horum autem praeclara facinora, non modo sunt ad commemorandum iucunda, sed etiam ad imitandum illustria, et magnus virtutis excitator est concentus ille sanctorum Paullinae resonans voci: *imitatores mei estote sicut et ego Christi.*[2]

2. Ob haec, Venerabiles Fratres, Nos, qui vixdum suscepto pontificatu maximo, propositum significavimus enitendi constanter ut « omnia instaurarentur in Christo »; datis primum encyclicis litteris[3] impense curavimus ut Nobiscum omnes intuerentur in *apostolum et pontificem confessionis nostrae,... in auctorem fidei et consummatorem Iesum.*[4] At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur, providentis Dei numine, aliud a nobis est exemplar propositum, quod quum Christo sit proximum, quantum humanae licet naturae, tum aptius congruat cum exiguitate nostra, Beatissima Virgo Augusta Dei Mater.[5] Varias denique nacti occasiones recolendae memoriae sanctorum caelitum, communi admirationi obiecimus fideles hosce servos ac dispensatores in domo Domini, et, prout suus cuique locus est, Eius amicos ac domesticos, qui *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*,[6] ut illorum exempli adducti, *iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est, caput Christus.*[7]

3. Altissimum hoc divinae Providentiae consilium in tribus maxime viris perfectum fuisse docuimus, quos magnos pastores eosdemque doctores diversa quidem aetas tulit, sed aeque propemodum Ecclesiae calamitosa. Hi sunt Gregorius Magnus, Ioannes Chrysostomus et Augustanus Anselmus, quorum saecularia solemnia celebrari contigit per hos annos. Binis praeterea Encyclicis Litteris datis IV idus martias anno MCMIV[8] et XI calend. maias MCMIX,[9] doctrinae capita et christianae vitae praecepta, quotquot opportuna cadere in haec tempora visa sunt, e sanctorum exemplis monitisque decerpta, fusius evolvimus.

4. At quoniam persuasum Nobis est, ad impellendos homines, illustria Christi militum exempla longe magis valitura quam verba exquisitasque disceptationes;[10] oblata feliciter opportunitate libentes utimur saluberrima instituta ab alio pastore sanctissimo accepta commendandi, quem huic

[1] Rom., VIII, 28.
[2] I Cor., IV, 16.
[3] Litt. Encycl. *E Supremi*, die IV m. octobr. MCMIII. — Cf. N. 653.
[4] Hebr., III, 1; XII, 2, 3.
[5] Litt. Encycl. *Ad diem illum*, die II m. februar. MCMIV. — Cf. Pii X Acta, vol. I, p. 147-166.
[6] Hebr., XI, 33.
[7] Eph., IV, 11 seq.
[8] Cf. Pii X Acta, vol. I, p. 189-213.
[9] Cf. Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 383-388.
[10] Litt. Encycl. *E Supremi*. — Cf. N. 653.

aetati propiorem iisdemque paene iactatum fluctibus Deus excitavit, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, Mediolanensium Antistitem, ante annos CCC a sa. me. Paulo V in sanctorum album relatum, Carolum Borromeum. Nec id minus ad rem; siquidem, ut memorati Decessoris Nostri verba usurpemus: « Dominus, qui facit mirabilia magna solus, magnificavit novissime facere nobiscum, ac miro dispensationis suae opere statuit super Apostolicae petrae arcem grande luminare, eligens sibi e gremio sacrosanctae Romanae Ecclesiae Carolum, sacerdotem fidelem, servum bonum, formam gregis, formam Pastorum. Qui videlicet multiplici fulgore sanctorum operum universam decorando Ecclesiam, sacerdotibus et populo praeluceret quasi Abel in innocentia, quasi Enoch in munditia, quasi Iacob in laborum tolerantia, quasi Moyses in mansuetudine, quasi Elias in ardenti zelo, quique imitandum exhiberet inter affluentes delicias Hieronymi corporis castigationem, Martini in sublimioribus gradibus humilitatem, Gregorii pastoralem sollicitudinem, libertatem Ambrosii, Paulini caritatem, ac demum videndum ac perspiciendum ostenderet oculis nostris, manibus nostris contrectandum hominem, mundo maxime blandiente, crucifixum mundo, viventem spiritu, terrena calcantem, caelestia iugiter negotiantem et, sicut officio in angelum substitutum, ita etiam mente et opere vitam angelorum in terris aemulantem ». [1]

5. Haec Decessor ille Noster exactis quinque lustris ab obitu Caroli. Nunc vero, expleto anno tercentesimo ab impertitis eidem sacris honoribus merito repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exsultatione in insigni die solemnitatis nostrae... in qua... Carolo S. R. E., cui, auctore Domino, praesidemus, Presbytero Cardinali sacris decernendis honoribus, unicae Sponsae suae nova imponeretur corona, ornata omni lapide pretioso ». Communis autem cum Decessore Nostro fiducia Nobis est, ex contemplatione gloriae sancti Viri, multoque magis ex eiusdem documentis et exemplis, debilitari posse impiorum proterviam et confundi omnes qui « gloriantur in simulacris errorum ». [2] Itaque renovati Carolo honores, qui gregis ac pastorum huius aetatis exstitit forma, sacraeque disciplinae in melius corrigendae impiger fuit propugnator et auctor adversus novos homines, quibus, non fidei morumque restitutio proposita erat, sed potius deformatio atque restinctio, quum solacio ac documento erunt catholicis universis, tum iisdem stimulos addent, ut in opus, cui tam impense studemus, instaurationis rerum omnium in Christo, strenue conspirent.

6. Exploratum profecto vobis est, Venerabiles Fratres, perpetuo exagitatam Ecclesiam deseri a Deo nunquam omni consolatione destitutam. Eam namque *Christus dilexit ... et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* [3] Quin etiam,

[1] Ex Bulla *Unigenitus*, an. MDCX, kal. nov. — Cf. Bull. Rom., tom. 5, III, p. 409-415.
[2] Ex eadem Bulla *Unigenitus*.
[3] Eph., V, 25 sqq.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

quo effusior licentia, quo acrior hostilis impetus, quo erroris insidiae callidiores afferre illi supremum videntur exitium, usque adeo, ut filios non paucos de gremio eius avulsos in vitiorum et impietatis gurgitem transversos agant, eo praesentiorem experitur tutelam Numinis. Efficit enim Deus ut error ipse, velint nolint improbi, in triumphum cedat veritatis, cui custodiendae Ecclesia advigilat; corruptio in incrementum sanctitatis, cuius altrix ipsa est atque magistra; vexatio in mirabiliorem *salutem ex inimicis nostris*. Ita fit ut, quo tempore Ecclesia profanis oculis videtur saevioribus iactata fluctibus ac paene demersa, tunc nempe pulchrior, validior, purior emergat, maximarum emicans fulgore virtutum.

7. Sic Dei summa benignitas novis argumentis confirmat, Ecclesiam opus esse divinum; sive quod in causa suscipiendi doloris maxima, ob irrepentes in ipsa eius membra errores et noxas, ei det superandum discrimen; sive quod ratum efficiat Christi verbum: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam;* [1] sive quod eventibus illud comprobet: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* [2] sive denique quod arcanae virtutis testimonium perhibeat, qua promissus a Christo, maturo huius in caelum reditu, *alius Paraclitus* in ipsam iugiter effunditur, ipsam tuetur et in omni tribulatione solatur; spiritus, *qui cum ipsa maneat in aeternum; spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum, quia apud vos manebit et apud vos erit.* [3] Hoc ex fonte vita et robur Ecclesia derivatur; hinc quod eadem, ut Concilium Oecumenicum Vaticanum habet, manifestis notis instructa et « tamquam signum levatum in nationes », a quavis alia societate secernitur. [4]

8. Nec sane absque divinae potentiae prodigio fieri potest ut, diffluente licentia et passim deficientibus membris, Ecclesia, quatenus est corpus Christi mysticum, a doctinae, legum finisque sui sanctitate nunquam desciscat; ex iisdem rerum causis pares consecutiones et utilitates derivet; ex complurium filiorum fide ac iustitia fructus capiat salutis uberrimos. Nec minus perspicuum haustae a Deo vitae habet indicium, quod in tam foeda pravarum opinionum colluvie, in tanto perduellium numero, in errorum facie adeo multiplici, constans et immutabilis perseveret, *columna et firmamentum veritatis*, in unius professione doctrinae, in eadem communione sacramentorum, in divina sui constitutione, in regimine, in disciplina morum. Idque eo plus habet admirationis, quod ipsa, non solum resistit malo, sed etiam *vincit in bono malum*, nec bene precari desinit amicis atque inimicis, de eo tota laborans idque assequi cupiens, ut et communitas hominum et seorsim singuli christianis institutis renoventur. Est enim hoc proprium eius munus in terris, cuius beneficia vel ipsi eius inimici sentiunt.

9. Mirabilis hic Dei providentis influxus in instaurationis opus ab Ecclesia provectum luculenter apparet ea maxime aetate, quae ad bonorum

[1] Matth., XVI, 18.
[2] Matth., XXVIII, 20.
[3] Ioan., XIV, 16 sqq., 26, 59; XVI, 7 sqq.
[4] Sessio III, c. 3. — Cf. N. 10.

solacium dedit Carolum Borromeum. In eo dominatu cupiditatum, omni
fere perturbata et offusa cognitione veritatis, perpetua erat cum erroribus
dimicatio, hominumque societas in pessima quaeque ruens, gravem vide-
batur sibi conflare perniciem. Inter haec superbi ac rebelles homines con-
surgebant, *inimici Crucis Christi... qui terrena sapiunt... quorum Deus ven-
ter est.* [1] Hi non moribus corrigendis, sed negandis Fidei capitibus animum
intendentes, omnia miscebant, latiorem sibi aliisque muniebant licentiae
viam, aut certe auctoritatem Ecclesiae ductumque defugientes, pro lubitu
corruptissimi cuiusque principis populive, quasi imposito iugo, doctrinam
eius, constitutionem, disciplinam in excidium petebant. Deinde, iniquorum
imitati morem, ad quos pertinet comminatio: *Vae qui dicitis malum bonum
et bonum malum,* [2] rebellium tumultum et illam fidei morumque cladem
appellarunt instaurationem, sese autem disciplinae veteris restitutores. Re
tamen vera corruptores exstiterunt, quod, extenuatis Europae per conten-
tiones et bella viribus, defectiones horum temporum et secessiones matura-
runt, quibus uno velut impetu facto, triplex illud, antea disiunctum, dimi-
cationis instauratum est genus, a quo invicta et sospes Ecclesia semper
evaserat; hoc est, primae aetatis cruenta certamina; domesticam subinde
pestem errorum; denique, per speciem sacrae libertatis vindicandae, eam
vitiorum luem ac disciplinae eversionem, ad quam fortasse nec aetas media
processerat.

10. Decipientium hominum turbae Deus opposuit veri nominis instau-
ratores, eosque sanctissimos, qui aut cursum illum praecipitem reterdarent
ardoremque restinguerent, aut illata inde damna sarcirent. Quorum labor
assiduus et multiplex in restituenda disciplina eo maiori solacio Ecclesiae
fuit, quo graviori haec premebatur angustia, comprobavitque sententiam:
Fidelis Deus, qui... faciet etiam cum tentatione proventum. [3] Iis in adiunctis
laetitiam Ecclesiae cumulavit oblata divinitus Caroli Borromei singularis
navitas vitaeque sanctitas.

11. Fuit autem in eius ministerio, Deo sic disponente, propria quae-
dam vis et efficientia, non solum ad infringendam audaciam factiosorum,
sed etiam ad erudiendos Ecclesiae filios atque excitandos. Illorum namque
et insanos cohibebat ausus, et inanes criminationes diluebat, eloquentia usus
omnium potentissima, suae vitae et actionis exemplo; horum vero spem eri-
gebat, alebat ardorem. Atque illud in ipso fuit plane mirabile, quod veri
restauratoris dotes, quas in aliis disiunctas cernimus atque distinctas, ab
iuvenili aetate in se omnes recepit in unum collectas, virtutem, consilium,
doctrinam, auctoritatem, potentiam, alacritatem, effecitque ut in commissam
sibi catholicae veritatis defensionem contra grassantes errores, quod idem
erat Ecclesiae universae propositum, singulae conspirarent, intermortuam
in multis ac paene restinctam excitans fidem, providis eam legibus intitu-
tisque communiens, collapsam disciplinam restituens, cleri populique mores

[1] Philip., III, 18, 19.
[2] Isai., V, 20.
[3] I Cor., X, 13.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

ad christianae vitae rationem strenue revocans. Sic, dum partes instaura-
toris tuetur omnes, haud minus mature *servi boni et fidelis* fungitur muniis,
ac deinde sacerdotis magni, *qui in diebus suis placuit Deo et inventus est
iustus;* plane dignus in quem cuiusvis generis homines tum e clero tum e
populo, divites aeque ac inopes, tamquam in exemplar intueantur; cuius
excellentiae summa in episcopi atque antistitis laude continetur, qua, Petri
Apostoli dictis obtemperans, factus est *forma gregis ex animo.* [1] Nec minus
movet admirationem quod Carolus, nondum exacto anno aetatis suae vice-
simo, summos honores consecutus, magnis ac perarduis Ecclesiae negotiis
tractandis adhibitus, ad perfectam cumulatamque virtutem, per contempla-
tionem rerum divinarum, qua in sacro secessu animum renovaverat, in dies
magis contenderet, eluceretque *spectaculum... mundo et angelis et hominibus.*

12. Tum vere Dominus coepit, ut memorati Decessoris Pauli V verbis
utamur, *mirabilia sua* in Carolo pandere; sapientiam, iustitiam, divini hono-
ris et catholici provehendi nominis studium flagrantissimum, in primisque
curam instaurandae Fidei Ecclesiaeque universae, quod opus in augusto
illo Tridentino Consilio agitabatur. Cuius habiti laus ab eodem pontifice
ab omnique posteritate sic tribuitur Carolo, quasi viro, qui non ante illius
exsequutor exstiterit fidelissimus, quam propugnator acerrimus. Nec enim
sine multis eius vigiliis, angustiis, laboribus omne genus, res est ad exitum
perducta.

13. Haec tamen omnia nihil erant aliud nisi praeparatio quaedam vitae-
que tirocinium, quo et pietate animus et mens doctrina et labore corpus
exercerentur, ita ut modestus iuvenis ac de se demisse sentiens instar esset
argillae in manibus Domini eiusque in terris Vicarii. Hanc scilicet rationem
ineundae viae novarum rerum fautores illi contemnebant eadem stultitia
qua nostri, minime secum reputantes, mirabilia Dei ex umbra et silentio
parentis animi pieque precantis in apricum proferri, in eaque exercitatione
germen futuri adscensus, haud secus ac in semente spem colligendae mes-
sis, includi.

14. Nihilominus, quod paullo superius attigimus, auspicata tam faustis
initiis vitae sanctitas et actio tum se maxime explicuit effuditque fructus
uberrimos, quum, « urbano splendore et amplitudine relictis, bonus opera-
rius in messem quam susceperat (Mediolanum), discedit, ubi partes suas
in dies magis implendo, agrum illum, malitia temporum, vepribus tur-
piter deformem ac silvescentem in eum restituit nitorem, ut Ecclesiam
Mediolanensem, praeclarum exemplum redderet ecclesiasticae disciplinae ». [2]
Tam multa tamque praeclara is est consequutus conformando instaurationis
opus ad normas a Concilio Tridentino paullo ante propositas.

15. Enimvero Ecclesia, probe intelligens, quam sint *sensus et cogitatio
humani cordis in malum prona,* [3] cum vitiis et erroribus dimicare nunquam
destitit, *ut destruatur corpus peccati et ultra non serviamus peccato.* [4] Qua in

[1] I Petr., V, 3.
[2] Bulla *Unigenitus.*
[3] Gen., VIII, 21.
[4] Rom., VI, 6.

contentione, quemadmodum ipsa sibi magistra est et impellitur gratia, quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*; ita cogitandi agendique normam sumit a Doctore gentium, aiente: *Renovamini spiritu mentis vestrae.*[1] *Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.*[2] Quam quidem se metam contigisse Ecclesiae filius atque instaurator non fictus existimat nunquam; ad eam tantummodo niti profitetur cum eodem apostolo; *quae retro sunt obliviscens, ad ea vero quae sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu.*[3]

16. Inde consequitur ut et nos cum Christo in Ecclesia coniuncti *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus.... augmentum facit in aedificationem sui in charitate,*[4] et Ecclesia Mater in dies magis efficiat ratum sacramentum divinae voluntatis, hoc est, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo.*[5]

17. Ad haec animum non intenderunt auctores illi redintegrandae suo marte fidei ac disciplinae, quorum conatibus restitit Borromeus; nec ea nostri melius vident, quibuscum strenue nobis, Venerabiles Fratres, est dimicandum. Nam et hi Ecclesiae doctrinam, leges, instituta subvertunt, habentes in lingua promptum cultioris humanitatis studium, non quod eo de negotio valde laborent, sed quo titulis ad ostentationem paratis pravitatem consiliorum queant facilius obtegere.

18. Quid autem re agant, quid moliantur, quod iter affectent, neminem vestrum fugit, eorumque consilia denuntiata per Nos fuerunt atque damnata.[6] Proposita namque ipsis est communis omnium ab Ecclesiae fide ac disciplina secessio, eo vetere illa deterior quae Caroli aetatem in discrimen adduxit, quo callidius in ipsis fere Ecclesiae venis delitescit ac serpit, et quo subtilius ab absurde positis extrema deducuntur.

19. Utriusque pestis origo eadem; *inimicus homo*, qui ad humanae generis perniciem haud sane exsomnis, *superseminavit zizania in medio tritici;*[7] idem abditum iter ac tenebricosum; eadem progressio, idem appulsus. Etenim, quemadmodum prior illa olim, qua fortuna rem daret eo vires inclinans, optimatium partes aut popularium alteram adversus alteram concitabat, ut utramque tandem ludificaret atque pessumdaret; sic recentior ista clades mutuam exacuit invidiam egentium ac locupletium, ut sua quisque sorte non contentus vitam trahat usque miserrimam luatque poenam iis irrogatam, qui non *regnum Dei et iustitiam eius* quaerunt, sed caducis his rebus fluxisque adhaerescunt. Atque illud etiam graviorem facit praesentem conflictationem, quod, quum superiorum temporum turbulenti homines e doctrinae divinitus revelatae thesauro certa quaedam et fixa plerumque reti-

[1] Ephes., IV, 23.
[2] Rom., XII, 2.
[3] Philip., III, 13, 14.
[4] Ephes., IV, 15, 16.
[5] Ephes., I, 9, 10.
[6] Cf. N. 680.
[7] Matth., XIII, 25.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

nerent, hodierni non ante quieturi videantur quam excisa omnia conspexerint. Everso autem religionis fundamento, et ipsam civilem coniunctionem disrumpi necesse est. Luctuosum sane spectaculum in praesens, formidolosum in posterum; non quod Ecclesiae incolumitati timendum sit, de qua dubitare divina promissa non sinunt, sed ob impendentia familiis gentibusque pericula, maxime quae pestiferum impietatis afflatum aut impensius fovent aut ferunt patientius.

20. In hoc tam nefario stultoque bello, cui commovendo dilatando socii et adiutores potentes accedunt interdum vel ipsi, qui Nobiscum facere Nostrasque tueri res deberent prae ceteris; in forma errorum adeo multiplici vitiorumque illecebris tam variis, quibus utriusque haud pauci etiam e nostris blandiuntur, capti specie novitatis ac doctrinae, aut inani spe ducti, Ecclesiam posse cum aevi placitis amice componi, plane intelligitis, Venerabiles Fratres, nobis esse strenue obsistendum, iisdemque nunc armis excipiendum impetum hostium, quibus olim usus est Borromeus.

21. Primum igitur, quoniam ipsam, veluti arcem, impetunt fidem, vel eam aperte denegando, vel impugnando subdole, vel doctrinae capita pervertendo, haec a Carolo saepe commendata meminerimus: « Prima et maxima Pastorum cura versari debet in iis quae ad fidem catholicam, quam S. Romana Ecclesia et colit et docet, et sine qua *impossibile est placere Deo*, integre inviolateque servandam pertinent ».[1] Et rursus: « In eo genere... nullum tantum studium, quantum certe maximum requiritur, adhiberi possit ».[2] Quapropter « haereticae pravitatis fermento », quod nisi cohibeatur *totam massam corrumpit*, hoc est pravis opinionibus ementita specie irrepentibus, quas in unum collectas *modernismus* profitetur, sanitas est opponenda doctrinae et reputandum cum Carolo: « quam summum in haeresis crimine profligando studium et cura quam longe omnium diligentissima episcopi esse debeat ».[3]

22. Haud opus est equidem cetera verba referre sancti viri commemorantis Romanorum Pontificum sanctiones, leges, poenas in eos antistites constitutas, quibus purgandae dioecesis ab « haereticae pravitatis fermento » esset cura remissior. Nonnihil tamen iuverit ad ea quae inde concludit diligenter attendere. « Proinde, inquit, in ea perenni sollicitudine perpetuaque vigilia episcopus versari in primis debet, ut, non modo pestilentissimus ille haeresis morbus nusquam in gregem sibi commissum irrepat, sed omnis plane suspicio ab eo quam longissime absit. Si vero fortasse, quod pro sua pietate et misericordia Christus Dominus avertat, irrepserit, in eo maxime elaboret omni ope, ut quam celerrime depellatur: quique ea labe infecti erunt, vel suspecti, cum illis agatur ad canonum sanctionumque pontificiarum praescriptum ».[4]

23. Verum nec propulsari possunt errorum contagia nec praecaveri, nisi in recta cleri populique institutione pars curarum ponatur maxima. Nam

[1] Conc. Prov. I, sub initium.
[2] Conc. Prov. V, pars I.
[3] Ibid.
[4] Ibid.

fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi. [1] Veri autem omnium auribus inculcandi necessitas nunc magis imponitur, quum per omnes reipublicae venas, atque etiam qua minime crederes, serpere cernimus malum virus; adeo ut ad omnes hodie pertineant adductae a Carolo causae hisce verbis: « Haereticis finitimi nisi in fidei fundamentis firmi fuerint ac stabiles, summopere verendum esset, ne forte ab eis in ali- quam impietatis ac nefariae doctrinae fraudem facilius adducerentur ». [2] Nunc enim, expeditioribus itineribus, quemadmodum ceterarum rerum, ita etiam errorum sunt aucta commercia, proiectisque ad licentiam cupiditatibus, in prava societate versamur, ubi *non est veritas... et non est scientia Dei,* [3] *in terra quae desolata est... quia nullus est qui reco- gitet corde.* [4] Quamobrem Nos, ut Caroli verba usurpemus: « multam hactenus diligentiam adhibuimus, ut omnes ac singuli Christi fideles in fidei christianae rudimentorum institutione erudirentur »; [5] eademque de re, tamquam de negotio gravissimo scripsimus Encyclicas Litteras. [6] Etsi vero nolumus et illa Nobis aptare, quibus inexplebili desiderio flagrans Borromeus queritur, parum usque profecisse tanta in re »; nihi- lominus eadem, qua ipse, « negotii periculique magnitudine adducti », addere stimulos velimus omnibus, ut, Caroli similitudinem arripientes, pro suo quisque munere aut viribus, in christianae restaurationis opus conspirent. Quare meminerint patres familias ac domini, quo studio pastor ille sanctissimus eosdem constanter monuerit ut liberis, domesticis, famu- lis addiscendae christianae doctrinae, non solum copiam facerent, sed etiam onus imponerent. Clericis pariter memoria ne excidat, in fidei rudi- mentis tradendis a se operam dandam esse curioni; huic vero studen- dum, ut eiusmodi scholae suppetant plures, christifidelium numero ac necessitati pares et magistrorum probitate commendabiles, quibus adiu- tores adsciscantur honesti viri aut mulieres, prout Mediolanensis ipse praescribit antistes. [7]

24. Christianae huius institutionis aucta necessitas, quum ex reliquo nostrorum temporum morumque decursu eminet, tum vero potissimum ex publicis discendi ludis, omnis religionis expertibus, ubi sanctissima quae- que rideri voluptatis loco fere ducitur, aeque pronis ad impietatem et magi- strorum labiis et auribus auditorum. Scholam dicimus, quam *neutram*, seu *laicam* per summam iniuriam appellant, quum non sit aliud nisi tenebri- cosae sectae dominatus praepotens. Novum hoc praeposterae libertatis iugum magna quidem voce et bonis lateribus denuntiastis vos, Venerabiles Fratres, praesertim in locis ubi audacius proculcata sunt iura religionis ac familiae et oppressa naturae vox imperantis ut adolescentium candori fidei-

[1] Rom., X, 17.
[2] Conc. Prov. V, pars I.
[3] Os., IV, 1.
[4] Ierem., XII, 11.
[5] Conc. Prov. V, pars I.
[6] Encycl. *Acerbo nimis,* die XV m. aprilis MDCCCCV. — Cf. N. 666.
[7] Conc. Prov. V, pars I.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

que parcatur. Cui calamitati ab iis illatae, qui, quam ab aliis oboedien- tiam exigunt, eandem supremo rerum Domino recusant, quantum in Nobis est medendum rati, auctores fuimus ut scholae religionis opportune per urbes instituerentur. Quod opus quamquam hactenus, adnitentibus vobis, satis bene prospereque processit, nihilominus magnopere expetendum est ut in dies latius proferatur, hoc est ut eiusmodi magisteria et pateant ubique complura et praeceptoribus abundent doctrinae laude vitaeque integritate commendatis.

25. Cum hac primordiorum saluberrima disciplina valde coniunctum est officium sacri oratoris, in quo memoratae virtutes multo magis requi- runtur. Itaque Caroli studia et consilia provincialibus in Synodis ac dioe- casanis eo potissimum fuere conversa ut concionatores fingerentur, qui *in ministerio verbi* versari sancte atque utiliter possent. Quod idem, ac forte gravius, quae modo sunt tempora postulare a nobis videntur, quum tot hominum nutet fides, nec desint qui, captandae gloriolae cupidine, ingenio aetatis indulgeant, *adulterantes verbum Dei,* vitaeque cibum subducentes fidelibus.

26. Quamobrem summa vigilantia cavendum nobis est, Venerabiles Fratres, ne per vanos homines ac leves vento pascatur grex; sed ut vitali alimento roboretur per *ministros verbi,* ad quos illa pertinent: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: reconciliamini Deo;* [1] *per ministros et legatos non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, commendantes semetipsos ad omnem conscien- tiam hominum coram Deo;* [2] *operarios inconfusibiles tractantes verbum veritatis.* [3] Nec minus usui nobis erunt normae illae sanctissimae maximeque frugife- rae, quas mediolanensis antistes, Paullinis verbis expressas, commendare solebat fidelibus: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* [4]

27. Ita *sermo Dei vivus et efficax et penetrabilior omni gladio,* [5] non solum ad fidei conservationem ac tutelam adducet, sed etiam ad virtu- tum proposita mire animos inflammabit; quia *fides sine operibus mortua est,* [6] et *non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iusti- ficabuntur.* [7]

28. Atque hac etiam in re cernere licet, utriusque instaurationis quam sit ratio dissimilis. Nam qui falsam propugnant, ii stultorum imitati incon- stantiam, praecipiti cursu solent ad extrema decurrere, sive fidem sic effe- rentes, ut ab ea recte agendi necessitatem seiungant, sive in sola natura excellentiam omnem virtutis collocantes, remotis fidei ac divinae gratiae

[1] II Cor., V, 20.
[2] II Cor., IV, 2.
[3] II Tim., II, 15.
[4] I Thess., II, 13.
[5] Hebr. IV, 12.
[6] Iacob., II, 26.
[7] Rom., II, 13.

praesidiis. Quo fit ut, quae a naturali honestate ducuntur officia nihil sint aliud nisi simulacra virtutis, nec diuturna illa quidem, nec ad salutem satis idonea. Horum igitur actio, non ad restaurationem disciplinae, sed ad fidei morumque eversionem est comparata.

29. Contra qui ad Caroli exemplum, veritatis amici minimeque fallaces, salutari rerum conversioni student, hi extrema devitant, neque certos excedunt fines, quos ultra nequit instauratio ulla consistere. Etenim Ecclesiae eiusque Capiti Christo firmissime adhaerentes, non modo inde robur vitae interioris hauriunt, sed exterioris etiam actionis metiuntur modum, ut sanandae hominum societatis opus tuto aggrediantur. Est autem proprium divinae huius missionis, in eos perpetuo transmissae qui Christi legatione functuri essent, *docere omnes gentes,* non solum ea quae ad credendum, sed etiam quae ad agendum pertinerent, hoc est, uti Christus edixit: *servare omnia quaecumque mandavi vobis.* [1] Ipse enim est *via, veritas et vita,* [2] qui venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant.* [3] Quia vero officia illa retineri omnia duce tantum natura est difficillimum, quin etiam multo positum superius quam ut humanae vires ipsae per se consequi possint; idcirco Ecclesia magisterio suo adiunctum habet christianae regimen societatis eiusque ad omnem sanctitatem instituendae munus, dum per eos qui pro suo quisque statu et officio sese illi ministros adiutoresve praebent, apta et necessaria salutis instrumenta suppeditat. Quod plane intelligentes verae instaurationis auctores, non ii surculos, praeservandae radicis gratia, coercent, hoc est, non fidem a vitae sanctitate seiungunt, sed utramque alunt foventque halitu caritatis, quae *est vinculum perfectionis.* [4] Iidem, dicto audientes Apostolo, *depositum custodiunt,* [5] non ut gentibus notitiam eius occulant lumenque subducant, sed quo deductos ex eo fonte veritatis ac vitae saluberrimos rivos latius recludant. In eaque copia doctrinam ad usum adiungunt, illa utentes ad praeripiendam *circumventionem erroris,* hoc ad praecepta in mores actionemque vitae deducenda. Quamobrem instrumenta omnia ad finem vel apta vel necessaria comparant, quum ad exstirpationem peccati, tum *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* [6] Huc sane spectant Patrum et Conciliorum statuta, canones, leges; huc adiumenta illa doctrinae, regiminis, beneficentiae omne genus; huc denique disciplina et actio Ecclesiae universa. Hos fidei virtutisque magistros intentis oculis animoque intuetur verus Ecclesiae filius, cui sua ipsius emendatio proposita est atque aliorum. His auctoribus, quos crebro memorat, in instauranda Ecclesiae disciplina nititur Borromeus; ut quum scribit: « Nos veterem sanctorum Patrum sacrorumque Conciliorum consuetudinem et auctoritatem, in primis oecumenicae Synodi Tridentinae secuti, de iis ipsis multa superioribus nostris Conciliis Provincialibus con-

[1] Matth., XXVIII, 18, 20.
[2] Ioan., XIV, 6.
[3] Ioan., X, 10.
[4] Coloss., III, 14.
[5] I Tim., VI, 20.
[6] Eph., IV, 12.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

stituimus ». Idem ad consilia publicae corruptelae coercendae adductum se profitetur « et sacrorum canonum iure et sacrosanctis sanctionibus, et Consilii in primis Tridentini decretis ». [1]

30. His non contentus, quo sibi melius caveret ne forte ab ea norma unquam discederet, a se statuta in Synodis provincialibus ita fere concludit: « Omnia et singula quae a nobis in hac provinciali Synodo decreta actaque sunt, qua debemus oboedientia et reverentia, auctoritati ac iudicio Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium ecclesiarum matris et magistrae, semper emendanda et corrigenda subicimus ». [2] Quam quidem voluntatem ostendit eo propensiorem, quo in dies magis ad actuosae vitae perfectionem grassabatur; nec solum quamdiu cathedram Petri occupavit patruus, sed etiam sedentibus, qui ei successerunt, Pio V et Gregorio XIII, quibus quemadmodum strenue suffragatus est ad pontificatum, sic in rebus maximis validum se socium adiunxit eorumque exspectationi cumulate respondit.

31. Potissimum vero ipsorum voluntati est obsequutus instruendis rebus ad propositum sibi finem idoneis, hoc est ad sacrae disciplinae instaurationem. Qua in re prorsus abfuit ab illorum ingenio, qui speciem studii fervidioris imponunt contumaciae suae. Itaque, incipiens *iudicium a domo Dei,* [3] primum omnium cleri disciplinae ad certas leges conformandae animum adiecit; cuius rei causa sacri ordinis alumnorum Seminaria excitavit, sacerdotum congregationes, queis nomen *oblatis,* instituit, religiosas familias tum veteres tum recentiores adscivit, concilia coegit, quaesitis undique praesidiis coeptum opus munivit auxitque. Mox emendandis populi moribus haud remissiorem admovit manum, sibi dictum reputans quod olim prophetae: *Ecce constitui te hodie... ut evellas et destruas, ut disperdas et dissipes, et aedifices et plantes.* [4] Quare bonus pastor ecclesias provinciae ipse per se nec sine magno labore lustrans, arrepta similitudine divini Magistri, *pertransiit benefaciendo et sanando* gregis vulnera; quae passim deprehenderet incommoda, sive ex inscitia sive ex neglectu legum profecta, tollere atque eradere summa ope contendit; opinionum pravitati et exundanti coeno libidinum quasi aggerem obiecit a se apertos pueriliis institutionis ludos et epheborum convictus; auctas, quas in Urbe primum excitatas noverat, consociationes Mariales; reclusa orbitati adolescentium hospitia; mulierculis periclitantibus, viduis, aliisque, tum viris tum feminis, egenis aut morbo seniove confectis, patefacta perfugia; pauperum tutelam ab impotentia dominorum, ab iniquo foenore, ab exportatione puerorum, aliaque id genus quamplurima. Haec autem sic praestitit, ut ab eorum consuetudine toto caelo abhorreret, qui, in renovanda suo marte christiana republica, omnia cient agitantque vanissimo strepitu, divinae vocis immemores: *non in commotione Dominus.* [5]

[1] Conc. Prov. V, pars I.
[2] Conc. Prov. VI sub finem.
[3] I Petr., IV, 17.
[4] Ier., I, 10.
[5] III Reg., XIX, 11.

32. Hac nempe altera nota, prout vos experiendo didicistis, Venerabiles Fratres, veri nominis instauratores distinguuntur a fictis, quod illi *quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi*, [1] pronisque auribus excipientes insidiosa dicta ad Magistrum divinum olim conversa: *manifesta teipsum mundo*, [2] superbas iterant voces: *Faciamus et ipsi nobis nomen.* Cuius temeritatis causa, quod etiamnunc fieri saepe dolemus, *ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in proelium.* [3]

33. Contra qui societati hominum ad meliora deducendae sincero animo studet, is *non propriam gloriam quaerit, sed gloriam eius qui misit eum;* [4] seque ad Christi exemplum conformans *non contendet neque clamabit neque audiet aliquis in plateis vocem eius; non erit tristis neque turbulentus,* [5] sed *mitis et humilis corde.* [6] Hic et probatus Deo erit et salutis fructus consequetur amplissimos.

34. In eo quoque secernuntur alter ab altero, quod ille, humanis tantum innixus viribus *confidit in homine et ponit carnem brachium suum;* [7] hic vero fiduciam omnem in Deo collocat; ab Ipso et a supernis opibus vim omnem et robur exspectat, iterans Apostoli verba: *Omnia possum in eo qui me confortat.* [8]

35. Has opes, quarum uberem copiam Christus effudit, vir fidelis in media quaerit Ecclesia ad communem salutem, in primisque precandi studium, sacrificium, sacramenta, quae fiunt *quasi fons aquae salientis in vitam aeternam.* [9] Ea omnia inique ferentes qui, transversis itineribus et posthabito Deo, ad instaurationis opus contendunt, nunquam desinunt haustus illos purissimos, sin funditus exsiccare, at certe turbulentos facere, ut christianus grex inde arceatur. Qua in re profecto turpius agunt recentiores ipsorum asseclae, qui speciem quandam religionis nobilioris adhibentes, adminicula illa salutis pro minimo ducunt habentque ludibrio, praesertim sacramenta duo, quibus aut admissa paenitentium expiantur, aut caelesti dape roboratur animus. Quapropter optimus quisque summo studio curabit, ut collata tanti pretii dona maximo in honore habeantur, neve patietur in utrumque divinae caritatis opus hominum studia restingui.

36. Ita plane se gessit Borromeus, cuius inter cetera hoc scriptum legimus: « Quo maior et uberior est sacramentorum fructus quam ut eius vis explicari facile possit, eo diligentius et intima animi pietate et externo cultu ac veneratione tractanda ac percipienda sunt ». [10] Illa quoque memoratu dignissima, quibus curiones aliosque sacros concionatores vehementer

[1] Philip., II, 21.
[2] Ioan., VII, 4.
[3] I Machab., V, 57, 67.
[4] Ioan., VII, 18.
[5] Isai., XLII, 2 sq.; Matth., XII, 19.
[6] Matth., XI, 29.
[7] Ier., XVII, 5.
[8] Philip., IV, 13.
[9] Ioan., IV, 14.
[10] Conc. Prov. I, pars II.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

hortatur, ut caelestis alimenti crebram gustationem in pristinam consuetudinem revocarent; quod idem Nos egimus decreto, cui initium: *Tridentina Synodus* [1] « Ad saluberrimum illum, ait sanctus Antistes, sacrae Eucharistiae frequenter sumendae usum, parochi... et concionatores item quam saepissime populum cohortentur, nascentis Ecclesiae institutis atque exemplis, et gravissimorum Patrum vocibus et uberrima hoc ipso de genere Catechismi romani doctrina, et sententia denique Tridentinae Synodi, [2] quae optaret quidem fideles, in singulis Missis, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicare ». [3] Qua vero mente, quo animo adeundum sit sacrum convivium, docet his verbis: « Populus, cum ad frequentem Ssmi Sacramenti sumendi usum excitetur, tum etiam commonefiat, quam periculosum exitiosumque sit ad sacram divini illius cibi mensam indigne accedere ». [4] Quam quidem diligentiam postulare videntur maxime haec tempora nutantis fidei et languescentis caritatis, ne forte ex frequentiore usu debita tanto mysterio reverentia minuatur, sed potius in hoc ipso sit causa cur *probet seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* [5]

37. Ex iis fontibus dives gratiae vena manabit, unde succum trahant et alantur humanae quoque ac naturales industriae. Nec enim actio christiani viri quae usui sunt et adiumento vitae despiciet, ab uno eodemque Deo, auctore gratiae ac naturae profecta; sed illud valde cavebit, ne in externis rebus bonisque corporis captandis fruendis totius vitae finis et quasi beatitas collocetur. His rebus igitur qui recte ac temperanter uti velit, eas conferet ad animorum utilitatem, Christi obtemperans dicto: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis.* [6]

38. Ordinatus et sapiens hic rerum usus tantum abest ut inferioris ordinis, idest societatis civilis bono adversetur, ut potius huius commoda maxime provehat; nec id inani verborum iactatione, qui mos est factiosorum hominum, sed re ipsa et summa contentione, usque ad bonorum, virium, vitaeque iacturam. Cuius exempla fortitudinis prae ceteris exhibent sacrorum antistites complures, qui, rebus Ecclesiae afflictis, Caroli ardorem aemulati, divini Magistri ratas efficiunt voces: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* [7] Hi quidem, non gloriae cupidine, aut studio partium, aut privati alicuius commodi causa, ad se devovendos pro communi salute trahuntur, sed caritate illa quae *nunquam excidit.* Hac flamma, quae profanos oculos latet, incensus Borromeus, quum ob praestitam lue correptis operam se in mortis discrimen coniecisset, nihilominus praesentibus occurrisse malis non contentus, de futuris etiam sollicitum se sic ostendit: « Omni

[1] Cf. Pii X Acta, vol. II, p. 250-256.
[2] Sess. XXII, *de sacrificio missae*, c. 6.
[3] Conc. Prov. III, pars I.
[4] Conc. Prov. IV, pars II.
[5] I Cor., XI, 28.
[6] Luc., XII, 31; Matth., VI, 33.
[7] Ioan., X, 11.

rationi plane consentaneum est, ut, quemadmodum parens optimus, qui filios unice diligit, cum in praesenti tum in futuro eis prospicit ac parat quae sunt ad vitae cultum necessaria; ita nos paternae charitatis officio adducti, omni praecautione fidelibus provinciae nostrae in hoc Concilio provinciali quinto consulamus provideamusque deinceps quae experiendo cognovimus, pestilentiae tempore, salutaria esse adiumenta ». [1]

39. Eadem haec providentis animi studia et consilia, Venerabiles Fratres, per eam quam saepe commendavimus, catholicam actionem in rem usumque deducuntur. In partem vero ministerii huius amplissimi, quod officia omnia misericordiae, sempiterno donanda regno complectitur, [2] selecti etiam e populo advocantur viri. Qui, ubi semel id oneris in se receperint, parati et instructi esse debent ad se suaque omnia plane devovenda pro optima causa, ad obsistendum invidiae, obtrectationi et infenso quoque multorum animo, qui malefactis beneficia repensant, ad laborandum *sicut bonus miles Christi*, [3] et currendum *per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum.* [4] Acerbum sane luctae genus, sed ab bonum civitatis apprime conducens, etiamsi plenam victoriam remoretur dies.

40. In his etiam, quae modo dicta sunt, illustria Caroli exempla intueri licet, atque inde sumere quae pro sua quisque conditione imitetur et quibus animum erigat. Etenim quem et singularis virtus et mira solertia et effusa caritas adeo spectabilem effecerunt, nec ipse tamen alienam sibi sensit hanc legem: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* [5] Itaque quod asperioris vitae sectaretur genus, quod recta semper et honesta retineret, quod incorruptus legum iustitiaeque vindex exsisteret, hoc ipso primorum in se invidiam collegit; reipublicae gerendae peritorum vafris artibus est obiectus; magistratus habuit infensos; in optimatium, cleri populique suspicionem venit; flagitiosorum denique hominum capitale odium sibi conflavit, ad necem usque petitus. Quibus omnibus, quamvis miti esset suavique indole, invicto animo restitit.

41. Nec modo nihil cessit in iis quae fidei ac moribus exitio forent, sed ne postulationes quidem excepit adversas disciplinae aut fideli populo graves, etiamsi allatas, ut creditur, a rege potentissimo et ceteroquin catholico. Idemque memor verbi Christi: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo*, [6] atque apostolorum vocis: *oboedire oportet Deo magis quam hominibus*, [7] non de causa tantum religionis optime meruit, verum etiam de ipsa societate civili, quam insanientis prudentiae poenas luentem, commotisque suapte manu seditionum fluctibus paene submersam abduxit certissimae morti.

[1] Conc. Prov. V, pars II.
[2] Matth., XXV, 34 sq.
[3] II Tim., II, 3.
[4] Hebr., XII, 1, 2.
[5] II Tim., III, 12.
[6] Matth., XXII, 21.
[7] Act., V, 29.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

42. Eadem sane laus et gratia debebitur catholicis huius temporis viris eorumque strenuis ducibus episcopis, quibus in utrisque nullae officiorum partes, quae civium sunt, desiderari poterunt unquam, sive agatur de servanda fide ac reverentia *dominis etiam dyscolis* iusta praecipientibus, sive de ipsorum iniquis imperiis detrectandis, aeque remota tum procaci licentia delabentium in seditiones ac turbas, tum servili abiectione excipientium quasi sacras leges impia statuta pessimorum hominum, qui mentito libertatis nomine iura omnia pervertentes, durissimam imponunt servitutem.

43. Haec nempe in conspectu terrarum orbis et in media luce praesentis humanitatis geruntur penes quandam potissimum gentem, ubi principem sibi sedem constituisse videtur *potestas tenebrarum.* Quo praepotenti sub dominatu iura omnia filiorum Ecclesiae miserrime proculcantur, exstincto penitus in reipublicae rectoribus omni sensu magnanimitatis, urbanitatis ac fidei, quibus virtutibus eorum patres, christiano titulo insignes, tamdiu inclaruerunt. Adeo liquet, concepto semel in Deum et in Ecclesiam odio, retro sublapsa referri omnia, et ad antiquae libertatis ferociam, seu verius ad crudelissimum iugum, per unam Christi Familiam eiusque invectam disciplinam depulsum cervicibus, fieri cursum praecipitem. Aut, quod idem significavit Carolus, adeo est « certum atque exploratum, nulla alia re Deum gravius offendi, nullaque ad vehementiorem iram, quam haeresum labe provocari; nihilque rursus ad provinciarum regnorumque interitum maiores vires habere, quam teterrimam illam pestem ». [1] Quamquam multo etiam funestior existimanda est hodierna conspiratio ad christianas gentes ab Ecclesiae sinu avellendas. In summa enim dissensione sententiarum ac voluntatum, quae propria nota est aberrantium a vero, in una re inimici consentiunt, hoc est in pertinaci iustitiae ac veritatis oppugnatione; cuius utriusque quia custos est ac vindex Ecclesia, in hanc unam confertis ordinibus impetum faciunt. Cumque se neutris in partibus esse, aut etiam causam pacis fovere dictitent, mellitis quidem verbis, at non dissimulatis consiliis, nihil aliud revera agunt, nisi ut insidias locent, addentes damno ludibrium, fraudem violentiae. Novo igitur certaminis genere per hos dies christianum impetitur nomen; belli moles conflatur longe periculosior ac pugnae antea pugnatae, ex quibus tam amplam collegit gloriam Borromeus.

44. Inde exempla nobis omnibus ac documenta sumentes, pro rebus maximis, quibus et privata et publica salus continetur, pro fide ac religione, pro sanctitate publici iuris, alacri erectoque animo dimicabimus, dolenda quidem necessitate compulsi, sed suavi simul freti fiducia, omnipotentem Deum tam gloriosa in acie militantibus victoriam deproperaturum. Cui fiduciae robur addit Caroliani operis producta ad hanc usque aetatem vis et potentia, sive ad imtemperantiam ingeniorum compescendam, sive ad obfirmandum animum in proposito sancto instaurandi omnia in Christo.

45. Licet nunc, Venerabiles Fratres, iisdem verbis dicendo finem imponere, quibus pluries memoratus Decessor Noster Paulus V Litteras absolvit decernentes Carolo supremos honores: « aequum est igitur dare nos

[1] Conc. Prov., V, pars I.

gloriam et honorem et benedictionem viventi in saecula saeculorum, qui benedixit conservum nostrum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et cum illum dederit nobis Dominus tamquam fulgentem stellam in hac nocte peccatorum, tribulationum nostrarum, adeamus ad divinam clementiam ore et opere supplicantes, ut Carolus Ecclesiae quam vehementer dilexit, prosit etiam meritis et exemplo, adsit patrocinio et in tempore iracundiae fiat reconciliatio, per Christum Dominum nostrum ». [1]

46. Accedat his votis cumuletque communem spem Apostolicae benedictionis auspicium, quam vobis, Venerabiles Fratres, et vestro cuiusque clero populoque peramanter impertimus.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 357-380].

88.

Pius X, litt. ap. *Seraphici Patriarchae*, 15 aug. 1910.

Seraphici Patriarchae universum Ordinem quum Romani Pontifices Praedecessores Nostri singulari benevolentia semper fuerint prosecuti, eiusque familias specialibus gratiis et privilegiis in bonum fidelium auxerint; Nos, qui pari amore impellimur erga praefatum Ordinem, de Ecclesia Dei praeclare meritum, perfectiori religiosae observantiae ex parte singulorum religiosorum, consulere summopere exoptantes, has litteras motu proprio et ex certa scientia conscribere opportunum duximus ad maiorem pacis et verae concordiae tutelam inter eosdem efficacius firmandam.

Humilitatis et mansuetudinis Magister inclitus Beatissimus Franciscus, dilectos filios suos hortatur in Regula cap. X: « ut caveant ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, a detractione et murmuratione ». De qua re ait Seraphicus Doctor, in sermone super Regulam Fratrum Minorum: « *Ab omni superbia*, quae est mater, *vana gloria, invidia*, quae sunt proles superbiae secundum Gregorium. Et signanter dicit: *Ab omni superbia*, quia superbia est respectu superioris, inferioris et paris. Unde super illud Iob: Parvulum occidit invidia, dicit Gregorius: Superbus invidet *superioribus*, quia non aequatur eis; *paribus*, quia aequantur ei; *inferioribus*, ne aequentur ei. Tangit vitium principale quoad proximum, cum dicit: *Detractione et murmuratione*. Ideo dicitur Ecclesiastae cap. X, v. 11: Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Morsus iste multum virus infundit Ordini, quia turbat multos, pacem habentes; et ideo susurrones et detractores Deo sunt odibiles ».

Unde in eadem Reg. cap. III, praescribit Institutor sanctissimus, ut fratres sui « non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles ». Quae verba ita in citato sermone exponit Doctor Seraphicus: « *Mites*, quoad animum; *pacifici*,

[1] Bulla *Unigenitus*.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

quoad verbum; *modesti*, quoad factum; *mansueti*, quoad proximum; *humiles*, quoad Deum ». Et in sermone V de S. Francisco praefatus Doctor Seraphicum Patrem filios ad mansuetudinem praesertim et humilitatem inducentem introducit, et ait: « Non sit igitur oculus cuiusquam nequam, quia Deus bonus est; sed omnes doctrinam Christi, immo Francisci audiant et addiscant tamquam boni doctoris, qui docuit quod didicit, sine deceptione, sine fictione, sine oblivione, sine dubitatione. Dicat igitur Beatus Franciscus: Discite, alios excitando; dicat nihilominus alios informando: quia mitis sum et humilis corde. Addiscite, hoc est, ad meum exemplum sitis mites et humiles. Mitis est homo per affectum fraternitatis; humilis, per affectum inferioritatis, sive minoritatis; unde esse mitem, hoc est esse omnium fratrem; esse humilem, hoc est esse omnibus minorem: esse ergo mitem et humilem corde, hoc est esse vere Fratrem Minorem; discite igitur a me esse mites et humiles, hoc est esse Fratres Minores ».

In commentariis autem in Evangelium S. Lucae, cap. IX ait: « Quanto sumus humiliores, tanto sumus a tumore superbiae inaniores; et quanto inaniores a tumore superbiae, tanto pleniores dilectione; et quanto hac pleniores, tanto maiores... ideo minor est maior, quia, quanto quis humilior, tanto Christo similior, et per hoc tanto ei proximior; Christus autem est maximus; sed quanto aliquis maximo propinquior, tanto maior: quanto ergo quis minor, tanto maior; et hoc est quod ipse innuit infra vigesimo secundo... Ergo inter viros spirituales non debet esse contentio de primo loco, sed de postremo, quia ille honorabilior est ». Quapropter in sermone IV de S. Francisco ita concludit: « Magnum pondus impositum est super nos, dico vobis, quod de hoc Minores vocamur, quia debemus nos reputare omnibus inferiores et viliores. Displicet vobis aliquando de nobis, si videtis aliquando aliquem ex nobis superbum; certe multo magis displicet Deo ».

Optandum igitur esset, ut inter Francisci filios nunquam de primo loco esset contentio, sed unice de postremo; sed inimicus homo, sub specie boni, sub inani praetextu zeli decoris propriae sodalitatis, controversias plurimas inter tres Familias Minoriticas humillimi et mitissimi Patris suscitavit, quae innumeras crearunt lites, per S. Sedem diremptas, in quibus unaqueque Familia eas victorias, quas anteactis litibus reportaverat contra aliam partem litigantem, opportune et importune allegare consuevit. Nec hodiernis temporibus cessarunt contentiones huiusmodi; nam a quatuor annis denuo disputare coeperunt inter se duae primae Familiae Minoriticae de iure praecedentiae in processionibus, aliisque sacris functionibus.

Quapropter, ut a triplici Familia Fratrum Minorum contentiones de praecedentia penitus eliminentur, et vix natae excludantur, de plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae (quidquid olim fuerit de iure vel de facto praecedentiae inter praefatas Familias Minoriticas), confirmatis prius omnibus et singulis, quae in Nostris Litteris Apostolicis « Septimo iam pleno saeculo », [1] diei 4 octobris 1909, et « Paucis ante diebus », [2] editis sub die

[1] Cf. Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 725-738.
[2] Cf. Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 705-713.

1 novembris eiusdem anni 1909 continentur, praesertim de praecedentia trium Ministrorum Generalium inter se, firma semper lege, quod haberi debeant et sint dignitate pares et quod praedecessorum suorum perpetuam seriem ab ipso Seraphico Patre omnes iure ducant; de praecedentia in singulis Conventibus, quae sequuntur, edicimus, declaramus, ordinamus, et omnino servari iubemus, videlicet:

I. In omnibus et singulis tribus Minoritici Ordinis Familiis haec norma praecedentiae observanda erit, scilicet: Illa Familia Minoritica, quae in civitate vel loco est antiquior, aliam vel alias Familias Minoriticas praecedat, nisi certo constet, Familiam Minoriticam in civitate vel loco recentiorem in possessione praecedentiae positam esse. Salvis tamen limitationibus infra praescriptis.

II. Quia tamen probatio possessionis, seu quasi possessionis saepissime fit controversiarum occasio, probatio autem antiquitatis in civitate vel loco planior ac facilior evadere solet, regulam possessionis, seu quasi possessionis quoad Familias Minoriticas *ad novissimum decennium* reducendam decernimus, hoc modo: Familia Minoritica, quae saltem, infra spatium temporis, a die 1 ianuarii 1900 ad diem 15 augusti 1910 inclusive computandum, in aliqua civitate vel loco realem et actualem possessionem praecedentiae super aliam vel alias Familias Minoriticas de facto habeat, aliam vel alias perpetuo praecedat, etiamsi possessio illa, dummodo realis sit et actualis, aliquo vitio infecta inveniatur; quo in casu, pro sanata et convalidata habenda erit, prouti ex nunc sanare et convalidare intendimus. — Quod si, hoc durante decennio, nulla ex tribus Familiis Minoriticis occasionem habuerit ponendi actus actualis praecedentiae, quia nullae processiones in civitate vel loco factae sint, vel ad nullam ex iisdem accesserint Familiae illae Minoriticae, tunc ad solam prioritatem fundationis conventus attendendum est. — Quoad futuras autem fundationes conventuum Minoritarum, si lapsu temporis aliqua controversia inter ipsas Familias Minoriticas circa praecedentiam suscitetur in aliqua civitate vel loco, semper pariter ad solam prioritatem conventus, numquam vero ad possessionem attendatur.

III. Quia pariter vel ipsum principium antiquitatis unius conventus prae alio vel aliis, in tanta, a saeculo et ultra, rerum perturbatione, iniqua praesertim conventuum suppressione et destructione, difficultatibus haud levibus aliquando obnoxium existit, praesertim, si post longam annorum seriem, communitas in aliqua civitate vel loco primaeva fundatione antiquior, instauretur, et praecedentiam antiquam praetendat; Nos, ut etiam ex hoc capite, futuris controversiis aditum occludamus, decernimus, ut a Familiis Minoriticis inter se, principium antiquitatis conventus invocari amplius nequeat in futuris reassumptionibus veterum conventuum vel aedificationibus novorum, loco veterum, a Familia ob primaevam fundationem conventus antiquiori peractis, si haec Familia per quinquaginta integros annos ab illa civitate vel loco quacumque de causa absens de facto fuerit. Ideoque, si communitas per quinquaginta saltem annos integros absens, ad antiquum conventum redeat, vel novum extruat, antiquitas eius computanda erit a reditu tantum, seu a canonicae Familiae restauratione. —

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Quoad veteres autem conventus, ante datam huius motus proprii iam reassumptos vel de novo constructos a Familia Minoritica, quae antiquiorem in civitate vel loco habuerat conventum, serventur praescripta in articulis I et II.

IV. Salvis iis, quae de possessione dicta sunt, praecedentia quoad singulos conventus respiciat tantum civitatem cum suo suburbio, vel locum cum suo suburbio, ideoque solum districtum, qui alibi communalis, alibi municipalis dici solet. Unde extra districtum proprium, praecedant, qui in illo alio districtu conventum possident; quod si nulla ex Familiis Minoriticis in illo non proprio seu a proprio districtu communali seu municipali alieno, conventum habeat, praecedentia hunc ordinem servet: praecedant primo loco Fratres Minores ab Unione Leoniana; secundo loco Fratres Minores Conventuales; tertio loco Fratres Minores Capuccini.

V. Tandem, si ob certum defectum documentorum authenticorum vel possessionis, articulo II descriptae, dubium de antiquitate vel de ipsa possessione persistat, concedimus, ut praecedentia detur Minoribus ab Unione Leoniana supra Minores Conventuales et Minores Capuccinos, et Conventualibus supra Capuccinos.

VI. Quoad conventus triplicis Familiae Minoriticae Romae et Assisii, nihil prorsus omnino immutetur.

VII. Si autem in posterum (quod Deus avertat) nova aliqua contentio de praecedentia inter tres Familias Minoriticas sit exoritura, rem auctoritate et nomine S. Sedis definiat Ordinarius loci, iuxta praescripta harum Litterarum Apostolicarum; ad quem finem sola documenta authentica admittat, et omni iudiciali solemnitate praetermissa, per summariam, extraiudicialem et administrativam provisionem, gratis omnino brevique decreto, controversiae finem imponat. Sacra autem Congregatio, negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, omnes recursus circa praecedentiam inter tres Familias Minoriticas ad Ordinarium loci remittat cum monito, ut, absque mora, controversiam dirimat: quod si in casu aliquo extraordinario ipsa Sacra Congregatio gravissimis de causis iudicium sibi reservandum duxerit, eamdem normam teneat, quae Ordinariis praescribitur; ideoque disquisitiones, scripturas et omnia, quae uti authentica documenta haberi non possunt, omnino reiiciat, et rem citissime definiat: quoties autem agatur de communitate Minoritica vel temere litigante, vel sub praetextu praecedentiae, dissensiones inter Minoriticas Familias eiusdem civitatis vel loci promovente, sententiam contra eamdem pronuntiet, nec amplius causam admittat.

Praesentes vero Litteras et quaecumque in ipsis habentur, nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari, vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari, declarantes; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali et specialissima men-

tione dignis; quibus omnibus ex plenitudine potestatis, certa scientia et motu proprio quoad praemissa expresse derogamus et derogatum esse declaramus.

Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum, etc.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 713-718].

689.

Pius X, motu propr. *Sacrorum Antistitum*, 1 sept. 1910.

Sacrorum antistitum neminem latere arbitramur, vaferrimum hominum genus, modernistas, persona quam induerant illis detracta per encyclicas Litteras *Pascendi dominici gregis*, [1] consilia pacis in Ecclesia turbandae non abiecisse. Haud enim intermiserunt novos aucupari et in clandestinum foedus ascire socios, cum iisque in christianae reipublicae venas opinionum suarum virus inserere, editis libris commentariisque suppresso aut mentito scriptorum nomine. Haec audaciae maturitas, per quam tantus Nobis inustus est dolor, si perlectis iterum memoratis Litteris Nostris, consideretur attentius, facile apparebit, eius moris homines haud alios esse quam quos ibi descripsimus, adversarios eo magis timendos, quo propiores; ministerio suo abutentes ut venenatam hamis escam imponant ad intercipiendos incautos, doctrinae speciem circumferentes, in qua errorum omnium summa continetur.

Hac lue diffluente per agri Domini partem, unde laetiores essent expectandi fructus, quum omnium Antistitum est in catholicae fidei defensione laborare, summaque diligentia cavere, ne integritas divini depositi quidquam detrimenti capiat, tum ad Nos maxime pertinet Christi Servatoris imperata facere, qui Petro, cuius principatum, licet indigni, obtinemus, dixit: *Confirma fratres tuos*. Hac nempe de causa, hoc est, ut in praesenti dimicatione subeunda confirmentur bonorum animi, opportunum duximus memorati Nostri documenti sententias et praescripta referre hisce verbis expressa:

Vos oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et expectamus, idipsum et petimus aeque et expectamus a ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris.

« I. Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur. — Utique: *si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum con-*

[1] Dat. d. VIII sept. MCMVII. — Cf. N. 680.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

siderate traditum; si quod cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi. [1] Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse. *Parvus error in principio*, sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, *est magnus in fine.* [2]

« Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime. — Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e seminariis egredientes praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupidae obiicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientum effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur.* [3] Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato ab historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur.

« De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit: *In rerum etiam naturalium consideratione strenue adlaboretis: quo in genere nostrorum temporum ingeniose inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt.* [4] Id tamen nullo sacrorum studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis monuit: *Quorum causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignius est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate*

[1] Leo XIII, Encycl. *Aeterni Patris*. — Cf. N. 578.

[2] *De Ente et Essentia*, prooem.

[3] Leo XIII, Litt. ap., x dec. MDCCCLXXXIX. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. IX, p. 267-270.

[4] Alloc. *Pergratus Nobis*, ad scientiar. cultores, VII martii MDCCCLXXX. — Cf. Acta S. Sedis, vol XII, p. 486-488.

sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur.[1] Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris seminariis temperari volumus.

« II. His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Seminariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. Quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur; eo si iam funguntur, removeantur: item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam detrectando: item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova student: item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur. — Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re et fortiter agitote.

« Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac deligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces animos odit Deus! — Theologiae laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto. — Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno MDCCCXCVI;[2] ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus. — Clerici et sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus. — Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus imperavimus, ea constanter serventur.

« III. Episcoporum pariter officium est modernistarum scripta quaeve modernismum olent provehuntque, si in lucem edita, ne legantur cavere; si nondum edita, ne edantur prohibere. — Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittantur: non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta; immo etiam magis, quod christianae vitae initia vitiant. — Nec secus iudicandum est de quorumdam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroqui non malae mentis, sed qui theologicae disciplinae expertes ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque

[1] Alloc., ut supra.
[2] Cf. N. 2031.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

« Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostrant libri ad legendum perniciosi, ii ut exulent fortiter contendite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat; adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis deposita, malorum clamoribus posthabitis, suaviter quidem sed constanter suas quisque partes suscipiant; memores quae Leo XIII in Constitutione apostolica *Officiorum ac munerum*[1] praescribebat: *Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant.* Ius quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii implevisse autumet, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervulgari sinuntur. — Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo *Imprimatur* appellant: tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data vel benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta, quod forte postremum in Religiosorum ordinibus aliquando evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint innocentes, nocentes in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coercendo, integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi. — Et quoniam de his sermo incidit, vigilent Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem: certe in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si obedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitent; item potioreque iure si episcopales audiant: qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. — Universis demum in memoriam revocamus, quae memorata apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo XXVI: *Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

« IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impedire ac venditionem; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem

[1] XXV ian. MDCCCXCVII. — Cf. N. 632.

Episcopi severitate summa impertiant. — Quoniam vero magno numero ea sunt ex Constitutione *Officiorum*, quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecognoscere universa potest; in quibusdam dioecesibus ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortamur modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis XLI et XLII memoratae Constitutionis praevio subsunt examini. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur*, cui tamen praeponetur formula *Nihil obstat*, adscripto censoris nomine. — In Curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo, Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur necnon a Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa, prout supra diximus, approbationis formula adiectoque nomine censoris. — Extraordinariis tantum in adiunctis ac per quam raro, prudenti Episcopi arbitrio, censoris mentio intermitti poterit. — Auctoribus censoris nomen patebit nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeatur vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit. — Censores e religiosorum familiis nunquam eligantur, nisi prius moderatoris provinciae secreto sententia audiatur: is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur. — Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus numquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit. — Postremum edicimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

« His universe dictis, nominatim servari diligentius praecipimus, quae articulo XLII Constitutionis *Officiorum* in haec verba edicuntur: *Viri e clero saeculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant*. Qua si qui venia perniciose utantur, ea, moniti primum, priventur. — Ad sacerdotes quod attinet, qui *correspondentium* vel *collaboratorum* nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere modernismi labe infecta; videant Episcopi ne quid hi, contra quam siverint, moliantur, datamque potestatem, si oportet retractent. Idipsum ut religiosorum moderatores praestent gravissime admonemus: qui si negligentius agant, Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant. — Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, integre attenteque perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id in sequenti folio vel libello corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

« V. Congressus publicosque coetus iam supra memoravimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student. — Sacerdotum conventus Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum tractatio quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacrae potestatis occupationem inferat: ut quidquid modernismum sapit, quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat. — Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi commendatus. — Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant, quae Leo XIII gravissime commendavit: *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum.* [1]

« VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite constanterque serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi, [2] ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. *Ad errores*, sic illi, *iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgentur, aut adhuc extent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione manarunt; sacer Conventus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpant aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere, ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio extingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur, vel quod peius est in dies confirmetur et crescat.* — Tale igitur consilium, quod *a vigilantia* dici placet in singulis dioecesibus institui quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur, eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient: quae tractarint decreverint, ea arcani lege custodiunto. Officii munere haec sibi demandata habeant: Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigent vigilanter; pro cleri iuventaeque incolumitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescribant. — Vocum novitatem caveant, meminerintque Leonis XIII monita: *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur, loquaturque novum christianae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam chri-*

[1] Litt. Encycl. *Nobilissima*, VIII febr. MDCCCLXXXIV. — Cf. N. 590.
[2] Act. Consess. Epp. Umbriae, novembri MDCCCXLIX, tit. II, art. 6.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

stianam humanitatem, aliaque id genus multa. [1] Haec in libris praelectioni-
busque ne patiantur. — Libros ne negligant, in quibus piae cuiusque loci
traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi quaestio-
nes agitari in ephemeridibus vel in commentariis fovendae pietati desti-
natis, nec verbis ludibrium aut despectum sapientibus, nec stabilibus
sententiis, praesertim, ut fere accidit, si quae affirmantur probabilitatis
fines non excedunt vel praeiudicatis nituntur opinionibus. — De sacris
Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in hac re possunt, certo
norint Reliquiam esse subditiciam, fidelium cultu removeant. Si Reliquiae
cuiuspiam auctoritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu,
interierint; ne publice ea proponatur nisi rite ab Episcopo recognita.
Praescriptionis argumentum vel fundatae praesumptionis tunc tantum vale-
bit, si cultus antiquitate commendetur; nimirum pro decreto, an. MDCCCXCVI
a sacro Consilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, [2] quo
edicitur: *Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hacte-
nus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel
suppositicias esse.* — Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit,
illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut tra-
ditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhi-
bita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita; [3] quod etsi rite fiat,
non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argu-
menta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legi-
timis ritibus tuendis, abhinc annis triginta, edicebat: *Eiusmodi apparitio-
nes seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede
fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta
traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirma-
tam.* [4] Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis
religio, prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, conditionem sem-
per habet implicitam de veritate facti: prout vero *absoluta* est, semper
in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honoran-
tur. Similiter de Reliquiis affirmandum. — Illud demum Consilio vigilan-
tiae demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad scripta quaevis de
re sociali assidue ac diligenter adiiciant oculos, ne quid in illis moderni-
smi lateat, sed Romanorum Pontificum praeceptionibus respondeant.

« VII. Haec quae praecepimus ne forte oblivioni dentur, volumus et
mandamus ut singularum dioecesum Episcopi, anno exacto ab editione
praesentium litterarum, postea vero tertio quoque anno, diligenti ac iurata
enarratione referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra Epi-
stola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero vigent, praesertim
autem in Seminariis ceterisque catholicis Institutis, iis non exceptis quae

[1] Instruct. S. C. NN. EE. EE., XXVII ian. MCMII. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. XXII, p. 8-28.

[2] Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, n. 1911.

[3] Cf. N. 719.

[4] Decr. XII maii MDCCCLXXVII. — Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 3419.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Ordinarii auctoritati non subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum religiosorum pro suis alumnis iniungimus ».

His, quae plane confirmamus omnia sub poena temeratae conscientiae adversus eos, qui dicto audientes esse renuerint, peculiaria quaedam adiicimus, quae ad sacrorum alumnos in Seminariis degentes et ad instituti religiosi tirones referuntur. — In Seminariis quidem oportet partes omnes institutionis eo tandem aliquando conspirent ut dignus tali nomine formetur sacerdos. Nec enim existimare licet, eiusmodi contubernia studiis dumtaxat aut pietati patere. Utraque re institutio tota coalescit, suntque ipsa tamquam palaestrae ad sacram Christi militiam diuturna praeparatione fingendam. Ex iis igitur ut acies optime instructa prodeat, omnino sunt duae res necessariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Altera postulat ut alumna sacrorum iuventus iis artibus apprime erudiatur quae cum studiis rerum divinarum arctiorem habent cognationem; altera singularem exigit virtutis constantiaeque praestantiam. Videant ergo moderatores disciplinae ac pietatis, quam de se quisque spem iniiciant alumni, introspiciantque singulorum quae sit indoles; utrum suo ingenio plus aequo indulgeant, aut spiritus profanos videantur sumere; sintne ad parendum dociles, in pietatem proni, de se non alte sentientes, disciplinae retinentes; rectone sibi fine proposito, an humanis ducti rationibus ad sacerdotii dignitatem contendant; utrum denique convenienti vitae sanctimonia doctrinaque polleant; aut certe, si quid horum desit, sincero promptoque animo conentur acquirere. Nec nimium difficultatis habet investigatio; siquidem virtutum, quas diximus, defectum cito produnt et religionis officia ficto animo persoluta, et servata metus causa, non conscientiae voce, disciplina. Quam qui servili timore retineat, aut animi levitate contemptuve frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur, domesticae disciplinae contemptorem a publicis Ecclesiae legibus minime discessurum. Hoc animo comparatum si quem deprehenderit sacri ephebei moderator, et si semel iterumque praemonitum, experimento facto per annum, intellexerit a consuetudine sua non recedere, eum sic expellat, ut neque a se neque ab ullo episcopo sit in posterum recipiendus.

Duo igitur haec ad promovendos clericos omnino requirantur; innocentia vitae cum doctrinae sanitate coniuncta. Neve illud praetereat, praecepta ac monita, quibus episcopi sacris ordinibus initiandos compellant, non minus ad hos quam ad candidatos esse conversa, prout ubi dicitur: « Providendum, ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet... Sint probi et maturi in scientia simul et opere... eluceat in eis totius forma iustitiae ».

Ac de vitae quidem probitate satis dictum esset, si haec a doctrina et opinionibus, quas quisque sibi tuendas assumpserit, posset facili negotio seiungi. Sed, ut est in proverbiorum libro: *Doctrina sua noscetur vir;* [1] utque docet Apostolus: Qui ... *non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.* [2]

[1] Prov., XII, 8.

[2] II Ioan., 9.

Quantum operae vero dandum sit addiscendis rebus multis equidem et variis, vel ipsa huius aetatis conditio docet, nihil gloriosius efferentis quam lucem progredientis humanitatis. Quotquot igitur sunt ex ordine cleri si convenienter temporibus velint in suis versari muneribus; si cum fructu *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere;* [1] si opes ingenii in Ecclesiae utilitatem transferre, oportet cognitionem rerum assequantur, eamque minime vulgarem, et ad excellentiam doctrinae proprius accedant. Luctandum est enim cum hostibus non imperitis, qui ad elegantiam studiorum scientiam saepe dolis consutam adiungunt, quorum speciosae vibrantesque sententiae magno verborum cursu sonituque feruntur, ut in iis videatur quasi quid peregrinum instrepere. Quapropter expedienda mature sunt arma, hoc est, opima doctrinae seges comparanda omnibus, quicumque sanctissimis perarduisque muneribus in umbratili vita se accingunt.

Verum, quia vita hominis iis est circumscripta limitibus ut ex uberrimo cognoscendarum rerum fonte vix detur aliquid summis labiis attingere, discendi quoque temperandus est ardor et retinenda Pauli sententia: *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* [2] Quare, quum clericis multa iam satis eaque gravia sint imposita studia, sive quae pertinent ad sacras litteras, ad Fidei capita, ad mores, ad scientiam pietatis et officiorum, quam *asceticam* vocant, sive quae ad historiam Ecclesiae, ad ius canonicum, ad sacram eloquentiam referuntur; ne iuvenes aliis quaestionibus consectandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur, omnino vetamus diaria quaevis aut commentaria, quantumvis optima, ab iisdem legi, onerata moderatorum conscientia, qui ne id accidat religiose non caverint.

Ut autem suspicio segregetur omnis clanculum se inferentis modernismi, non solum omnino servari volumus quae sub numero secundo superius praescripta sunt, sed praeterea praecipimus ut singuli doctores, ante auspicandas ineunte anno praelectiones, Antistiti suo textum exhibeant, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive *theses;* deinde ut per annum ipsum exploretur sua cuiusque magisterii ratio; quae si videatur a sana doctrina discedere, causa erit quamobrem doctor illico amoveatur. Denique, ut, praeter fidei professionem, iusiurandum det Antistiti suo, secundum adiectam infra formulam, et subscripto nomine.

Iusiurandum hoc, praemissa Fidei professione per formulam a sa. me. Decessore Nostro Pio IV praescriptam, cum adiectis definitionibus Concilii Vaticani, [3] suo antistiti item dabunt:

I. Clerici maioribus ordinibus initiandi; quorum singulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei, tum formulae edendi iurisiurandi ut eas accurate praenoscant, adiecta violati iurisiurandi, ut infra, sanctione.

II. Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi.

[1] Tit., I, 9.
[2] Rom., XII, 3.
[3] Cf. N. 108.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

III. Parochi, Canonici, Beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem.

IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus.

V. Adlecti concionibus habendis per quadragesimae tempus.

VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel Secretario eiusdem sive Congregationis sive tribunalis.

VII. Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium.

Professionis fidei, quam diximus, editique iurisiurandi documenta, peculiaribus in tabulis penes Curias episcopales adserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quaeque officia. Si quis autem, quod Deus avertat, iusiurandum violare ausus fuerit, ad Sancti Officii tribunal illico deferatur.

Iurisiurandi Formula.

« Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata. Tertio: Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successores aedificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae. Quinto: certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis ».

« Me etiam, qua par est, reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris *Pascendi* [1] et in Decreto *Lamentabili* [2] continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Idem reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse. — Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. — Sententiam praeterea illorum reiicio qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christi eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione*; [3] non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur, nunquam aliter intelligatur* absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata. [4]

« Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus etc. »

De Sacra Praedicatione.

Quandoquidem praeterea diuturna observatione sit cognitum Nobis, episcoporum curis ut annuntietur divinum Verbum pares non respondere fructus, idque, non tam audientium desidiae, quam oratorum iactantiae

[1] Cf. N. 680.
[2] Cf. N. 1283.
[3] Iren., 4, c. 26.
[4] *Praescr.*, c. 28.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tribuendum putemus, qui hominis verbum exhibent magis quam Dei, opportunum censuimus, latine versum evulgare atque Ordinariis commendare documentum, iussu Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII a Sacra Congregatione episcoporum et regularium editum die XXXI mensis Iulii anno MDCCCXCIV [1] et ad Ordinarios Italiae atque ad religiosarum Familiarum Congregationumque moderatores transmissum.

1° « Et in primis quod ad ea pertinet virtutum ornamenta quibus sacri oratores emineant potissimum oportet, caveant ipsi Ordinarii ac religiosarum familiarum Moderatores ne unquam sanctum hoc et salutare divini verbi ministerium iis credant qui nec pietate in Deum nec in Christum Filium eius Dominum nostrum caritate ornentur ac redundent. Istae enim si in catholicae doctrinae praeconibus desiderentur animi dotes, quavis tandem ii polleant dicendi facultate, aliud nihil profecto praestabunt quam *aes sonans, aut cymbalum tinniens:* [2] neque unquam id ipsis suppetet a quo evangelicae praedicationis vis omnis ac virtus derivatur, studium videlicet divinae gloriae aeternaeque animorum salutis. Quae quidem oratoribus sacris apprime necessaria pietas, eluceat oportet etiam in externa vitae eorumdem ratione: ne sermone celebratis praeceptis institutisque christianis disserentium mores refragentur: neve iidem opere destruant quod aedificant verbo. Ne quid praeterea profani pietas eiusmodi redoleat: verum ea sit praedita gravitate, ut probet eos esse revera *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* [3] Secus enim, ut scite animadvertit Angelicus, *si doctrina est bona et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei.* [4] — At vero pietati ceterisque christianis virtutibus comes ne desit scientia: quum et per se pateat, et diuturna experientia comprobetur, nec sapiens, nec compositum, nec frugiferum dicendi genus posse ab iis afferri, qui doctrina, praesertim sacra, non affluant, quique ingenita quadam freti celeritate verborum, suggestum temere adscendunt ac ferme imparati. Hi profecto aerem verberant, et inscii divina eloquia contemptui obiiciunt ac derisioni; plane digni quibus aptetur divina illa sententia: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* ». [5]

2° « Igitur episcopi et religiosarum familiarum antistites divini verbi ministerium ne cui sacerdoti committant, nisi ante constiterit, ipsum esse pietatis doctrinaeque copia rite instructum. Iidem sedulo advigilent ut ea tantum pertractanda sumantur, quae sacrae praedicationis sunt propria. Quae vero eiusmodi sint Christus Dominus tunc aperuit quum ait: *Praedicate evangelium...* [6] *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* [7] Ad quae verba apte S. Thomas: *Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo*

[1] Cf. N. 2024.
[2] I Cor., XIII, 1.
[3] I Cor., IV, 1.
[4] Comm. in Matth., V.
[5] Os., IV, 6.
[6] Marc., XVI, 15.
[7] Matth., XXVIII, 20.

exhortando, hominibus praedicare. [1] Et sacrosanctum Concilium Tridentinum: *Annuntiantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant.* [2] Quae omnia fusiore calamo persequutus f. r. Pius IX, haec scripsit: *Non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes, sanctissimae religionis nostrae dogmata et praecepta, iuxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annuncient; peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles, Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere et caelestem gloriam consequi valeant.* [3] Ex quibus omnibus perspicuum fit, symbolum Apostolorum, divinum decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes ac vitia, sua cuiusque conditionis officia, novissima hominis et cetera id genus aeterna vera, haec esse propria argumenta de quibus oporteat concionari ».

3° « Sed rerum talium copiam et uberrimam et gravissimam recentiores divini verbi ministri haud raro nil pensi habent; uti obsoletum quid et inane negligunt ac paene abiiciunt. Hi nimirum quum probe compertum habeant recensita rerum momenta captandae populari gratiae, cui tantum inhiant, minus esse idonea: *quae sua sunt quaerentes, non quae Iesu Christi,* [4] eadem plane seponunt, idque vel ipsis quadragesimae diebus ac reliquis solemnioribus anni tempestatibus. Una vero cum rebus immutantes nomina, antiquis concionibus recens quoddam ac minus recte intellectum alloquendi sufficiunt genus, quod *conferentiam* dicunt, menti cogitationique alliciendae magis aptum quam impellendae voluntati atque instaurandis moribus. Hi profecto haud secum reputant conciones morales omnibus, *conferentias* vix paucis prodesse; quorum si moribus diligentius perspectum foret per inculcatam saepe castitatem, animi demissionem, obsequium in Ecclesiae auctoritatem, hoc ipso praeiudicatas de fide opiniones exuerent lucemque veritatis promptiore animo exciperent. Quod enim complures de religione prave sentiunt, maxime inter catholicas gentes, id effrenatis animi cupiditatibus potius est tribuendum, quam vitio aberrantis intelligentiae, secundum divinam sententiam: *De corde exeunt cogitationes malae... blasphemiae.* [5] Hinc Augustinus Psalmistae referens verba: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus,* [6] commentatur: *in corde suo, non in mente sua* ».

4° « Haec tamen non ita sunt accipienda quasi sermones id genus per se omnino sint improbandi, quum contra, si apte tractentur, perutiles possint esse aut etiam necessarii ad refellendos errores, quibus religio impetitur. Sed amovenda omnino est a suggestu pompa illa dicendi, quae in quadam rerum contemplatione magis quam in actione versatur; quae civitatem spectat proprius quam religionem; quae denique specie nitet melius quam fructuum ubertate. Ea nempe omnia commentariis et academiis magis accommodata, dignitati atque amplitudini domus Dei minime congruunt. Sermones autem, seu *conferentiae,* quae propositam habent religionis tuitionem contra hostiles impugnationes, etsi quandoque necessarii, non omnium tamen humeris apti sunt, sed validioribus. Atque ipsis quidem oratoribus eximiis magna est adhibenda cautela, quod eiusmodi defensiones haberi non decet nisi ubi tempus aut locus aut audientium conditio eas necessario postulent, spesque adsit non fore fructu vacuas: cuius rei iudicium legitimum penes Ordinarios esse ambiget nemo. Oportet praeterea in sermonibus id genus probandi vis sacris doctrinis multo plus quam humanae sapientiae verbis innitatur, omniaque nervose dicantur ac dilucide, ne forte mentibus auditorum haereant altius impressae falsae opiniones quam opposita vera, neve obiecta magis quam responsa percellant. Ante omnia vero illud cavendum, ne talium sermonum frequentia moralium concionum dignitatem deminuat ab usuve removeat, quasi hae inferioris ordinis essent ac minoris faciendae prae pugnaci illo dicendi genere, adeoque concionatorum et auditorum vulgo relinquendae; quum contra verissimum sit conciones de moribus plerisque fidelibus esse maxime necessarias; dignitate vero contentiosis disceptationibus minime cedere; ita ut vel a praestantissimis oratoribus, coram quovis elegantiori frequentiorique coetu, saltem identidem summo cum studio essent habendae. Quod nisi fiat, multitudo fidelium cogetur audire semper loquentem de erroribus, a quibus plerique ipsorum abhorrent; nunquam de vitiis ac noxis, quibus eiusmodi auditoria prae ceteris inficiuntur ».

5° « Quod si vitiis haud vacat argumenti delectus, alia, eaque graviora etiam, querenda occurrunt si animum quis referat ad orationis speciem ac formam. Quae, prout egregie edisserit Aquinas, ut reapse sit *lux mundi, tria debet habere praedicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate: secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate: tertium est utilitas, ut quaerat Dei laudem et non suam.* [1] At vero forma hodierna dicendi saepenumero, non modo longe abest ab illa evangelica perspicuitate ac simplicitate quae iisdem deberet esse propria, sed tota posita est in verborum anfractibus atque abditis rebus, quae communem populi captum excedunt. Dolenda sane res ac prophetae deflenda verbis: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* [2] Sed illud etiam miserius, quod saepe his concionibus deest illa species religionis, afflatus ille christianae pietatis, illa denique vis divina ac Sancti Spiritus virtus interius loquentis et ad bonum pie permoventis animos: qua sane vi ac virtute sacris praeconibus semper essent usurpanda Apostoli verba: *Sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* [3] Iidem contra freti *persuasibilibus* humanae sapientiae verbis, vix

[1] Loc. cit.
[2] Sess. V, cap. 2, *de ref.*
[3] Litt. enc. IX nov. MDCCCXLVI. — Cf. N. 504.
[4] Philip., II, 21.
[5] Matth., XV, 19.
[6] Psal. XIII, 1.

[1] Loc. cit.
[2] Thren., IV, 4.
[3] I Cor., II, 4.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

aut ne vix quidem animum ad divina eloquia intendunt et ad Scripturas Sanctas, quae sacrae praedicationi potiores uberioresque recludunt latices, uti diserte docebat nuper Sanctissimus Dominus Leo XIII hisce verbis gravissimis: Haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur *in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa.* [1] Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enunciant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus.* [2] Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam; id quod Augustinus pervidit diserteque arguit, [3] atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo, affirmarunt ». [4]

6º « En igitur eloquentiae sacrae fons facile princeps, Biblia. Sed qui ad nova exempla componuntur praecones, dicendi copiam non e *fonte* hauriunt *aquae vivae*, sed abusu haud sane ferendo, se ad *humanae sapientiae cisternas dissipatas* convertunt, et seposita doctrina divinitus inspirata, vel Ecclesiae Patrum et Conciliorum, toti sunt in profanorum recentiorumque atque adeo viventium scriptorum nominibus sententiisque proferendis: quae sane sententiae saepe interpretationibus ansam praebent, aut ambiguis aut valde periculosis. — « Alterum offensionis caput iniiciunt qui ita de rebus religionis disserunt, quasi omnia caducae huius vitae emolumentis commodisque metiantur, futurae ac sempiternae pene obliti: qui fructus quidem a christiana religione illatos hominum societati praeclare persequuntur; officia vero ab iisdem servanda dissimulant; Christi Servatoris unam efferunt caritatem; iustitiam silent. Inde istius praedicationis exiguus fructus, qua audita profanus homo persuasionem secumfert, etiam non mutatis moribus se fore christianum, dum dicat: Credo in Christum Iesum ». [5] — Verum, quid ipsorum interest fructus colligere? Non id sane propositum habent, sed illud maxime, ut auditorum *prurientes auribus* iisdem assententur; dumque templa referta videant, vacuos animos remanere patiuntur. Hac nempe

[1] Thess., I, 5.
[2] Hebr., IV, 12.
[3] *De Doctor. christ.*, IV, 6, 7.
[4] Litt. encycl. *de Studiis Script. Sacr.*, XVIII nov. MDCCCXCIII. — Cf. N. 621.
[5] Card. Bausa, Archiep. Florentin., *ad iuniorem clerum.*, 1892.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

causa mentionem iniiciunt nullam de peccato, de novissimis, aliisque maximi momenti rebus, sed in eo toti sunt ut *verba placentia* effundant, tribunicia magis et profana eloquentia quam apostolica et sacra, ut clamores plaususque aucupentur; contra quos ita Hieronymus: *Docente in Ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrimae laudes tuae sint.* [1] Quo fit ut istorum conciones, quum in sacris aedibus tum extra, scenicum quendam apparatum exhibeant, omnemque speciem sanctitatis et efficaciam adimant. Hinc ab auribus populi et plurium etiam e clero migravit voluptas omnis quae a divino verbo hauritur; hinc bonis omnibus iniectae offensiones; hinc vel admodum exiguus, vel plane nullus aberrantium profectus, qui, etiamsi interdum concurrant audituri verba placentia, praesertim si magnificis illis illecti centies resonantibus *humanitatis adscensum, patriam, scientiam recentius invectam*, postquam dicendi peritum effuso prosequuti sunt plausu, templo iidem qui antea discedunt, haud eorum absimiles, qui *mirabuntur, sed non convertebantur* ». [2]

7º. « Volens igitur haec Sacra Congregatio, ex mandato Sanctissimi Domini Nostri, tot ac tam improbandos abusus cohibere, Episcopos omnes et eos, qui religiosis Familiis institutisve ecclesiasticis praesunt tamquam supremi moderatores, compellat, ut apostolico pectore sese iisdem opponant omnique studio exstirpandos curent. Memores igitur eorum, quae a SS. Concilio Tridentino praescripta sunt: [3] *Viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere tenentur*, in hoc negotio perquam diligenter cauteque se gerant. Si de sacerdotibus agatur suae dioecesis impense caveant Ordinarii ne unquam iidem ad id muneris admittantur, quin *prius de vita et scientia et moribus probati fuerint*, [4] hoc est nisi facto periculo aut alia opportuna ratione illos idoneos esse constiterit. Si vero de sacerdotibus res sit alienae dioecesis, neminem suggestum adscendere sinant, idque solemnioribus praesertim diebus, nisi prius ex testimonio scripto proprii Ordinarii vel religiosi Antistitis constiterit eosdem bonis moribus esse praeditos eique muneri pares. Moderatores vero sui cuiusque Ordinis, Societatis vel Congregationis religiosae neminem prorsus ex propriae disciplinae alumnis obire sinant concionatoris munus, eoque minus litterarum testimonio commendent locorum Ordinariis, nisi eiusdem perspectam habeant et morum probitatem et facultatem concionandi uti decet. Si quem vero commendatum sibi litteris oratorem exceperint ac subinde experti cognoverint, eum in concionando a normis praesentium Litterarum discedere, cito in obsequium adigant. Quod si non audierit, a suggestu prohibeant, iis etiam, si opus fuerit, adhibitis canonicis poenis, quas res videatur postulare ».

Haec praescribenda censuimus aut recolenda, mandantes ut religiose observentur, gravitate permoti succrescentis in dies mali, cui serius occurri

[1] *Ad Nepotian.*
[2] Ex Aug. in Matth., XIX, 25.
[3] Sess. V, c. 2, *de ref.*
[4] Conc. Trid., Sess. V, c. 2, *de ref.*

non potest sine summo periculo. Neque enim iam res est, quemadmodum ab initio, cum disputatoribus prodeuntibus *in vestimentis ovium*, sed cum apertis infensisque inimicis, iisque domesticis, qui facto foedere cum Ecclesiae capitalibus hostibus, propositam habent fidei eversionem. Sunt hi nempe, quorum audacia adversus deductam caelo sapientiam quotidie consurgit, cuius corrigendae sibi ius arrogant, quasi esset corrupta: renovandae, quasi esset senio confecta; augendae aptandaeque saeculi placitis, progressionibus, commodis, quasi eadem, non levitati paucorum, sed bono societatis esset adversa.

Hisce ausibus contra evangelicam doctrinam et ecclesiasticam traditionem nunquam satis opponetur vigilantiae aut severitatis nimium ab iis quibus commissa est sacri huius depositi custodia fidelis.

Quae igitur monita et salutaria mandata Motu hoc proprio ac certa scientia ediximus, ab universis catholici orbis quum Ordinariis tum etiam regularium Ordinum institutorumque ecclesiasticorum supremis Magistris religiosissime servanda, rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 655-680].

690.

Pius X, motu propr. *In Romanae*, 8 dec. 1910.

In Romanae Curiae ordinatione, per Constitutionem *Sapienti Consilio* decreta, [1] Cancellariae Nostrae Apostolicae prospicientes, munus commisimus coetui trium purpuratorum Patrum, id est Cardinalibus Cancellario, Datario et a Secretis Congregationis Consistorialis, quamprimum reformandi «formulas *Bullarum* collationis beneficiorum sive consistorialium, sive aliorum; itemque *Bullarum* constitutionis dioecesum et capitulorum; denique *Regularum*, quas *Cancellariae* vocant» (*Ordo servandus*, part. II, cap. 9, art I). [2]

Memorati PP. Cardinales, quibus id negotii demandatum est, re mature perpensa adhibitisque in consilium aliquot adlectis viris, officii partem expleverunt et novas condiderunt formulas, quibus Cancellaria Apostolica uti debeat in conficiendis *Bullis*, hoc est apostolicis sub plumbo Litteris de beneficiis consistorialibus aliisve actis adnexis, easque formulas Nobis, ut par erat, probandas confirmandasque subiecerunt.

Quum vero easdem *Bullarum* formulas, prout in volumine typis edito continentur, diligenter inspexerimus Nostraeque voluntati plane respondere agnoverimus, Nos ex plenitudine Apostolicae potestatis eas omnino approbamus et confirmamus, atque hoc Nostro Motu Proprio approbatas et confirmatas edicimus ac declaramus, mandantes, ut, antiquis Bullarum

[1] Cf. N. 682.
[2] Cf. Pii X Acta, vol. IV, p. 183-232; cf. etiam Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 36-108.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

formulis hae novae sufficiantur, eaedemque tantummodo, a die 1 mensis Ianuarii proximi anni MDCCCCXI ac deinceps, ab omnibus ad quos spectat religiose recipiantur et inviolate serventur, non obstantibus quibusvis, etiam specialissima mentione aut derogatione dignis.

[Acta Ap. Sedis, vol. II, p. 939, 940].

691.

Pius X, ep. *Ex quo*, 26 dec. 1910. [1]

1. Ex quo, nono labente saeculo, Orientis gentes ab unitate Ecclesiae catholicae coeperunt avelli, vix dici potest quantum a viris sanctis adlaboratum sit, ut dissidentes fratres ad eius gremium revocarentur. Prae ceteris vero Summi Pontifices, Decessores Nostri, pro eo quo fungebantur munere, fidem et unitatem ecclesiasticam tuendi, nil intentatum reliquerunt, ut qua paternis adhortationibus, qua publicis legationibus, qua solemnibus conciliis, funestissimum dissidium tolleretur, quod Occidenti quidem in moerorem cessit, Orienti vero grave intulit damnum. Huius sollicitudinis testes sunt, ut paucos tantum recenseamus, Gregorius IX, Innocentius IV, [2] Clemens IV, Gregorius X, [3] Eugenius IV, [4] Gregorius XIII, [5] et Benedictus XIV. [6] Sed neminem latet, quanto animi sui studio nuperrimo tempore Decessor Noster felicis recordationis Leo XIII, Orientis gentes invitaverit ut Ecclesiae Romanae iterum consociarentur. *Nos quidem certe* (inquit), [7] *pervetusta Orientis gloria, et in omne genus hominum fama meritorum ipsa recordatione delectat. Ibi enim salutis humani generis incunabula, et christianae sapientiae primordia; illinc omnium beneficiorum, quae una cum sacro Evangelio accepimus, velut abundantissimus amnis in Occidentem influxit... Atque haec Nobiscum in animo considerantes, nihil tam cupimus atque optamus, quam dare operam, ut Oriente toto maiorum virtus et magnitudo reviviscat. Eoque magis, quod illic humanorum eventuum is volvitur cursus, ut iudicia identidem appareant, quae spem portendant, Orientis populos, ab Ecclesiae Romanae sinu tam diuturno tempore dissociatos, cum eadem aliquando in gratiam, aspirante Deo, redituros.*

2. Nec, minori sane desiderio Nos ipsi, Venerabiles Fratres, quod probe nostis, tenemur, ut cito dies illucescat, tot anxiis sanctorum virorum votis exoptatus, quo penitus a fundamentis subvertatur murus ille,

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis Delegatis Apostolicis Byzantii, in Graecia, in Aegypto, in Mesopotamia, in Persia, in Syria et in Indiis Orientalibus considentibus.
[2] Cf. N. 34.
[3] Cf. N. 35.
[4] Cf. N. 51, 52, 54.
[5] Cf. N. 146.
[6] Const. *Nuper ad nos*, 16 martii 1743, aliam fidei professionem Orientalibus praescribit. — Cf. N. 335.
[7] Allocutio, *Si fuit in re*, 13 dec. 1880, ad S. R. E. Card., in Aed. Vat. (cf. Leonis XIII Acta, vol. II, p. 179-182); Ep. Ap. *Praeclara gratulationis*, 20 iunii 1894. — Cf. N. 625.

qui duos iamdiu dividit populos, atque his uno fidei et caritatis amplexu permixtis, pax invocata tandem aliquando refloreat, fiatque *unum ovile et unus pastor*. [1]

3. Nobis tamen haec animo revolventibus, gravis moeroris occasionem nuperrime praebuit scriptum aliquod, in recens condito diario *Roma e l'Oriente* evulgatum, cui titulus *Pensées sur la question de l'union des Eglises*. Enimvero tot iisque tam gravibus erroribus, non modo theologicis, verum etiam historicis, scriptum illud scatet, ut vix possit maior cumulus paucioribus paginis contineri.

4. Nimirum, ibi non minus temere quam falso huic opinioni fit aditus, dogma de processione Spiritus Sancti a Filio haudquaquam ex ipsis Evangelii verbis profluere, aut antiquorum Patrum fide comprobari: — pariter imprudentissime in dubium revocatur, utrum sacra de Purgatorio ac de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione dogmata a sanctis viris priorum saeculorum agnita fuerint; — cum vero de Ecclesiae constitutione incidit sermo, primo renovatur error a Decessore Nostro Innocentio X [2] iamdiu damnatus, quo suadetur S. Paulum haberi tamquam fratrem omnino parem S. Petro; — deinde non minori falsitate iniicitur persuasio, Ecclesiam catholicam non fuisse primis saeculis principatum unius, hoc est *monarchiam;* aut primatum Ecclesiae Romanae nullis validis argumentis inniti. — Sed nec ibidem intacta relinquitur catholica doctrina de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, cum praefracte docetur, sententiam suscipi posse quae tenet, apud Graecos verba consecratoria effectum non sortiri, nisi iam prolata oratione illa quam *epiclesim* vocant, cum tamen compertum sit Ecclesiae minime competere ius circa ipsam sacramentorum substantiam quidpiam innovandi; — cui haud minus absonum est, validam habendam esse Confirmationem a quovis presbytero collatam. [3]

5. Vel ex hoc errorum summario, quibus refertum est illud scriptum, facile intelligitis, Venerabiles Fratres, gravissimum offendiculum omnibus ipsum perlegentibus allatum fuisse, et Nos ipsos magnopere obstupuisse, catholicam doctrinam, non obtectis verbis adeo procaciter perverti, pluraque ad historiam spectantia, de causis orientalis schismatis, a vero audacter nimis detorqueri. Ac primum quidem falso in crimen vocantur sanctissimi Pontifices Nicolaus I et Leo IX, quasi magna dissensionis pars illius debeatur superbiae et ambitioni, huius vero acribus obiurgationibus; perinde ac si prioris vigor apostolicus in sacrosanctis iuribus tuendis superbiae sit tribuendus; alterius autem sedulitas in coercendis improbis vocari velit crudelitas. Historiae quoque iura conculcantur cum sacrae illae expeditiones, quas cruciatas vocant, tamquam latrocinia traducuntur; aut cum, quod etiam gravius est, Romani Pontifices incusantur, quasi studium, quo conati

[1] Ioan., X, 16.
[2] Decr. Congr. gen. S. R. et U. Inquis., 24 ian. 1647. — Cf. N. 728.
[3] Cf. Bened. XIV, Constitut. *Etsi pastoralis*, pro Italo-graecis, 26 maii 1742, ubi dicit irritam nunc fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola episcopi delegatione collatam. — Cf. N. 328.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

sunt Orientis gentes ad coniunctionem cum Ecclesia Romana vocare, dominandi cupiditati sit adscribendum, non apostolicae sollicitudini pascendi Christi gregis.

6. Nec stuporem addidit levem quod in eodem scripto adseritur, Graecos Florentiae a Latinis coactos fuisse ut unitati subscriberent, aut eosdem argumentis falsis inductos, ut dogma de processione Spiritus Sancti etiam a Filio susciperent. Quin etiam eo usque proceditur, ut historiae iuribus conculcatis, in dubium revocetur, utrum Generalia Concilia, quae post Graecorum discessionem celebrata sunt, hoc est ab octavo ad Vaticanum, tamquam oecumenica vere sint habenda; unde hibridae cuiusdam unitatis ratio proponitur, id solum ab utraque ecclesia deinceps agnoscendum tamquam legitimum, quod commune patrimonium fuerit ante discessionem, ceteris, tamquam supervacaneis et forte spuriis additamentis, alto silentio pressis.

7. Haec vobis, Venerabiles Fratres, significanda duximus, non solum ut sciatis memoratas propositiones atque sententias falsas, temerarias, a fide catholica alienas a Nobis reprobari, sed etiam ut quantum in vobis est, a populis vigilantiae vestrae commissis tam diram luem propulsare conemini, omnes adhortando, ut in accepta doctrina permaneant, neve alteri unquam consentiant, licet... *angelus de caelo evangelizet*. [1] Simul tamen enixe oramus, ut eos persuasos faciatis, nihil Nobis antiquius esse, quam ut omnes bonae voluntatis homines vires indefesse exerant, quo concupita unitas citius obtineatur, ut in una fidei catholicae professione, sub uno pastore summo adunentur, quas discordia dispersas retinet oves. Quod facilius quidem continget, si ad Spiritum Sanctum Paraclitum, qui *non est dissensionis Deus, sed pacis*, [2] fervidae ingeminentur preces; inde enim fiet ut Christi votum impleatur, quod ante subeundos extremos cruciatus cum gemitibus expressit: [3] *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint.*

8. Denique hoc omnes in animum inducant suum, incassum omnino in hoc opere adlaborari, nisi imprimis recta et integra fides catholica retineatur, qualis in Sacra Scriptura, Patrum traditione, Ecclesiae consensu, Conciliis Generalibus, ac Summorum Pontificum decretis est tradita et consecrata. Pergant igitur quotquot contendunt causam tueri unitatis: pergant fidei galea induti, anchoram spei tenentes, caritatis igne succensi, sedulam in hoc divinissimo negotio navare operam; et pacis auctor atque amator Deus, cuius in potestate posita sunt tempora et momenta, [4] diem accelerabit, quo Orientis gentes ad catholicam unitatem exsultantes sint rediturae, atque huic Apostolicae Sedi coniunctae, depulsis erroribus, salutis aeternae portum ingressurae.

9. Has Nostras litteras, Venerabiles Fratres, in linguam vernaculam regionis unicuique vestrum concreditae diligenter translatas evulgare cura-

[1] Gal., I, 8.
[2] I Cor., XIV, 33.
[3] Ioan., XVII, 21.
[4] Act., I, 7.

bitis. Dum porro vos certiores facere gaudemus, dilectum Auctorem scripti inconsiderate, sed bona fide ab ipso elucubrati, sincere et ex corde coram Nobis adhaesisse doctrinis in hac epistola expositis, et cuncta quae Sancta Sedes Apostolica docet, reiicit et condemnat, et ipsum, Deo adiuvante, usque ad ultimum vitae finem docere, reiicere et condemnare esse paratum, divinorum auspicem munerum, Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem Vobis peramanter in Domino impertimus.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 117-121].

692.

Pius X, litt encycl. *Iamdudum*, 24 maii 1911.[1]

1. Iamdudum in Lusitania incredibilem quemdam cursum fieri per omnem immanitatem facinorum ad Ecclesiam opprimendam, vobis quidem omnibus, Venerabiles Fratres, satis cognitum arbitramur. Nam, ubi status eius civitatis in formam conversus est reipublicae, continuo coepisse, aliud ex alio, sanciri talia quae inexpiabile religionis catholicae spirent odium, quis ignorat? Violenter pelli de medio vidimus familias religiosorum, atque hos, maximam partem, dure inhumaniterque e Lusitanis exterminari finibus. Vidimus, ob studium pertinax omnem disciplinam civilem profanandi nullumque religiosae rei vestigium in actione vitae communis relinquendi, expungi de numero festorum festos Ecclesiae dies; iuri iurando insitam religionis notam detrahi; festinanter legem de divortiis condi; praeceptionem doctrinae christianae a scholis publicis excludi. Denique, ut alia omittamus quae persequi longum est, vehementius ab his Antistites sacrorum peti, duosque e spectatissimis Episcopis, Portugalliensem et Beiensem, viros cum integritate vitae tum magnis in patriam Ecclesiamque promeritis illustres, de sedibus honoris sui deturbari. — Quum autem novi gubernatores Lusitaniae tot tantaque ederent imperiosae libidinis exempla, scitis quam patienter quam moderate sese adversus eos Apostolica haec Sedes gesserit. Equidem summa diligentia duximus cavendum, ne quidquam ageremus, quod posset contra Rempublicam hostiliter actum videri. Nonnulla enim spe tenebamur fore, ut ii aliquando saniora inirent consilia, ac de iniuriis illatis aliquo tandem pacto Ecclesiae satisfacerent. Verum tota re Nos fefellit animus: ecce nefario operi tamquam fastigium imponunt pessimae ac perniciosissimae promulgatione legis de Civitatis ab Ecclesiae rationibus separandis. Iamvero vulnus tam grave iuri et dignitati inustum religionis catholicae toleranter ferre ac praeterire silentio haudquaquam apostolici religio officii Nos patitur. Quapropter his vos litteris appellamus, Venerabiles Fratres, universoque nomini christiano omnem huius facti indignitatem denuntiamus.

[1] Venerabilibus Patriarchis Primatibus Archiepiscopis Episcopis aliisque locorum Ordinariis pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

2. Principio legem de qua loquimur, absurdum quiddam esse et monstruosum apparet ex eo, quod rem publicam divini cultus esse expertem statuit, quasi vero non ab Ipso, qui conditor et conservator est rerum omnium, cum homines singuli tum consociatio quaevis hominum et communitas pendeat: item, quod catholicae religionis observantia solvit Lusitaniam; eius inquimus religionis, quae huic genti maximo semper praesidio et ornamento fuit, quamque universitas fere civium profitetur. Sed tamen, esto: placuit tantam civitatis Ecclesiaeque coniunctionem, eamque sollemni pactorum fide confirmatam, discindi. Hoc posito discidio, consentaneum profecto erat omittere Ecclesiam et sinere ut communi libertate ac iure uteretur, quo quisque civis et honesta quaeque civium societas utitur. Quod totum contra est. Nam a separatione quidem haec lex nomen habet, re tamen ipsa eam habet vim, ut Ecclesiam in externis bonis ad extremum inopiae spoliando redigat, in iis autem quae sunt sacrae potestatis ac spiritus, in servitutem reipublicae opprimendo tradat.

3. Et primum, quod attinet ad res externas, ita se Lusitana Respublica ab Ecclesia segregat, ut nihil omnino ei relinquat unde tueri decus Domus Dei, sacricolas alere, multiplicia caritatis pietatisque exercere munia possit. Etenim, huius praescripto legis, non solum quascumque res Ecclesia mobiles immobiles obtinet, ex earum possessione, quamvis optimo iure parta, detruditur; verum etiam quaevis ei potestas adimitur quidquam sibi in posterum acquirendi. Statuitur quidem, ut certa civium corpora divino cultui exercendo praesideant; verum quae his datur facultas ad accipiendum quidquid in eam causam oblatum sit, mirum quam angustis terminis circumscribitur. Praeterea quibus obligationibus obstricti, cives catholici aliquid vel subsidii vel stipendii suo quisque curioni praestare consueverunt, eas extinguit lex ac perimit, prohibens, ne quid iam eo nomine exigatur. Utique sinit, ut ipsi sumptibus in divinum cultum faciendis catholici homines voluntaria stipis collatione provideant; sed tamen iubet de summa ob eam rem conflata detrahi tertiam partem et in officia beneficentiae civilis insumi. Atque ad haec omnia illud velut cumulus accedit, quod ex hac lege aedificia quae deinceps comparari aut extrui contingat in usum sacrorum, ea, cum definitus annorum numerus effluxerit, submotis possessoribus legitimis nec iis factis indemnibus, in publicum referentur.

4. De rebus vero, in quibus sacra Ecclesiae potestas proprie versatur, multo est gravius multoque perniciosius ludibrium *Separationis* huius, quae, uti diximus, ad indignam ipsius Ecclesiae recidit servitutem. — Primum omnium, Hierarchia prorsus, tamquam ignorata, negligitur. Si qua de hominibus sacri ordinis mentio fit, ideo fit, ut interdicatur eis, ne ullo se modo ordinationi religiosi cultus immisceant. Omnis ea cura demandata est consociationibus *laicorum*, quae institutae iam sint, aut futurae sint, beneficentiae causa, et quidem institutae ad normam disciplinae civilis, ex auctoritate Reipublicae, nulla ut ratione ab Ecclesiae potestate pendeant. Quod si de consociatione, cui sit hoc muneris deferendum, clerici cum laicis dissenserint, aut inter laicos ipsos non convenerit, diiudicanda res relinquitur non Ecclesiae sed arbitrio Reipublicae, quae sola in hisce institutis dominatur.

Atque in constituendo divino cultu usque adeo rectores rei Lusitanae non patiuntur locum esse Clero, ut aperte praescriptum et statutum sit, non posse, qui religionis ministeriis sint addicti, aut in decurias parochiarum cooptari aut in partem vocari administrationis vel regiminis consociationum, quas memoravimus: qua quidem praescriptione nihil iniquius aut intolerabilius cogitari potest, cum clericorum ordinem in ea ipsa re, qua praestat, inferiorem, quam ceteros cives, conditione faciat.

5. Quibus autem vinculis Lusitana lex constringat et implicet Ecclesiae libertatem, vix credibile est: adeo cum institutis horum temporum atque etiam cum publicis libertatum omnium praeconiis pugnat res: adeo est humano quovis civilique populo indigna. Igitur sancitum est gravibus poenis, ne qua sacrorum antistitum acta mandari typis, ullove pacto, ne intra parietes quidem templorum, proponi populo liceat, nisi concessu Reipublicae. Praeterea interdictum, extra sacrarum aedium limina, ne, inconsulta Republica, caerimoniarum quid celebretur, ne qua pompa circumducatur, ne quis ornamenta sacra neve ipsam vestem talarem gerat. Item vetitum, non modo ad monumenta publica, sed etiam ad aedes privatorum quidquam apponi quod catholicam religionem sapiat; at minime vetitum, quod catholicos offendat. Item societatem coire religionis pietatisque colendae gratia, non licet: cuius quidem generis societates eodem plane habentur loco atque illae nefariae, quae scelerum causa conflentur. Ad haec, cum concessum sit omnibus civibus ad suum arbitrium uti posse rebus suis, catholicis tamen, contra ius fasque importune coangustatur potestas huiusmodi, si quid de suo attributum velint solandis piorum manibus aut sumptibus divini cultus suppeditandis: et quae id genus pie statuta iam sunt, impie deformata convertuntur in alios usus, violatis testamentis et voluntatibus auctorum. Denique Respublica — id quod maxime est acerbum et grave — non dubitat regnum invadere auctoritatis Ecclesiae, ac plura de ea re praescribere, quae cum ad ipsam sacri ordinis constitutionem spectet, praecipuas curas Ecclesiae sibi vindicat: de disciplina dicimus et institutione sacrae iuventutis. Neque enim, solum cogit alumnos Cleri, ut doctrinae et litterarum studiis, quae theologiam antecedunt, in lyceis publicis dent operam, ubi ipsorum integritas fidei, ob alienum a Deo Ecclesiaque institutionis genus, praesentissimis sane periculis est obiecta; verum in domesticam etiam Seminariorum vitam temperationemque sese infert Respublica, sibique ius arrogat designandi doctores, probandi libros, sacra Clericorum studia moderandi. Ita vetera in usum revocantur scita *Regalistarum;* quae quidem molestissimam arrogantiam habuerunt, dum Civitatis Ecclesiaeque concordia stetit, nunc vero, quum Civitas sibi cum Ecclesia nihil iam vult esse, nonne pugnantia et plena insaniae videantur? — Quid, quod etiam ad Cleri depravandos mores atque ad incitandam defectionem a praepositis suis hanc apprime factam legem dixeris? Nam et certas pensiones ex aerario assignat iis, qui sint, antistitum auctoritate, a sacris abstinere iussi, et singularibus beneficiis sacerdotes ornat, qui, suorum officiorum misere immemores, ausi fuerint attentare nuptias, et, quod referre piget, eadem beneficia ad participem fructusque, si qui fuerint superstites, sacrilegae coniunctionis extendit.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETR

6. Postremo parum est quod Ecclesiae Lusitanae, suis despoliatae bonis, servile prope iugum imponit Respublica, nisi etiam nitatur, quantum potest, hinc ipsam e gremio catholicae unitatis deque complexu Ecclesiae Romanae divellere, illinc impedire, quominus religiosis Lusitaniae rebus Apostolica Sedes auctoritatem providentiamque suam adhibeat. Itaque ex hac lege, ne Romani quidem Pontificis iussa pervulgari, nisi concessum sit publice, licet. Pariter sacerdoti, qui apud aliquod athenaeum, Pontificia auctoritate constitutum, academicos in sacris disciplinis gradus consecutus sit, etiam si theologiae spatium domi confecerit, sacris fungi muneribus non licet. In quo planum est, quid velit Respublica: nempe efficere, ut adolescentes clerici, qui perfici sese et perpoliri in studiis optimis cupiunt, ne ob eam causam conveniant in hanc urbem, principem catholici nominis: ubi certe proclivius, quam usquam alibi, factu est, ut et mentes incorrupta christianae doctrinae veritate, et animi sincera in Apostolicam Sedem pietate ac fide conformentur. Haec, praetermissis aliis, quae quidem non minus iniquitatis habent, haec igitur praecipua sunt improbae huius legis capita.

7. Itaque, admonente Nos Apostolici conscientia officii ut, in tanta importunitate et audacia inimicorum Dei, dignitatem et decus Religionis vigilantissime tueamur, ac sacrosancta Ecclesiae catholicae iura conservemus, Nos legem de Lusitana Republica Ecclesiaque separandis, quae Deum contemnit, professionemque catholicam repudiat: quae pacta solemniter conventa inter Lusitaniam et Apostolicam Sedem, ius naturae ac gentium violando, rescindit; quae Ecclesiam de iustissima rerum suarum possessione deturbat; quae ipsam Ecclesiae libertatem opprimit divinamque constitutionem pervertit; quae denique maiestatem Pontificatus Romani, Episcoporum ordinem, Clerum populumque Lusitaniae atque adeo catholicos homines, quotquot sunt orbis terrae, iniuria contumeliaque afficit, pro apostolica auctoritate Nostra improbamus, damnamus, reiicimus. Quum autem vehementer conquerimur huiusmodi latam, sancitam, propositam in publicum esse legem, sollemnemque cum omnibus, quicumque rei auctores ac participes fuerunt, expostulationem facimus, tum vero quidquid ibi contra inviolata Ecclesiae iura statutum est, nullum atque inane et esse et habendum esse edicimus ac denuntiamus.

8. Profecto haec difficillima tempora, quibus Lusitania, post indictum publice Religioni bellum, conflictatur, magnam Nobis sollicitudinem tristitiamque efficiunt. Dolemus nimirum tot malorum spectaculo, quae gentem, Nobis penitus dilectam, premunt; angimur exspectatione acerbiorum rerum, quae certe eidem impendent, nisi qui praesunt, mature se ad officium revocarint. — Sed vestra Nos eximia virtus, Venerabiles Fratres, qui Lusitanam gubernatis Ecclesiam, Clerique istius ardor vestrae virtuti mirabiliter concinens, valde consolatur, bonamque spem affert, fore istic aliquando res, Deo adiuvante, meliores. Vos enim omnes non sane securitatis rationem aut commodi, sed officii et dignitatis habuistis nuper, cum iniquam *discidii* legem palam et libere indignando repudiastis; cum una voce professi estis malle vos vestrorum iactura bonorum sacri muneris redimere libertatem,

quam pro mercedula pacisci servitutem; cum denique negastis ullo unquam aut astu aut impetu inimicorum posse vestram cum Romano Pontifice coniunctionem labefactari. Ista quidem, quae in conspectu Ecclesiae universae dedistis, fidei, constantiae magnique animi praeclara documenta, sciatis cum voluptati bonis omnibus, tum vobis honori, tum ipsi laboranti Lusitaniae emolumento fuisse non mediocri. — Quare pergite, ut instituistis, Religionis causam, quacum salus ipsa communis patriae connexa est, agere pro viribus: sed videte in primis, ut et ipsi inter vos, et christianus populus vobiscum, et omnes cum hac Beati Petri Cathedra summam consensionem et concordiam retineatis diligenter et confirmetis. Hoc enim auctoribus nefariae legis propositum est, quod diximus: non a Republica (ut videri volunt) *separare* Ecclesiam Lusitanam, quam despoliant opprimuntque, sed a Vicario Iesu Christi. Quod si tali hominum consilio ac sceleri occurrere atque obsistere omni vos ope studueritis, iam rebus Lusitaniae catholicae commode per vos consultum fuerit. Nos interea, pro singulari qua vos diligimus caritate, Deo omnipotenti supplices erimus, ut diligentiae studioque vestro bonus faveat. — Vos autem rogamus, reliqui orbis catholici Antistites, ut id ipsum officii tam necessario tempore sollicitis e Lusitania fratribus praestare velitis.

9. Auspicem vero divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis omnibus, Venerabiles fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem, peramanter impertimus.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 217-224].

693.

Pius X, motu propr. *Supremi disciplinae*, 2 iul. 1911.

Supremi disciplinae Ecclesiasticae custodes et Moderatores Pontifices Romani, si quando christiani populi bonum id Ipsis suaderet, sacrorum Canonum sanctiones relaxare benigne consueverunt. Nos quidem Ipsi, quemadmodum iam alia, ob mutatas temporum et civilis societatis conditiones, immutanda existimavimus, ita etiam in praesens ecclesiasticam legem de festis diebus ex praecepto servandis, ob peculiaria aetatis adiuncta, opportune temperandam censemus. Lata enim terrarum marisque spatia, mira nunc celeritate homines percurrunt, facilioremque per expeditiora itinera aditum ad eas nationes nanciscuntur, quibus minor est festivitatum de praecepto numerus. Aucta etiam commercia, et citatae negotiorum tractationes videntur ex interposita frequentium festorum dierum mora aliquid pati. Succrescens denique in dies rerum ad vitam necessariarum pretium stimulos addit, ne saepius servilia opera ab illis intermittantur quibus est victus labore comparandus.

His de causis iteratae preces, praesertim postremis hisce temporibus, Sanctae Sedi adhibitae sunt ut festivitatum de praecepto numerus minueretur.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Haec omnia Nobis animo repetentibus, qui unam christiani populi salutem cordi habemus, opportunum maxime consilium visum est festos dies ex Ecclesiae mandato servandos imminuere.

Itaque, Motu proprio et matura deliberatione Nostra, adhibitoque consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium qui ad Ecclesiae leges in Codicem redigendas incumbunt, haec quae sequuntur de festis diebus edicimus observanda.

I. Ecclesiastico praecepto audiendi Sacri et abstinendi ab operibus servilibus hi tantum, qui sequuntur, dies subiecti manebunt: Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

II. Dies festi Sancti Ioseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis, et Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, uterque cum octava, celebrabuntur, tamquam in sede propria, prior, Dominica insequente diem XIX Martii, immoto permanente festo si dies XIX Martii in Dominicam incidat; alter, Dominica quae festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum antecedat. Festum vero Sanctissimi Corporis Christi, idemque cum octava privilegiata, Dominica post Sanctissimam Trinitatem, tamquam in sede propria, celebrabitur, statuta pro festi Sacratissimi Cordis Iesu feria VI intra octavam.

III. Ecclesiastico praecepto, quod supra diximus, dies festi Patronorum non subiacent. Locorum autem Ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad Dominicam proxime sequentem.

IV. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis Episcopi conservandum censuerint, Sanctae Sedi rem deferant.

V. Quod si in aliquod ex festis quae servata volumus, dies incidat abstinentiae vel ieiunio consecratus, ab utroque dispensamus; eandemque dispensationem etiam pro Patronorum festis, hac Nostra lege abolitis, concedimus, si tamen solemniter et cum magno populi concursu ea celebrari contingat.

Novum Apostolicae sollicitudinis argumentum huiusmodi praebentes, spem Nos certam fovemus, fideles universos iis etiam diebus, quos nunc de numero festivitatum praecepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, non minus quam antea, fore testaturos, ceterisque diebus festis, qui in Ecclesia servandi supersunt, diligentiore, quam antehac, studio observandum praeceptum curaturos.

Contrariis quibusvis, licet speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 305-307].

694.

Pius X, motu propr. *Quantavis diligentia*, 9 oct. 1911.

Quantavis diligentia adhibeatur in condendis legibus, saepe non licet dubitationem praecaveri omnem, quae deinceps ex earum callida interpretatione queat exsistere. Aliquando autem iurisperitorum, qui ad rimandam naturam vimque legis accesserint, tam diversae inter se sunt sententiae, ut quid sit lege constitutum, non aliter constare, nisi per authenticam declarationem, possit.

Id quod videmus contigisse, postquam Constitutio *Apostolicae Sedis* promulgata est, [1] qua Censurae latae sententiae limitantur. Etenim inter scriptores, qui in eam Constitutionem commentaria confecerunt, magna orta est de ipsius Capite VII controversia; utrum verbo *Cogentes* legislatores personaeque publicae tantummodo, an etiam homines privati significentur, qui iudicem laicum, ad eum provocando actionemve instituendo, cogant ut ad suum tribunal clericum trahat.

Quid valeret quidem hoc Caput, semel atque iterum Congregatio Sancti Officii declaravit. — Nunc vero in hac temporum iniquitate, cum ecclesiasticae immunitatis adeo nulla solet haberi ratio, ut non modo Clerici et Presbyteri, sed Episcopi etiam ipsique S. R. E. Cardinales in iudicium laicorum deducantur, omnino res postulat a Nobis, ut quos a tam sacrilego facinore non deterret culpae gravitas, eosdem poenae severitate in officio contineamus. Itaque hoc Nos Motu proprio statuimus atque edicimus: quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant, eos etiam omnes in Excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrere.

Quod autem his litteris sancitum est, firmum ratumque esse volumus, contrariis quibusvis non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 555, 556].

695.

Pius X, motu propr. *Quo magis*, 23 oct. 1911.

Quo magis incolumis fiat unio quatuor Familiarum Minoriticarum, quae pari omnino iure parique minoritico titulo, sive Regularis sive Strictioris Observantiae S. Francisci, unum morale Corpus constituebant, et quo facilius augescat opus feliciter absolutum a Leone XIII, piae recordationis, necessarium duximus prorsus eliminare quamdam permanentem semperque graviorem discordiae et mutuae diffidentiae causam, productam e *fusione*

[1] Cf. N. 552.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

multarum Provinciarum Fratrum Minorum, inclinationes, usus et consuetudines diversas habentium, iuxta differentem ex-familiam, ad quam pertinebant, restituendo familiis antiquarum Provinciarum, quae super hoc Nos instantissime efflagitarunt, et quae ob auctum sacerdotum numerum et ob alias causas poterant de novo constitui, ipsarum autonomiam, servata tamen perfecta unione Constitutionum et Regiminis, praescripta a Leone XIII, et hoc fine prae oculis habito, ut praefatae Provinciae differentia haberent territoria et non *commixta*, exceptione facta pro nonnullis magnis civitatibus relate ad aliquas Provincias.

Quibus adhibitis mediis *revexit* promissio facta et usque ab initio iterata ex parte Superiorum, qui promoverunt unionem; quo vocabulo significare volebant, non fusionem, nec destructionem Provinciarum, sed plenam legislationis et regiminis unitatem, efformando unam dumtaxat magnam Minoriticam Familiam, perfecte unitam. Fusio illa Provinciarum ex parte Superiorum Maiorum, bona fide facta fuit; verum finis per se nobilis, quem prae oculis habuerant, in praxi id effecit, ut multorum animi magis seiungerentur: idcirco temerarie et iniuste reprobarentur, tum vivum desiderium, tum humiles preces, quas Apostolicae Sedi porrexerunt plures religiosi, non exceptis etiam iis dignioribus ob singularem virtutem, scientiam et auctoritatem, ut intra unionem recuperaretur antiqua autonomia quoad respectivas ipsorum Provincias, atque ita de medio tolleretur pomum discordiarum, quae, praecipue in Italia, fiebant gravissimum, imo et imminens periculum completae ruinae unionis sanctissimae, factae per constitutionem *Felicitate quadam*. [1]

Sublata hoc modo praecipua dissensionum causa, nunc, omnis cura est adhibenda, ut in hac magna Minoritica Familia, quam constanti amore prosequuti fuimus et prosequimur, gubernium generale, provinciale et locale totius Ordinis facilius, efficacius et salutarius reddatur, et insuper, ut in omnibus Generalibus Comitiis, quando, sexto quovis anno, iuxta Constitutionum praescriptum, simul conveniunt quotquot gaudent iure suffragii in Capitulis Generalibus, semper fiant electiones Ministri Generalis et Definitorii Generalis, cum non dissimili temporis duratione. Sed quoniam, ut experientia docet, nimius Consiliariorum numerus recto regimini magis nocet, quam prodest; necesse est, ut restringatur numerus Religiosorum, fruentium iure adsistendi coetibus definitorialibus. Expedit insuper, ut Ordo agnoscat, quinam de iure vices gerere debeat Ministri Generalis aut Provincialis, Sede plena, aut Sede vacante; ut electiones fiant cum maturo examine, multa cum serietate et religione, remoto prorsus abusu iteratorum scrutiniorum cum excessivo omnino numero, qui saepius deploratus fuit, et qui non leves discordias fovet, et quodammodo destruit aestimationem debitam auctoritati tum eligendorum, tum electorum; ut novae electiones semper debitis normis et intra debitos limites peragantur.

Praeterea, cum tituli honorifici, ius praecedentiae, et exemptionum, seu personalia privilegia, concessa velut in praemium temporale et velut

[1] Cf. Leonis XIII Acta, vol. XVII, p. 296-308.

honor terrenus, religiosas familias facile avertant a plena regularis disciplinae observantia, et saepissime etiam a vero progressu individuali in virtutibus, iure meritoque quamplures e dignioribus filiis Seraphici sanctae humilitatis Magistri Francisci Assisiensis, vehementissime cupiunt et instant, ut tales honores et privilegia, quae practice redundant in personale tantum et terrenum commodum, ex Ordine removeantur; cumque talis petitio penitus respondeat desideriis Nostris; idcirco praefata privilegia tollimus, abolemus, abrogamus, exceptione facta, ex parte tamen, pro Ex-Provincialibus immediatis et pro Fratribus, qui duas primas Dignitates totius Ordinis exercuerint, scilicet pro Ex-Ministris Generalibus et Ex-Procuratoribus Generalibus, et pro hisce ultimis, etiam quia officio Procuratoris Generalis erit adnexum illud Delegati aut Vicarii Generalis.

Haec autem non excludunt, sed id etiam includunt, ut Patribus, qui vires suas consumpserunt aut consumunt in bonum Ordinis, in difficilioribus aut gravioribus muneribus exercendis, omnes et singuli conentur specialem exhibere reverentiam, grati animi significationem, in spiritu verae dilectionis, charitatis et cuiusdam veluti aequitatis: sed gratissimum erit Deo mutuum et sanctum illud certamen, quo subditi suos iam Superiores aliosque benemerentes adiuvabunt et reverebuntur, et quo isti totis viribus evadere curabunt humiliores, et eo magis alieni fieri a quolibet vel desiderio honorum et specialium adiumentorum, quo maiora fuerunt ipsorum merita, tum praeterita, tum praesentia. Deo maxime quidem acceptus et benedictus a Seraphico Patre erit ardor ille laudabilissimus, quo viri apostolici, peritissimi sacrarum scientiarum professores atque eximii educatores et moderatores Fratrum Minorum, nullum alium honoris titulum aut privilegium habere satagent, quam abiectos vivere in Domo Dei, novissimum locum quaerere, et nullum suorum operum praemium desiderare in terris, ut securius maiora praemia, imperituros honores, retributionem maximam in aeterna beatitudine consequantur.

Quapropter Motu hoc proprio sequentia omnino perpetuoque servanda edicimus, decernimus, mandamus:

I. Sex tantum erunt Definitores Generales, ex quibus duo pro lingua italica; unus pro lingua germanica; unus pro lingua anglica; unus pro lingua gallica; unus pro lingua hispanica.

II. Lingua tamen hic sumenda erit promiscue etiam pro imperio, regno, regione, cum linguis et regionibus affinibus vel vicinioribus, dummodo tamen eligendus veram peritiam habeat linguae, in praecedenti articulo designatae.

III. Officium Ministri, Procuratoris et Definitorum Generalium per sex tantum annos perdurabit. Post primum tamen sexennium Minister, Procurator et duo tantum ex Definitoribus rationabili de causa reeligi poterunt ad secundum sexennium, dummodo duas ex tribus partibus votorum favorabilium obtineant. Pro ulteriori sexennio requiritur licentia S. Sedis.

IV. In electionibus Ministri Generalis, Procuratoris Generalis et Ministri Provincialis, si post tertium scrutinium, non habeatur electio, fiat quartum, in quo vocem passivam habeant duo Patres, qui maiorem suffragiorum numerum in tertio retulerint: et si suffragia fuerint paria, electus declaretur religione senior. — In electionibus Definitorum, tum Generalium, tum Provincialium aliorumve Superiorum seu Officialium per scrutinia secreta constituendorum, inaniter peracto primo et secundo scrutinio, fiat tertium tantum, in quo sufficiat maioritas relativa suffragiorum: quod si suffragia fuerint paria, electus proclametur religione senior.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

V. Ministri, Custodes et Definitores Provinciales per triennium in officio perdurent. Ministri Provinciales, Custodes et duo ex Definitoribus rationabili de causa reeligi possunt ad secundum triennium; sed pro ulteriori triennio requiritur licentia S. Sedis.

VI. Guardiani per triennium in officio perdurent, seu de Capitulo ad Capitulum: abrogatis omnino congregationibus annuis seu intermediis. Elapso triennio, Guardiani iusta de causa eligi possunt pro alio conventu; pro secundo triennio in eodem conventu, requiritur licentia Ministri Generalis. Pro tertio autem triennio in eodem conventu, et pro quarto triennio in alio vel aliis requiritur licentia S. Sedis.

VII. Absente Ministro Generali, Procurator Generalis, et absente Provinciali, Custos Provincialis munere Delegati Generalis vel Provincialis respective fungi debet; qui, vacante officio, nomen Vicarii Generalis vel Provincialis item respective assument.

VIII. Tituli praecedentiae et exemptiones de iure vel consuetudine in Ordine vigentes inter eos, qui actu Superiores non sunt, omnino tolluntur. Soli Ex-Ministri et Ex-Procuratores Generales, semper et ubique, et Ex-Provincialis Minister durante immediato triennio, sed in sua Provincia tantum, titulum et praecedentiam habere poterunt cum voce activa et passiva in capitulis generali et propriae Provinciae, si de Ex-Generali et Ex-Procuratore, et in Capitulo Provinciali, si de Ex-Provinciali agatur. Nullus vero, etiamsi sit Ex-Generalis, locum aut vocem habere poterit in congressibus definitorialibus, sive generalibus, sive provincialibus.

IX. Fiant reformationes studiorum, et normae Lectorum constituendorum, suppressis titulis officiorum, quae actu non exercentur.

X. Constitutiones Ordinis reformentur infra sex menses iuxta praescripta in praesenti decreto, idque per specialem Commissionem a S. Sede designandam, additis insuper necessariis aliis et opportunis modificationibus, tum ut plane respondeant hodiernis praescriptionibus Canonicis, tum ut e medio tollantur abusus, qui novissimis praesertim temporibus hinc inde irrepserunt, tum ut spiritus vere seraphicus in toto Ordine efficacius uberiusque vigeat novaque semper incrementa suscipiat. — Haec tamen Constitutionum reformatio non importat substantialem mutationem earumdem, sed novam tantummodo editionem cum suppressione, vel modificatione eorum, quae, hisce Nostris praescriptionibus contradicunt, et cum emendationibus et additionibus opportunis et necessariis.

Nomina Moderatorum Curiae Generalitiae Ordinis Minorum, per has Nostras praescriptiones reformatae, a Nobis electorum et constitutorum, in separato documento publicari mandamus. Circa Commissionem novae Constitutionum editioni parandae, cum novis Superioribus voluntatem

Nostram communicandam curabimus. Denique ipsis Superioribus Generalibus, ad maius totius Ordinis bonum et incrementum, opportunas Regiminis Normas dabimus.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, minime obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 556-561].

696.

Pius X, const. *Divino afflatu*, 1 nov. 1911.

1. Divino afflatu compositos Psalmos, quorum est in sacris litteris collectio, inde ab Ecclesiae exordiis non modo mirifice valuisse constat ad fovendam fidelium pietatem, qui offerebant *hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius;* [1] verum etiam ex more iam in vetere Lege recepto in ipsa sacra Liturgia divinoque Officio conspicuam habuisse partem. Hinc illa, quam dicit Basilius, nata *Ecclesiae vox,* [2] atque psalmodia, eius *hymnodiae filia*, ut a decessore Nostro Urbano VIII appellatur, [3] *quae canitur assidue ante sedem Dei et Agni*, quaeque homines, in primis divino cultui addictos docet, ex Athanasii sententia, *qua ratione Deum laudare oporteat quibusque verbis decenter* confiteantur. [4] Pulchre ad rem Augustinus: *Ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus; et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo, quemadmodum laudet eum.* [5]

2. Accedit quod in Psalmis mirabilis quaedam vis inest ad excitanda in animis omnium studia virtutum. Etsi enim *omnis nostra Scriptura, cum vetus tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur;.... at Psalmorum liber, quasi paradisus omnium reliquorum* (librorum fructus) *in se continens, cantus edit, et proprios insuper cum ipsis inter psallendum exhibet.* Haec iterum Athanasius, [6] qui recte ibidem addit: *Mihi quidem videtur, psallenti Psalmos esse instar speculi, ut et seipsum et proprii animi motus in ipsis contempletur, atque ita affectus eos recitet.* [7] Itaque Augustinus in Confessionibus: *Quantum*, inquit, *flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis et eliquabatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimae et bene mihi erat cum eis.* [8] Etenim, quem non moveant frequentes illi Psalmorum loci, in quibus de immensa maiestate Dei, de omnipotentia, de inenarrabili iustitia aut bonitate aut clementia de ceterisque infinitis laudibus eius tam alte praedicatur? Cui non similes

[1] Hebr., XIII, 15.
[2] Homil. in Ps. I, n. 2.
[3] Bulla *Divinam psalmodiam*.
[4] Epist. ad Marcellinum in interpret. Psalmor., n. 10.
[5] In Psalm. 144, n. 1.
[6] Epist. ad Marcell. cit., n. 2.
[7] Op. cit., n. 12.
[8] Lib. IX, cap. 6.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

sensus inspirent illae pro acceptis a Deo beneficiis gratiarum actiones, aut pro exspectatis humiles fidentesque preces, aut illi de peccatis clamores paenitentis animae? Quem non admiratione psaltes perfundat, cum divinae benignitatis munera in populum Israel atque in omne hominum genus profecta narrat, cumque caelestis sapientiae dogmata tradit? Quem denique non amore inflammet adumbrata studiose imago Christi Redemptoris, cuius quidem Augustinus [1] *vocem in omnibus Psalmis vel psallentem, vel gementem, vel laetantem in spe, vel suspirantem in re* audiebat?

3. Iure igitur optimo provisum est antiquitus, et per decreta Romanorum Pontificum, et per canones Conciliorum, et per monasticas leges, ut homines ex utroque clero integrum Psalterium per singulas hebdomadas concinerent vel recitarent. Atque hanc quidem legem a patribus traditam decessores Nostri S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII in recognoscendo Breviario Romano sancte servarunt. Unde etiam nunc Psalterium intra unius hebdomadae spatium recitandum foret integrum, nisi mutata rerum condicione talis recitatio frequenter impediretur.

4. Etenim procedente tempore continenter crevit inter fideles eorum hominum numerus, quos Ecclesia, mortali vita defunctos, caelicolis accensere et populo christiano patronos et vivendi duces consuevit proponere. In ipsorum vero honorem Officia de Sanctis sensim propagari coeperunt, unde fere factum est, ut de Dominicis diebus deque Feriis Officia silerent ideoque non pauci neglegerentur Psalmi, qui sunt tamen, non secus ac ceteri, ut Ambrosius ait [2] *benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor iucunditatis, laetitiae resultatio.* De huiusmodi autem omissione non semel graves fuerunt prudentum piorumque virorum querimoniae, quod non modo hominibus sacri ordinis tot subtraherentur praesidia ad laudandum Dominum et ad intimos animi sensus ei significandos aptissima; sed etiam quod optabilis illa in orando varietas desideraretur, ad digne, attente, devote precandum imbecillitati nostrae quam maxime opportuna. Nam, ut Basilius habet, *in aequalitate torpescit saepe, nescio quomodo, animus, atque praesens absens est: mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium et attentio instauratur,* [3]

5. Minime igitur mirum, quod complures e diversis orbis partibus sacrorum Antistites sua in hanc rem vota ad Apostolicam Sedem detulerunt, maximeque in Concilio Vaticano, cum hoc inter cetera postularunt, ut, quoad posset, revocaretur consuetudo vetus recitandi per hebdomadam totum Psalterium, ita tamen ut clero, in sacri ministerii vinea ob imminutum operariorum numerum iam gravius laboranti, non maius imponeretur onus. Hisce vero postulationibus et votis, quae Nostra quoque ante susceptum Pontificatum fuerant, itemque precibus, quae deinceps ab aliis

[1] In Ps. 42, n. 1.
[2] Enarr. in Ps. 1, n. 9.
[3] Regulae fusius tractatae, interrog. 37, n. 5.

Venerabilibus Fratribus piisque viris admotae sunt, Nos equidem concedendum duximus, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius Divini Officii onus clericis, immo temperatius evaderet. Quapropter, implorato suppliciter *Patre luminum*, corrogatisque in id ipsum suffragiis sanctarum precum, Nos vestigiis insistentes decessorum Nostrorum, aliquot viros delegimus doctos et industrios, quibus commisimus, ut consiliis studiisque collatis certam aliquam reperirent rei efficiendae rationem, quae Nostris optatis responderet. Illi autem commissum sibi munus e sententia exsequentes novam Psalterii dispositionem elaborarunt; quam cum S. R. E. Cardinales sacris ritibus cognoscendis praepositi diligenter consideratam probassent, Nos, utpote cum mente Nostra admodum congruentem, ratam habuimus in rebus omnibus, id est, quod ad ordinem ac partitionem Psalmorum, ad Antiphonas, ad Versiculos, ad Hymnos attinet cum suis Rubricis et Regulis, eiusque editionem authenticam in Nostra typographia Vaticana adornari et indidem evulgari iussimus.

6. Quoniam vero Psalterii dispositio intimam quamdam habet cum omni Divino Officio et Liturgia coniunctionem, nemo non videt, per ea, quae hic a Nobis decreta sunt, primum Nos fecisse gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem: sed super tali causa proprium mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum constituemus. Interim, opportunitatem hanc nacti, nonnulla iam in praesenti instauranda censuimus, prout in appositis Rubricis praescribitur: atque imprimis quidem ut in recitando Divino Officio Lectionibus statutis sacrae Scripturae cum Responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor frequentiore usu restitueretur; dein vero ut in sacra Liturgia Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et de Feriis, praesertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent.

7. Itaque, harum auctoritate litterarum, ante omnia Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano hodie est, abolemus eiusque usum, inde a kalendis Ianuariis anni millesimi nongentesimi decimi tertii, omnino interdicimus. Ex illo autem die in omnibus ecclesiis Cleri saecularis et regularis, in monasteriis, ordinibus, congregationibus, institutisque religiosorum ab omnibus et singulis, qui ex officio aut ex consuetudine Horas canonicas iuxta Breviarium Romanum, a S. Pio V editum et a Clemente VIII, Urbano VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis Regulis et Rubricis approbavimus typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari iubemus. Simul vero poenas in iure statutas iis denuntiamus, qui suo officio persolvendi quotidie Horas canonicas defuerint; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi Nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant.

8. Omnibus igitur Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ceterisque ecclesiarum Praelatis, ne Cardinalibus quidem Archipresbyteris patriarchalium Urbis basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque dioecesi, ecclesia vel coenobio Psalterium cum Regulis et Rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum curent:

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

quod Psalterium quasque Regulas et Rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obligatio tenet recitandi vel concinendi Horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari praecipimus. Interim autem cuilibet et capitulis ipsis, modo id maior capituli pars sibi placere ostenderit, novum Psalterii ordinem, statim post eius editionem, rite usurpare licebit.

9. Haec vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Nostras litteras validas et efficaces semper esse ac fore; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae abolitionis, revocationis, permissionis, iussionis, praecepti, statuti, indulti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

RUBRICAE

AD PII X, CONST. « DIVINO AFFLATO », 1 NOV. 1911.

Titulus II. – *De Festorum praestantia.*

1. Ut recte dignoscatur quale ex pluribus Officiis sit praestantius et proinde sive in occurrentia, sive in concurrentia, sive in ordine repositionis aut translationis praeferendum, sequentes praestantiae characteres considerandi sunt:

a) *Ritus altior*, nisi occurrat Dominica, vel Feria, vel Octava privilegiata, vel etiam quaelibet dies Octava iuxta Rubricas.

b) *Ratio Primarii* aut *Secundarii.*

c) *Dignitas Personalis*, hoc ordine servato: Festa Domini, B. Mariae Virginis, Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, SS. Apostolorum et Evangelistarum.

d) *Sollemnitas externa*, scilicet si Festum sit feriatum, aut celebretur cum Octava.

2. In occurrentia, et in ordine repositionis aut translationis, alius quoque character considerandus est, nempe:

e) *Proprietas Festorum.* Dicitur Festum alicuius loci proprium, si agatur de Titulo Ecclesiae, de loci Patrono etiam secundario, de Sancto (in Martyrologio vel in eius appendice approbata descripto), cuius habetur corpus vel aliqua insignis et authentica reliquia, vel de Sancto, qui cum Ecclesia, vel loco, vel personarum coetu specialem habeat rationem. Igitur Festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus, praefertur Festo Universalis Ecclesiae. Excipiuntur tamen Dominicae, Feriae, Octavae et Vigiliae privilegiatae, nec non Festa primaria Duplicia I classis Universalis Ecclesiae, quae uniuscuiusque loci propria considerantur et sunt. Festum autem Universalis Ecclesiae, cuiusvis ritus, quia est praeceptivum, ceteris paribus, praeferri debet Festis aliquibus locis ex mero Indulto S. Sedis concessis, quae tamen propria, sensu quo supra, dici nequeunt.

Titulus III. – *De Festorum occurrentia accidentali eorumque translatione.*

1. De Dominicis maioribus I classis, quodvis Festum in eis occurrat, semper faciendum est Officium: Dominicae vero II classis cedunt tantummodo Festis Duplicibus I classis, quo in casu de Dominica fit commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum.

2. De Dominicis minoribus, seu per annum, semper fieri debet Officium, nisi occurrat Festum quodcumque Domini, aut aliquod Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu in Officio Festi vel diei Octavae fit commemoratio Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum. Si Dominica infra Octavam Nativitatis occurrat in Festo S. Thomae Ep. M. aut in Festo S. Silvestri P. C., fit Officium de ipsa Dominica cum commemoratione Festi occurrentis; quo in casu die 30 decembris, in Officio diei infra Octavam, Lectiones I et II Nocturni sumuntur e Festo Nativitatis, cum Responsoriis Dominicae. Quoad Dominicam vero, quae occurrit a Festo Circumcisionis usque ad Epiphaniam, nihil innovetur.

3. Duplicia I et II classis, quae seu ab aliqua Dominica maiori, seu a nobiliori Officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorem insequentem diem, quae libera sit ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus; salvo tamen privilegio a Rubricis concesso Festivitatibus Purificationis et Annuntiationis B. M. V., nec non Commemorationis sollemnis S. Ioseph.

4. Festa Duplicia maiora cuiusvis dignitatis et Duplicia minora Doctorum Ecclesiae non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de eis fiat commemoratio, uti de aliis Duplicibus minoribus impeditis Rubricae disponunt (salvo quod numero sequenti statuitur de omittenda in Dominicis IX Lectione historica), nisi forte occurrant in Duplicibus I classis, in quibus nullius Officii agenda est commemoratio, nisi de occurrenti Dominica, vel de Feria, aut Octava privilegiata.

5. Porro si in Dominica maiori occurrat Officium Duplex maius aut minus, vel Semiduplex, vel Simplex, fiat de Dominica cum commemoratione Officii occurrentis in utrisque Vesperis (de Simplici tamen in primis Vesperis tantum) Laudibus et Missa, sine IX Lectione historica. Idem fiat in Dominicis minoribus, nisi in eis occurrat Festum quodcumque Domini, aut quodvis Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu, ut supra n. 2 dictum est, fiat de Festo, vel de Octava cum commemoratione et IX Lectione Dominicae.

6. Dies, in qua celebratur Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, excludit translationem cuiusvis Festi.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Titulus IV. – *De Festorum occurrentia perpetua eorumque repositione.*

1. Festa omnia ritus Duplicis sive maioris sive minoris, aut Semiduplicis, si perpetuo impediantur, reponuntur in primam diem liberam, iuxta Rubricas.

2. Festa Duplicia I et II classis perpetuo impedita reponuntur, tamquam in sedem propriam, in primam diem liberam ab alio Festo Duplici I aut II classis, vel ab aliqua die Octava, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus, salvo privilegio Festivitati Purificationis B. M. V. concesso.

3. Dominicae maiores excludunt assignationem perpetuam cuiusvi Festi Duplicis etiam I classis: Dominicae vero minores assignationem excludunt cuiuscumque Duplicis maioris aut minoris, nisi sit Festum Domini. Festum SS. Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimae mensis Septembris.

4. Dies II novembris excludit tum Festa occurrentia quae non sint Duplicia I classis, tum Festa perpetuo reponenda cuiusvis ritus.

Titulus VIII. – *De Officiis votivis deque aliis Officiis addititiis.*

1. Cum per hanc novam Psalterii dispositionem causae cessaverint Indulti Generalis d. d. 5 iulii 1883 pro Officiis votivis, [1] haec ipsa officia, et alia similia ex particularibus indultis concessa, tolluntur omnino et sublata declarantur.

2. Cessat pariter obligatio recitandi in Choro, diebus a Rubricis hucusque vigentibus praescriptis, Officium parvum Beatae Mariae Virginis, Officium Defunctorum, nec non Psalmos Graduales ac Poenitentiales. Capitula vero, quae ad ista Officia addititia ex peculiari constitutione aut legato tenentur, a Sancta Sede eorum commutationem impetrabunt.

3. In Festo S. Marci et in Triduo Rogationum integrum manet onus recitandi Litanias Sanctorum, etiam extra Chorum.

Titulus IX. – *De Festis Dedicationis ac Tituli Ecclesiae et de Patronis.*

1. Festum Dedicationis cuiuslibet Ecclesiae est semper primarium, et Festum Domini.

2. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu Duplici I classis cum Octava per totam Dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam regulari Kalendarium Dioecesanum adhibente; a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Dioecesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus, pariter sub ritu duplici I classis, absque tamen Octava.

[1] Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 3581.

3. Quum Sacrosancta Lateranensis Archibasilica omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis sit mater et caput, tum ipsius Dedicationis Anniversarium, tum Festum Transfigurationis Domini, quod, praeter magnam Resurrectionis Dominicae sollemnitatem, tamquam Titulare ab ipsa recoli solet, ab universo Clero tam saeculari quam regulari, etiam ab illis qui peculiarem ritum sequuntur, sub ritu Duplici II classis deinceps celebrabitur.

4. Festum Patroni principalis Oppidi, vel Civitatis, vel Dioecesis, vel Provinciae, vel Nationis, Clerus saecularis, et regularis ibi degens et Kalendarium Dioecesanum sequens sub ritu Duplici I classis cum Octava celebrabit: Regulares vero ibidem commorantes et Kalendarium proprium habentes, idem Festum, quamvis feriatum numquam fuerit, eodem ritu celebrabunt, absque tamen Octava.

Titulus XII. – *De Missis Conventualibus.*

In Ecclesiis, in quibus adest obligatio Chori, una tantum Missa cum assistentia Choralium semper celebretur; et quidem de Officio diei, nisi aliter Rubricae disponant; aliae Missae, quae hucusque cum praedicta assistentia celebrabantur, in posterum extra Chorum legantur, post propriam Horam Canonicam; excipiuntur tamen ab hac regula Missae in Litaniis maioribus et minoribus, et Missae in Festo Nativitatis Domini. Excipiuntur pariter Missae in anniversariis Creationis et Coronationis Summi Pontificis, Electionis et Consecrationis seu Translationis Episcopi, nec non in anniversario ultimi Episcopi defuncti, et omnium Episcoporum aut Canonicorum; omnesque Missae ex fundatione.

[Acta Ap. Sedis, vol. III, p. 633-651].

697.

Pius X, const. *Etsi Nos*, 1 ian. 1912.

Etsi Nos in Apostolici ministerii fastigio constitutos urgeat *instantia quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum,* [1] nihilominus vel ab ipso Nostri pontificatus exordio, illustrium Decessorum vestigia sequuti, haud praetermisimus in praecipuis habere sacram procurationem dilectae huius Urbis ecclesiaeque omnium principis, cui arcano divinae Providentiae consilio praepositi sumus.

Quapropter multa per occasionem a Nobis edicta sunt, sive ad cleri disciplinam tuendam, roborandam, sive ad amplificandum divinum cultum, sive ad paroecias aptius atque opportunius ordinandas; pluribus etiam peculiaris ac privati momenti rebus provisum.

Sed illud potissimum obversabatur animo, ut officiis quoque dioecesanae Curiae almae huius Urbis, hoc est Vicariatus Nostri, accessio aliqua fieret in melius; quo idem novis legibus canonicis plenius responderet, novis

[1] II Cor., XI.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

temporum adiunctis conveniret aptius, et expediendis negotiis celerius prospiceret. Cuius perficiendi consilii auctores etiam Nobis exstiterunt viri non pauci prudentia ac dignitate conspicui.

Nunc vero, quum licuerit Vicariatui Nostro propriam sedem in Urbe, eamque multo commodiorem amplioremque attribuere, propositi Nostri in rem deducendi opportunum tempus advenisse iudicavimus. Quapropter rebus omnibus matura deliberatione perpensis, Apostolica auctoritate Nostra ea quae sequuntur constituimus atque decernimus.

1. Nostra dioecesana Urbis Curia, seu Vicariatus, in quatuor officia dispertitur: I. *De divino cultu et visitatione apostolica;* II. *De cleri et christiani populi disciplina;* III. *De iudiciariis negotiis;* IV. *De oeconomica administratione.*

2. Omnibus hisce officiis praesidet Cardinalis, qui Vicarius Noster generalis in Urbe est. Eiusque munus et auctoritas, prout nunc obtinet, perpetua est, nec cessat vacante Sede Apostolica.

3. Obnoxius Cardinali Vicario singulis quatuor memoratis officiis praeerit Praelatus a Summo Pontifice eligendus, cui omnes qui in eodem officio sunt administri directo et proxime suberunt.

Primo officio praeerit *Commissarius* pro rebus divini cultus et pro Visitatione apostolica in Urbe, alteri *Adsessor* pro rebus disciplinaribus, tertio *Auditor* pro rebus iudiciariis, quarto *Praefectus administrationi.* Quo etiam ordine, ratione dignitatis, singuli Praelati inter se praecedent.

4. Officia quae modo habentur Vicesgerentis, Locumtenentis, Secretarii et Auditoris Vicariatus supprimimus et vi praesentis Constitutionis suppressa declaramus. Iura vero et munia omnia quae ad eadem officia quocumque titulo pertinebant, respective pro natura negotii et iuxta terminos in hac constitutione statutos tribuimus et assignamus quatuor memoratis Praelatis.

Volumus autem ac decernimus ut venerabilis frater Noster Iosephus Ceppetelli Patriarcha Constantinopolitanus, cui officio primo praeesse et munus Commissarii adtribuimus, honoris causa, nomen *Vicesgerentis*, ipse tantum, durante munere servet.

5. Quamquam singula officia et qui eis praesunt, coniunctim et amico foedere procedere debeant, quo melius finem suum, hoc est divinam gloriam et populi salutem, collatis viribus, assequantur, nemo tamen, etsi ordine et gradu dignior, in alterius officii negotiis se immisceat, salvis tamen iis quae circa rem oeconomicam in cap. IV huius legis praescripta sunt.

6. Deficiente vel impedito, quavis de causa, etiam propter Conclave, Cardinali Vicario, singuli Praelati per se ipsi omnia quae ad suum officium spectant secundum praescripta in hac lege moderabuntur, ac de fideli ministerii sui adimplemento iuxta canonicas leges respondebunt.

CAPUT I.

Primum Vicariatus officium.

De divino cultu et visitatione apostolica.

7. Ad consulendum divini cultus ordini et decori, et ad pastoralem visitationem in Urbe peragendam, ob peculiares conditiones in quibus versatur civitas totius catholicae religionis caput, Decessor Noster Clemens VIII, constitutione *Speculatores*, die 8 mensis iunii an. 1570, Congregationem Visitationis Apostolicae certis praefinitis legibus erexit. [1] Ut autem iura et officia huius Congregationis aptius pro temporum adiunctis definiret, die 21 mensis decembris anno 1847 Pius IX apostolicis litteris *Beati Petri* novas eidem Congregationi leges constituit.

In praesenti vero, servantes, in iis quae rem attingunt, praescriptiones Decessorum Nostrorum, et executioni mandantes quae Nos ipsi in constitutione *Sapienti consilio* die 29 mensis iunii anno 1908 statuimus, [2] opus Visitationi apostolicae in Urbe eiusque dioecesi concredimus peculiari coetui, seu *Commissioni* PP. Cardinalium, cuius Praeses erit Cardinalis Noster in Urbe Vicarius et membra nata Cardinales Praefecti SS. Congregationum Concilii et Religiosorum.

8. A secretis huius coetus erit *Commissarius* Nostri Vicariatus, de quo in num. 3 diximus.

9. Tabularium et archivum, quae propria erant S. Congregationis Visitationis ante constitutionem *Sapienti consilio* huic officio cedunt.

Pariter inter officiales Vicariatus connumerabuntur qui administri erant memoratae S. Congregationis, sub modo tamen et cum titulo et muneribus quae huic novae Vicariatus ordinationi respondeant.

Eiusdem autem arca nummaria in custodiam transibit officii quarti Vicariatus.

10. Mandamus autem atque decernimus, ut singulis quinquenniis, eo ipso anno quo Italiae Ordinarii obligatione tenentur relationem de statu suae dioecesis S. Sedi exhibendi, ab hac Commissione Visitatio apostolica fiat in Urbe eiusque dioecesi, nulla alia requisita Nostra vel Successorum Nostrorum praescriptione, et nullo loco aut persona exceptis, praeter S. R. E. Cardinales, palatia apostolica et S. Sedis officia.

11. Prima autem huiusmodi lustratio, nova hac lege peragenda, fiat anno 1916. Quae autem in praesenti habetur, ipsa die qua haec constitutio editur, intermittatur.

12. Antequam annus incipiat Visitationis in Urbe peragendae, PP. Cardinales memorati coetus convenient, ut socios visitationis eligant a Summo Pontifice approbandos, qui una cum Cardinali Vicario, partita provincia, ecclesias et pia loca lustrabunt; atque ut alia decernant, quae opportuniora ad felicem visitationis exitum videantur.

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 5, I, p. 359, 360.
[2] Cf. N. 3 82.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

13. In visitatione peragenda regulae servabuntur quae decreto *A remotissima* S. Congregationis Consistorialis die 31 decembris an. 1909 statutae sunt. [1]

14. Socii visitationis tamen nullum edant decretum, nihilque ipsi constituant aut iubeant; tantummodo videant, referant, proponantque coetui PP. Cardinalium quae corrigenda vel stabilienda censeant in ecclesiis piisve locis a se lustratis.

Decreta autem legesve ne ferantur, nisi a memorato coetu PP. Cardinalium, vel eius nomine et auctoritate a Commissario Vicariatus.

15. Si quae in visitatione occurrant, quae gravia sint et provisionem cito postulent, ea a Cardinali Vicario vel a Commissario Summo Pontifici quamprimum referantur.

Expleta autem visitatione, ab eodem Commissario scripta relatio Summo Pontifici exhibenda conficietur de omnibus summatim maioris momenti rebus quae in visitatione compertae sint, ac de decretis.

16. Quo autem visitatio tutius et expeditius perficiatur, officium alterum de cleri disciplina et officium quartum de oeconomica administratione eorumque administri ne omittant quae cognitu necessaria vel opportuna sint cum visitatoribus sive ultro sive ad ipsorum petitionem communicare.

17. Officio primo insuper competit tum visitationis anno, tum extra hoc tempus, moderari quidquid in ecclesiis, sacellis aliisque sacris Urbis locis cultum divinum spectat, sacras functiones, sanctorum reliquias, sacras imagines, legatorum adimplementum, prout disposita sunt in memoratis apostolicis litteris Pii IX, et ante constitutionem *Sapienti consilio* in usu erant penes S. Congregationem Visitationis.

18. Lipsanotheca, et coetus ab archaeologia et a musica sacra huic officio adiunguntur, integris in reliquo manentibus eorum ordine ac statu.

19. Si qua itaque difficultas aut quaestio ad archaeologiam sacram vel musicam ecclesiasticam spectans exoriri contingat, aut si quid consilii his de rebus capere velit Cardinalis Vicarius, sub eius vel Commissarii ductu memorati coetus congregabuntur.

20. Volumus praeterea ac statuimus ut penes hoc officium primum novus coetus seu *commissio ab arte sacra* constituatur, et hac prima vice Nobis reservamus eligere et nominare qui ei coetui adscribantur.

In posterum vero ipsi, praeside Cardinali Vicario vel Commissario, deligent et Summo Pontifici proponent eos qui huic coetui accenseantur.

Horum consilio Cardinalis Vicarius utetur in iis omnibus quae ad sacram aedium constructionem, conservationem, restaurationem, ornatum et similia pertineant.

21. Recensio in hoc officio fiat et diligenter servetur omnium ecclesiarum Urbis, cum adnotationibus necessariis aut opportunis de ipsarum statu.

[1] Cf. N. 2064.

CAPUT II.

Officium alterum.

De cleri et christiani populi disciplina.

22. Officium de cleri et populi christiani disciplina, quatuor partibus continetur. Hae sunt: 1° de clero, 2° de institutis religiosis mulierum, 3° de scholis, collegiis aliisque laicis ephebeis, 4° de confraternitatibus aliisque consociationibus et operibus socialibus.

23. In singulis quatuor huius officii partibus unus erit a secretis, qui sub auctoritate ac nutu Cardinalis Vicarii et Adsessoris curam proxime habebit omnium quae pro sua officii parte gerenda sint.

24. Singularum partium a secretis eligentur a Summo Pontifice, proponente Cardinali Vicario: ceteri officiales ab ipso Cardinali Vicario, facto ante periculo.

Pars seu Sectio I.

De clero saeculari et regulari.

25. Ad hanc sectionem spectat:

a) curare et providere intra limites a sacris canonibus constitutos ea omnia quae ad cleri saecularis et religiosorum disciplinam necessaria vel opportuna sint;

b) haeresibus pravisque opinionibus, quae forte suboriantur, advigilare, servatis regulis quae in canonicis praescriptis ac signanter in encyclicis litteris *Pascendi* die 8 mensis septembris 1907,[1] et motu proprio *Sacrorum Antistitum* die 1 mensis septembris 1910[2] constitutae sunt;

c) indulta concedere ad libros evulgandos et ad ephemerides seu diaria moderanda vel edenda;

d) curam habere de seminariis aliisque clericorum collegiis a Cardinalis Vicarii iurisdictione non exemptis;

e) doctrinae periculum instituere clericis ad sacras ordinationes eosque ad illas admittere;

f) attestationes vulgo *celebret* praebere, quibus constet sacerdotes posse in ecclesiis et sacellis ad celebrandum admitti;

g) commendatitias aliasque litteras testimoniales clero concedere.

h) Huic item officio reservatur approbatio ad sacramentales confessiones excipiendas et ad sacras conciones habendas;

i) designatio ad munus confessarii in ecclesiis et institutis quibuslibet;

l) electio sacerdotum qui munere rectorum fungantur in templis, et eorum qui sacellarii, vulgo *cappellani*, sacris operentur in sodalitatibus et institutis quibuslibet, nisi ea electio aliis legitime sit reservata;

m) provisio paroeciarum.

[1] Cf. N. 680.
[2] Cf. N. 689.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

In quibus omnibus peragendis vel curandis Vicariatus administri cavebunt, ut communis iuris normae et laudabiles Urbis consuetudines retineantur.

26. Praescripta a f. r. Leone XIII decessore Nostro per decretum S. C. Concilii *Anteactis temporibus* die 22 mensis decembris 1894[1] et a Nobis in litteris ad Emum Urbis Vicarium die 6 mensis augusti 1905[2] renovantes, mandamus, ut in posterum nullus clericus sive ad Romanum clerum, sive ad alias dioeceses pertinens a quolibet, etiam Cardinalitia dignitate praefulgente, assumatur seu eligatur ad aliquod officium vel beneficium quod stabilem vel diuturnam commorationem in Urbe requirat, nisi qui illum seligere velit, secretis litteris ab Emo Urbis Vicario ante expetierit, utrum aliquid ex parte Vicariatus obstet, nihilque obesse sciverit.

Quaelibet vero provisio, seu officii assignatio, aliter facta nulla et irrita erit, abrogatis hac de re privilegiis et exemptionibus quibuslibet, etiam peculiarem mentionem requirentibus, quae sint huic praescriptioni contrariae.

27. Recensio hac in sectione habebitur cleri universi tam saecularis quam regularis, adnotatis ad singula nomina commorationis loco, aetate, suis cuiusque muniis aliisque adiunctis personae.

28. His omnibus quae in hoc capite recensentur officiis explendis Cardinalem Vicarium adiuvabunt, praeter huius partis administros, varii coetus a canonicis legibus iam praescripti, hoc est, examinatores cleri, consultores ad parochi amotionem decernendam, consilium vigilantiae, deputati seminariis, *commissio directiva* pro sacerdotali ministerio.

29. Postremus hic coetus in posterum constabit quinque saltem sacerdotibus a Cardinali Vicario cum approbatione Summi Pontificis eligendis, qui maturae sint aetatis, virtute, prudentia et rerum cognitione praeclari. Iique a consiliis erunt Cardinalis Vicarii in assignatione munerum, officiorum et beneficiorum cleri.

30. Quo autem examinatores praesentis temporis necessitatibus valeant aptius occurrere, collegium, quod nunc est, apostolica auctoritate supprimimus et suppressum declaramus, aliudque novis legibus constituimus iuxta ea quae infra decernimus.

a) Romani cleri examinatores in posterum duodeviginti erunt e clero saeculari et regulari delecti.

b) Quoties in synodo eorum electio fieri nequeat, ipsi eligentur a Cardinali Vicario cum Summi Pontificis approbatione, et per quinquennium dumtaxat.

c) Hac tamen prima vice, ne forte contingat ut omnes examinatores simul officio cadant, novem ipsorum per decennium eligentur.

d) Qui ab Urbe intra sex menses non reversuri discedunt, qui diuturno morbo affecti impares fiunt, qui munus assumunt quod nequeat cum examinatoris officio componi, hoc ipso de officio decidunt.

[1] Cf. Leonis XIII Acta, vol. XIV, p. 399-402.
[2] Cf. Acta S. Sedis, vol. XXXVIII, p. 67-70.

e) Quoties his de causis, vel alio canonico titulo, vel morte accidat ut unus examinatorum deficiat, alius eius loco nominabitur, qui tamen in officio persistet dumtaxat usque ad exitum quinquennii illius examinatoris in cuius subrogationem successit.

f) Examinatores qui cadunt possunt a Cardinali Vicario denuo eligi.

g) Omnes examinatores ad invitationem Cardinalis Vicarii operam suam diligenter navabunt experimentis habendis ad provisionem paroeciarum, ad clericorum ordinationem, ad approbationem sacerdotum petentium excipere sacramentales confessiones aut sacras habere conciones; itemque, ubi sit opus, ad amotionem alicuius parochi decernendam, iuxta novissimum decretum *Maxima cura.* [1]

h) Aliquot ipsorum convocari poterunt, ut in rebus ad disciplinam pertinentibus maioris momenti vel difficilioris definitionis consilium suum praebeant sub ductu Cardinalis Urbis Vicarii, vel Adsessoris, vel a secretis huius sectionis.

i) Poterit etiam Cardinalis Vicarius ipsorum alicui committere ut aliquod negotium examinet et scripto redigat votum suum, aliave agat quae ad cleri disciplinam custodiendam utilia vel necessaria videantur et a Vicariatus officialibus praestari congrue nequeant.

Sectio II.

De institutis religiosis mulierum.

31. Cum expediat ut monasteria aliaeque religiosae mulierum domus, quae in Urbe sunt, uni eidemque ordinariae iurisdictioni subsint, decernimus et statuimus, ut omnes in posterum, a die quo haec Constitutio vim et executionem habere incipiet, auctoritati et ordinariae iurisdictioni unius Cardinalis Vicarii subiectae sint, suppressis exemptionis privilegiis, quibus earum nonnullae aliquibus S. R. E. Cardinalibus, aut Praelatis saecularibus vel regularibus obnoxiae erant, et conservato dumtaxat memoratis PP. Cardinalibus protectionis munere, quod modo in eas ipsi obtinent, aut in futurum eisdem concedi poterit.

32. Regendis et gubernandis his omnibus monasteriis et religiosis mulierum domibus Cardinalem Vicarium adiuvabunt, prout in praesens iam obtinet, sex sacerdotes maturae aetatis, virtute et prudentia praeclari, qui, divisa Urbe in totidem regiones, delegati erunt monasteriorum regionis singulis attributae.

33. Huius sectionis a secretis munus erit:

a) indicem conficere et ordinate servare monasteriorum omnium ac domorum religiosarum, cum recensione numeri religiosarum, moderatricum, operum quibus vacant, sacerdotum qui ibidem sacra ministeria explent et cum aliis indicationibus ad rem facientibus;

[1] Cf. N. 2074.

b) interesse coetibus ad quos delegati conveniunt, et scripto redigere ac servare quae in eis acta vel decreta sint;

c) executioni demandare quae statuta sunt, si a Cardinali Vicario vel ab Adsessore ad hoc delegetur; et supplere si opus sit in casibus particularibus et ex delegatione, ut supra, aliquem ex delegatis in suis muneribus.

34. Delegatorum vero erit singulas domos in sua regione vel aliter suae curae commissas identidem visere; atque sub ductu et auctoritate Cardinalis Vicarii vel Adsessoris curare, ut in eis instituti disciplina servetur, ut scholae aliaque pia opera, quae in eis habeantur, recte procedant, ut rei familiaris administratio rite geratur, ut in pace et sanctitate moniales seu sorores convivant.

Ipsorum quoque erit postulantes ac novicias examini subiicere, et vigilare ut in singulis domibus adsint sacerdotes qui sacellarii seu *cappellani* officio fungantur, iidemque confessionibus excipiendis et sacris concionibus habendis sancte studioseque vacent.

Praeterea diebus a Cardinali Vicario pro sua prudentia statutis conveniant, ut de rebus difficilioris momenti, at de iis quae ad commune bonum spectant, praeside Cardinali Vicario vel Adsessore, pertractent.

35. Si qua autem peculiaris praescriptio necessaria sit sive circa regularem religiosarum disciplinam, sive circa pia opera quibus religiosae mulieres vacant, aut circa sacerdotes qui sacrum ministerium apud eas explent, delegati hoc negotium ne sibi sumant ipsi, sed rem deferant Cardinali Vicario vel Adsessori in ordinario delegatorum conventu, vel etiam extra, sive ipsi per se sive ope a secretis huius sectionis, ubi res urgeat aut alias necesse sit.

36. Curabunt etiam singulis bienniis scripto referre quae de statu domorum religiosarum in sua regione notatu digna sint, quae laudanda, quae emendanda, quae opportune statuenda videantur; quo plenius et maturius Cardinalis Vicarius sive ipse per se sive in conventu delegatorum omnia perpendere, et quae necessaria sunt valeat statuere.

37. Optamus denique ut remunerationes, quas religiosa haec instituta donare singulis mensibus vel annis valent sacerdotibus qui in ipsarum bonum vel in earumdem domibus sacrum ministerium exercent, in posterum ad Vicariatum mittantur, ab eoque, non a religiosis mulieribus, iis ad quos spectat prudenti Cardinalis Vicarii iudicio tribuantur.

Sectio III.

De scholis, collegiis aliisque educationis laicorum institutis.

38. Scholae ad erudiendam laicam utriusque sexus iuventutem, tam diurnae quam nocturnae, tam inferiores seu primariae quam superiores quaelibet, quovis nomine nuncupentur, omnes in posterum auctoritati et iurisdictioni Cardinalis Vicarii proxime suberunt.

Pari modo eius auctoritati proxime obnoxia erunt collegia aliaque instituta in quibus laica utriusque sexus iuventus educationis causa colligitur, salvis canonicae exemptionis religiosorum regulis.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

39. Cessabunt vi praesentis Constitutionis et in Cardinalem Vicarium transferentur iura et officia quae in aliquot scholas, asyla, collegia et pia instituta hucusque propria erant sive Praefecti domus Pontificiae, sive Antistitis a largitionibus Pontificis, sive Pontificii coetus praeservationis fidei.

Pariter cessabunt et in Cardinalem Vicarium transferentur iura et officia quae in aliquot scholas Urbis tecnicas, uti vocant, aut gymnasiales similesve ad S. Congregationem Studiorum pertinebant.

40. Reditus a Nobis quotannis tribui soliti ad harum omnium scholarum sustentationem, aliique qui a singulis memoratis Pontificiis coetibus vel Praelatis pro scholis seu institutis unicuique propriis detinebantur aut offerebantur, in unum collecti a Cardinali Vicario administrabuntur iuxta normas constitutas in Officio IV, ac distribuentur inter varias scholas et instituta iuxta fundatorum et offerentium voluntatem, iustitia et aequitate servata.

41. Coetus pontificius a decessore nostro v. m. Leone XIII anno 1878 institutus nonnullis scholis moderandis, qua talis cessabit: eiusque loco Consilium scholasticum sub Cardinalis Vicarii seu Adsessoris auctoritate et nutu constituetur.

Qui huic consilio adscribantur eligendi erunt a Cardinali Vicario, iisdem pro rei natura servatis regulis ac superius pro examinatoribus est constitutum.

42. In scholis, collegiis aliisque educationis institutis, *quae a Vicariatu temporali ratione sustentantur*, scholastici consilii officium erit, nominare ac removere, si opus sit, moderatores et magistros, libros ab alumnis utendos deligere, interiorem disciplinam inspicere ac tueri; cavere rectae, et, quoad liceat, perfectae iuvenum institutioni; conservationi aedium aularumque scholasticarum advigilare.

Quoties vero agatur de expensis faciendis, nil statuatur nisi vocato in consilium Praefecto administrationi, de quo infra in cap. IV, eiusque voto requisito.

43. In scholis vero et institutis, quae a pia aliqua causa vel religiosa aliqua familia sustentantur, scholastici consilii munus erit cognoscere quinam sint moderatores et magistri, quinam libri textus; utrum institutio religiosa et moralis sufficiens ac recta sit; qua ratione christiana doctrina tradatur et quaenam pietatis exercitationes fiant; utrum institutio civilis conformis sit legibus utilisque, et in scholis nil contra leges tuendae valetudinis habeatur. Si quid autem vel omnino reprehendendum vel minus rectum inveniatur, Consilium, seu de Consilii voto Cardinalis Vicarius, hoc denunciabit moderatoribus piae causae aut religiosae familiae, ut opportuna remedia parentur.

44. Curae et vigilantiae scholastici consilii suberunt etiam opera illa omnia quae *patronatus* scholastici vel *post scholas* nomine veniunt, vel alio simili titulo nuncupantur.

45. Ad suum vigilantiae curaeque officium explendum, scholasticum consilium aliquot inspectores deliget, quorum opera utetur ad scholas, et memorata superius instituta atque opera invisenda.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

46. A secretis huius sectionis munus erit:

a) indicem texere et ordinate servare omnium scholarum, collegiorum et institutorum de quibus supra, adnotando quinam sint moderatores et magistri, quot habeantur discipuli seu alumni, quinam sit status rerum et morum in instituto;

b) interesse conventibus consilii scholastici, ac recensere et in tabularium referre acta et decreta Cardinalis Vicarii eiusque scholastici consilii;

c) executioni mandare quae a Cardinali Vicario eiusque scholastico consilio statuta sint, si hoc expresse in mandatis habeat.

Sectio IV.

De confraternitatibus aliisque consociationibus et operibus socialibus.

47. Ad hanc sectionem in primis pertinet cura et vigilantia in sodalitates et archisodalitates, quantum ad Vicariatum de iure spectare potest, salvis scilicet singularum legibus, statutis ac privilegiis ab ecclesiastica seu Apostolica auctoritate rite recognitis, quibus praesenti Constitutione nihil detrahitur.

48. Insuper quum complura alia ex Dei gratia in Urbe sint consociationes et opera, quae pium aliquem finem religionis, caritatis aut iustitiae propositum habent, in bonum nunc ipsorum sociorum, nunc aliorum, aut totius societatis; haec omnia et quotquot alia similia in posterum instituentur curae huius Vicariatus partis atque auctoritati et iurisdictioni Cardinalis Vicarii proxime subiecta esse volumus ac iubemus.

Si quae itaque consociatio vel si quod pium opus aliquem Praelatum vel S. R. E. Cardinalem protectorem habeat, hoc protectionis munus ita accipi et intelligi debet, ut iurisdictio Cardinalis Vicarii integra semper maneat.

Auctoritas et iurisdictio Cardinalis Vicarii in memoratas consociationes et opera necessario sibi vindicat, ut ab eo ipsa rata habeantur, ab eodemque statutorum approbationem impetrent in iis quae ad pium ipsorum finem referuntur, nisi forte a Summo Pontifice statuta ipsa directo receperint.

Eiusque quoque erit, vel Adsessoris, vigilantiam in ea exercere, curam de iis habere, salvis semper legitimis eorundem statutis; et sacerdotes adsistentes, delegatos, destinatos confessionibus excipiendis, vel utcumque moderatores eisdem praebere.

49. His exercendis muneribus suppetias Cardinali Vicario ferent varii coetus seu consilia, quae ad dirigenda uniuscuiusque generis opera et consociationes instituta forte inveniantur, vel in posterum instituentur.

Adeoque primum in socialibus operibus auxilio erit Cardinali Vicario et Adsessori *consilium dioecesanum actionis catholicae in Urbe*, quae iuxta apostolicas litteras *Il fermo proposito* [1] iam exstat: in coetibus virorum a

[1] Cf. Pii X Acta, vol. II, p. 112-132.

S. Vincentio a Paulo consilium centrale romanum: in consociationibus dominarum caritatis a S. Vincentio a Paulo aliud centrale Urbis consilium: et ita in similibus.

50. Inter socialia opera cum principem locum obtineat, et longe maxime ad bonum religionis et societatis intersit pium opus catechismi, volumus ac mandamus, ut non intermissa cura ac praecipua illud a Cardinali Vicario geratur.

51. Itaque in singulis paroeciis, ad normam eorum quae in constitutione *Acerbo nimis* die 15 mensis aprilis anno 1905 praescripta sunt, [1] consociatio canonice constituta habeatur, cui nomen *congregatio doctrinae christianae*. Cardinalis autem Vicarius et Adsessor vigilent sedulo ut parochi, ipsisque subiectae congregationes quas diximus, catechismum doceant ad legis praescriptum, eo modo ac ratione quibus maxime alliciantur pueri ut intersint et germanam fidei morumque doctrinam hauriant.

52. Ut autem Cardinalis Vicarius curam et vigilantiam tanto operi necessariam assidue possit et efficaciter exercere, consilium sex saltem sacerdotum constituet, quorum electio a Nobis et successoribus Nostris pro tempore erit approbanda: iidem in officio per quinquennium perdurabunt et a munere decident eodem modo ac examinatores cleri, de quibus supra sub num. 30.

53. Sacerdotum huius consilii munus erit:

a) statis temporibus, sub ductu Cardinalis Vicarii vel Adsessoris convenire, ut quae necessaria vel opportuna sint ad catechismi opus excolendum, perficiendum in singulis paroeciis decernant;

b) invisere de mandato Cardinalis Vicarii vel Adsessoris singulas paroecias, ecclesias vel scholas ubi catechismus doceatur, et videre ac referre qua methodo, quo fructu christiana doctrina tradatur, et utrum scholae quae habentur sint satis ad iuventutis utriusque sexus institutionem, an aliae horis et locis aptioribus aperiendae sint;

c) certamina instituere ad praemia inter praestantiores catechismi alumnos unius vel plurium paroeciarum.

54. Archisodalitatis a christiana doctrina quae in Urbe penes ecclesiam S. Mariae *a planctu* instituta est, iura et officia ad hoc unum circumscripta volumus, et praesenti constitutione circumscribimus, ut curam et administrationem suae ecclesiae et piorum legatorum quae in ea sunt habeat, et ceteras sodalitates a christiana doctrina ad indulgentiarum participationem aggregare valeat: in moderatione autem catechismi dioecesani se non immisceat. Statuta igitur huius archisodalitii hoc sensu erunt immutanda et a Cardinali Vicario approbanda.

55. Quod vero spectat hospitalia quae in Urbe modo sunt, pluribus privilegiis donata, dum usui vel iuri detrahere nolumus, quo religiosis alicuius Ordinis vel Congregationis animarum cura in aliquibus ex iis piis domibus reservata est, statuimus et praescribimus, ut in posterum nemo religiosus vir a suis Praepositis ad has pias domus in hunc finem mittatur,

[1] Cf. N. 666.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

nisi de consensu et approbatione Cardinalis Vicarii: cui praeterea attribuimus vigilantiam in eos exercere, et si opus sit, eosdem a munere removere; sicut attribuimus et reservamus vigilantiam in moniales quae ibidem pium caritatis opus praestiturae versantur: sublatis in hac parte privilegiis quibuslibet, etiam peculiarem mentionem merentibus, quae hisce dispositionibus adversentur.

Mandamus itaque ut in posterum moderatores Ordinum et Congregationum, antequam religiosum aliquem suum ad hospitalia mittant, eius nomen proponant Cardinali Vicario, huiusque beneplacitum exspectent, ut licite possit sacrum ministerium ibidem exercere.

56. A secretis huius sectionis officium erit:

a) indicem texere et conservare omnium sodalitatum et archisodalitatum Urbis, nec non consociationum et operum socialium, cum recensione eorum qui praesident, numeri sodalium, loci quo hi conveniunt aut ubi pium opus est situm;

b) interesse conventibus coetuum seu consiliorum, de quibus in num. 49, et num. 53, litt. *a*), in regesto conscribere et in tabulario asservare quae gesta aut statuta sint;

c) executioni mandare, si expressis verbis iubeatur a Cardinali Vicario vel ab Adsessore, quae circa consociationes et opera haec decreta sint.

Appendix.

De delegato ad agrum romanum.

57. Ad aptius consulendum iis qui in romano agro versantur, usque dum praesentes conditiones rerum subsistant, volumus ac decernimus, ut sub Cardinalis et Adsessoris auctoritate ac nutu sacerdos habeatur, qui curam proxime habeat earum rerum omnium quae in eodem agro ad cleri et fidelium salutem ac disciplinam decernenda gerendaque sunt.

Vocabitur delegatus ad agrum romanum; eiusque electio fiet a Cardinali Vicario cum approbatione Summi Pontificis.

CAPUT III.

Officium tertium.

De iudiciariis negotiis.

58. Ordinarius et unicus iudex primae instantiae in omnibus causis quae apud forum ecclesiasticum Romanae dioecesis agi possunt, quolibet alio tribunali et iurisdictione hucusque vigente suppressis, erit ipse Cardinalis Urbis Vicarius.

59. Qui tamen non ipse per se causas videbit, nisi expressis verbis in aliquo casu ob peculiares rationes sibi id reservaverit; sed per suum *Auditorem*, qui nempe suum locum in re iudiciaria teneat et unum tribunal cum eo constituat, quique ut dioecesanae romanae curiae *Officialis* habebitur.

60. Ipse vero causas iudicandas non assumet, nisi prius de re docuerit Cardinalem Urbis Vicarium. Quo annuente iudicium instituet, et usque ad sententiam definitivam perducet, servatis communis iuris regulis.

61. Ad eum reservatur quoque iudicium de quaestionibus funeraticiis aliisque quae Camerarii cleri hucusque propria erant, cuius proinde officium et iurisdictio suppressa manent.

62. Auditori dabitur adiutor *substitutus*, cuius electio Summo Pontifici reservatur.

63. Si qua causa ex iuris norma non ab uno iudice sit definienda, sed a tribunali collegiali, huius praeses erit ipse Auditor, nisi Cardinalis Vicarius ius praesidendi sibi reservaverit.

64. Electio eorum, qui in tribunali collegiali *coniudicum* officio fungantur, Summo Pontifici reservatur. Inter eos vero quinam in speciali aliqua et certa causa cum Cardinali Vicario vel Auditore ad iudicandum sedeant, decernere Cardinali Vicario attribuimus.

65. Ad officium de iudiciariis negotiis, hoc est, ad Auditorem et ad officiales eidem subiectos, spectat quoque processus conficere de dispensationibus matrimonialibus, de mandatis liberi status seu *contrahendi*, de correctione fidei nativitatis, matrimonii et similium actorum, de recognitione subscriptionum et documentorum, aliaque huius generis.

Quibus in negotiis pertractandis ac definiendis communis iuris regulae, et his deficientibus, laudabiles ac probati Vicariatus usus erunt servandi.

66. Erunt insuper in hoc officio de iudiciariis negotiis Promotor iustitiae, ac Defensor vinculi, a Cardinali Vicario cum approbatione Summi Pontificis eligendi.

Nil autem vetat quominus haec munera uni eidemque tribuantur, si ille par sit eisdem rite satisfaciendis.

67. Notarii, cancellarius aliique inferiores administri, qui necessarii sint explendis muneribus huius officii propriis, a Cardinali Vicario eligentur, praemisso eorum examine.

CAPUT IV.

Officium quartum.

De administratione oeconomica.

68. Unica erit omnibus Vicariatus officiis administratio oeconomica sub dependentia Cardinalis Vicarii et Praelati eidem administrationi *Praefecti*.

69. Ad eam conferendi sunt reditus universi qui ex rescriptis aliisque titulis quibusvis Vicariatui eiusque variis officiis obveniant. Ipsa arcam nummariam et pecuniae capita custodiet, quae Vicariatui et antiquae sacrae Congregationi Visitationis erant propria: ipsa pensiones et remunerationes persolvet, subsidia distribuet (nisi aliter Cardinalis Vicarius in aliquo casu faciendum censuerit), oneribus satisfaciet, expensis occurret sive ordinariis sive extraordinariis, quae a Cardinali Urbis Vicario vel a Praelatis Vicariatus officiis praepositis probatae erunt.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

70. Quamvis autem unica sit administratio, sors et reditus ex fundatione, aut ex expressa piorum oblatorum voluntate, aut ex praescriptione Summi Pontificis alicui officio vel operi attributa, sarta tecta ei servabuntur, et ab huius officii moderatoribus in praescriptum finem erogabuntur.

71. Huius quoque officii erit curam habere de conservatione et recta gestione bonorum paroecialium, praesertim beneficio vacante, et bonorum ad pias causas pertinentium, maxime si hae piae causae propria ac distincta administratione a canonicis legibus recognita careant.

72. Arca nummaria secundum canonicas normas custodietur.

73. Duo praeterea erunt inferiores administri a Cardinali Vicario cum approbatione Summi Pontificis eligendi, praestita pecuniaria cautione, quae respondeat sorti vel pecuniae, de quibus ipsi possunt aliquando disponere: cisque, si necessitas exigere videatur, dari poterit a Cardinali Vicario cum approbatione Summi Pontificis aliquis adiutor.

74. Alter ipsorum ratiocinatoris munere fungetur: alter vero distributoris et capsarii officium potissimum peraget.

75. Singulis mensibus Praefectus administrationi rationem reddet Cardinali Vicario accepti et expensi.

Quotannis vero epitomen totius administrationis conficiet, approbationi Cardinalis in Urbe Vicarii et Summi Pontificis subiiciendam.

CAPUT V.

De interna officiorum disciplina.

76. Quae normae circa internam disciplinam statutae sunt in sacris Congregationibus aliisque S. Sedis Officiis post constitutionem *Sapienti consilio* eaedem cum proportione serventur in variis Vicariatus officiis.

Praesertim vero custodiantur quae statuta sunt de iureiurando praestando ac de officiorum disciplina.

77. Singula quatuor officia tabularium suum, vulgo *protocollo* habebunt, in quo recensio erit rerum ad illud officium spectantium, et acta et documenta servabuntur, de quibus adhuc quaestio esse poterit: deinde ad archivum mittentur.

78. Tum tabularium tum archivum duplex erit, secretum aliud, aliud non secretum.

79. Ex his autem, etsi non secretis, nullum documentum neque exemplar extrahatur, neque cum ullo communicetur, nisi de mandato Cardinalis Vicarii, vel Praelatorum ad quorum officium res spectet.

80. Administrorum, quibus tabularii vel archivi cura commissa est, munus erit acta et documenta recensere, custodire, ordinate servare, eorumque exemplar, recepto mandato, conficere et suis quaeque officiis tradere.

81. Archivarius, seu archivo praefectus, a Summo Pontifice eligetur. Suberit autem directe Cardinali Vicario, eoque deficiente vel absente, Commissario Vicariatus, salva tamen dispositione num. 79, de quo supra.

82. De tempore quo varii administri in officii aulis esse debent ac de

feriis, Cardinalis Vicarius normam Nobis proponat, habita ratione legum quae apud SS. Congregationes obtinent, quasque Nos Ipsi probavimus.

Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere a die eius promulgationis in Commentario de *Apostolicae Sedis actis;* atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam contigerit attentari, non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuslibet etiam specialissima mentione dignis.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 5-22].

698.

Pius X, const. *Tradita ab antiquis*, 14 sept. 1912.

Tradita ab antiquis, haec diu in Ecclesia consuetudo tenuit, ut ad varios, pro diversis locis, mores ritusque sacrorum, modo superstitionis et idololatriae suspicio omnis eis abesset, fideles peregrini nullo negotio sese accommodarent. Quod quidem usu veniebat, pacis et coniunctionis gratia, inter multiplicia unius Ecclesiae Catholicae membra, seu particulares ecclesias, confovendae, secundum illud sancti Leonis IX, « nihil obsunt saluti credentium diversae pro loco et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quae potest, uni Deo commendat omnes ».[1]

Huc accedebat necessitatis causa, cum, qui in exteras regiones advenissent, iis plerumque nec sacrae ibi aedes, nec sacerdotes ritus proprii suppeterent. Id autem cum in ceteris rebus fiebat, quae ad divinum cultum pertinent, tum in ministrandis suscipiendisque sacramentis maximeque Sanctissima Eucharistia. Itaque clericis et laicis, qui formatas, quae dicebantur, litteras peregre afferrent, patens erat aditus ad eucharisticum ministerium aut epulum in templis alieni ritus; et Episcopi, presbyteri ac diaconi latini cum graecis hic Romae, graeci cum latinis in Oriente divina concelebrabant mysteria: quod usque adeo evasit sollemne, ut si secus factum esset, res posset argumento esse discissae vel unitatis fidei vel concordiae animorum.

At vero, postquam magnam Orientis christiani partem a centro catholicae unitatis lamentabile schisma divellerat, consuetudinem tam laudabilem retinere iam diutius non licuit. Quum enim Michael Caerularius non solum mores caerimoniasque latinorum maledico dente carperet, verum etiam ediceret aperte consecrationem panis azymi illicitam irritamque esse, Romani Pontifices, Apostolici officii memores, latinis quidem, ad avertendum ab eis periculum erroris, interdixerunt, ne in pane fermentato sacramentum conficerent neu sumerent; graecis vero, ad catholicam fidem unitatemque redeuntibus, veniam fecerunt communicandi in azymo apud latinos: id quod pro iis temporibus et locis opportunum sane erat, imo necessarium. Quum enim nec saepe graeci tunc invenirentur episcopi huic beati Petri cathedrae coniuncti, nec ubique adessent catholica orientalium templa, timendum valde erat, ne orientales catholici ad schismaticorum ecclesias ac pastores cum certo fidei periculo accederent, nisi apud latinos communicare ipsis licuisset.

[1] Epist. ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham. — Cf. Mansi, tom. 19, col. 635-655.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Iamvero felix quaedam rerum commutatio, quae postea visa est fieri, cum in Concilio Florentino pax Ecclesiae graecae cum latina convenit, veterem disciplinam paulisper revocavit. — Nam statuerunt quidem eius Concilii Patres: « in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis sive orientalis consuetudinem »,[1] sed hoc decreto voluerunt sane catholicam veritatem de valida utriusque panis consecratione in tuto collocare, minime vero promiscuam communionem interdicere fidelibus; quibus contra, quin eam confirmandae pacis causa concesserint, non est dubium. Exstat Isidori, metropolitae Kioviensis et totius Russiae, luculentissima epistola, quam, absoluta Florentina Synodo, cuius pars magna fuerat et in qua Dorothei patriarchae Antiocheni personam gesserat, Legatus a Latere in Lithuania, Livonia et universa Russia dedit anno MCCCCXL Budae ad omnes qui sub ditione essent Ecclesiae Constantinopolitanae: qua in epistola, de reconciliata feliciter graecorum cum latinis concordia praefatus, haec habet: « Adiuro vos in D. N. I. C. ne qua divisio vos inter et latinos amplius subsistat, cum omnes sitis D. N. I. C. servi, in nomine eius baptizati... Itaque graeci qui in latinorum regione degant aut in sua regione habeant latinam ecclesiam, omnes divinam liturgiam adeant et corpus D. N. I. C. adorent, ac corde contrito venerentur, non secus ac id in propria ecclesia quisque faceret, nec non et confitendi gratia latinos sacerdotes adeant, et corpus Domini Nostri ab eisdem accipiant. Similiter et latini debent ecclesias graecorum adire et divinam liturgiam auscultare, fide firma corpus Iesu Christi ibidem adorare. Utpote quod sit verum I. C. corpus, sive illud a graeco sacerdote in fermentato, sive a latino sacerdote in azymo consecratum fuerit; utcumque enim aequa veneratione dignum est, sive azymum, sive fermentatum. Latini quoque confiteantur apud sacerdotes graecos et divinam communionem ab eisdem accipiant, cum idem sit utrumque. Ita nempe statuit Conc. Florentinum in publica Sessione die VI iunii a. MCCCCXXXIX ».

Etsi autem Isidori testimonio evincitur factam esse a Florentina Synodo facultatem fidelibus promiscuo ritu communicandi, tamen facultas huiusmodi subsecutis temporibus nec ubique nec semper fuit in usu; ideo praesertim quia, cum male sartam unitatem mature Graeci rescidissent, iam non erat, cur Pontifices Romani quod Isidorus a Florentina Synodo indultum refert, curarent observandum. Pluribus nihilominus in locis promi-

[1] Ex Bulla Eugenii IV, *Laetentur Coeli*. — Cf. N. 51.

scuae Communionis consuetudo mansit usque ad Benedicti XIV Decessoris aetatem, qui primus Constitutione *Etsi pastoralis* pro Italo-Graecis die XXVI maii anni MDCCXLII [1] graves ob causas vetuit, ne laici latini Communionem a graecis presbyteris sub fermentati specie acciperent; graecis autem propria paroecia destitutis facultatem reliquit, ut in azymo apud latinos communicarent. Ubi vero, graecis et latinis una simul commorantibus suasque habentibus ecclesias, usus invaluisset Communionis promiscuae, commisit Ordinariis, ut, si huiusmodi consuetudo removeri sine populi offensione animorumve commotione non posset, omni cum lenitate curam operamque in id impenderent, ut semper latini in azymo communicarent, graeci in fermentato. Quae autem pro Italo-Graecis Decessor Noster statuit, eadem ipse postea ad Melchitas [2] quoque et ad Coptos [3] pertinere iussit: eaque paullatim ad omnes transierunt Orientales, consuetudine potius quam legis alicuius praescripto; non ita tamen, ut quandoque Apostolica Sedes idem non indulserit latinis, quae etiam orientales non destituti ecclesia propria, neque ulla urgente necessitate, ut communicarent in azymo, pluries passa est, immo permisit.

Quod praecipue factum est, posteaquam, animarum studio flagrantes, nonnullae religiosae Familiae tum virorum tum mulierum ex variis Europae regionibus ad Orientis oras advectae, auxilium catholicis diversorum rituum, multiplicatis apud ipsos christianae caritatis operibus collegiisque ad institutionem iuventutis ubique apertis, praebuerunt. Cum autem hae Familiae ob frequentem Eucharistiae usum quietam et tranquillam inter difficultates et aerumnas vitam agerent, ex orientalibus, quod genus valde ad pietatem proclive est, facile ad imitationem sui multos excitarunt: qui cum aegre apud suos vel ob distantiam locorum vel ob penuriam sacerdotum et templorum, vel etiam ob diversas rituum rationes huic desiderio possent satisfacere, ab Apostolica Sede instanter gratiam postularunt accipiendae Eucharistiae, more latinorum. Hisce postulationibus Apostolica Sedes aliquando concessit: atque ephebis, qui in latinorum collegiis educarentur, item ceteris fidelibus, qui eorum templa celebrarent ac piis consociationibus essent adscripti, permisit, salvis quidem iuribus parochorum, potissime quoad paschalem Communionem et Viaticum, ut pietatis causa intra annum in templis latinorum eucharistico pane a latinis presbyteris consecrato reficerentur. Quin etiam in ipso Concilio Vaticano *Commissio* peculiaris negotiis Rituum Orientalium praeposita hoc inter alia sibi proposuit dubium, an expediret relaxare aliquantulum legum ecclesiasticarum severitatem de non permiscendis ritibus maxime in Communione Eucharistica, veniamque tribuere fidelibus communicandi utrovis ritu: cumque eius Commissionis Patres adnuendum censuissent, decretum confecerunt in eam sententiam; quod tamen, abrupto temporum iniquitate Concilio, Patribus universis probandum subiicere non licuit. — Post id temporis

[1] Cf. N. 328.
[2] Cf. N. 338.
[3] Cf. N. 357.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

S. Congregatio Fidei Propagandae pro negotiis Rituum Orientalium, ut solatio consuleret eorum, qui ob inopiam ecclesiarum vel sacerdotum proprii ritus a Communione saepius abstinere cogebantur, decretum die XVIII augusti anni MDCCCXCIII edidit, [1] quo, ad promovendam Sacramentorum frequentiam, omnibus fidelibus ritus sive latini sive orientalis, habitantibus ubi ecclesia aut sacerdos proprii ritus non adsit, facultas in posterum tribuitur communicandi, non modo in articulo mortis et in Paschate ad observandum praeceptum, sed quovis tempore, suadente pietate, iuxta ritum ecclesiae loci, dummodo sit catholica.

Decessor autem Noster, Leo XIII fel. rec. in Constitutione *Orientalium dignitas Ecclesiarum*, [2] eiusdem gratiae participes fecit, quicumque propter longinquitatem ecclesiae suae, nisi gravi cum incommodo, eam adire non possent. Simul vero prohibuit, ne in collegiis latinis, in quibus plures alumni orientales numerarentur, latino more hi communicarent; praecepitque ut accirentur eiusdem ritus sacerdotes qui sacrum facerent et sacratissimam Eucharistiam illis distribuerent, saltem diebus dominicis ceterisque de praecepto occurrentibus festis, quovis sublato privilegio. Sed tamen experiendo est cognitum, non ubique facile inveniri sacerdotes orientales, qui, cum alibi occupati sint in ministerio animarum, diebus dominicis et festis, atque adeo ipsis profestis diebus queant collegia adire latinorum, ut pueris puellisque esurientibus panem angelicum ministrent.

Quamobrem non raro supplicatum est huic Apostolicae Sedi, ut disciplinam Ecclesiae tanta in re indulgentius temperaret. Quae preces supplices, post editum die XX Decembris MCMV per S. Congregationem Concilii decretum Nostrum *Sacra Tridentina Synodus* de quotidiana Communione Eucharistica, [3] multo frequentiores fuerunt ab orientalibus, qui veniam petebant transeundi ad ritum latinum, quo facilius possent caelesti dape recreari; in eisque non pauci numerabantur pueri ac puellae, qui hoc ipsum beneficium participare percuperent.

Itaque, considerantibus Nobis fidem catholicam de valida consecratione utriusque panis, azymi et fermentati, tutam esse apud omnes; insuper compertum habentibus complures esse, tum latinos tum orientales, quibus illa promiscui ritus interdictio et fastidio et offensioni sit, exquisita sententia sacri Consilii christiano nomini propagando pro negotiis Orientalium Rituum, re mature perpensa, visum est omnia illa antiquare decreta, quae ritum promiscuum in usu Sanctissimae Eucharistiae prohibent vel coangustant; atque omnibus et latinis et orientalibus facultatem facere sive in azymo sive in fermentato apud sacerdotes catholicos, in ecclesiis cuiusvis ritus catholicis, secundum pristinam Ecclesiae consuetudinem, augusto Corporis Domini Sacramento sese reficiendi, ut « omnes et singuli qui christiano nomine censentur, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent ». [4]

[1] Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II. n. 1846.
[2] Cf. N. 627.
[3] Cf. Pii X Acta, vol. II, p. 250-256.
[4] Conc. Trident., Sess. XIII, *de Eucharistia*, c. 8.

Equidem confidimus, quae hic praescribuntur a Nobis, ea dilectis filiis, quot habemus in Oriente, ex quovis ritu, admodum fore utilia non solum ad inflammandum in eis pietatis ardorem, sed etiam ad mutuam eorum concordiam confirmandam. — Etenim quod ad pietatem attinet, nemo non videt divinam Eucharistiam, a Patribus Ecclesiae latinis graecisque quotidianum christiani hominis panem solitam appellari, utpote qua sustentetur et alatur tamquam valetudo animae, multo magis frequentandam eis esse, quorum caritas vel fides, seu ipsa supernaturalis vitae principia, maiore in discrimine versentur. Quare catholici orientales, quibus est in media multitudine schismaticorum habitandum, non ex periculoso eorum convictu aliquod fidei caritatisque detrimentum capient, si hoc se cibo caelesti roborare consueverint, sed magnum et perpetuum in se vitae spiritualis sentient incrementum. — Quod spectat alterum, patet proclive factu usque adhuc fuisse, ut inter homines unius fidei sed diversorum rituum, ex eo quod alii aliis facilius possent Corporis Christi esse participes, causae aemulationum et discordiarum exsisterent. Nunc autem, cum huius mensae, quae symbolum, radix atque principium est catholicae unitatis, promiscuam esse omnibus fidelibus communicationem volumus, pronum est debere inter ipsos increscere animorum concordiam, « quoniam unus panis, ait Apostolus, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus ». [1]

Haec Nos igitur de Apostolicae potestatis plenitudine statuimus et sancimus:

I. Sacris promiscuo ritu operari sacerdotibus ne liceat: propterea suae quisque Ecclesiae ritu Sacramentum Corporis Domini conficiant et ministrent.

II. Ubi necessitas urgeat, ac sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti orientali, qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam consecratam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servabit.

III. Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas, ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant.

IV. Quisque fidelium praecepto Communionis paschalis ita satisfaciet, si eam suo ritu accipiat et quidem a parocho suo: cui sane in ceteris obeundis religionis officiis addictus manebit.

V. Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio de manibus proprii parochi accipiendum est: sed, urgente necessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere; qui tamen ritu suo ministrabit.

VI. Unusquisque in nativo ritu permanebit, etiamsi consuetudinem diu tenuerit communicandi ritu alieno; neque ulli detur facultas mutandi ritus, nisi cui iustae et legitimae suffragentur causae, de quibus Sacrum Consilium Fidei Propagandae pro negotiis Orientalium iudicabit. In his vero causis numeranda non erit consuetudo quamvis diuturna ritu alieno communicandi.

Quaecumque autem his litteris decernimus, constituimus, declaramus, ab

[1] I Cor., X, 17.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

omnibus ad quos pertinet inviolabiliter servari volumus et mandamus, nec ea notari, in controversiam vocari, infringi posse, ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus Apostolicis, etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis, constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis consuetudinibus ac praescriptionibus; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta essent, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. — Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae praesentibus hisce litteris ostensis haberetur.

[Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 609-617].

699.

Pius X, motu propr. *In litteris Nostris*, 22 dec. 1913.

In litteris Nostris *Inter multiplices* editis Motu proprio de Protonotariis Apostolicis, [1] quo modo nonnulla capita essent interpretanda, declaravit ex Nostra auctoritate S. Rituum Congregatio decreto *Super legitima*, [2] cuius haec est summa: qui adscribatur collegio Canonicorum seu Capitulo, quod privilegiis seu insignibus et iuribus ad Protonotarios Apostolicos vel supranumerarios vel ad instar participantium pertinentibus ornatum sit, non eum acquirere ius ad expeditionem Brevis, quo inter Praelatos Domesticos numeretur, sed huius adeptionem honoris et gradus e sola Summi Pontificis benignitate pendere.

Iam vero ne privilegiorum diversitas, quae inter homines eiusdem Ordinis animadvertatur, christianae plebis admirationem moveat, Canonicis qui, cum sint e Capitulis modo memoratis, inter Praelatos Domesticos relati non sint, damus et concedimus, ut collegialiter quidem omnibus fruantur privilegiis suo ipsorum Capitulo ab Apostolica Sede tributis, singuli autem tum praelatitium habitum et *pianum*, quem vocant, gestare, ut est in illis ipsis Nostris litteris ad § 16 et 17; tum, de speciali mandato Ordinarii, ornatu et more Praelatorum, de quo ibidem ad § 31 sermo est, Sacrum celebrare possint. Qua duplici potestate non eis licebit uti, nisi infra fines dioecesis, cuius erit Capitulum.

Atque haec Motu proprio statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. V, p. 545, 546].

[1] Cf. N. 665.
[2] Cf. S. R. C. Decr. Authent., n. 4267.

700.

Pius X, motu propr. *Edita a Nobis*, 5 maii 1914.

Edita a Nobis die XV aprilis anni MCMX Constitutio *Apostolicae Romanorum Pontificum*[1] ut ad effectum adducatur, S. R. E. Cardinalibus, qui in Curia resident, consultis, iisque magna consensione suffragantibus, haec Nos de apostolicae potestatis plenitudine, Motu proprio, statuimus:

Omnia, quaecumque sex Ecclesiae Suburbicariae habent in bonis, posthac in unum cumulum collecta, Officio rei oeconomicae, quod est apud S. Consilium Fidei propagandae, appellato de Spoliis, administrentur: cuius administrationis ei quem Cardinales Episcopi suum procuratorem dixerint, quotannis erit reddenda ratio.

Horum annui reditus bonorum ita in Cardinales Episcopos distribuentur, ut sena millia libellarum italicarum singuli accipiant, proprio quidem Suffraganeo praebenda; quod vero, ea summa detracta, superfuerit, in septem dividetur partes, quarum Cardinalis Decanus habeat binas, ceteri singulas: ita, quae Curiis Episcopalibus opus fuerint, suppeditare poterunt.

Iam, ut incommodis ac detrimentis occurratur quae frequens mutatio sedium gignere consuevit, hoc ratum fixumque est, quod decrevimus, ut, quam quisque Cardinalis Episcopus nactus est initio Sedem, in ea permaneat etiam cum Decani gradum attigerit; tum enim dioecesim suam Ostiensi cumulabit. Quare, perpetua coniunctione dirempta Veliternae dioecesis et Ostiensis, cui quidem accidet ut cum alia atque alia dioecesi in persona Cardinalis Decani coniungatur, hae Suburbicariae erunt sedes: Portuensis et Sanctae Rufinae, Albanensis, Praenestina, Sabinensis, Tusculana, Veliterna.

Cardinales Episcopi suo quisque Suffraganeo cum annua sex millium libellarum praebere, tum partem domus episcopalis ad habitandum assignare debent. Suffraganei veri in dioecesi Suburbicaria, quam vice sacra gubernandam susceperint, continenter perpetuoque residebunt.

Itaque omnia quae his litteris decreta sancitaque sunt, valida et firma in omnes partes esse ac fore edicimus, inviolateque ab omnibus, ad quos pertinet, servari iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam specialissima mentione dignis.

[Acta Ap. Sedis, vol. VI, p. 219, 220].

701.

Pius X, motu propr. *Doctoris Angelici*, 29 iun. 1914.

Doctoris Angelici nemo sincere catholicus eam ausit in dubium vocare sententiam: *Ordinare de studio pertinet praecipue ad auctoritatem Apostolicae Sedis qua universalis Ecclesia gubernatur, cui per generale studium providetur.*[2] Quo Nos magno quidem officii munere cum alias functi sumus, tum prae-

[1] Cf. N. 686.
[2] Opusc. *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, c. III.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

sertim die I sept. a. MCMX, quum datis litteris *Sacrorum antistitum* ad omnes Episcopos summosque Religiosorum Ordinum magistros,[1] quibus cura rite instituendae sacrae iuventutis incumberet, haec in primis eos admonebamus: Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, philosophiam scolasticam quam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a Sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus et, qua opus sit, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta fuerint, ea ut in posterum custodiantur, urgere atque exigere. Eadem Religiosorum Ordinum Moderatoribus praecipimus ».

Iam vero, cum dictum hoc loco a Nobis esset *praecipue* Aquinatis sequendam philosophiam, non *unice*, nonnulli sibi persuaserunt, Nostrae sese obsequi aut certe non refragari voluntati, si quae unus aliquis e Doctoribus scholasticis in philosophia tradidisset, quamvis principiis S. Thomae repugnantia, illa haberent promiscua ad sequendum. At eos multum animus fefellit. Planum est, cum praecipuum nostris scholasticae philosophiae ducem daremus Thomam, Nos de eius principiis maxime hoc intelligi voluisse, quibus, tamquam fundamentis, ipsa nititur. Ut enim illa reiicienda est quorumdam veterum opinio, nihil interesse ad Fidei veritatem quid quisque de rebus creatis sentiat, dummodo de Deo recte sentiatur, siquidem error de natura rerum falsam Dei cognitionem parit; ita sancte inviolateque servanda sunt posita ab Aquinate principia philosophiae, quibus et talis rerum creatarum scientia comparatur quae cum Fide aptissime congruat;[2] et omnes omnium aetatum errores refutantur; et certo dignosci licet quae Deo soli sunt neque ulli praeter ipsum attribuenda;[3] et mirifice illustratur tum diversitas tum analogia quae est inter Deum eiusque opera; quam quidem et diversitatem et analogiam Concilium Lateranense IV sic expresserat: « inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda »[4]. — Ceterum, his Thomae principiis, si generatim atque universe de iis loquamur, non alia continentur, quam quae nobilissimi philosophorum ac principes Doctorum Ecclesiae meditando et argumentando invenerant de propriis cognitionis humanae rationibus, de Dei natura rerumque ceterarum, de ordine morali et ultimo vitae fine assequendo. Tam praeclaram autem sapientiae copiam, quam hic a maioribus acceptam sua prope angelica facultate ingenii perpolivit et auxit et ad sacram doctrinam in mentibus humanis praeparandam, illustrandam tuendamque[5] adhibuit, nec sana ratio vult negligi nec Religio patitur ulla ex parte minui. Eo vel magis quod si catholica veritas valido

[1] Cf. N. 689.
[2] *Contra Gentiles*, lib. II, c. III et II.
[3] Ibid., c. III; et I, q. XII, a. 4; et q. LIV, a I.
[4] Decretalis II *Damnamus ergo*, etc. (X, *de summa Trinitate, et fide catholica*, I, 1). — Cfr. S. Thom., Quaest. disp. *De scientia Dei*, art. 11.
[5] In librum Boethii *De Trinitate*, quaest. II, art. 3.

hoc praesidio semel destituta fuerit, frustra ad eam defendendam quis adminiculum petat ab ea philosophia, cuius principia cum *Materialismi, Monismi, Pantheismi, Socialismi* variique *Modernismi* erroribus aut communia sunt aut certe non repugnant. Nam quae in philosophia sancti Thomae sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit: quibus submotis aut quoquo modo depravatis, illud etiam necessario consequitur, ut sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipiant significationem verborum, quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae magisterio proponuntur.

Itaque omnes qui philosophiae et sacrae theologiae tradendae dant operam, illud admonitos iam voluimus, si ullum vestigium, praesertim in metaphysicis, ab Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore. — Nunc vero hoc praeterea edicimus, non modo non sequi Thomam, sed longissime a sancto Doctore aberrare eos, qui, quae in ipsius philosophia principia et pronuntiata maiora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnant. Quod si alicuius auctoris vel Sancti doctrina a Nobis Nostrisve Decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus atque ita etiam, ut ad laudes suasio iussioque adderetur eius vulgandae et defendendae, facile intelligitur eatenus comprobata, qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret.

Haec declarare et praecipere Apostolici officii duximus, ut in re maximi momenti, quotquot sunt ex utroque Clero, saeculari et regulari, mentem voluntatemque Nostram et penitus perspectam habeant, et ea, qua par est, alacritate diligentiaque efficiant. Id autem peculiari quodam studio praestabunt christianae philosophiae sacraeque theologiae magistri, qui quidem probe meminisse debent non idcirco sibi factam esse potestatem docendi, ut sua opinionum placita cum alumnis disciplinae suae communicent, sed ut iis doctrinas Ecclesiae probatissimas impertiant.

Iam, quod proprie attinet ad sacram theologiam, huius quidem disciplinae studium semper eius luce philosophiae, quam diximus, illustratum esse volumus, sed in communibus Seminariis clericorum, modo idonei praeceptores adsint, adhibere liceat eorum libros auctorum, qui, derivatas de Aquinatis fonte doctrinas, compendio exponunt; cuius generis libri suppetunt, valde probabiles.

At vero ad colendam altius hanc disciplinam, quemadmodum coli debet in Universitatibus studiorum magnisque Athenaeis atque etiam in iis omnibus Seminariis et Institutis, quibus potestas facta est academicos gradus conferendi, omnino oportet, veteri more, qui numquam excidere debuerat, revocato, de ipsa *Summa Theologica* habeantur scholae: eo etiam, quia, hoc libro commentando, facilius erit intelligere atque illustrare solemnia Ecclesiae docentis decreta et acta, quae deinceps edita sunt. Nam post beatum exitum sancti Doctoris, nullum habitum est ab Ecclesia Concilium, in quo non ipse cum doctrinae suae opibus interfuerit. Etenim tot saeculorum experimentis cognitum est in diesque magis apparet, quam vere Decessor Noster Ioannes XXII affirmarit: « Ipse (Thomas) plus illuminavit Eccle-

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

siam, quam omnes alii Doctores: in cuius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae ».[1] Quam sententiam S. Pius V, cum sancti Thomae festum, ut Doctoris, toti Ecclesiae celebrandum indiceret, ita confirmavit: « Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum est, ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae ex eo tempore quo caelitibus civibus adscriptus fuit, multae, quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et convictae dissiparentur, quod et antea saepe et liquido nuper in sacris Concilii Tridentini decretis apparuit, eiusdem memoriam, cuius meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur, maiore etiam quam antea grati et pii animi affectu colendam statuimus ».[2] Atque, ut alia praeconia Decessorum, plurima quidem et praeclara, mittamus, libet his verbis Benedicti XIV omnes scriptorum Thomae, praesertim Summae Theologicae, laudes complecti: « Cuius doctrinae complures Romani Pontifices, praedecessores Nostri, perhonorifica dederunt testimonia, quemadmodum Nos ipsi in libris, quos de variis argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus atque suspeximus, admirabundi semper atque lubentes eidem adhaesimus atque subscripsimus; candide profitentes si quid boni in iisdem libris reperitur, id minime Nobis, sed tanto Praeceptori totum esse adscribendum ».[3]

Itaque « ut genuina et integra S. Thomae doctrina in scholis floreat, quod Nobis maxime cordi est » ac tollatur iam « illa docendi ratio, quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur » ob eamque rem « mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae diversae atque inter se pugnantes oriuntur... non sine magno scientiae christianae detrimento ».[4] Nos volumus, iubemus, praecipimus, ut qui magisterium sacrae theologiae obtinent in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quae habeant ex apostolico indulto potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi, *Summam Theologicam* S. Thomae tamquam praelectionum suarum *textum* habeant, et latino sermone explicent: in eoque sedulam ponant operam ut erga illam auditores optime afficiantur. — Hoc in pluribus Institutis laudabiliter iam est usitatum; hoc ipsum Ordinum Religiosorum Conditores sapientissimi in suis studiorum domiciliis fieri voluerunt, Nostris quidem Decessoribus valde probantibus: nec, qui post Aquinatis tempora fuerunt, Sancti homines alium sibi summum doctrinae magistrum habuerunt, nisi Thomam. Sic autem, et non aliter, fiet ut non modo in pristinum decus revocetur theologia, sed et sacris omnibus disciplinis suus ordo suumque pondus restituatur, et quicquid intelligentia et ratione tenetur, quodammodo revirescat.

[1] Alloc. hab. in Consistorio an. MCCCXVIII.
[2] Bulla *Mirabilis Deus*, d. d. XI aprilis an. MDLXVII. — Cf. Bull. Rom., tom. 4, II, p. 367, 368.
[3] Acta Cap. Gen. O. P., tomo IX, p. 196.
[4] Leonis XIII Epist. *Qui te*, d. d. XIX iunii an. MDCCCLXXXVI. — Cf. Leonis XIII Acta, vol. VI, p. 102, 103.

Quare nulla in posterum tribuetur cuiquam Instituto potestas conferendi academicos in sacra theologia gradus, nisi quod hic a Nobis praescriptum est, sancte apud ipsum servetur. Instituta vero seu *Facultates*, Ordinum quoque et Congregationum Regularium, quae legitime iam huiusmodi potestatem habeant academicos in theologia gradus aut similia documenta conferendi vel tantum intra domesticos fines, eadem privabuntur privataeque habendae erunt, si post tres annos, quavis de causa etiamsi minime voluntaria, huic praescriptioni Nostrae religiose non obtemperarint.

Atque haec statuimus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. VI, p. 336-341].

702.

Benedictus XV, litt. encycl. *Ad beatissimi*, 1 nov. 1914.[1]

1. Ad beatissimi Apostolorum Principis cathedram arcano Dei providentis consilio, nullis Nostris meritis, ubi provecti sumus, cum quidem Christus Dominus ea ipsa Nos voce, qua Petrum, appellaret, *pasce agnos meos, pasce oves meas;*[2] continuo Nos summa cum benevolentiae caritate oculos in gregem, qui Nostrae mandabatur curae, convertimus; innumerabilem sane gregem, ut qui universos homines, alios alia ratione, complectatur. Omnes enim, quotquot sunt, Iesus Christus a peccati servitute, profuso in pretium suo sanguine, liberavit; nec vero est ullus, qui a beneficiis redemptionis huius exceptione excludatur: itaque genus humanum divinus Pastor partim Ecclesiae suae caulis iam feliciter inclusum habet, partim se eodem compulsurum amantissime affirmat: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient.*[3] — Equidem non vos hoc celabimus, venerabiles Fratres: ante omnia, divina certe benignitate excitatum, sensimus in animo incredibilem quemdam studii et amoris impetum ad cunctorum salutem hominum quaerendam; atque illud ipsum fuit Nostrum in Pontificatu suscipiendo votum, quod Iesu, mox crucem subeuntis, fuerat: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.*[4]

2. Iam vero, ut primum licuit ex hac arce Apostolicae dignitatis rerum humanarum cursum uno quasi obtutu contemplari, cum lacrimabilis obversaretur Nobis ante oculos civilis societatis conditio, acri sane dolore affecti sumus. Quo enim pacto fieret ut Nostrum communis omnium Patris animum non vehementissime sollicitaret hoc Europae atque adeo orbis terrae spectaculum, quo nullum fortasse nec atrocius post hominum memoriam fuit, nec luctuosius? Omnino illi advenisse dies videntur, de quibus Christus praenuntiavit: *Audituri... estis praelia, et opiniones praeliorum...*

[1] Ad Venerabiles Fratres Patriarchas Primates Archiepiscopos Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes.
[2] Ioan., XXI, 15-17.
[3] Ibid., X, 16.
[4] Ibid., XVII, 11.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum.[1] Tristissima usquequaque dominatur imago belli; nec fere nunc est aliud quod hominum cogitationes occupet. Maximae sunt praestantissimaeque opulentia gentes quae dimicant: quamobrem quid mirum, si horrificis bene instructae praesidiis, quae novissime ars militaris invenit, conficere se mutuo exquisita quadam immanitate contendant? Nec ruinarum igitur nec caedis modus: quotidie novo redundat cruore terra, ac sauciis completur exanimisque corporibus. Num, quos ita videris alteros alteris infestos, eos dixeris ab uno omnes prognatos, num eiusdem naturae, eiusdem societatis humanae participes? Num fratres agnoveris, quorum unus est Pater in caelis? Dum autem infinitis utrimque copiis furiose decernitur, interea doloribus et miseriis, quae bellis, tristis cohors, comitari solent, civitates, domus, singuli premuntur: crescit immensum in dies viduarum orborumque numerus; languent, interceptis itineribus, commercia; vacant agri; silent artes; in angustiis locupletes, in squalore inopes, in luctu sunt omnes.

3. Hisce Nos tamen extremis rebus permoti, in primo tamquam limine Pontificatus maximi, Nostrarum partium esse duximus, suprema illa Decessoris Nostri, praeclarae sanctissimaeque memoriae Pontificis, revocare verba, iisque iterandis, Apostolicum officium auspicari; vehementerque eos, qui res regunt vel gubernant publicas, obsecravimus, ut, respicientes quantum effusum iam esset lacrimarum et sanguinis, alma pacis munera reddere populis maturarent. Atque utinam, Dei miserentis beneficio, fiat, ut, quem Angeli in ortu divini hominum Redemptoris faustum cecinere nuntium, idem, ineuntibus Nobis vicarium Ipsius munus, celeriter insonet: *In terra pax hominibus bonae voluntatis.*[2] Audiant Nos ii, rogamus, quorum in manibus fortuna civitatum sita est. Aliae profecto adsunt viae, rationes aliae, quibus, si qua sunt violata iura, sarciri possint. Has, positis interim armis, bona experiantur fide animisque volentibus. Ipsorum Nos universarumque gentium amore impulsi, nulla Nostra causa, sic loquimur. Ne sinant igitur hanc amici et patris vocem in irritum cadere.

4. At vero, non solum huius cruenti dimicatio belli miserrimos habet populos, Nosque anxios et sollicitos. Alterum est, in ipsis medullis humanae societatis inhaerens, furiale malum; idque omnibus, quicumque sapiunt, est formidini, utpote quod, cum alia iam attulerit et allaturam sit detrimenta civitatibus, tum huius luctuosissimi belli semen iure habeatur. Etenim ex quo christianae sapientiae praecepta atque instituta observari desita sunt in disciplina rei publicae, cum stabilitatem tranquillitatemque ordinis illa ipsa continerent, necessario nutare funditus coeperunt civitates, ac talis et mentium conversio et morum demutatio consecuta est, ut, nisi Deus mature adiuvet, impendere iam humanae consortionis videatur exitium. Itaque haec cernimus: abesse ab hominum cum hominibus coniunctione benevolentiam mutuam; despicatui haberi eorum qui praesunt, auctoritatem; ordines cum ordinibus civium iniuriose contendere; fluxa et caduca ita

[1] Matth., XXIV, 6, 7.
[2] Luc., II, 14.

sitienter appeti bona, quasi non alia sint, eaque multo potiora, homini proposita ad comparandum. His quidem quatuor capitibus causas totidem contineri arbitramur, cur societas humani generis adeo graviter perturbetur. Danda igitur communiter est opera, ut pellantur e medio, christianis nimirum principiis revocandis, si vere consilium est pacare communes res recteque componere.

5. Ac primum Christus Dominus, cum hanc ipsam ob causam de caelis descendisset, ut, quod invidia diaboli eversum fuerat, restitueret in hominibus regnum pacis, non alio illud voluit niti fundamento, nisi caritatis. Quare haec saepius: *Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem;* [1] *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem;* [2] *Haec mando vobis, ut diligatis invicem:* [3] tamquam si unum hoc suum esset officium et munus, adducere homines ut diligerent inter se. Atque huius rei gratia, quod non adhibuit argumentorum genus? Suspicere in caelum nos omnes iubet: *Unus est enim Pater vester, qui in caelis est.* [4] Omnes, nullo nationis aut linguae aut rationum discrimine, eamdem docet formulam precandi: *Pater Noster, qui es in caelis;* [5] quin etiam affirmat Patrem caelestem, in beneficiis naturae dilargiendis, ne merita quidem singulorum discernere: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos: et pluit super iustos et iniustos.* [6] Fratres etiam nos tum dicit inter nos esse, tum suos appellat: *Omnes autem vos fratres estis;* [7] *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* [8] Quod vero ad fraternum amorem excitandum, vel erga eos quos naturae superbia contemnit valet plurimum, in infimo quoque suae ipse vult agnosci personae dignitatem: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* [9] Quid, quod sub exitum vitae impensissime rogavit Patrem, ut quotquot in se ipsum essent credituri, omnes caritatis copulatione essent unum? *Sicut tu Pater in me, et ego in te.* [10] Denique e cruce pendens, suum sanguinem in nos omnes exhausit, unde quasi coagulati compactique in unum corpus, sic amaremus inter nos, quemadmodum inter membra eiusdem corporis summa amicitia est. — Verum longe aliter se habent mores horum temporum. Numquam fortasse fraternitatis humanae tanta fuit, quanta hodie, praedicatio; quin imo non dubitant, Evangelii voce neglecta, operaque Christi et Ecclesiae posthabita, hoc fraternitatis studium efferre, tamquam unum e maximis muneribus, quae huius aetatis humanitas pepererit. Re tamen vera, numquam minus fraterne actum est inter homines, quam nunc. Crudelissima ob dissimilitudines generis sunt odia; gentem a gente potius simultates, quam regiones separant; eadem in civitate, eadem intra moenia flagrant

[1] Ioan., XIII, 34.
[2] Ibid., XV, 12.
[3] Ibid., XV, 17.
[4] Matth., XXIII, 9.
[5] Ibid., VI, 9.
[6] Ibid., V, 45.
[7] Ibid., XXIII, 8.
[8] Rom., VIII, 29.
[9] Matth., XXV, 40.
[10] Ioan., XVII, 21.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

mutua invidia ordines civium; inter privatos autem omnia amore sui, tamquam suprema lege, diriguntur.

6. Videtis, venerabiles Fratres, quam necesse sit omni studio eniti, ut Iesu Christi caritas rursus in hominibus dominetur. Hoc certe semper Nobis propositum habituri sumus, velut proprium Nostri Pontificatus opus; hoc ipsum studete vos, hortamur. Ne desistamus vel inculcare auribus hominum vel re praestare illud Ioannis: *Diligamus alterutrum.* [1] Praeclara certe, valdeque commendanda sunt illa, quibus haec aetas abundat beneficentiae causa institutis; at enim, si quid ad veram Dei et aliorum caritatem in animis fovendam conferant, tum demum solidae utilitatis sunt quod si nihil eo conferant nulla sunt: nam *qui non diligit, manet in morte.* [2]

7. Alteram diximus communis perturbationis causam in eo consistere, quod iam non sancta vulgo sit eorum qui cum potestate praesunt, auctoritas. Ex quo enim placuit omnis humanae potestatis non a Deo, rerum conditore et dominatore, sed a libera hominum voluntate deducere originem, vincula officii, quae eos inter qui praesunt et qui subsunt, intercedere debeant, adeo extenuata sunt, ut propemodum evanuisse videantur. Immodicum enim studium libertatis cum contumacia coniunctum, paullatim usquequaque pervasit; idque ne domesticam quidem societatem, cuius potestatem luce clarius est a natura proficisci, intactam reliquit; quin etiam, quod magis dolendum est, in sacros usque recessus penetravit. Hinc contemptio nascitur legum; hinc motus multitudinum; hinc petulantia reprehendendi quidquid iussum sit; hinc sexcentae repertae viae ad disciplinae nervos elidendos; hinc immania illorum facinora, qui, quum se nulla teneri lege profiteantur, nec fortunas hominum verentur nec vitam perdere.

8. Ad hanc opinandi agendique pravitatem, qua societatis humanae constitutio pervertitur, Nobis quidem, quibus magisterium veritatis divinitus mandatum est, tacere non licet; populosque admonemus illius doctrinae, quam nulla hominum placita mutare possunt: *Non est potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.* [3] Quisquis igitur inter homines praeest, sive is princeps est sive infra principatum, eius divina est origo auctoritatis. Quare Paulus non quovis modo, sed religiose, id est ex conscientiae officio, obtemperandum iis esse edicit, qui pro potestate iubent, nisi quid iubeant divinis contrarium legibus: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* [4] Congruit cum verbis Pauli, quod ipse Apostolorum Princeps docet: *Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum: sive regi, quasi praecellenti: sive ducibus, tamquam ab eo missis...* [5] Ex quo idem Gentium Apostolus colligit, eum qui homini legitime

[1] I Ioan., III, 23.
[2] Ibid., 14.
[3] Rom., XIII, 1.
[4] Ibid., 5.
[5] I Petr., II, 13, 14.

imperanti contumax obsistat, Deo obsistere ac sempiternas sibi parare poenas: *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* [1]

9. Meminerint hoc principes rectoresque populorum, ac videant num prudens ac salutare consilium cum potestati publicae tum civitatibus sit a sancta Iesu Christi religione discedere, a qua tantum ipsa potestas habet roboris et firmamenti. Etiam atque etiam considerent, num doctrinam Evangelii et Ecclesiae velle a disciplina civitatis, a publica iuventutis institutione exclusam, civilis sapientiae sit. Nimis experiendo cognitum est, ibi hominum iacere auctoritatem, unde exsulet religio. Quod enim primo nostri generis parenti, cum officium deseruisset, contigit, idem civitatibus usu venire solet. Ut in illo, vix voluntas a Deo defecerat, effrenatae cupidines voluntatis repudiarunt imperium: ita ubi qui res moderantur populorum, divinam contemnunt auctoritatem, ipsorum auctoritati illudere populi consueverunt. Relinquitur sane, quod assolet, ut ad turbidos motus comprimendos vis adhibeatur: sed quo tandem fructu? Vi corpora quidem, non animi comprimuntur.

10. Sublata igitur aut debilitata illa duplici coniunctione, unde efficitur ut omne societatis corpus cohaereat, id est vel membrorum cum membris ob caritatem mutuam, vel eorumdem cum capite ob auctoritatis obsequium, quisnam iure miretur, venerabiles Fratres, hanc hominum societatem dispertitam in duas tamquam acies videri, quae inter se acriter et assidue digladientur? Stant contra eos quibus aliquam bonorum copiam aut fortuna tribuit aut peperit industria, proletarii et opifices, propterea flagrantes malevolentia, quod cum eamdem naturam participent, non tamen in eadem, ac ipsi, condicione versentur. Scilicet, ut semel infatuati sunt concitatorum fallaciis, quorum ad nutum solent se totos fingere, quis eis persuadeat, non ex eo, quod homines sunt pares natura, sequi ut parem omnes obtinere debeant in communitate locum, sed eam esse singulorum conditionem, quam sibi quisque suis moribus, nisi res obstiterint, comparavit? Ita, qui tenuiores cum copiosis depugnant, quasi alienas hi bonorum partes occuparint, non contra iustitiam caritatemque tantum, verum etiam contra rationem faciunt, praesertim cum et ipsi possint honesta laboris contentione meliorem sibi fortunam quaerere, si velint. — Quae vero quantaque hoc invidiosum certamen ordinum tum singulis tum communitati civium gignat incommoda, dicere nil attinet. Videmus omnes deploramusque crebras cessationes ab opere, quibus civilis publicaeque vitae cursus in ministeriis etiam apprime necessariis repente inhiberi solet: item minaces turbas et tumultus, in quibus non raro accidit, ut armis res geratur et humanus effluat cruor.

11. Non hic videtur Nobis argumenta repetere, quibus *Socialistarum* aliorumque in hoc genere errores manifesto convincuntur. Egit hoc ipsum sapientissime Leo XIII decessor Noster in Encyclicis Litteris sane memorandis: [1] vosque, venerabiles Fratres, pro vestra diligentia curabitis, ut gravissima illa praecepta ne unquam oblivioni dentur, imo in consociationibus ac coetibus catholicorum, in sacris concionibus, in publicis nostrorum scriptis illustrentur docte atque inculcentur, quandocumque res postulaverit.

[1] Rom., XIII, 2.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

Sed potissimum — neque enim hoc iterare dubitamus — omni argumentorum ope, quae vel Evangelium, vel ipsa hominis natura, vel publicae privataeque disciplinae ratio suppeditat, studeamus hortari omnes, ut, ex divina caritatis lege, fraternis animis inter se diligant. Cuius quidem amoris non ea certe vis est, ut conditionum ideoque ordinum distinctionem amoveat, — quod non magis potest fieri, quam ut in corpore animantis una eademque membrorum omnium actio sit ac dignitas — sed tamen efficiet, ut qui loco superiores sunt, demittant se quodammodo ad inferiores; et non solum iuste adversus eos, quod par est, sed benigne, comiter, patienter sese gerant: hi autem illorum et laetentur prosperitate et confidant auxilio; sic prorsus, uti ex familiae eiusdem filiis minor natu maioris patrocinio praesidioque nititur.

12. At enim, venerabiles Fratres, quae hactenus deplorando persecuti sumus, ea radicem habent altiorem: ac, nisi ad ipsam evellendam studia bonorum incumbant, illud profecto, quod est in votis, id est rerum humanarum stabilis et mansura tranquillitas, non sequatur. Ea quae sit, monstrat Apostolus: *Radix... omnium malorum est cupiditas.* [2] Etenim, si quis recte consideret, mala, quibus nunc aegrotat humana societas, ex hac stirpe oriuntur omnia. Quandoquidem et perversitate scholarum, quibus aetatula cerea fingitur, et improbitate scriptorum, quibus, quotidie aut per intervalla, imperitae multitudinis mens formatur, et aliarum causa rerum, ad quas opinio popularis exigitur, quando, inquimus, ille infusus est animis perniciosissimus error, non sperandum esse homini sempiternum aevum in quo beatus sit; hic, hic licere ei esse beato, divitiis, honoribus, voluptatibus huius vitae fruendis; nemo mirabitur hos homines, natura factos ad beatitatem, ea vi qua ad eorum adeptionem bonorum rapiuntur, eadem quicquid sibi moram in hac re aut impedimentum fecerit, repellere. Quoniam vero haec bona non aequaliter dispertita sunt in singulos, et quia socialis auctoritatis est prohibere ne singulorum libertas fines excedat alienumque occupet, idcirco et odio habetur auctoritas, et miserorum in fortunatos ardet invidia, et inter ordines civium mutua contentione certatur, nitentibus quidem aliis attingere id quovis pacto et eripere quo carent, aliis autem retinere quod habent, atque etiam augere.

13. Hoc ipsum Christus Dominus cum prospiceret futurum, in divinissimo illo sermone, quem in monte habuit, terrestres hominis *beatitudines* quae essent, data opera explicavit: in quo christianae philosophiae quodammodo fundamenta posuisse dicendus est. Quae quidem vel hominibus permodo fundamenta posuisse dicendus est. Quae quidem vel hominibus per quam alienis a Fide, singularem sapientiam et absolutissimam de religione ac moribus doctrinam continere visa sunt: et certe consentiunt omnes nemi-

[1] Cf. N. 611.
[2] I Tim., VI, 10.

nem ante Christum, qui ipsa est veritas, nec similiter eadem de re, nec pari gravitate ac pondere, nec tanto cum sensu amoris unquam praecepisse.

14. Iam divinae huius philosophiae illa intima et recondita ratio est, quod quae mortalis vitae appellantur bona, speciem quidem boni habent, vim non habent; ideoque non sunt ea, quibus fruens, homo beate possit vivere. Deo enim auctore, tantum abest ut opes, gloria, voluptas beatitatem afferant homini, ut, si vere hac potiri velit, debeat iis omnibus, Dei ipsius causa, carere: *Beati pauperes... Beati, qui nunc fletis... Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum.* [1] Scilicet per dolores, aerumnas, miserias vitae huius, si quidem ea toleremus ut oportet, aditum nobis ipsi patefacimus ad perfecta illa et immortalia bona, *quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* [2] Verum haec tanti momenti doctrina Fidei apud plurimos negligitur, apud multos penitus obliterata videtur. — Atqui necesse est, venerabiles Fratres, ad eam renovari omnium animos: non alio pacto homines et hominum societas conquiescent. Quicumque igitur quovis aerumnarum genere affliguntur, eos hortamur non oculos demittere in terram, qua peregrinamur, sed tollere ad caelum, quo tendimus: *non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* [3] In mediis autem rerum acerbitatibus, quibus eorum periclitatur Deus in officio constantiam, saepe reputent, quid sibi paratum sit praemii, cum ex hoc periculo victores evaserint: *Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* [4] Denique omni ope atque opera eniti ut revirescat in hominibus rerum fides quae supra naturam sunt, simulque cultus, desideratio, spes bonorum aeternorum, hoc debet esse vobis propositum in primis, venerabiles Fratres, tum reliquo clero, tum etiam nostris omnibus, qui, vario consociati foedere, Dei gloriam communemque veri nominis utilitatem student promovere. Prout enim haec apud homines Fides creverit, decrescet eorumdem studium immodicum consectandi terrestrium bonorum vanitatem, ac sensim, caritate resurgente, motus contentionesque sociales conticescent.

15. Nunc autem, si ab hominum communitate ad proprias Ecclesiae res considerandas cogitationem convertimus, est profecto, cur animus Noster, tam magna temporum calamitate percussus, aliqua saltem ex parte reficiatur. Nam, praeter argumenta, quae se dant apertissima, divinae illius virtutis ac firmitatis qua pollet Ecclesia, non parum consolationis ipsa Nobis offerunt, quae decessor Noster Pius X, cum Sedem Apostolicam sanctissimae vitae exemplis illustrasset, praeclara Nobis reliquit suae actuosae providentiae munera. Videmus enim eius opera inflammatum universe in sacro ordine studium religionis; excitatam christiani populi pietatem; promotam in consociationibus catholicorum actionem ac disciplinam; qua constitutas,

[1] Luc., VI, 20-22.
[2] I Cor., II, 9.
[3] Hebr., XIII, 13.
[4] II Cor., IV, 17.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

qua numero auctas Episcoporum sedes; institutioni adolescentis cleri tum pro severitate canonum, tum, quoad opus est, pro natura temporum consultum; a magisteriis sacrarum disciplinarum depulsa temerariae novitatis pericula; maiestati sacrorum artem musicam digne servire iussam, auctumque liturgiae decus; novis praeconum Evangelii missionibus christianum late nomen propagatum.

16. Magna sunt ista quidem Decessoris in Ecclesiam promerita, quorum memoriam grate posteritas conservabit. Quoniam tamen ager *Patrisfamilias* semper, Deo permittente, *inimici hominis* malignitati patet, nunquam est futurum, ut ibi elaborandum non sit, ne *zizania* luxuriantia bonis frugibus officiant. Itaque, interpretantes dictum quoque Nobis, quod prophetae Deus dixerat: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas... et aedifices et plantes,* [1] quaecumque erunt mala prohibenda, bona provehenda, quantum erit in Nobis, summo usque studio curabimus, quoad Pastorum Principi rationem a Nobis administrati muneris placeat repetere.

17. Iam nunc igitur, venerabiles Fratres, cum vos universos primo litteris affamur, commodum videtur Nobis nonnulla attingere capita rerum, quibus praecipuas quasdam curas adhibere decrevimus: ita, maturantibus vobis vestra opera adiuvare Nostram, maturius etiam optati fructus exsistent.

18. Principio, quoniam in omni hominum societate, quavis de causa coiverint, ad successum communis causae maxime interest socios in idem summa conspiratione conniti, omnino Nobis faciendum est, ut dissensiones atque discordiae inter catholicos, quaecumque sunt, desinant esse, novae ne posthac oriantur, sed ii iam unum idemque omnes et sentiant et agant. — Probe Dei Ecclesiaeque hostes intelligunt, nostrorum quodvis in propugnando dissidium sibi esse victoriae: quare illam habent usitatissimam rationem, ut cum catholicos homines viderint coniunctiores, tum, callide iniicientes eis discordiarum semina, coniunctionem dirimere nitantur. Quae utinam ratio ne ita saepe ex voluntate eis evenisset, tanto cum religiosae rei detrimento! Itaque ubi potestas legitima quid certo praeceperit, nemini fas esto negligere praeceptum, propterea quia non probetur sibi: sed quod cuique videatur, id quisque subiiciat eius auctoritati, cui subest, eique, ex officii conscientia, pareat. — Item nemo privatus, vel libris diariisve vulgandis vel sermonibus publice habendis, se in Ecclesia pro magistro gerat. Norunt omnes cui sit a Deo magisterium Ecclesiae datum: huic igitur integrum ius esto pro arbitratu loqui, cum voluerit; ceterorum officium est, loquenti religiose obsequi dictoque audientes esse. In rebus autem, de quibus, salva fide ac disciplina, — cum Apostolicae Sedis iudicium non intercesserit — in utramque partem disputari potest, dicere quid sentiat idque defendere, sane nemini non licet. Sed ab his disputationibus omnis intemperantia sermonis absit, quae graves afferre potest offensiones caritati; suam quisque tueatur libere quidem, sed modeste sententiam; nec sibi putet fas

[1] Ierem., I, 10.

esse, qui contrariam teneant, eos, hac ipsa tantum causa, vel suspectae fidei arguere vel non bonae disciplinae. Abstineant se etiam nostri, volumus, iis appellationibus, quae recens usurpari coeptae sunt ad catholicos a catholicis distinguendos: easque non modo devitent uti *profanas vocum novitates*, quae nec veritati congruunt nec aequitati; sed etiam quia inde magna inter catholicos perturbatio sequitur, magnaque confusio. Vis et natura catholicae fidei est eiusmodi, ut nihil ei possit addi, nihil demi: aut omnis tenetur, aut omnis abiicitur. *Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* [1] Non igitur opus est appositis ad professionem catholicam significandam; satis habeat unusquisque ita profiteri: « Christianus mihi nomen, catholicus cognomen »; tantum studeat se re vera eum esse, qui nominatur.

19. Ceterum, a nostris qui se ad communem rei catholicae utilitatem contulerunt, longe aliud nunc Ecclesia postulat, quam ut diutius haereant in quaestionibus, quibus nihil proficitur; postulat, ut summo opere contendant integram conservare fidem et incolumem ab omni erroris afflatu, sequentes eum maxime, quem Christus constituit custodem et interpretem veritatis. Sunt etiam hodie, nec ita pauci sunt, qui, ut ait Apostolus, « prurientes auribus, cum sanam doctrinam non sustineant, ad sua desideria coacervent sibi magistros, et a veritate quidem auditum avertant, ad fabulas autem convertantur ». [2] Inflati enim elatique magna opinione mentis humanae, quae progressiones sane incredibiles in exploratione naturae, Deo nimirum dante, fecit; nonnulli, cum prae suo iudicio auctoritatem Ecclesiae contemnerent, usque eo sua temeritate processerunt, ut ipsa Dei arcana et omnia quae Deus homini revelavit, sua intelligendi facultate metiri atque ad ingenium horum temporum accommodare non dubitarent. Itaque exstiterunt monstruosi errores *Modernismi*, quem recte Decessor Noster *omnium haereseon collectum* edixit esse et sollemniter condemnavit. [3] Eam Nos igitur condemnationem, venerabiles Fratres, quantacumque est, hic iteramus; et quoniam non usquequaque oppressa est tam pestifera lues, sed etiamnum hac illac, quamvis latenter, serpit, caveant omnes diligentissime, hortamur, a quavis huius contagione mali; de quo quidem apte affirmaveris quod Iob alia de re dixerat: *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* [4] — Nec vero tantum ab erroribus catholici homines, cupimus, abhorreant, sed ab ingenio etiam, seu spiritu, ut aiunt, *Modernistarum:* quo spiritu qui agitur, is quicquid sapiat vetustatem, fastidiose respuit, avide autem ubivis nova conquirit: in ratione loquendi de rebus divinis, in celebritate divini cultus, in catholicis institutis, in privata ipsa exercitatione pietatis. Ergo sanctam haberi volumus eam maiorum legem: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est;* quae lex tametsi inviolate servanda est in rebus Fidei, tamen ad eius normam dirigenda sunt etiam, quae mutationem pati

[1] Symb. Athanas.
[2] II Tim., IV, 3, 4.
[3] Cf. N. 686, 689.
[4] Iob., XXXI, 12.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

possunt; quamquam in his ea quoque regula plerumque valet: *Non nova, sed noviter.*

20. Iam, quia, venerabiles Fratres, ad profitendam aperte Fidem catholicam atque ad vivendum congruenter Fidei, plurimum homines fraternis hortamentis mutuisque exemplis inflammari solent, ideo Nos alias atque alias excitari consociationes catholicorum equidem vehementer gaudemus. Atque illae non solum optamus ut crescant, sed volumus Nostro etiam patrocinio studioque semper floreant: florebunt autem, modo praescriptionibus quas haec Apostolica Sedes iam dedit vel datura eis est, constanter fideliterque obtemperarint. Quotquot igitur, earum participes societatum, pro Deo Ecclesiaque contendunt, ne sinant unquam sibi excidere quod Sapientia clamat: *Vir obediens loquetur victoriam;* [1] nisi enim Deo paruerint per obsequium in Ecclesiae ducem, nec dignam sibi conciliabunt opem, et frustra contendent.

21. Ad haec omnia vero — ut eum, quem exspectamus, exitum habeant — nostis, venerabiles Fratres, illorum necessariam esse prudentem sedulamque operam, quos Christus Dominus *operarios in messem suam* misit, id est clericorum. — Quare intelligitis praecipuam vestram curam in hoc debere versari, ut et qui apud vos de sacro ordine iam sunt, in eis consentaneam sanctimoniam foveatis, et qui sunt alumni sacrorum, eos optimis institutis praeceptisque ad munus tam sanctum rite conformetis. Id vos ut quam diligentissime facere velitis — tametsi vestra diligentia hortatione non indiget — hortamur atque etiam obsecramus. Res enim eiusmodi agitur, ut nulla sit maioris momenti ad Ecclesiae bonum: qua de re, cum decessores Nostri fel. rec. Leo XIII [2] et Pius X [3] egerint data opera, Nos hic plura dicere non habemus. Tantum rogamus, ut illa Pontificum sapientissimorum acta, praesertim Piana *Exhortatio ad Clerum,* [4] suadentibus atque instantibus vobis, ne unquam obruantur oblivione, sed studiosissime observentur.

22. Unum tamen est, quod praeteriri silentio non debet: quotquot enim sunt sacerdotes, omnes, ut filios Nobis penitus dilectos, volumus admonitos, quam plane opus sit, cum ad propriam ipsorum salutem, tum ad sacri ministerii fructum, eos quidem suo quemque Episcopo coniunctissimos esse, atque obsequentissimos. Profecto ab illa elatione animi et contumacia, quae horum est temporum, non omnes, ut supra deploravimus, vacant ministri sacrorum; neque enim raro contingit Pastoribus Ecclesiae, ut dolorem et impugnationem inde inveniant, unde solatium et adiumentum iure exspectarint. Iam vero qui tam misere officium deserunt, etiam atque etiam recogitent, divinam esse eorum auctoritatem, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,* [5] ac si, ut vidimus, Deo resistunt, quicumque potestati cuivis legitimae resistunt, multo magis impie eos facere, qui Episcopis, quos Deus suae potestatis sigillo consecraverit, parere abnuant. *Cum*

[1] Prov., XXI, 28.
[2] Cf. N. 594, 595, 596, 602, 620, 642, 650.
[3] Cf. N. 653, 661, 676.
[4] Cf. N. 683.
[5] Act., XX, 28.

caritas, ita Ignatius Martyr, *non sinat me tacere de vobis, propterea anteverti vos admonere, ut unanimi sitis in sententia Dei. Etenim Iesus Christus, inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ut et Episcopi, per tractus terrae constituti, in sententia Patris sunt. Unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere.* [1] Quemadmodum autem Martyr illustris, ita omnes, quotquot fuerunt, Patres et Doctores Ecclesiae locuti sunt. — Ad haec, nimis grave, propter difficultates quoque temporum, sacri Pastores ferunt onus; graviore etiam in sollicitudine sunt de gregis concrediti salute: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* [2] Nonne crudeles dicendi sunt, qui eis, obsequium debitum recusando, id oneris, id sollicitudinis augent? *Hoc enim non expedit vobis,* [3] diceret istis Apostolus: idque propterea quia *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens;* [4] ex quo sequitur, cum Ecclesia non esse, qui cum Episcopo non sit.

23. Et nunc, venerabiles Fratres, in harum exitu litterarum, sponte redit animus ad illud, unde initium scribendi fecimus; atque huius calamitosissimi belli finem, tum societati hominum, tum Ecclesiae, iterum omnibus precibus imploramus; hominum quidem societati, ut, reconciliata cum fuerit pax, in omni civili et humano cultu vere progrediatur: Ecclesiae autem Iesu Christi, ut nullis iam impedimentis retardata, pergat in quavis ora ac parte terrarum opem et salutem hominibus afferre. — Ecclesia sane iam multo diutius non ea, qua opus habet, plena libertate fruitur; scilicet ex quo caput eius Pontifex Romanus illo coepit carere praesidio, quod, divinae providentiae nutu, labentibus saeculis nactus erat ad eamdem tuendam libertatem. Hoc autem sublato praesidio, non levis catholicorum turbatio, quod necesse erat fieri, secuta est: quicumque enim Romani Pontificis se filios profitentur, omnes, et qui prope sunt et qui procul, iure optimo exigunt ut nequeat dubitari, quin communis ipsorum Parens in administratione Apostolici muneris vere sit et prorsus appareat ab omni humana potestate liber. Itaque magnopere exoptantes ut pacem quamprimum gentes inter se componant, exoptamus etiam ut Ecclesiae Caput in hac desinat absona conditione versari, quae ipsi tranquillitati populorum, non uno nomine, vehementer nocet. Hac igitur super re, quas Decessores Nostri pluries expostulationes fecerunt, non quidem humanis rationibus, sed officii sanctitate adducti, ut videlicet iura ac dignitatem Sedis Apostolicae defenderent, easdem Nos iisdem de causis hic renovamus.

24. Restat, venerabiles Fratres, ut, quoniam principum eorumque omnium, qui possunt vel atrocitati vel incommoditati rerum, quas memoravimus, finem imponere, in manu Dei sunt voluntates, ad Deum suppliciter attollamus vocem, atque, universi generis humani nomine, clamemus: « Da pacem, Domine, in diebus nostris ». Qui de se dixit: *Ego Dominus... faciens pacem,* [5] Ipse tempestatum fluctus, quibus et civilis et religiosa socie-

[1] In Epist. ad Ephes., III.
[2] Hebr., XIII, 17.
[3] Ibid., 17.
[4] S. Cypr. « Florentio cui et Puppiano ep. 66 (al. 69) ».
[5] Isai., XLV, 6, 7.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

tas iactatur, nostris conversus precibus ad benignitatem, sedare celeriter velit. Adsit nobis propitia Virgo beatissima, quae ipsum genuit *Principem pacis;* ac Nostrae humilitatem Personae, Pontificale ministerium Nostrum, Ecclesiam atque adeo omnium animas hominum, divino Filii sui sanguine redemptas, in maternam suam fidem tutelamque recipiat.

25. Auspicem caelestium munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis, venerabiles Fratres, vestroque clero et populo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

[Acta Ap. Sedis, vol. VI, p. 565-581].

703.

Benedictus XV, motu propr. *Non multo post*, 31 dec. 1914.

Non multo post editam Encyclicam Epistolam *Aeterni Patris* [1] de philosophia christiana ad mentem Angelici Doctoris instauranda, decessor Noster fel. rec. Leo XIII ad Antoninum S. R. E. cardinalem De Luca, sacri consilii studiis regundis praefectum, die XV octobris anno MDCCCLXXIX litteras *Iampridem* dedit, [2] quibus promovendae propagandaeque Thomae Aquinatis doctrinae propriam in urbe Roma Academiam, eiusdem sancti viri nomine patrocinioque insignem, instituit. Etenim « considerando experiendoque intellexerat, teterrimum quod adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem modo geritur bellum, citius feliciusque, opitulante Deo, componi non posse quam rectis sciendi agendique principiis per philosophicas disciplinas ubilibet restitutis; ideoque ad summam totius causae pertinere sanam solidamque ubique locorum reflorescere philosophiam »; praecipue vero, ut planum est, in urbe principe catholici nominis, quae quia domicilium ac sedes est Pontificatus Maximi, ob eam causam ab adolescentibus clericis, discendi cupidis, ex omni terrarum loco celebrari solet, ac propterea debet optimae cuiusque institutionis et disciplinae laude ceteris antecellere. Ergo sapientissimus Pontifex romanam, quam diximus, a se conditam Academiam omni gratia complexus, reditibus instruxit, beneficiis ornavit, privilegiis auxit, quorum quidem illud potissimum, ut liceret ei laurea doctorali suos donare alumnos, qui, communi philosophiae curriculo emenso, scholas dein horum perfectioni studiorum in sacris Urbis athenaeis constitutas atque academicos coetus, explorato cum fructu, biennium frequentassent. Cum autem ab Academia condita satis praeteriisset temporis, cumque eo spatio ad res, quarum causa instituta erat, vel scriptis in dies certos vulgandis, vel publicis de philosophia sermonibus et disputationibus habendis, vel alumnis spei bonae ad studia sustentandis, non parum profecisse videretur, litteris apostolicis *Quod iam inde*, die IX maii MDCCCXCV Academiae leges ac statuta sollemniter Leo comprobavit. [3]

[1] Cf. N. 578.
[2] Cf. N. 579.
[3] Cf. Leonis XIII Acta, vol. XV, p. 193-197.

Tam utile institutum proximus Decessor Noster sanctae memoriae Pius X admodum sibi probari ostendit per apostolicas litteras *In praecipuis laudibus*, die XXIII ianuarii anno MCMIV datas, [1] quibus, ad christianam sapientiam contra recentiorum errores ac praesertim contra *Neorationalismum* seu *Modernismum* defendendam magnopere interesse professus ducem religiose sequi Thomam, quidquid auctoritate Leonis actum pro Academia erat, id omne confirmavit. Nos vero, cum, aeque ac Decessores Nostri, persuasissimum habeamus de illa tantum philosophia Nobis esse laborandum quae sit *secundum Christum* (Colos. II, 8), ac propterea ipsius philosophiae studium ad principia et rationem Aquinatis omnino exigendum esse, ut plena sit, quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis, hanc S. Thomae Academiam, non minus quam illis, Nobis esse curae volumus appareat. Itaque eo consilio, ut magis magisque vigeat, in diesque exsistat fructuosior, nova quaedam curavimus praescribenda de studiis, de disputationibus, de doctrinae quoque experimentis, quae alumni dent, ut vel doctoris lauream adipisci, vel ad numerum sodalium academicorum adscribi possint: quas Nos praescriptiones et probavimus iam et hic ratas habemus. Posthac vero tres S. R. E. Cardinales Academiae praesidebunt; quorum primus semper esto sacri Consilii studiis regundis Praefectus *pro tempore*. Denique, ut ne illud quidem adiumenti genus desit ad sodalium et alumnorum diligentiam fovendam, de reditibus Academiae aliquid secerni iubemus, ab eius praesidibus definiendum, quod utriusque, praemii loco, distribuatur.

Haec autem, quae statuta a Nobis Motu proprio sunt, firma et rata esse volumus, contrariis quibusvis non obstantibus. Eademque fore, ut Deus *scientiarum Dominus* ad incrementum doctrinae catholicae, ipso Angelico Doctore deprecante, convertat plane confidimus.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 5-7].

704.

Benedictus XV, const. *Ex actis*, 1 febr. 1915.

Ex actis tempore quidem postremis, sed pondere atque utilitate praecipuis Pii X sanctissimae memoriae Summi Pontificis unum illud est, quod Motu proprio *Edita a Nobis* diei V maii MCMXIV de Dioecesibus Suburbicariis continetur. [2] Iamdiu communis erat ea, sane gravis, querimonia, gubernationem harum dioecesium, praeterquam Veliternae et Ostiensis, omnino instabilem et quasi precariam esse; nam S. R. E. Cardinales, ex iure optionis aliquam ex iis obtinentes, cum semper possent, illa dimissa, aliam sibi optare, saepe contingebat, ut plures iam sedes mutavissent, antequam ad Decani locum pervenirent. Quanta incommoda et detrimenta curationi animarum haec frequens mutatio sedium afferret, probe animadvertit pro sua

[1] Cf. N. 659.
[2] Cf. N. 700.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

vigilantia Pontifex, reique directo occurrere constituit. Eo igitur, quem memoravimus, Motu proprio sancitur: « ut, quam quisque Cardinalis Episcopus nactus est initio Sedem, in ea permaneat etiam cum Decani gradum attigerit; tum enim dioecesim suam Ostiensi cumulabit. Quare, perpetua coniunctione dirempta Veliternae dioecesis et Ostiensis, cui quidem accidet ut cum alia atque alia dioecesi in persona Cardinalis Decani coniungatur, hae Suburbicariae erunt sedes: Portuensis et Sanctae Rufinae, Albanensis, Praenestina, Sabinensis, Tusculana, Veliterna ». Haec sapientissime Decessor Noster.

Iam vero, posita stabilitate Cardinalium Episcoporum in sua cuiusque sede, et condita lege ut qui Decanus evaserit, is dioecesim, quam obtinet, non dimittat, Ostiensem assumens, recte dixeris earum dioecesium regimini satis consultum esse, amotaque incommodae rerum conditionis causa, necessitatem iam non ita urgere assignandi singulis dioecesibus suffraganeos Episcopos qui, Cardinalium nomine, easdem regant: de quibus suffraganeis idem Pius X quatuor ante annis edixerat in Constitutione *Apostolicae Romanorum Pontificum* d. XV aprilis MCMX. [1] Accedit quod Suburbicariarum Dioecesium ea est et exiguitas territorii et propinquitas Urbi et nunc maxime facilitas commeatus, ut Cardinalium quisque in Urbe residens, quamvis occupatus sit, quamcumque earum in perpetuum gubernandam susceperit, gubernare per se recte posse videatur. Quod si alicui contigerit ex valetudine, aut ex aetate, aut alia ex causa ut ad episcopi rite obeundum munus adiutore indigeat, facile ei semper erit hunc adiutorem seu suffraganeum ab Apostolica Sede petere et impetrare.

Itaque, cum Decessor Noster Motu proprio *Edita a Nobis*, qua parte huius praescriptiones attulimus, Constitutioni *Apostolicae* tamquam fundamentum subtraxerit, cumque aliae etiam haud levis momenti rationes ad id accesserint, Nos, adhibitis in consilium aliquot S. R. E. Cardinalibus, eam Constitutionem abrogatam declarantes, Cardinales Episcopos suburbicarios officio et onere adsciscendi suffraganeos, quo ex eiusdem Constitutionis praescriptis tenebantur, solvimus. Item, quaecumque memorato Motu proprio statuta sunt de annuis quae singulis suffraganeis praebenda essent, et de omnibus bonis ecclesiarum suburbicariarum apud sacrum consilium Fidei Propagandae coniunctim administrandis ab Officio *Spoliorum*, ea quoque ut aboleri consentaneum est, ita abolita declaramus. Illud vero sanctum et inviolatum esto, quod eo ipso Motu proprio diximus a Pio X singulari cum sapientia constitutum, ut quam quisque Cardinalis Episcopus initio sedem acceperit, eam ne mutet unquam; Decanus autem, praeter illam, etiam Ostiensem assumat. Denique redditus bonaque omnia singularum earumdem ecclesiarum singuli Cardinales Episcopi, ut antea, administrabunt. Volumus tamen, ut quotannis Officio oeconomico Spoliorum, quod supra dictum est, administrationis suae rationem referendam curent.

[1] Cf. N. 686.

Quae igitur his litteris statuta, declarata, sancita sunt, omnia rata, valida, firma in omnes partes esse ac fore decernimus, atque ab omnibus, ad quos pertinet, sancte servari iubemus; contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam specialissima mentione dignis.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 229-231].

705.

Benedictus XV, chirographum *Attentis expositis*, 28 iun. 1915.

Beatissime Pater, [1]

Plura et prudentissime statuit Pius PP. X f. r. in Const. *Sapienti consilio* [2] de nova Signaturae Apostolicae ordinatione « antiqua ordinatione tribunalium Signaturae papalis gratiae et iustitiae suppressa »; et Sacrum Tribunal ita feliciter restitutum, eius praefecturam gerente Vincentio Vannutelli Cardinali, iam uberes protulit fructus; at experientia docuit, Signaturam Apostolicam ampliores limites in suo exercitio expostulare ad suam competentiam potissimum quod attinet; hoc autem compertum est posse obtineri, insistendo quoque vestigiis eiusdem Constitutionis, vel tractu temporis, ope iurisprudentiae, vel illico et certius, iussu Sanctitatis Vestrae, veluti per authenticam interpretationem.

Re sane vera competentiae nonnulla capita laudata constitutio assignat (in Lege Propria, can. 37) [3] haec tamen non *taxative*, sed quae *propria et praecipua* esse edixit. *Propria* nempe quia ex intima eius natura fluunt, eius veluti proprietates constitutivas exprimentia; sed *praecipua* tantum, adeo ut non prohiberetur quominus hisce capitibus competentiae alia accederent seu adiicerentur vel ex connexione negotiorum, vel ex amplificatione sui muneris quam ipsamet eiusdem muneris executio, necessitate quadam, secumferret.

Recens non defuit occasio qua in H. Sup. Trib. dubitatum est an quaedam controversia in eius competentia contineretur. Quaesitum est enim ut decerneretur *restitutio in integrum* adversus sententiam rotalem latam in re matrimoniali et duplex iam habebatur sententia conformis; unde in S. Rota ordinario enascitur *res iudicata;* quamobrem S. Rota ulteriorem instantiam denegavit.

Resolutionem hac de re captam ab H. S T. necesse fuit submittere confirmationi Auctoritatis Sanctitatis Vestrae. Nam in can. 37, n. 4, *Legis Propriae* attribuitur Signaturae Apostolicae cognitio *de expostulatione pro restitutione in integrum adversus sententiam rotalem quae in rem iudicatam transierit*. At causae matrimoniales, suapte natura, fruuntur privilegio ut in iis ulteriores instantiae absolute impediri non possint *exceptione rei iudi-*

[1] Instantia Emi Cardinalis Praefecti S. Trib. Signaturae Apostolicae.
[2] Cf. N. 682.
[3] Cf. Pii X Acta, vol. IV, p. 162-182; cf. etiam Acta Ap. Sedis, vol. I, p. 20-35.

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

catae, uti memorat et confirmat Const. *Dei miseratione*, [1] ubi cavetur: *salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium quae ob cuiuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem iudicatam.* Itaque ad omnem dubitationem in posterum summovendam expedit, praescriptis verbis decernere, Huius Supr. Trib. esse quoque cognoscere de recursibus adversus sententias matrimoniales quas nec iure appellationis, nec extraordinaria cognitione, pro natura harum causarum, ad novum examen admittere censuit S. R. Rota.

De alio capite competentiae Huic Sup. Trib. attributae, scilicet *de querela nullitatis contra sententiam rotalem* expedit declarare, heic non agi tantummodo de declaranda nullitate sententiae quae adeo peccet in ius naturale aut positivum ut omni destituatur fundamento iuris; hoc enim perpaucis in casibus contingere usuvenit, attenta praecipue iurisprudentia Curiae Romanae quae firmavit regulam: *sententiam de se non esse nullam* nisi ex defectu aut *citationis* aut *competentiae* aut *mandati.* Ast mens Principis certe fuit, dum constituit Supr. Trib. Signaturae, subveniendi iis quoque qui exceptione *rei iudicatae* repelluntur in S. Rota neque evincere valent sententiam nullitate laborare, sed forte instructi sunt gravibus rationibus quae non sinunt defendi, quocumque coram iudice, auctoritate *rei iudicatae* sententiam latam manifeste vel contra legem vel non satis perpensa factorum veritate. — Hisce tantummodo limitibus continendam esse competentiam videtur intendisse ipsa *Lex Propria*, quae in can. 41 § 3 ita statuit, *de querela nullitatis*, quoad eius ambitum in iudicio Signaturae: *In tertio casu de hoc tantum iudicat; sitne nulla rotalis sententia sitne locus eius circumscriptioni. Circumscriptio* autem in stylo Curiae ut plurimum accipitur pro sententiae *rescissione*, uti assumitur in codice gregoriano, edito *Motu Proprio* a. 1834, [2] ubi in § 338, n. 1, assignatur Signaturae Apostolicae competentia: *circa le domande di annullamento o circoscrizione degli atti giudiziali e delle sentenze.* Verum quia in *Lege Propria* in cit. can. *circumscriptio* non *disiunctive* sed *copulative* ponitur adeo ut videatur eisdem limitibus contineri ac sententiae *nullitas*, et hinc, in textu, *circumscriptio* idem esset ac *nullitatis declaratio*, proinde in foro nostro opinio invaluit, in Signatura impeti non posse sententiam rotalem nisi per *querelam nullitatis*. Itaque magnopere expedit declarare querelam nullitatis heic comprehendere nedum querelam ad obtinendam declarationem nullitatis sententiae, sed etiam petitionem *rescissionis* sententiae manifeste vel peccantis in legem vel factorum veritatem pervertentis.

De recursu *pro restitutione in integrum adversus sententias rotales* supra memorata, et privative competente Huic S. T. largiorem et benigniorem interpretationem, quoad ambitum competentiae, sanxerunt *Regulae* conditae ab Hoc S. T. *editae die 6 martii 1912* servandae in iudiciis apud Signaturam agitatis eaedemque approbatae a Pio X f. r.; [3] statuitur enim in art. 9,

[1] Cf. N. 318.
[2] Cf. Acta Greg. XVI, p. 299-413.
[3] Acta Ap. Sedis, vol. IV, p. 187-206.

istam concedi, quoties, generatim, aliqua intercedat ratio seu probatio non prius deducta neque disputata ex qua provenire detrimentum grave atque manifestum boni iuris demonstrari queat, nisi fiat locus *restitutioni in integrum*, nempe *actioni rescissoriae* ad normam iuris communis. Quae extensio antiqui instituti *Restitutionis in integrum* directe comparatae pro *minoribus* quatenus est *remedium extraordinarium*, sane confirmanda est et in usum deducenda ita tamen ut sit locus huic actioni extraordinariae *restitutoriae* seu *revocatoriae*, quoties invocari non potest *querela nullitatis* aut actio *rescissoria*, de qua supra.

Sed potissimum sibi postulat ministerium Huius S. T. quod iubet can. 14, § 1, *Legis Propriae* quodque se refert ad *commissiones pontificias*. Edicit enim hic canon: *S. Rota iudicat in prima instantia causas quas sive motu proprio sive ad instantiam partium R. Pontifex ad suum tribunal avocaverit et S. Rotae commiserit; easque si opus sit, ac nisi aliter cautum sit in commissionis rescripto, iudicat quoque in secunda et tertia instantia, ope turnorum iuxta praescripta can. 12.* Cum enim saepius contingat, porrigi SSmo libellos supplices ut quaestio committatur S. Rotae iudicialiter cognoscenda vel ut causa iam apud iudices inferiores introducta, avocetur ad S. Rotam remittenda; itemque ut causa apud S. Rotam instaurata ab eadem revocetur ut remittatur pro definitione alicui S. Congregationi; quoties hoc contigerit vel aliquid huiusmodi petatur quod potissimum respiciat iustitiae administrationem, agitur de gravi negotio expediendo.

Hae siquidem controversiae seu quaestiones non valent rite cognosci et definiri nisi auditis partibus quarum interest et praehabita matura deliberatione, prouti in Signatura observari solitum fuit, antequam commissiones a SSmo signarentur seu apposita rescripta ederentur aut simpliciter aut adhibitis opportunis clausulis. — Has facultates restituere Signaturae est eidem attribuere quod nativa constitutione competit; quod non ei abstulit Const. *Sapienti consilio* cum asseruerit utrique Signaturae *Gratiae et Iustitiae* novam ordinationem, dumtaxat, fuisse attributam. Hoc pacto Signatura Apostolica ad ampliorem dignitatem consurgit, ob arctiorem nexum quo cum Romano Pontifice coniungitur, cuius nomine et vice examinat, utrum expediat annuere precibus eorum qui petunt a Papa ut Ipse dignetur aliquid circa iustitiae administrationem rescribere et potissimum ut tribunali S. Rotae vel alicui S. Congregationi vel ipsi tribunali Signaturae certam quaestionem committere cognoscendam et definiendam, opportunis adiectis clausulis, prouti res postulat. Antiquitus haec negotia expediebantur potissimum in Signatura *Iustitiae* sed nonnulla etiam in Signatura *Gratiae*.

Cum supplices libelli eiusmodi quaestiones continentes, dirigerentur ad Papam et per manus Eius Auditoris ad Signaturam remitterentur, hinc factum est, uti testatur De Luca (in Disc. 30, Annot. n. 1, *Relatio Curiae Rom.*) qui fuit Auditor Innocentii XI, moderationem Signaturae pene esse commissam Auditori Papae qui veluti a Secretis erat Signaturae Gratiae. Quam arctam connexionem inter Signaturam et Papae Auditorem explicite firmavit Codex — *di procedura civile* — editus a Pio VII, Motu proprio diei

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

22 nov. 1817;[1] ubi liber VI qui agit de Signatura veluti unico tribunali, inscribitur *Del tribunale della Segnatura e dell'Uditore del Papa.*

Nova vero ordinatio per Const. *Sapienti consilio* inducta nullimode vetare videtur, quominus apud Hoc S. T. iterum operam suam exhibeant duo Praelatorum collegia, quorum alterum a *Votantibus*, alterum a *Referendariis Signaturae* nuncupentur. Equidem quin disseramus an per novam ordinationem praefata Constitutio haec Collegia abolere intenderit, tamen magnopere expedit ea restitui et in exercitium revocari ut loco *Consultorum* quos can. 56 § 2, induxit *Lex Propria*, suam operam exhibeant in Signatura pro antiquo stylo quatenus hic novae ordinationi aptari possit.

Modus autem quo in tractatione negotiorum hi Praelati pro nova H. S. Tribunalis ordinatione, partem habebunt, determinandus videtur in Regulis servandis in expeditione negotiorum apud H. S. Tribunal.

Mei muneris erat haec referre Sanctitati Vestrae ut decernere statuat quod in Domino magis expedire iudicaverit.

M. Card. Lega,
Praefectus.

BENEDICTUS PP. XV

Attentis expositis libenter annuimus et concedimus ut Nostri Supremi Tribunalis Signaturae augeatur seu certius definiatur competentia, tum ratione recursuum in causis matrimonialibus, tum ex capite nullitatis et restitutionis in integrum, iuxta exposita; eidemque Signaturae in posterum ablegandos esse volumus et statuimus supplices libellos Nobis porrectos, respicientes quaestiones seu causas in Relatione expositas vel alias huiusmodi prouti Nobis in singulis casibus visum fuerit; eo consilio ut praevio eorumdem libellorum supplicum examine, auditis potissimum iis quorum interest, definiatur quaestio, AN ET QUOMODO EXPEDIAT PRECIBUS ANNUERE. — *Negotiis autem penes H. Sup. Tribunal agitatis et expediendis volumus et iubemus ut operam suam conferant duo insignia collegia, alterum a* VOTANTIBUS, *alterum a* REFERENDARIIS *Signaturae nuncupata; et ad hunc effectum, quatenus opus sit, haec iterum instituimus seu restituimus et in exercitium revocamus, servato in ratione interveniendi et procedendi penes H. S. Trib. modo in Regulis determinando; ita tamen ut hi Praelati sint loco Consultorum, quos induxit Const.* Sapienti consilio, *Lex Propria, can. 36, § 2. — Collegium a* VOTANTIBUS *7 Praelatis constare volumus et iubemus; alterum a* REFERENDARIIS *innumeratum manere decernimus. Quo vero maior auctoritas et honor accedat Huic Nostro Supr. Trib., statuimus ut qui a Secretis Huius fuerit, Nostri quoque Auditoris munere fungatur. Et haec decernimus et firma et rata esse volumus, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.*

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 320-325].

[1] Cf. Bulla Rom. Cont., tom. 14, p. 444-569.

706.

Benedictus XV, const. *Incruentum*, 10 aug. 1915.

Incruentum Altaris sacrificium, utpote quod a sacrificio Crucis nihil natura ipsa differat, non modo caelitibus afferre gloriam, et iis qui in miseriis huius vitae versantur ad remedium et salutem prodesse, sed etiam ad animas fidelium qui in Christo quieverint expiandas quamplurimum valere, perpetua et constans Ecclesiae sanctae doctrina fuit. Huius vestigia et argumenta doctrinae, quae quidem, saeculorum decursu, tum christianorum universitatem praeclarissimis affecit solaciis, tum optimum quemque in admirationem infinitae Christi caritatis rapuit, in pervetustis latinae et orientalis Ecclesiae Liturgiis, in scriptis Sanctorum Patrum, denique in pluribus antiquarum Synodorum decretis expressa licet et manifesta deprehendere. Id ipsum autem Oecumenica Tridentina Synodus sollemniore quadam definitione ad credendum proposuit, cum docuit « animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio iuvari », [1] eosque anathemate perculit, qui dicerent, sacrum non esse litandum « pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus ». [2] Neque vero rationem agendi huic docendi rationi dissimilem unquam secuta est pia Mater Ecclesia; nullo enim tempore destitit Christifideles vehementer hortari, ne paterentur, defunctorum animas iis carere utilitatibus, quae ab eodem Missae sacrificio uberrime profluerent. Qua tamen in re hoc laudi Christiano populo verti debet, nunquam eius pro defunctis studium industriamque defuisse: ac testis Ecclesiae historia est, cum fidei caritatisque virtutes altius insiderent animis, actuosiorem tunc operam et reges et populos, ubicumque patebat catholicum nomen, in eluendas Purgatorii animas contulisse.

Ea ipsa profecto effecit tam incensa maiorum pietas, ut, plura ante saecula, in Regno Aragoniae, consuetudine paulatim inducta, die Sollemnis Commemorationis omnium defunctorum sacerdotes saeculares sacrum bis peragerent, ter vero regulares; quod privilegium Decessor Noster immortalis memoriae Benedictus XIV non modo, iustis de causis, confirmavit, verum etiam, rogatu Ferdinandi VI Hispaniarum Regis Catholici, itemque Ioannis V Lusitaniae Regis, Litteris Apostolicis, die XXVI mensis augusti a. MDCCXLVIII datis, [3] ita produxit, ut cuilibet sacerdoti a regionibus utrique Principi subiectis facultatem faceret ter eadem in Sollemni Commemoratione litandi.

Procedente autem tempore, permulti, tum sacrorum Antistites, tum ex omni ordine cives, iterum et saepius supplices preces Apostolicae Sedi adhibuerunt, ut eiusmodi privilegio ubique gentium liceret uti: eademque

[1] Sess. XXV, *de purgatorio*.
[2] Sess. XXII, *de sacrificio missae*, can. 3.
[3] Cf. N. 391.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

de re a proximis Decessoribus Nostris et a Nobismetipsis, in hisce Pontificatus Nostri primordiis, postulatum est haud semel. Nec vero dixeris, causas, quae ad propositum olim afferrentur, iam nunc defecisse: quin immo et exstant adhuc et ingravescunt in dies. Etenim Christifidelium, qui Missas in defunctorum solacium celebrandas vel quovis modo statuerint vel testamento legaverint, pia haec instituta et legata dolendum est partim deleta esse, partim ab iis neglegi qui minime omnium debeant. Huc accedit, ut ex iis ipsis, quorum explorata religio est, non pauci redituum imminutione cogantur, ad contrahendum Missarum numerum, supplices Apostolicam Sedem adire.

Nos igitur, denuo conscientiam eorum graviter onerantes, qui suo hac in re officio non satisfaciant, caritate in defunctorum animas, qua vel a pueris incensi sumus, vehementer impellimur, ut omissa cum ingenti earum detrimento suffragia, quantum in Nobis est, aliquo pacto suppleamus. Ea quidem miseratio hodie maiorem in modum Nos permovet, cum, luctuosissimi belli facibus Europae fere omni admotis, cernimus ante Nostros paene oculos tantam hominum copiam, aetate florentium, immaturam in proelio mortem occumbere; quorum animabus expiandis etsi defutura non est propinquorum pietas, eam tamen necessitati parem quis dixerit? Quandoquidem vero communis omnium Pater divino consilio facti sumus, filios vita functos, Nobis carissimos et desideratissimos, volumus, paterna cum largitate, congesti a Christi Iesu meritis thesauri abunde participes efficere.

Itaque, invocato caelestis Sapientiae lumine auditisque aliquot Patribus S. R. E. Cardinalibus e Sacris Congregationibus de disciplina Sacramentorum et Sacrorum Rituum, haec quae sequuntur in perpetuum statuimus.

I. Liceat omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus, quo die agitur Sollemnis Commemoratio omnium fidelium defunctorum, ter sacrum facere; ea tamen lege, ut unam e tribus Missis cuicumque maluerint applicare et stipem percipere queant; teneantur vero, nulla stipe percepta, applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertiam ad mentem Summi Pontificis, quam satis superque declaravimus.

II. Quod Decessor Noster Clemens XIII Litteris die XIX mensis maii a. MDCCLXI datis concessit, [1] id est ut omnia altaria essent eo ipso Sollemnis Commemorationis die *privilegiata*, id, quatenus opus sit, auctoritate Nostra confirmamus.

III. Tres Missae, de quibus supra diximus, sic legantur, quemadmodum fel. rec. Decessor Noster Benedictus XIV pro Regnis Hispaniae et Lusitaniae praescripsit.

Qui unam tantummodo Missam celebrare velit, eam legat quae in *Missali* inscribitur legenda *in Commemoratione omnium fidelium defunctorum;* eandem adhibeat qui Missam cum cantu celebraturus sit, facta ei potestate anticipandae alterius et tertiae.

IV. Sicubi acciderit, ut Augustissimum Sacramentum sit expositum pro Oratione XL Horarum, Missae de Requie, cum vestibus sacerdotalibus

[1] Cf. Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 228.

coloris violacei necessario dicendae (Decr. Gen. S. R. C. 3177, 3864, ad 4), ne celebrentur ad *Altare Expositionis*.

Quod reliquum est, pro certo habemus fore, ut omnes catholici orbis Sacerdotes, quamquam sibi licebit die Sollemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum semel tantum litare, velint libenter studioseque insigni privilegio uti quod largiti sumus. Impense vero omnes Ecclesiae filios hortamur, ut, memores officii, quo erga fratres, Purgatorii igne cruciatos, non uno ex capite obligantur, frequentes eo die sacris, summa cum religione, intersint. Ita futurum certe est, ut, immensa refrigerationis unda ex tot salutaribus piaculis in Purgatorium defluente, frequentissimae quotannis defunctorum animae inter beatos triumphantis Ecclesiae caelites feliciter cooptentur.

Quae autem hisce Apostolicis Litteris constituimus, eadem valida et firma perpetuo fore edicimus, non obstante quavis lege, antehac lata a Decessoribus Nostris, de Missis non iterandis.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 401-404].

707.

Benedictus XV, motu propr. *Quandoquidem*, 16 sept. 1915.

Quandoquidem in iis exsequendis quae decessor Noster sanctae memoriae Pius X Motu proprio *Cum per apostolicas* die VII aprilis MCMX praescripsit de concessionibus Indulgentiarum a S. C. S. Officii recognoscendis, [1] plures gravesque iam dubitationes exstiterunt, Nos ut eas omnes praecidamus in posterum, Motu proprio pariter et certa scientia, secundum decreta a Nostris decessoribus Benedicto XIV die XXVIII ianuarii MDCCLVI, [2] Pio IX die XIV aprilis MDCCCLVI edita [3] et ab ipso Pio X in Constitutione *Sapienti consilio* confirmata, [4] decernimus et declaramus, illarum tantummodo sub poena nullitatis Supremae Congregationi exhibenda esse documenta Indulgentiarum, quae universi catholici orbis christifidelibus concessae sint. Itaque nec Indulgentias *particulares*, quantumvis late pateant, nec facultates benedicendi pia obiecta eisque Indulgentias et privilegia adnectendi, quibusvis sacerdotibus tributas, iam nunc necesse erit Congregationis eiusdem recognitioni subiicere.

Haec autem statuimus, sancimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 457, 458].

[1] Cf. N. 685.
[2] Cf. Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 205.
[3] Cf. Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 371.
[4] Cf. N. 682.

708.

Benedictus XV, motu propr. *Seminaria*, 4 nov. 1915.

Seminaria clericorum usque ab initio tantae esse utilitatis ad Ecclesiae disciplinam visa sunt, ut patres Tridentini cum de iis constituendis in sessione XXIII, cap. XVIII decretum confecissent, affirmare non dubitarint et sacrosanctam Synodum, hac re una peracta, si nihil aliud egisset, bene meruisse de Ecclesia, et ipsos communium laborum suorum pretium tulisse. Itaque ii sacrorum antistites, praeeunte quidem S. Carolo Borromaeo, ut a Concilio domum reversi sunt, atque omnes deinceps diligentissimi Episcopi, quos inter commemorandus est B. Barbadicus, Patavinae ecclesiae lumen, in reformatione vitae christianae curanda nihil habuerunt antiquius quam ut, hanc salutarem Concilii praescriptionem exsequentes, sacris Seminariis in sua quisque dioecesi condendis operam darent, eaque condita optimis legibus instruerent. Apostolica vero Sedes quanti hoc ipsum faceret, praeclare ostendit non modo quum Seminarium romanum excitare maturavit, quod quidem praecipua fovere cura non desiit, sed etiam quum propriam Cardinalium Congregationem constituit sacris Seminariis toto terrarum orbe tuendis.

Quod munus, etsi postea divisum partim Sacrae Congregationi Concilii, partim Episcoporum et Regularium attribuerunt, nihil tamen Romani Pontifices de pristina Seminariorum cura remiserunt; quin immo vel dioecesibus post legitimas relationes consulendo, vel quorumdam religiosorum sodalium leges approbando, vel episcopos Romam ex praescripto adeuntes alloquendo, nunquam non de Seminariis eorumque statu rationem habuerunt. In id maxime incubuit postremus decessor Noster sanctae memoriae Pius X, qui in Constitutione *Sapienti Consilio* de Romana Curia ordinanda, [1] cum alia statuit, tum *ea omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum* pertinerent, ei Sacrae Congregationi attribuit cui Summus ipse Pontifex praeest, et cuius est vigilare in ea, *quae ad singularum dioecesium regimen universim referuntur*, hoc est Sacrae Congregationi Consistoriali.

Verum cum apud hanc Sacram Congregationem negotiorum moles praeter modum excreverit, et Seminariorum cura maiorem in dies operam postulet, visum est Nobis ad omnem eorum disciplinam moderandam novum aliquod consilium inire.

Alias quidem, cum Romanae Curiae nova pararetur ordinatio, de peculiari S. Congregatione instituenda cogitatum est, quae Seminariis praeesset, quod consilium cum temporum adiuncta prohibuerint quominus efficeretur, Nos revocandum censemus, non ita tamen ut tractatio rerum quae de Seminariis sunt, detracta ac omnino seiuncta a Sacra Congregatione Consistoriali habenda sit, cum unam et alteram Congregationem, aliquo nexu velimus inter se coniungi.

[1] Cf. N. 682.

Re igitur mature considerata, exploratisque aliquot Cardinalium sententiis, haec apostolica auctoritate decernimus ac statuimus quae infra scripta sunt.

I. De Seminariis propria iam esto Sacra Congregatio, ad formam ceterarum Romanae Curiae, ad eamque omnia pertineant quae usque adhuc de Seminariorum rebus apud Congregationem Consistorialem agebantur, ita ut eius posthac sit clericorum tum mentes tum animos fingere.

II. Huius Sacrae Congregationis muneribus munera accedant Congregationis Studiorum; itaque haec eadem Congregatio « De Seminariis et de studiorum Universitatibus » appelletur.

III. Praefectus huius Congregationis unus esto e S. R. E. Cardinalibus: cui secretarius cum idoneo administrorum numero operam navet.

IV. Qui Sacrae Congregationi Praefectus dabitur, is ex officio inter S. Congregationis Consistorialis Cardinales numerabitur: qui Secretarius, inter Consultores. Vicissim autem Cardinalis Sacrae Congregationis Consistorialis Secretarius inter Cardinales novae Congregationis ex officio cooptetur, et Adsessor inter Consultores.

V. Qui in praesens inter Sacrae Congregationis Studiorum Cardinales numerantur, iidem novae *de Seminariis et de Studiorum Universitatibus* Congregationi ipso iure adscripti censeantur. His accedet Noster in spiritualibus Generalis Vicarius, durante munere.

VI. Leges pro Seminariis tum dioecesanis tum regionalibus, a Decessore Nostro sanctae memoriae latas a Nobisque approbatas, in omnes partes diligenter servari volumus et iubemus, ita ut in Seminariorum regimine, disciplina ac studiis nihil immutatum censeatur.

Haec statuimus et praecipimus contrariis quibuslibet, etiam peculiari mentione dignis, non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 493-495].

709.

Benedictus XV, allocut. *Amplissimum Collegium*, 22 mart. 1917.

Amplissimum Collegium vestrum ad Nos idcirco in hodiernum diem convocavimus, ut novos viduatis ecclesiis episcopos destinemus. Cui quidem rei etsi poterat extra hunc Ordinem provideri, tamen eum morem, qui fuit olim tractandi causas huiusmodi in sacro Consistorio, revocare libuit, eo vel magis quia ex episcopalibus Sedibus quae vacant, una est, Veliterna scilicet, cui omnino est in hac dignitate loci consulendum. Verum antequam aggrediamur ad id quod est propositum, occasione utimur ut alia de re sane gravi vos alloquamur.

Nostis, Venerabiles Fratres, Decessorem Nostrum inclytae memoriae Pium X, quum *Ordinatio Romanae Curiae a Sixto V potissimum constituta* decursu temporis multis partibus demutata esset adeo *ut singularum (Congregationum et Officiorum) iurisdictio, seu competentia non omnibus perspicua*

nec bene divisa evasisset, Constitutione *Sapienti consilio* III kal. iul. MCMVIII decrevisse ut eadem ordinatio *modo apto et omnibus perspicuo* renovaretur,[1]

Iam vero in meditanda et praeparanda Constitutionis huius confectione illud quoque est cogitatum de sacris Indicis et S. Officii Congregationibus coniungendis. Atque id in animo fuisse sollerti Pontifici, non solum patet ex iis quae tum acta sunt, sed etiam ex testimoniis clarorum virorum qui partem aliquam in iisdem agendis habuerunt. Par enim et consentaneum videbatur, ne dicamus necessarium, cuius Congregationis summum ministerium esset *tutandi doctrinam fidei et morum*, eidem incumbere munus vigilandi editioni librorum aliorumque scriptorum (quae quidem quum expeditissima via sit divulgandi hominum cogitata, mirum quantum valet in utramque partem, id est sive ad excolendos animos, sive ad corrumpendos); quin immo memoratae S. Congregationi munus eiusmodi tamquam praecipuum et proprium et peculiare esse demandandum: eo etiam ut praecaverentur de competentia inter easdem Congregationes controversiae; quae quidem, ut diximus, non postrema erat causa, cur nova ordinatio Curiae suscepta esset. Huc accedebat quod S. Officii Congregatio, quoties necessarium vel utile iudicaverat, toties de libris ceterisque scriptis censuram exercere consueverat: id quod non parvo erat momento ad duarum Congregationum coniunctionem peragendam vel potius restituendam; nam ab initio unum idemque fuerant, dumtaxat consequenti tempore opportunum visum est eas separari.

Verumtamen, quia nonnulla erant quae dehortabantur ne in praesens copularentur iterum, placuit Decessori rem interim praetermittere, efficere tum quae poterant, cetera quae sibi proposuerat, relinquere Successoribus emendanda, si ita vellent, cum tempora paterentur.

Nunc vero, remotis iis quae obstabant, Nos, plane cum Decessore Nostro consentientes, adhibitis in consilium iis ipsis egregiis viris qui eidem Decessori in hoc navarunt operam, antequam novus promulgetur Codex, atque ut in ipso nihil hac quoque ex parte desideretur, munus damnandi prave scripta S. Congregationi Sancti Officii attribuere decrevimus, ut eius proprium ac peculiare sit, quale usque adhuc fuit S. Congregationis Indicis quae hoc ipso iam esse desinet.

Ne autem ex hac accessione muneris S. Officium nimis multis negotiis gravetur, placet constituere ut quicquid ad Indulgentias pertinet, omne posthac Poenitentiariae Apostolicae attributum sit; cuius quidem erit usitato sibi more de iis omnibus iudicare quae spectant ad *usum et concessiones Indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa novas orationes et devotiones respiciunt*. Id quod ipsa suadet affinitas rerum de quibus, ut propriis, agit Poenitentiaria Apostolica.

His mutationibus videmur perfectam reddere, quatenus humanae res possunt, Ordinationem Romanae Curiae, simulque praeclarum Decessoris consilium plene ad effectum adducere.

[Acta Ap. Sedis, vol IX, p. 161-166].

[1] Cf. N. 682.

710.

Benedictus XV, motu propr. *Alloquentes* 25 mart. 1917.

Alloquentes proxime in Consistorio Sacrum Cardinalium Collegium,[1] ediximus consilium esse, ut ordinationem Romanae Curiae, praeclarum opus Decessoris Nostri fel. rec. Pii X, perficeremus in ea quoque parte, cui is ob quaedam rerum adiuncta supersedisset, id est SS. Congregationes coniungendo Indicis et Sancti Officii. Inspecta enim natura utriusque Congregationis, quum censura librorum, quod esset munus unius, contineretur munere *tutandi doctrinam fidei et morum*, quod esset alterius, ex eis Congregationibus unum fieri omnino apparebat oportere, vel ad praecavendas de competentia controversias quae facile inter eas orirentur. Nunc igitur id exsequentes consilium, Motu proprio haec constituimus et sancimus:

I. S. Congregatio Indicis iam nunc non erit.

II. Quod fuit usque adhuc proprium munus S. Congregationis Indicis, erit posthac Sancti Officii de libris ceterisque scriptis censuram facere.

III. Ad ministeria quae sunt apud S. Officium, accedat peculiaris Sectio de Indice; eique addicantur Officiales qui exstinctae Congregationi ministrabant. Rationem autem eius Sectionis ordinandae S. Congregatio Sancti Officii definiet, Nobisque probandam proponet.

IV. Ne autem Sancti Officii negotiorum moles nimis hac accessione crescat, quidquid ad Indulgentias pertinet, omne iam esto Poenitentiariae Apostolicae: quae quidem pro suo instituto iudicabit de omnibus quae spectant ad *usum et concessiones Indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa novas orationes et devotiones respiciunt.*

V. Sectio de Indulgentiis, quae est apud S. Officium, cum suis officialibus, ad Poenitentiariam Apostolica transferatur: quam ipsam Sectionem Cardinalis Poenitentiarius Maior, Nobis consultis, ordinandam curabit.

Haec statuimus et praecipimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. IX, p. 167].

710*.

Benedictus XV, motu propr. *Dei providentis*, 1 maii 1917.

Dei providentis arcano consilio locum obtinentes beati Petri Apostolorum Principis, quem Dominus Iesus animarum, suo redemptarum sanguine, Pastorem in terris summum perpetuumque constituit, omnem Nos adhibere vigilantiam et curam ut universae ac singulae non modo conserventur sed accrescant ecclesiae, ex quibus compactum et coagmentatum constat *unum corpus Christi mysticum*, seu Ecclesia Catholica, equidem pro

[1] Cf. N. 709.

BIBLIOTHECA FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETRI

apostolici officii conscientia studemus. Cum autem omnes particulares ecclesias paterna caritate complectimur, tum praesertim orientales, quippe quae in vetustiore suorum temporum memoria lumina offerant sanctitatis doctrinaeque tam clara, ut eorum splendore etiam nunc, tanto intervallo, reliquas christianorum regiones collustrari videamus. Iam vero contemplari sine maerore non possumus, quemadmodum ex florentissimis amplissimisque tam tenues ac miserae sint effectae, postquam scilicet lamentabilium series continuatioque causarum maximum orientalium numerum ab Ecclesiae Matris complexu distraxit. Utinam dilectis ex Oriente filiis, divino munere, contingat in possessionem pristinae prosperitatis et gloriae aliquando restitui: Nos interea, Nostrarum partium memores, dabimus diligenter operam ut ecclesiarum orientalium afflictas res, quantum est in Nobis, relevemus.

Itaque deliberatum Nobis est pro unitis, qui dicuntur, orientalibus propriam Sacram Congregationem instituere, cuius Nosmet ipsi geramus, Nostrique deinceps successores, praefecturam. Quae enim *pro negotiis ritus orientalis* usque adhuc fuit, Pii IX, f. r. decessoris Nostri auctoritate iussuque condita, cum S. Congregationi de Propaganda Fide adiuncta esset,[1] ut huius quasi quaedam accessio posset videri, non ignoramus aliquos fuisse non bene erga Apostolicam Sedem animatos, a quibus Romani Pontifices inde arguerentur catholicos Orientales parvi pendere, eosque Latinis velle subiectos. Huiusmodi criminationes etsi quisquis res ex veritate aestimat, videt inanes esse, volumus tamen de huius Apostolicae Sedis in Orientales benevolentia constare ita ut dubitare iam liceat nemini. Et nostri quidem Orientales, cum videant Pontificem Maximum suis utilitatibus ipsum prospicere, intelligent profecto non posse Apostolicam Sedem se eis amantiorem ostendere. E ceteris autem libet confidere iam non fore qui Latinos in suspicionem Orientalibus adducant, cum vel ex hac re sit manifestum, in Ecclesia Iesu Christi, ut quae non latina sit, non graeca, non slavonica, sed catholica, nullum inter eius filios intercedere discrimen, eosque, sive latinos, sive graecos, sive slavos, sive aliarum nationum, omnes apud hanc Apostolicam Sedem eumdem locum obtinere.

Quare de apostolicae potestatis plenitudine haec Motu proprio statuimus et sancimus:

I. Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis die XXX mensi novembris huius anni esse desinat.

II. Seorsum a S. Congregatione de Propaganda Fide, *S. Congregatio pro Ecclesia Orientali* sit a die 1 mensis insequentis: cui quidem praeerit ipse Summus Pontifex. Ea complectetur aliquot S. R. E. Cardinales, ex quibus unus Secretarius erit: adiunctos habebit e spectatissimis de Clero viris unum Assessorem et plures tum ex latino tum ex orientali ritu Consultores; praeterea idoneum officialium numerum ex clericis qui rerum orientalium peritiores sint.

III. Huic Congregationi reserventur omnia cuiusvis generis negotia

[1] Cf. N. 531.

quae sive ad personas, sive ad disciplinam, sive ad ritus Ecclesiarum orientalium referuntur, etiamsi sint mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant.

IV. Pro Ecclesiis ritus orientalis haec Congregatio omnibus facultatibus potiatur, quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, salvo tamen iure Congregationis S. Officii.

V. Eadem Congregatio controversias dirimat via disciplinari; quas vero ordine iudiciario dirimendas iudicaverit, ad tribunal remittet quod ipsa Congregatio designaverit.

Quae omnia rata et firma esse volumus in perpetuum, contrariis quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

[Acta Ap. Sedis, vol. IX, p. 529-531].

711.

Benedictus XV, ep. ad Card. Secret. Status, 5 maii 1917. [1]

Signor Cardinale,

Il 27 aprile 1915, con la Lettera diretta al rev. P. Crawley-Boevey, [2] noi estendemmo a tutti coloro, i quali consacrassero la loro casa al Sacratissimo Cuore di Gesù, le Indulgenze due anni prima concesse per tale atto di pietà dal Nostro Predecessore Pio X, di venerata e santa memoria, alle famiglie della Repubblica Cilena. Ci arrideva allora, vivida e serena la speranza che il Divin Redentore, chiamato a regnare visibilmente nei focolari domestici, vi diffondesse gl'infiniti tesori di mitezza e di umiltà del Suo Cuore amantissimo e preparasse tutti gli animi ad accogliere il paterno invito alla pace, che Ci proponevamo d'indirizzare nel Suo Augusto Nome ai popoli belligeranti ad ai loro Capi nel primo anniversario dello scoppio dell'attuale terribile guerra. L'ardore, con cui le famiglie cristiane ed anche i soldati dei vari eserciti combattenti offrirono da quel giorno a Gesù l'omaggio di amorosa sudditanza tanto accetto al Suo Cuore Divino, accrebbe la nostra speranza e Ci confortò a levare più alto il paterno grido di pace.

Indicammo allora ai popoli l'unica via per comporre — con onore e con beneficio di ciascuno di essi — i loro dissidi e, tracciando le basi su le quali dovrà posare, per essere duraturo, il futuro assetto degli Stati, li scongiurammo, in nome di Dio e dell'umanità, ad abbandonare i propositi di mutua distruzione e addivenire ad un giusto ed equo accordo.

Ma la Nostra voce affannosa, invocante la cessazione dell'immane conflitto, suicidio dell'Europa civile, quel giorno ed in appresso rimase inascoltata! Parve che salisse ancor più la fosca marea di odi dilagante tra le Nazioni belligeranti, e la guerra, travolgendo nel suo spaventevole turbine altri paesi, moltiplicò le rovine e le stragi.

[1] Ad Petrum S. R. E. Card. Gasparri.
[2] Cf. Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 203-205.

Eppure, non venne meno la Nostra fiducia! Ella lo sa, Signor Cardinale, che ha vissuto e vive con Noi nell'ansiosa attesa della sospirata pace. Nell'inesprimibile strazio dell'animo Nostro e tra le lagrime amarissime, che versiamo sugli atroci dolori accumulati sopra i popoli combattenti da questa orribile procella, Noi amiamo sperare ormai non più lontano l'auspicato giorno, nel quale tutti gli uomini, figli del medesimo Padre celeste, torneranno a considerarsi fratelli. Le sofferenze dei popoli, divenute presso che importabili, hanno reso più acuto e intenso il generale desiderio di pace. Faccia il Divin Redentore, nell'infinita bontà del Suo Cuore, che anche negli animi dei governanti prevalgano i consigli di mitezza, e che, conscii della propria responsabilità innanzi a Dio ed innanzi all'umanità, essi non resistano più oltre alla voce dei popoli invocante la pace!

A tal fine salga a Gesù, più frequente, umile e fiduciosa, specialmente nel mese dedicato al Suo Cuore Santissimo, la preghiera della misera umana famiglia e Ne implori la cessazione del terribile flagello. Si purifichi ciascuno più spesso nel salutare lavacro della sacramentale Confessione, e all'amantissimo Cuore di Gesù, congiunto al suo nella Santa Comunione, porga con affettuosa insistenza le sue suppliche. E poichè tutte le grazie, che l'Autore d'ogni bene si degna compartire ai poveri discendenti di Adamo, vengono, per amorevole consiglio della sua Divina Provvidenza, dispensate per le mani della Vergine Santissima, Noi vogliamo che alla Gran Madre di Dio in quest'ora tremenda più che mai si volga viva e fidente la domanda dei Suoi afflittissimi figli. Diamo, quindi, a Lei, Signor Cardinale, l'incarico di far conoscere a tutti i Vescovi del mondo il Nostro ardente desiderio che si ricorra al Cuore di Gesù, trono di grazie, e che a questo trono si ricorra per mezzo di Maria. Al quale scopo Noi ordiniamo che, a cominciare dal primo dì del prossimo mese di giugno, resti fissata nelle Litanie Lauretane l'invocazione *Regina pacis, ora pro nobis*, che agli Ordinarii permettemmo di aggiungervi temporaneamente col Decreto della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinarii in data 16 novembre 1915. [1]

Si levi, pertanto, verso Maria, che è Madre di misericordia ed onnipotente per grazia, da ogni angolo della terra, nei templi maestosi e nelle più piccole cappelle, dalle reggie e dalle ricche magioni dei grandi come dai più poveri tuguri, ove alberghi un'anima fedele, dai campi e dai mari insanguinati, la pia, devota invocazione e porti a Lei l'angoscioso grido delle madri e delle spose, il gemito dei bimbi innocenti, il sospiro di tutti i cuori bennati: muova la Sua tenera e benignissima sollecitudine ad ottenere al mondo sconvolto la bramata pace e ricordi, poi, ai secoli venturi l'efficacia della Sua intercessione e la grandezza del beneficio da Lei compartitoci.

Con questa fiducia nel cuore, Noi imploriano da Dio su tutti i popoli, che abbracciamo con eguale affetto, le più elette grazie ed impartiamo a Lei, Signor Cardinale, e a tutti i figli Nostri la Benedizione Apostolica.

[Acta Ap. Sedis, vol. IX, p. 265-267].

[1] Cf. Acta Ap. Sedis, vol. VII, p. 498.

712.

Benedictus XV, const. *Supplices*, 11 iun. 1917.

Supplices ad Nos preces adhibuit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, vota depromens Capituli Generalis Friburgi in Helvetia mense augusto superioris anni celebrato, ut de Apostolica benignitate festus dies Sanctissimi Rosarii B. Mariae Virginis inter illos adnumerari possit, quibus Fratres Sororesque nec non Tertiarii in communitate viventes Ordinis ipsius, absolutionem generalem cum indulgentia plenaria recipere possunt. Nos votis his piis annuentes, audito dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Maiore Poenitentiario, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, concedimus et largimur, ut in universo Ordine Praedicatorum, ubique terrarum, festus dies SSmi Rosarii B. Mariae Virginis quotannis inter illos dies recenseatur quibus Fratribus Sororibusque nec non Tertiariis in convictu degentibus Ordinis illius fas est absolutionem generalem cum plenaria indulgentia recipere. Ad haec largimur, ut praedicta absolutio eique adnexa indulgentia, tum pro festo Rosarii, tum pro aliis dicti Ordinis festis concessa, in aliam intra octavam diem transferri licite queat si forte aliquod impedimentum obsit quominus propria die habeatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

[Acta Ap. Sedis, vol. IX, p. 232, 324].

713.

Benedictus XV, litt. encycl. *Humani generis*, 15 iun. 1917.[1]

1. Humani generis Redemptionem Iesus Christus in ara Crucis moriendo cum consummasset, velletque adducere homines ut, suis praeceptis obtemperando, compotes fierent aeternae vitae, non alia usus est via quam suorum voce praeconum qui, quae ad salutem credenda faciendaque essent, hominum universitati denuntiarent. *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.*[2] Elegit igitur Apostolos, quibus cum per Spiritum Sanctum dona infudisset tanto muneri consentanea, *Euntes*, inquit, *in mun-*

[1] Ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes.
[2] I Cor., 1, 21.

dum universum praedicate Evangelium.[1] Quae quidem praedicatio faciem orbis terrae renovavit. Nam, si Fides christiana mentes hominum a multiplici errore ad veritatem, animosque a sordibus vitiorum ad omnium virtutum excellentiam convertit, profecto ipsius praedicationis ope convertit: *Fide ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*[2] Quapropter, quoniam, Dei nutu, iisdem causis quibus procreatae sunt, res conservantur, patet praedicationem christianae sapientiae ad continuandum aeternae salutis opus divinitus adhiberi; et eam in maximis gravissimisque rebus iure numerari: in quam propterea curae cogitationesque a Nobis praecipuae conferendae sunt, maxime si aliqua ex parte, a nativa integritate, cum suae efficacitatis detrimento, deficere videatur.

2. Id enimvero est, venerabiles Fratres, quod ad ceteras miserias horum temporum quibus Nos ante alios sollicitamur, accedit. Etenim, si circumspiciamus quam multi sint qui verbo Dei praedicando dant operam, tanta occurret copia, quanta fortasse numquam fuit antea. Si autem consideremus quo loco sint publice ac privatim mores atque instituta populorum, crescit in dies vulgo rerum quae supra naturam sunt, despicientia et oblivio; sensim a christiana virtutis severitate disceditur, maioresque ad probrosam ethnicorum vitam quotidie regressus fiunt.

3. Horum quidem malorum variae sunt multiplicesque causae: nemo tamen negaverit deplorandum esse quod eis malis a ministris verbi non satis afferatur medicinae. Numquid sermo Dei talis esse desiit, qualis ab Apostolo dicebatur, vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti? Num gladii huius aciem usus diuturnitas hebetavit? Vitio certe tribuendum est ministrorum qui non tractant, quemadmodum oportet, hunc gladium si is non omnibus locis vim suam exerceat. Neque enim dici potest melioribus, quam nos, temporibus Apostolos usos esse, quasi tum aut plus esset docilitatis ad Evangelium aut minus contra divinam legem contumaciae.

4. Omnino igitur, quod Nos apostolici officii conscientia admonet duorumque proximorum Decessorum exemplum hortatur, huc summo studio, pro rei gravitate, incumbendum Nobis esse intelligimus, ut praedicationem divini verbi ad eam normam, ad quam Christi Domini iussu Ecclesiaeque statutis dirigenda est, ubique revocemus.

5. Principio, venerabiles Fratres, quaeramus oportet, quas ob causas in hoc genere de via declinetur. Iam istae causae ad tres redire videntur: aut is ad praedicandum assumitur qui non debet; aut id muneris non eo exercetur consilio quo debet; aut non eo modo quo oportet.

6. Etenim praedicationis munus, ex Tridentina Synodi doctrina, *Episcoporum praecipuum est.*[3] Apostoli quidem, quorum in locum successere Episcopi, hoc maxime suarum partium esse duxerunt. Ita Paulus: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.*[4] Ceterorum autem Apostolo-

[1] Marc., 16, 15.
[2] Rom., 10, 17.
[3] Sess. XXIV, *de ref.*, c. IV.
[4] Cor., 1, 17.

rum ea fuit sententia: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis*, [1] Etsi autem proprium id est Episcoporum, tamen, quoniam variis distenti curis in suarum gubernatione ecclesiarum, nec semper nec usque quaque ipsi per se possunt, necesse est etiam per alios huic officio satisfaciant. Quare in hoc munere quicumque praeter Episcopos versantur, dubitandum non est quin, episcopali fungentes officio, versentur. — Haec igitur prima lex sanciatur, ut munus praedicationis sua sponte suscipere liceat nemini; sed ad illud exsequendum cuivis opus sit missione legitima, quae, nisi ab Episcopo, dari non potest: *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* [2] Missi sunt enim Apostoli et ab Eo missi qui summus est Pastor et Episcopus animarum nostrarum; [3] missi septuaginta duo illi discipuli; ipseque Paulus, quamvis constitutus iam a Christo vas electionis ut nomen eius coram gentibus et regibus portaret, [4] tum demum iniit apostolatum quum seniores, Spiritus Sancti mandato *Segregate mihi Saulum in opus* (Evangelii), [5] obtemperantes, eum cum impositione manuum dimisissent. Id quod primis Ecclesiae temporibus perpetuo usitatum est. Omnes enim, vel qui in sacerdotum ordine eminebant, ut Origenes, et qui postea ad episcopatum evecti sunt, ut Cyrillus Hierosolymitanus, ut Ioannes Chrysostomus, ut Augustinus ceterique Doctores Ecclesiae veteres, sese ex sui quisque Episcopi auctoritate ad praedicandum contulerunt.

7. Nunc vero, venerabiles Fratres, longe aliud venisse in consuetudinem videtur. E sacris oratoribus non ita pauci sunt in quos apte cadere illud dixeris quod queritur Dominus apud Ieremiam: *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.* [6] Nam cuicumque vel ex ingenii indole vel aliis quibusvis de causis *ministerium verbi* suscipere libuerit, facile ei patet aditus ad suggesta templorum, tamquam ad palaestram in qua quivis suo arbitratu sese exerceat. Itaque ut iam de medio tollatur tanta perversitas, vestrum est, venerabiles Fratres, providere; et quoniam de pabulo vestris gregibus praebito reddenda Deo Ecclesiaeque a vobis ratio est, ne sinite ut quis, iniussu vestro, in ovile se inferat, et oves Christi ad suum arbitrium pascat. Nemo igitur in dioecesibus vestris, nisi vocatus probatusque a vobis, iam nunc sacras conciones habeat.

8. Hic vero summa cum vigilantia attendatis volumus quibus munus tam sanctum demandetis. Qua in re Episcopis hoc tantum, Concilii Tridentini decreto, permittitur ut *idoneos* eligant, id est qui possint *officium praedicationis salubriter exsequi.* [7] *Salubriter*, dictum est — notate verbum quo rei continetur norma — non *eloquenter*, non *cum plausu audientium*, verum cum animarum fructu, ad quem, tamquam finem, divini verbi administratio pertinet. — Quod si pressius definiri a Nobis cupitis quos reapse habeatis idoneos,

[1] Act., 6, 2.
[2] Rom., 10, 15.
[3] I Petr., 2, 25.
[4] Act., 9, 15.
[5] Act., 13, 2.
[6] Ierem., 23, 21.
[7] Sess. V, *de ref.*, c. 2.

eos dicimus in quibus divinae vocationis argumenta reperietis. Nam quod requiritur ut quis ad sacerdotium admittatur: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo,* [1] idem opus est ut quis ad praedicandum habilis aptusque iudicetur. Quae quidem vocatio haud difficile deprehenditur. Christus enim, Dominus et Magister Noster, cum in eo esset ut in caelum adscenderet, nequaquam dixit Apostolis ut illico, diversi abeuntes, praedicare inciperent: *Sedete*, inquit, *in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* [2] Hoc igitur erit indicio quempiam divinitus ad id muneris vocari, si is virtute ex alto sit indutus. Quod cuiusmodi sit, licet ex iis colligere, venerabiles Fratres, quae in Apostolis, statim ut virtutem desuper acceperint, scimus evenisse. Ubi enim in eos Spiritus Sanctus descendit — ne mirifica, quibus aucti sunt, charismata attingamus — ex rudibus infirmisque hominibus docti perfectique evaserunt. Sit igitur sacerdos quispiam congruenti tum scientia tum virtute praeditus — modo ei dona naturae suppetant quae necessaria sunt ne tentetur Deus — recte ad praedicationem vocatus videbitur, neque erit cur ab Episcopo ad hoc munus non possit assumi. Quod ipsum vult Tridentina Synodus, cum edicit, ne quos Episcopus praedicare sinat qui non *sint moribus et doctrina probati.* [3] Itaque Episcopi est eos, quibus praedicandi munus deferre cogitat, diu multumque experiri ut quae quantaque sit eorum et doctrinae copia et vitae sanctimonia cognoscat. Qui si remisse negligenterque se gesserit, is profecto in re gravissima deliquerit, et in eius caput culpa recidet vel errorum quos imperitus praedicator fuderit, vel offensionis malique exempli quod improbus dederit.

9. Quo autem faciliores in hoc vestras, venerabiles Fratres, reddamus partes, volumus ut qui praedicandi potestatem petunt, non secus ac qui confessiones peccatorum excipiendi, de eorum moribus et eruditione posthac duplex severumque fiat iudicium. Quisquis igitur in alterutro mancus et claudicans repertus sit, nullo rei cuiusquam respectu, repellatur ab eiusmodi munere cui non esse eum idoneum constiterit. Postulat id vestra ipsorum dignitas, quorum vices a praedicatoribus geruntur, ut diximus; flagitat Ecclesiae sanctae utilitas, quandoquidem *sal terrae* et *lux mundi* esse, [4] si quis alius, is debet qui in verbi ministerio versatur.

10. His probe consideratis rebus, ultra progredi ad explicandum quem sacrae praedicationis et finem et modum esse oporteat, supervacaneum potest videri. Nam si ad eam, quam memoravimus, regulam sacrorum oratorum delectus exigatur, quid est dubii quin, congruis ornati virtutibus, dignam in praedicando et causam sibi proponant et rationem teneant? Sed tamen prodest haec duo illustrare capita, ut eo melius appareat, quare interdum boni praedicatoris forma in nonnullis desideretur.

11. Quid praedicatoribus debeat in suscepto munere exsequendo esse propositum, licet intelligere ex eo quod ii possunt ac debent de se idem,

[1] Hebr., 5, 4.
[2] Luc., 24, 49.
[3] Loc. cit.
[4] Matth., 5, 13, 14.

quod Paulus, affirmare: *Pro Christo legatione fungimur.* [1] Si autem legati sunt Christi, illud ipsum velle debent in legatione peragenda quod Christus voluit in danda; immo quod ipse, dum vixit in terris, sibi proposuit. Neque enim Apostoli, et praedicatores post Apostolos, alio missi sunt atque Christus: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* [2] Scimus autem cuius rei gratia Christus de caelo descenderit: aperte enim declaravit: *Ego ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati,* [3] *Ego veni, ut vitam habeant.* [4]

12. Utrumque igitur persequantur oportet qui sacrae praedicationi dant operam, id est, ut traditae a Deo veritatis diffundant lumen et ut in iis qui audiunt, supernaturalem excitent alantque vitam; brevi, ut animarum quaerendo salutem, Dei promoveant gloriam. Quare, sicut perperam appelletur medicus, qui medicinam non faciat, vel alicuius artis doctor qui ea non doceat artem, sic qui praedicando non curat ad pleniorem Dei cognitionem et ad aeternae salutis viam homines adducere, eum declamatorem vaniloquum appellari licet, praedicatorem evangelicum non licet. Atque utinam huiusmodi declamatores nulli sint! — Quid vero est quo ducuntur maxime? Alii quidem inanis gloriae cupiditate: cui scilicet ut satisfaciant: « Student magis alta quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Erubescunt humilia et plana dicere, ne sola haec scisse videantur... Erubescunt lactare parvulos ». [5] Cumque Iesus Dominus ex humilitate auditorum ostenderet se eum esse qui exspectabatur: *Pauperes evangelizantur,* [6] quid non moliuntur isti, ut ex urbium celebritate atque ex primariorum dignitate templorum commendationem suis sermonibus acquirant? Quoniam autem in rebus a Deo revelatis quaedam sunt quibus corruptae humanae naturae perterreatur infirmitas, quaeque ob eam causam accommodatae non sunt ad evocandam multitudinem, ab iis caute se abstinent eaque tractant in quibus, si loci rationem excipias, nihil est sacrum. Ac non raro contingit ut in media pertractatione rerum aeternarum labantur ad politica, praesertim si quid eius generis animos audientium vehementer teneat occupatos. Omnino unum hoc iis esse studium videtur, placere audientibus eisque morem gerere quos Paulus *prurientes auribus* [7] dicit. Hinc ille gestus non sedatus et gravis, sed qualis in scaena aut in concione populari solet agi; hinc illae vocis vel remissiones molliores, vel contentiones tragicae; hinc illud orationis genus proprium ephemeridum; hinc sententiarum illa copia ab impiorum et acatholicorum petita scriptis, non a divinis Litteris, non a Sanctis Patribus; hinc denique illa et, quae ab eorum plerisque usurpatur volubilitas tanta verborum, qua obtundant quidem aures et admirationem moveant audientibus,

[1] II Cor., 5, 20.
[2] Ioan., 20, 21.
[3] Ibid., 18, 37.
[4] Ibid., 10, 10.
[5] Gillebertus Ab., *In Cant. Canticor., serm. XXVII,* 2.
[6] Matth., 11, 5.
[7] Tim., 4, 3.

sed nihil his boni afferant quod domum reportent. Iam vero mirum quantum praedicatores isti opinione falluntur. Habeant licet quem tanto cum labore nec sine sacrilegio petunt plausum imperitorum: num pretium est operae, quando simul subeunda eis est prudentium omnium vituperatio et, quod est maius, formidandum Christi severissimum iudicium?

13. Quamquam, venerabiles Fratres, unice plausus quaerere praedicando non omnium est qui a regula normaque aberrant. Plerumque huiusmodi significationes qui captant, ideo captant ut eas ad aliud assequendum dirigant vel minus honestum. Nam, oblivioni dantes illud Gregorii: « Non praedicat sacerdos ut comedat, sed ideo ut praedicet, manducare debet » [1] haud ita rari sunt qui, cum ad alia munera, quibus decenter alerentur, non se factos esse intelligerent, ad praedicationem se contulerunt, non ministerii sanctissimi rite exercendi, verum quaestus faciendi causa. Videmus igitur curas omnes istorum minime conversas esse ad quaerendum ubi maior sperari possit fructus animarum, sed ubi plus conficiatur praedicando lucri.

14. Iam vero, cum ab his nihil exspectare liceat Ecclesiae, nisi damnum et dedecus, summopere vobis, venerabiles Fratres, est vigilandum, ut, si quem inveneritis praedicatione ad suam gloriam vel ad quaestum abuti, eum sine cunctatione amoveatis ab officio praedicandi. Nam qui rem tam sanctam polluere non veretur tanta perversitate propositi, non sane dubitabit ad omnes indignitates descendere, ignominiae labem aspergens non sibi tantum, sed ipsi etiam sacro muneri, quod tam prave administrat.

15. Eadem autem erit adhibenda severitas in eos qui quo decet modo non praedicent, propterea quod ea neglexerint, quae ad recte hoc ministerium obeundum necessario requiruntur. Haec vero quae sint, docet exemplo suo is qui ab Ecclesia cognominatus est *Praedicator veritatis,* Paulus Apostolus: cuius similes praedicatores utinam, Dei miserentis beneficio, multo plures habeamus.

16. Primum igitur quod discimus a Paulo hoc est, quam bene paratus et instructus ad praedicandum venerit. Neque vero hic loquimur de doctrinae studiis in quibus, Gamaliele magistro, diligenter versatus erat. Scientia enim in eo *per revelationem* infusa, obscurabat ac paene obruebat eam quam ipse sibi comparaverat: quamquam hanc quoque non parum ei profuisse ex eius Epistolis apparet. Prorsus necessaria est praedicatori scientia, ut diximus, cuius quidem luce qui caret, facile labitur, ex Concilii Lateranensis IV verissima sententia: « Ignorantia est mater cunctorum errorum ». Non tamen de qualibet rerum scientia volumus intelligi, sed de ea scilicet quae propria est sacerdotis, quaeque, ut in pauca conferamus rem, cognitione sui, Dei, et officiorum continetur: sui, inquimus, ut suas quisque utilitates omittat; Dei, ut omnes ad eum et cognoscendum et diligendum adducat; officiorum, ut ea servet et servari praecipiat. Ceterarum rerum scientia, ista si desit, *inflat* nec quicquam prodest.

17. Illud potius videamus, qualis in Apostolo praeparatio fuerit animi.

[1] In I Regum, lib. III.

Qua quidem in re tria sunt maxime consideranda. Primum ut se totum Paulus divinae voluntati dediderit. Vixdum enim, cum iter faceret Damascum, Iesu Domini virtute tactus est, edidit illam Apostolo dignam vocem: *Domine, quid me vis facere?* [1] Nam promiscua illi statim coeperunt esse pro Christo, sicut perpetuo fuerunt postea, laborare et quiescere, egere et abundare, laudari et contemni, vivere et mori. Non est dubium quin ideo in apostolatu tantum profecerit, quod se Dei voluntati pleno cum obsequio permisit. Quare similiter ante omnia obsequatur Deo quisquis praedicator ad salutem animarum nititur; ut nihil quidquam sit sollicitus quos auditores, quem successum, quos fructus habiturus sit: denique ut Deum dumtaxat, non se respiciat.

18. Hoc autem tantum Deo obsequendi studium animum postulat adeo comparatum ad patiendum, ut nullum fugiat laboris molestiaeque genus. Quod alterum in Paulo fuit insigne. Nam, cum de eo dixisset Dominus: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, [2] ipse deinde aerumnas omnes tanta cum voluntate complexus est ut scriberet: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* [3] Iam vero haec laboris tolerantia in praedicatore si emineat, cum quicquid humani in eo sit, abstergeat, ac Dei gratiam ei ad fructum ferendum conciliet, tum incredibile est quam eius operam christiano populo commendet. Contra, parum ad permovendos animos ii possunt, qui quocumque venerint, ibi commoditates vitae plus aequo consectantur, ac dum suas conciones habeant, nihil aliud fere attingunt ministerii sacri, ut appareat plus eos propriae servire valetudini, quam animarum utilitati.

19. Tertio denique loco *spiritum orationis* qui dicitur, necessarium praedicatori esse intelligimus ex Apostolo; qui ut primum vocatus est ad apostolatum, Deo supplex esse instituit: *Ecce enim orat.* [4] Etenim non copiose dicendo nec subtiliter disserendo aut vehementer perorando salus quaeritur animarum: qui hic consistat praedicator nihil est nisi *aes sonans aut cymbalum tinniens.* [5] Id quo fit ut vigeant humana verba mirificeque valeant ad salutem, divina est gratia: *Deus incrementum dedit.* [6] Dei autem gratia non studio et arte comparatur, sed precibus impetratur. Quare qui parum aut nihil orationi est deditus, frustra in praedicatione operam curamque consumit, cum coram Deo nec sibi nec audientibus quicquam proficiat.

20. Itaque, paucis concludentes quae hactenus diximus, his Petri Damiani verbis utamur: «Praedicatori duo sunt permaxime necessaria, videlicet ut sententiis doctrinae spiritualis exuberet, et religiosae vitae splendore coruscet. Quod si sacerdos quispiam ad utrumque non sufficit, ut et vita clarus et doctrinae facultate sit profluus; melior est vita procul dubio quam doctrina... Plus valet vitae claritas ad exemplum, quam eloquentia vel urbanitas accurata sermonum... Necesse est ut sacerdos, qui praedicationis officio fungitur, et doctrinae spiritualis imbribus pluat, et religiosae vitae radiis splendeat: instar illius Angeli, qui natum Dominum pastoribus nuntians, et splendore claritatis emicuit, et quod evangelizare venerat, verbis expressit ». [1]

[1] Act., 9, 6.
[2] Ibid., 9, 16.
[3] II Cor., 7, 4.
[4] Act., 9, 11.
[5] I Cor., 13, 1.
[6] Ibid., 3, 6.

21. Sed, ut ad Paulum redeamus, si quaerimus quibus de rebus consuevisset praedicando agere, ipse sic omnia complectitur: *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum* [2]. Efficere ut Iesum Christum homines magis magisque cognoscerent et quidem cognitione quae ad vivendum, non modo ad credendum, pertineret, hoc est quod omni apostolici pectoris contentione laboravit. Itaque Christi dogmata et praecepta omnia vel severiora sic tradebat ut nihil nec reticeret nec molliret, de humilitate, de abnegatione sui, de castitate, de rerum humanarum contemptu, de obedientia, de venia inimicis danda, de similibus. Nec vero timide illa denuntiabat: inter Deum et Belial eligendum esse cui serviatur, utrique non posse; omnes, ut e vivis excesserint, tremendum manere iudicium; cum Deo non licere transigi; aut vitam aeternam sperandam, si universae obtemperetur legi, aut, si cupiditatibus indulgendo deseratur officium, ignem aeternum esse exspectandum. Neque enim *Praedicator veritatis* unquam putavit abstinendum ab huiusmodi argumentis propterea quia, ob corruptionem temporum, nimis dura viderentur iis, ad quos loquebatur. — Apparet igitur quam non probandi sint ii praedicatores, qui quaedam christianae doctrinae capita, ne fastidio sint audientibus, non audent attingere. Num medicus quisquam inutilia remedia dabit aegrotanti, quia is ab utilibus abhorreat? Ceterum inde probabitur oratoris virtus et facultas, si, quae ingrata sunt, ea grata dicendo reddiderit.

22. Quae autem tractanda susceperat, quo modo Apostolus explicabat? *Non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis.* [3] Quanti refert, venerabiles Fratres, hoc omnibus esse exploratissimum, cum videmus non paucos e sacris concionatoribus ita dicere ut Scripturas Sanctas, Patres Doctoresque Ecclesiae, theologiae sacrae argumenta praetermittant; nihil fere nisi rationem loquantur. Perperam profecto: neque enim in ordine supernaturali humanis tantum adminiculis quidquam proficitur. — At illud opponitur: praedicatori qui quae divinitus revelata sunt, urgeat, non haberi fidem. — Itane vero? Sit sane apud acatholicos: quamquam cum Graeci sapientiam, nimirum huius saeculi, quaererent, Apostolus tamen eis Christum crucifixum praedicabat. [4] Quod si oculos convertamus ad gentes catholicas, in his ii qui alieni sunt a nobis, fere Fidei radicem retinent: mentem enim obcaecantur eo quod animi corrumpuntur.

23. Postremo qua mente praedicabat Paulus? Non ut hominibus, sed ut Christo placeret: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* [5] Cum

[1] Epp. lib. I, *Ep. I ad Cinthium Urbis Praef.*
[2] I Cor., 2, 2.
[3] Ibid., 2, 4.
[4] I Cor., 1, 22, 23.
[5] Gal., 1, 10.

animum gereret incensum caritate Christi, nihil quaerebat praeter Christi gloriam. O utinam qui in verbi ministerio elaborant, omnes vere Iesum Christum diligant; utinam possint illa usurpare Pauli: *Propter quem* (Iesum Christum) *omnia detrimentum feci;* [1] et *Mihi vivere Christus est.* [2] Tantum qui amore ardent, ceteros inflammare sciunt. Quare S. Bernardus ita praedicatorem admonet: « Si sapis, concham te exhibebis et non canalem »; [3] hoc est: quod dicis, eo plenus ipse esto, et ne satis habeas in alios transfundere. « Verum, ut idem Doctor addit, canales hodie in Ecclesia multos habemus, conchas vero perpaucas! » [4]

24. Hoc ne eveniat in posterum, vobis omni ope atque opera enitendum est, venerabiles Fratres: quorum est et indignos repellendo, et idoneos eligendo, conformando, moderando, efficere ut praedicatores, qui sint secundum Dei cor, iam plurimi exsistant. — Respiciat autem misericors gregem suum Pastor aeternus, Iesus Christus, Virgine Sanctissima quidem, ut Matre augusta ipsius Verbi incarnati et Regina Apostolorum, deprecante; ac spiritum apostolatus in Clero fovens, plurimos esse iubeat qui studeant seipsos probabiles exhibere Deo, operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis ». [5]

25. Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae vobis, venerabiles Fratres, vestroque Clero ac populo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

[Acta Ap. Sedis, vol. IX, p. 305-317].

[1] Phil., 3, 8.
[2] Ibid., 1, 21.
[3] *In Cant.*, serm. 18.
[4] Ibid.
[5] II Tim., 2, 15.